COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM LITTERALEM ET MORALEM

IN PENTATEUCHUM MOSIS

LEVITICUS, NUMERI ET DEUTERONOMIUM

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

M DCCC LXXIV

DISSERTATIUNCULÆ TRES.

I.

ROSENMULLERI PROLEGOMENA IN DEUTERONOMIUM *.

Quintum Pentateuchi librum Hebræi a vocibus quibus incipit, אלה הדברים, et משנה התורה *repetitionem legis* e cap. XVII, 18, vel simpliciter משנה nuncupant. Similiter Alexandrini inscripserunt Δευτερονόμιον non quod δεύτερόν νόμον, *secundam* et *novam legem*, contineat; sed quod δεύτερον, *denuo*, lex jam antea data hoc libro repetitur et explicatur.

Prima libri parte (I — IV, 40) Moses in solemni populi concione, quæ inde ab egressu ex Ægypto usque ad stativa in agro Moabitico facta et gesta essent, post relatas de rege Basanis, Amorrhæis et Madianitis victorias, percurrit, et hortatur Israelitas ad leges divinas observandas. Parte *secunda* (IV, 45 — XXX, 20) quæ universo populo scitu necessaria essent præcepta, per tres superiores libros sparsa, exceptis iis, quæ ad solos sacerdotes pertinerent, comprehenduntur, nonnullis quoque plane de novo additis, gravibus intermixtis adhortationibus, quibus pondus additum et promissionibus præmiorum, quæ leges divinas observantibus proponuntur, et comminationibus pœnarum, quæ illas negligentes manent. Subjicitur cap. XXXI Epilogus, quo exponit Moses se 120 annorum ætate grandævum, ferendo reipublicæ et exercitus oneri imparem esse, quare illud reputasse, ut a principatu sese abdicans Josuam sibi a Deo datum successorem statueret; legumque codicem a se consignatum et in manu Levitarum Seniorumque populi depositum jussit singulis septenniis in festo Tabernaculorum in solemni populi concione legi. Sequitur duplex carmen, unum (cap. XXXII), quo, alte in mente Israelitarum insidente, constans beneficiorum Dei, atque vicissim debiti in illum Hebræorum officii monumentum restaret; alterum (cap. XXXIII), quo pro singulis tribubus vota fecit. Postrema libri pericopa (cap. XXXIV) Mosis mors et sepultura describitur.

A Mose hunc librum saltem usque ad XXXII, 47, consignatam esse, diserte dicitur XXXI, 9, 19, 24, ubi ipse de se Moses testatur scriptis mandasse carmen, quod libri partem constituit (XXXII), additque insuper, scripto itidem redegisse omnes a se propositas leges, quarum legum contextus adeo cum reliquis totius libri partibus conjungitur, ut ægre divelli possit. Testimonio de Mose scriptore libri fidem faciunt loca illius quam plurima, quæ *nondum expugnatam*, sed *brevi occupandam* ab Hebræis terram Cananæam arguant, ut cap. VI, 1 : « Hæc sunt præcepta, instituta et jura, quæ mihi in mandatis dedit Jova, ut vos ea docerem observanda in terra, in quam possidendam transibitis. » Vers. 10 : « Cum intromiserit te Jova Deus tuus in terram, quam juravit majoribus tuis, se tibi daturum, cum urbibus magnis et opulentis, quas non condideris, ædibus plenis omnibus copiis, quas non impleveris, cisternis excisis, quas non cavaveris, vinetisque et olivetis, quæ non plantaveris, » etc. Vers. 18, 19 : « Facies quod rectum est et Jovæ placet, ut tibi bene sit, adeasque possessionem bonæ terræ, quam se tibi daturum majoribus tuis Jova juravit, et expellas e conspectu tuo omnes tuos hostes. » Cap. VII, 1 — 5, 16 — 26, et XX, 16, 17, Moses jubet Cananæos, quorum agros occupaturi erant Hebræi, ad internecionem delere. Cap. XI, 10, 11 : « Terra quam possidendam a te ingrederis, non est ut Ægyptia terra, ex qua egressus es, et in quam semen tuum conjiciebas, irrigabasque tuo pede, ut hortum olerum; terra in quam

* Vix est quod moneamus, hæc Rosenmulleri Prolegomena, licet perplacent partem maximam, in paucis tamen consensu nostro non comprobari, v. g. dum caput XXXIII Mosi abjudicant. Conf. tum quæ dicentur infra, tum quæ tomo I præmisimus de Peutateucho in genere.

A. C.

possidendam transis, est terra montium et vallium, ubi aquam bibes pluviæ cœlestis. » Alia plane similia loca vid. cap. VIII, 1, 7, 12; IX, 1 — 6; XI, 23 — 25, 29 — 31; XII, 8 — 10, 14; XVI, 6; XVII, 14; XVIII, 14; XIX, 1; XXIII, 20; XXVI, 1; XXVII, 2, 4; XXX, 18; XXXI, 2, 3, 6. Dicat aliquis, talia a seriore libri scriptore callide ita esse conficta, ut legentibus persuaderet, esse hunc librum a Mose litteris mandatum. Verum si hæc ratio valeat, quis demum liber fuerit, de cujus auctore et ætate ex argumentis internis judicium certum fieri possit? Præterea quæ cap. II, 20 — 23, III, 8 — 10, legimus de priscis Cananææ populis et ditionum eorum finibus, vix ulla alia, quam Mosis ætate, tam accurate tradi potuerunt. Quodsi et hæc conficta esse regeras, rogamus, quem in finem talia quis ementitus fuerit?

Attamen ut a Mose scriptum esse Deuteronomion credamus, haud admittere diversum a prioribus libris et peculiare hujus libri ingenium, styli, narrationum et legum diversitatem, et plura in illo serioris Mose ætatis indicia, perhibent Vater (in *Commentat. de scriptore Pentateuchi* ad calcem *Commentarii* vol. III), de Wette (1), Gesenius (*Geschichte der hebr. Sprache*, p. 32) et Bleek (2). Et dicendi quidem genus quod attinet, quinti hujus libri eloquentiam ornatam, copiosam, garrulam, magnopere abhorrere dicunt a priorum librorum sermone brevi et conciso (3). Sed quum quintus hic liber, tanquam epitome quædam trium priorum librorum totius populi usibus, ut supra monuimus, destinata, septimo quoque anno publice prælegendus esset (cap. XXXI, 10 — 13); prudentis scriptoris erat, tali in opere copiosa et oratoria eloquutione uti, et per totum librum iterum iterumque gravi et pathetica oratione legentes et audientes admonere, ut propositas ipsis leges sanctissime observarent. Ex eo, quem indicavimus, libri usu et ratio repetenda videtur quarumdam loquendi formularum et singularum vocum, quæ huic tantum libro sunt propriæ (4), quod eæ, ut credibile est, ad sensum et usum vulgarem popularemque accommodatæ essent. Magnam cæteroquin Deuteronomio cum prioribus styli totiusque dicendi generis similitudinem esse, multaque loca ita cum illorum locis congruere, ut ab eodem auctore, memoriter ea retractante, quæ prius jam scripserit, conscripta videantur, nec de Wette (*Dissertat.* p. 10) negare potest; sed tanti consensus causam inde censet repetendam, quod Deuteronomii scriptor priores illos libros non solum novisse et legisse, sed in sinu quasi gestasse, memoriaque comprehendisse, et in hoc suo libro conscribendo tanquam exemplar sibi proposuisse videatur. Quod tamen non omnibus æque verisimile videbitur. Ad ea loca quod attinet, quæ vel in rerum gestarum narratione a libris prioribus aut vero discrepant, aut discrepare videntur (5), vel in quibus Viri Docti, quos laudavimus, serioris Mose ætatis vestigia deprehendere sibi visi sunt, de iis videbimus in illorum interpretatione. Cæterum uti duo postrema libri capita, ita et alia quædam

(1) In Dissert. *Qua Deuteronomium a prioribus Pentateuchi libris diversum, alius cujusdam recentioris auctoris opus esse monstratur*, Ienæ 1805. Cf. ejusdem *Kritik der Israelit. Geschichte*, p. 385 seqq., et *Lehrbuch der histor. krit. Einl. in das A. T.*

(2) In *dem Bibl. exeget Repertor.* a nobis edito, P. I, p. 18 et 53, ubi cum Wettio Deuteronomium sub Josia demum haud diu ante expugnatam a Chaldæis Hierosolymam scriptum arbitratur. Sed scriptorem ejus ætatis (cap. XXVIII, 68) Hebræos divina præcepta negligentes in Babyloniam potius quam *navibus in Ægyptum* abducendos comminatum esse credibile est.

(3) Quod potissimum urget de Wette in *Dissert.* Ita quæ *Exod.* XX, 19, in uno versu expressa sunt, ea *Deut.* V, 19-24, in quinque versus dilatata, et exornata habentur. Simplicem versum *Exod.* XXI, 1, legis *Deut.* V, 28 extensum, sensu minime amplificato. Quæ *Ex.* XXXIV, 11-17 simpliciter expressa sunt, ea paulum immutata *Deut.* VII, 1-12 nimis exaggerata reperies. Cf. et *Exod.* cap. XXIII, 20-32, cum *Deuter.* VII, 12-26; *Levit.* XXVI cum *Deuter.* cap. XXVIII.

(4) Sic de criminum punitione semper usurpata est formula, *tolles improbum illum e medio tui*, cap. XIII, 6 et alias sæpissime, quam in prioribus libris nusquam invenies, sed ejus loco solemnem illam (in quinto libro plane exulantem), *ejus anima exstirpanda est e gente sua.* Occurrit etiam, ubi de criminibus puniendis sermo est, frequenter hæc formula, *quo audito populus timebit neque amplius peccabit*, XIII, 11; XVII, 13; XIX, 20; XXI, 21, quarum nihil simile habent priores libri. In enotandis singulis vocibus huic libro peculiaribus, ut דבק in phrasi *Jovæ adhærere*, X, 20; XI, 22; XIII, 25, etc., משלח ידים *negotium*, XII, 7; XV, 10, etc., גדל *magnitudo* de Deo pro כבוד in prioribus libris obvio, et aliis quibusdam diligentiam adhibuit de Wette in *Dissert.* De usu nominis Horeb, in hoc libro constanter observato pro *Sinai*, Herbst in *Observat. de Pentateuchi quatuor librorum posterior. auctore et editore*, Tubing. 1817, pag. 16, notavit hæc: « Fieri potuit, ut celebris ille mons duobus insigniretur nominibus, et quidem nomine *Sinai* a populis qui in Ægypto et regionibus degebant ad sinum Arabicum adjacentibus, *Horeb* autem ab illis qui cacumen ejus in terra Canaan terrisque vicinis conspiciebant. »

(5) Veluti cap. I, 15 coll. cum *Ex.* XVIII et *Num.* XI; cap. I, 20-23 coll. cum *Num.* XIII, 1, 2; cap. I, 44 coll. cum *Num.* XIV, 45; cap. II, 28, 29 coll. cum *Num.* XXI, 22; cap. X, 6 seqq. coll. cum *Num.* XXXIII, 30-33.

aut addita (1), aut paulum immutata a serioribus manibus facile concedimus. Neque tamen eorum locorum tantus est numerus, qui totum librum Mosi adjudicare nos cogat.

Chronologia libri, ex cap. I, 3, 4, et *Jos.* IV, 19, V, 10, petenda, ultimorum duorum mensium anni post exitum quadragesimi complectitur.

N. B. Pauca hic visum est adjicere, a nobis gallice translata, ex egregio opere cui titulus *Historisch-krit. Einleitung in die heiligen Schriften d. A. T. von Herbst u. Welte*, 1842. P. II, fasc. 1, pag. 31 seqq.

Les incrédules n'ont pas seulement nié que Moyse fût l'auteur du Deutéronome, ils ont été plus loin : séparant ce livre des quatre premiers qui forment avec lui le Pentateuque, ils en ont fait une œuvre à part, d'une origine beaucoup plus récente. Voici les preuves sur lesquelles ils s'appuient. 1° Le quatrième livre de Moyse embrasse (voy. *Num.* XXXVI, 13) tout l'ensemble des dernières lois mosaïques; en outre il conduit l'histoire de Moyse jusqu'à sa dernière période (*Levit.* XXVII, 12 — 23), et le Deutéronome la laisse précisément au même point (compar. *Deut.* I, 1 — 5, IV, 46 avec *Num.* XXXVI, 13; *Deut.* XXXI avec *Num.* XXVII, 12 — 23). 2° On trouve dans le Deutéronome des différences et des contradictions avec les livres précédents : *a*) dans les faits (X, 1 seqq. comparé à *Exod.* XXXIV, 1 seqq.; X, 6, 7 comp. à *Num.* XXXIII, 30 — 38; I, 15 comp. à *Exod.* XVIII et *Num.* XI; I, 20 — 23 comp. à *Num.* XIII, 1, 2; I, 44 à *Num.* XIV, 45; II, 28, 29 à *Num.* XXI, 22. *b*) Dans les lois (V, 15 comp. à *Exod.* XX, 10, 11; XIV, 3, 21 à *Lev.* XI; XV, 1 — 11 à *Lev.* XXV; XV, 12 — 18 à *Exod.* XXI, 2 — 11. *c*) Dans les expressions. 3° L'esprit et le caractère du livre diffèrent.

La première raison ne prouve rien, car on pourrait faire un raisonnement tout-à-fait semblable contre l'authenticité du livre des Nombres comparé au Lévitique. En effet, la conclusion qui termine les Nombres (XXXVI, 13) se lit dans les mêmes termes vers la fin du Lévitique (XXVI, 46), ce qui n'empêche pas Moyse de mentionner dans ce qui suit les lois données sur le Sinaï (*Lev.* XXVII; *Num.* V, 5 — 31; VI, IX, 1 — 14; X, 1 — 10). De même le Lévitique et le commencement des Nombres ne conduisent pas l'histoire de Moyse au-delà de la période où l'Exode l'avait laissée. Or si cette circonstance ne prouve pas que ces trois livres aient des auteurs divers, pourquoi le prouverait-elle pour le Deutéronome seul?

Quant aux différences et contradictions dans le récit des faits, si l'on veut donner ce nom aux légères variantes que l'on remarque dans les endroits allégués, elles ne doivent exciter ni surprise, ni soupçon sur l'authenticité du livre. On les rencontre dans des discours où Moyse résume à grands traits et rappelle à son peuple les principaux événements du passé, pour lui inculquer l'obligation de la reconnaissance envers Dieu et de la fidélité à ses lois. Or, qui pourrait s'étonner, dans cette rapide esquisse d'événements disséminés dans une longue période de temps, tracée par un vieillard déjà près de sa fin et tout pénétré de ce qu'il voit autour de lui, de surprendre, ici l'omission de telle ou telle circonstance d'un fait arrivé quarante ans auparavant, là un nom de lieu ou de personne mis pour un autre? Car les prétendues différences et contradictions du Deutéronome ne sont pas autre chose. Pour prouver que l'orateur se contente d'une exposition tres rapide et rapproche des événements séparés par le temps, qu'il nous suffise d'indiquer les premiers versets du chap. X, où il raconte la descente du mont Sinaï en même temps que la mort d'Aaron, deux faits arrivés à trente huit années d'intervalle. Comment donc peut-il être question de différence et de contradiction, quand l'Ecrivain sacré, dans le court espace de quelques versets (X, 1 — 11), rassemble d'une part l'ordre de construire l'arche d'alliance et celui de tailler les tables de la loi, et de l'autre mentionne seulement en passant le lieu où mourut Aaron? — Le vers. 15 du chapitre I du Deut. n'est pas en contradiction avec les vers. 16 seqq. du chap. XI des Nombres, puisque ces deux passages relatent des faits différents. Il ne contredit pas davantage le chap. XVIII de l'Exode. L'Exode raconte que, d'après le conseil de Jéthro, Moyse invita les Israélites à élire des hommes intelligents pour porter une décision dans les affaires moins importantes; le Deutéronome rappelle l'institution de ces auxiliaires de Moyse sans faire mention du conseil de Jéthro : où est la contradiction? Cette mesure, parce qu'elle a été *conseillée* par un

(1) Veluti cap. III, 11; X, 6, 9.

étranger, cesse-t-elle d'être l'œuvre du suprême législateur, œuvre qui ne pouvait être réalisée que du consentement et avec le concours du peuple? En vain nous objecterait-on que la détermination du temps ne semble pas la même dans les deux passages. L'Exode, en effet, raconte la création des juges secondaires avant l'arrivée des Israélites au Sinaï, tandis que le Deutéronome la place *in illo tempore*, c'est-à-dire, du moins en apparence, avant le départ du mont Horeb. Cette difficulté n'est pas sérieuse, car les plus savants interprètes avouent que cette expression désigne ici d'une manière générale les premiers temps de la marche dans le désert. — L'apparente contradiction entre *Deut.* I, 20 — 23 et *Num.* XIII, 1, 2 a été levée depuis longtemps par cette simple remarque, que les Israélites ayant demandé qu'on envoyât des éclaireurs en Chanaan, Moyse présenta leur requête au Seigneur et en reçut l'ordre de remplir le désir du peuple. — Une autre prétendue contradiction entre *Deut.* II, 29 et *Num.* XX, 14 — 21 disparaîtra également, si, comme le fait Rosenmuller, on distingue les *enfants d'Esaü*, dont il est question dans le premier de ces passages, d'avec les Edomites mentionnés au livre des Nombres; ou mieux en supposant avec Welte (*Nachmosaisches im Pentateuch.*, p. 130 seqq.) que les Edomites, après avoir refusé d'abord aux Israélites le passage sur leurs terres, le leur accordèrent dans la suite. — Enfin l'assertion du *Deut.* I, 44, se concilie très-bien avec le passage des Nombres XIV, 45. Dans le discours où sont rappelés les principaux événements passés, Moyse se borne à mentionner une seule des tribus belliqueuses du pays de Canaan, les Amorrhéens, nom qui leur est donné encore ailleurs, par ex. *Gen.* XV, 16; *Juges* V, 1. (Voy. Hengstenberg, *Beitrâge*, etc., p. 421 seqq. *Nachmosaisches*, etc. p. 152).

Abordons les contradictions que l'on a cru remarquer dans les lois. On trouve étonnant et inexplicable que, *Deut.* V, 15, la sortie d'Egypte soit présentée comme raison de l'observation du sabbat, tandis qu'ailleurs, *Exod.* XX, 11, Moyse exhorte les Israélites à observer le sabbat et à s'abstenir ce jour-là d'œuvres serviles, parce que Dieu s'est reposé le septième jour. Mais, dans le premier de ces passages, le bienfait de la délivrance de la captivité est invoqué, non comme le fondement de l'institution du sabbat, mais comme un motif propre à inspirer aux Hébreux des sentiments d'humanité et de bienveillance pour les étrangers, les esclaves et les servantes le jour du sabbat. C'est un de ces nombreux endroits où Moyse exhorte son peuple à la douceur en lui rappelant que lui-même a été pèlerin et esclave sur une terre étrangère. Les mots, *idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati*, ne se lient pas à la première partie du vers. 15, mais sont une répétition du vers. 12, et comme la conclusion générale des vers. 12 — 15 (1).

Nous ne nions pas d'ailleurs que certaines lois du Deutéronome offrent des différences avec celles des autres livres du Pentateuque : mais qui ne comprend *a priori* que ces différences, modifications, additions ou restrictions peuvent très-bien s'expliquer par le changement de circonstances? (Voy. *Nachmosaisches*, etc. p. 137 seqq.)

Supposons maintenant le cas où le Deutéronome serait l'œuvre d'un écrivain de beaucoup postérieur à l'auteur des trois autres livres, les difficultés que nous venons d'examiner auraient-elles disparu? A mon avis, elles deviendraient, dans cette hypothèse, tout-à-fait inexplicables. Peut-on admettre qu'un écrivain qui aurait voulu faire passer le Deutéronome pour l'œuvre de Moyse, eût été assez maladroit pour mettre des contradictions dans la bouche du grand législateur? Peut-on admettre qu'ayant entre les mains les autres livres, et n'ayant qu'à les ouvrir pour y trouver les dates principales des événements passés, il ait prêté à Moyse ce recit décousu et plein de lacunes que l'on remarque par fois dans le Deutéronome, par ex. chap. X, 6 — 9? Assurément c'est une marque éclatante de l'antiquité d'un livre, que les difficultés qui s'y rencontrent deviennent d'autant plus inexplicables, qu'on assigne à sa composition une date plus récente.

Quant aux différences dans les mots et locutions isolées, elles sont en si petit nombre qu'elles ne méritent pas qu'on s'y arrête. Evidemment la langue du Deutéronome est la même que celle

(1) Néanmoins cette explication pourrait sembler faire violence au texte, à cause de l'expression עַל כֵּן, *idcirco*, qui suppose dans ce qui précède une *raison* de la loi du sabbat. Mais, en admettant même que la délivrance de la captivité soit donnée comme la raison de la loi du sabbat, notre passage ne contredit nullement l'Exode XX, 11; XXXI, 17. Les passages de l'Exode, en effet, expliquent pourquoi le jour du sabbat est le septième de la semaine, et le Deutéronome indique d'une manière générale pourquoi le sabbat a été institué et doit être observé.

des autres livres du Pentateuque; l'emploi constant et exclusif de הוּא au lieu de הִיא (I, 9, 16, 18; II, 34; III, 4, 8, 12, 18, 21, 23; IV, 14; V, 5; IX, 9, 19, 20; X, 1, 8, 10; XIII, 16; XIV, 28; XVII, 5; XXI, 3, 4, 6; XXII, 18, 24; XXIX, 21, 26), propre au Pentateuque seul, en est une preuve décisive. On peut y joindre le mot נער que le Deutéronome, comme les autres écrits mosaïques, emploie sans distinction de genre; car l'unique exception qui se trouve XXII, 19, où on lit נערה, est indubitablement une faute de copiste.

Mais, dit-on, la législation du Deutéronome est empreinte d'un autre esprit, d'un autre caractère; on y reconnaît la trace d'un ordre de choses bien postérieur aux temps mosaïques. Elle se rapporte *a*) au temple de Jérusalem (XII, XVI, 1—7); *b*) à une tribu sacerdotale sans territoire et sans moyens d'existence, mais puissante (XII, 12, 18, 19; XIV, 22—29; XVI, 11, 14; XVIII, 1—8; XXVI, 12 [comparez *Num.* XXXV, XVIII, 21—24]; XVII, 8—13; XIX, 17; XXI, 5; XXXI, 9); *c*) au temps des rois et des prophètes (XVII, 14—20; XIII, 1—5; XVIII, 9—22); *d*) à une organisation judiciaire et militaire (XVI, 18—20; XVII, 8—13; XIX, 17; XXI, 2—6, 19; XXII, 18; XXV, 8; XX).

Les incrédules insistent surtout sur les lois mentionnées *Deut.* XII, XVI, 1—7; ils y trouvent une preuve irréfragable que l'auteur du Deutéronome n'a pu vivre avant le temps du roi Josias. Ces lois, en effet, défendent d'offrir des sacrifices dans un autre lieu que celui que Jéhova se sera choisi *ut inhabitet nomen ejus ibi* — marque évidente d'une origine postmosaïque. Mais cette loi sur l'unité du culte divin n'est en contradiction ni avec les premières prescriptions de Moyse qui permettent de sacrifier en tout lieu, ni avec l'histoire postérieure des Israélites où, jusqu'à Josias, il n'est jamais question de l'unité du culte.

Quand même il serait exact que les premières prescriptions mosaïques permettent d'offrir des sacrifices en tout lieu, il ne s'ensuivrait pas que le passage du Deutéronome (XII, XVI, 1—7) serait postérieur à Moyse; car Moyse pouvait, si longtemps que sa présence rendait tout abus impossible, permettre certaines choses qu'il devait interdire plus tard. Mais nous sommes loin d'admettre cette hypothèse. Le passage de l'Exode (XX, 24) sur lequel on veut l'établir, exprime tout autre chose : loin de laisser à chaque individu le choix du lieu où il pourra sacrifier, il réserve expressément ce droit à Dieu seul, en disant ... *où je voudrai que mon nom soit honoré*, οὗ ἐὰν ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου ἐκεῖ; par conséquent *in omni loco* signifie que ce lieu n'est pas fixé, et que Dieu pourra le fixer à sa volonté, et non pas qu'il sera permis de sacrifier *en tout lieu* à la fois et *dans le même temps*. Les Israélites n'ayant pas l'intention de rester toujours à la même place, il était naturel de leur permettre d'accomplir les cérémonies du culte en quelque lieu qu'ils arrivassent, savoir devant le tabernacle, comme il est prescrit *Levit.* XVII.

Les exégètes modernes qui s'imagineraient avoir découvert les premiers que la loi de Moyse relative à l'unité du culte divin n'a pas toujours été strictement observée, et n'a pas empêché de pieux Israélites, attachés à la théocratie, d'élever en divers endroits des autels pour y sacrifier à Jéhova, seraient dans une erreur grossière (1); déjà les anciens PP. de l'Eglise en ont fait la remarque, mais ils n'en ont pas conclu que le Deutéronome fût une œuvre supposée. « Dieu, dit Théodoret (in I *Reg. Quæst.* XII), qui connaissait le penchant du peuple pour l'idolâtrie, a limité l'exercice du culte à un lieu unique; mais pour les Juifs pieux et instruits, qui savaient le but de la loi, tout lieu était propre pour le sacrifice. »

L'observation des prescriptions mosaïques relatives au culte divin n'était possible que dans un temps où, *a*) comme le législateur le présuppose, les Israélites seraient les paisibles possesseurs de la terre promise; *b*) un lieu fraternel unirait ensemble toutes les tribus; *c*) enfin Jéhova serait généralement reconnu et honoré comme le seul vrai Dieu.

Or, durant les premiers siècles qui suivirent la mort de Moyse, ces conditions, et notamment la première, se présentèrent rarement. Ce ne fut qu'après une guerre longue et sanglante que les Israélites arrivèrent à anéantir ou à soumettre les anciens habitants du pays. Aussi longtemps que l'on combattit pour la possession de Canaan, l'unité et la simplicité du culte divin purent bien se

(1) Ce qui appartient en propre à nos exégètes, c'est d'avoir trouvé que, dans la période qui précède le règne de Josias, régnait la plus entière liberté pour le culte divin, et que personne n'avait l'idée d'un sanctuaire unique. Malheureusement le contraire est prouvé d'une manière péremptoire par de nombreux passages, par ex. I *Sam.* I, 3, 21; II, 13; III, 3 seqq.

maintenir, mais il ne pouvait être question d'organiser le sacerdoce d'après les prescriptions de Moyse : il fallait pour cela être maître du pays. Du reste, nous ne lisons nulle part qu'on se soit écarté de ces règles; car *avancer devant Jéhova d'un lieu dans un autre* n'était nullement contraire à l'unité prescrite par Moyse, comme on l'a soutenu sans aucune raison. Quand l'arche était à Maspha, elle ne pouvait être à Silo. L'unité du culte consistait en ce qu'un seul lieu dans le même temps fût assigné pour l'offrande des sacrifices, et non pas en ce que les sacrifices fussent offerts dans un seul et même lieu; le lieu pouvait changer tous les jours sans qu'il y en eût jamais deux ou plusieurs à la fois. Ensuite, le lien qui devait unir toutes les tribus flotta souvent, fut quelquefois tout-à-fait rompu; des jalousies, des rivalités, des guerres civiles au lieu de l'union et de la concorde fraternelle; enfin le culte du vrai Dieu dégénérant en idolâtrie : voilà ce que l'histoire nous montre pendant cette période. Dans de telles conjonctures, les descendants de Lévi pouvaient-ils occuper la position, remplir le rôle que Moyse leur avait marqué? Ils devaient pourvoir à leur subsistance comme le reste de leurs frères; un sacerdoce nombreux ne relevait pas la majesté du culte, et le culte ne fournissait aux prêtres aucun revenu. Ces temps déplorables amenèrent encore d'autres anomalies. Pendant que les Israélites, comme l'atteste le livre des Juges, servaient des dieux et obéissaient à des maîtres étrangers, l'ancien culte cessa naturellement, et ceux qui restèrent fidèles au Dieu de leurs pères ne pouvaient satisfaire leur piété dans le sanctuaire national. Pour offrir des sacrifices à Jéhova et accomplir leurs vœux, ils dressèrent des autels dans leur maison, dans la campagne, sur des lieux élevés. Aucun scrupule ne les troublait dans ces pratiques : Abraham, Isaac et Jacob ne leur avaient-ils pas donné l'exemple? Comme c'étaient les plus pieux et les plus respectés qui agissaient ainsi, ou les imita, et ainsi s'introduisirent des usages qui subsistèrent longtemps encore après que la cause qui leur avait donné naissance eut disparu. Il serait difficile sans doute d'appuyer tout cela sur des textes positifs, mais ce qui est si clairement fondé sur la nature des choses n'a guère besoin d'autre témoignage.

Les premiers rois exercèrent de temps en temps les fonctions sacerdotales sans y être autorisés par les lois de Moyse; mais combien facilement ne devaient-ils pas se persuader qu'il ne pouvait leur être interdit, à eux les *oints* et les *représentants* de Jéhova, d'offrir des sacrifices à leur roi invisible et de bénir le peuple (1)?

(1) En outre, il ne faut pas perdre de vue que l'action d'offrir un sacrifice et de bénir le peuple, telle qu'elle est faite par les rois, ne semble pas devoir être considérée comme une fonction proprement sacerdotale. Tout Israélite non-seulement pouvait, mais devait offrir des sacrifices, et nous ne voyons nulle part que le roi ait été exempt de cette obligation; d'un autre côté, quand il est question du sacrifice des rois, pas un mot de la Bible n'indique qu'ils agissent comme prêtre. Le passage qui, au premier coup d'œil, prêterait le plus à cette interprétation, ne dit rien de semblable. Il se trouve II *Sam.* VI, 12-20, où est racontée la translation de l'arche de la maison d'Obed Edom à Jérusalem. Dans cette circonstance David, revêtu d'un ephod de lin, offre un sacrifice et bénit le peuple. Ajoutez deux autres endroits, I *Reg.* III, 4; VIII, 5, 62. Tels sont les passages d'où Watke conclut que *les rois offraient en personne des sacrifices* (*Die Religion des A. T.* P. I, p. 311). Mais précisément dans le dernier endroit sur lequel Vatke s'appuie principalement (I *Reg.* VIII, 5, 62), la Bible se borne à dire d'une manière générale que la multitude du peuple et le roi Salomon immolaient des victimes devant le Seigneur, *igitur rex et omnis Israel immolabant victimas*, etc. Or, s'il n'est jamais venu à l'idée de personne d'accuser le peuple tout entier d'avoir usurpé dans cette occasion les droits et les fonctions des prêtres, est-on plus fondé à élever ce reproche contre David et Salomon? D'ailleurs on sait qu'à l'origine tout Israélite qui voulait *offrir* près du sanctuaire, devait lui-même immoler la victime et ne pouvait se décharger sur un autre de cette fonction que dans le cas d'impossibilité de sa part. Que l'on accuse d'infraction à la loi mosaïque un roi qui aurait offert un des sacrifices prescrits par la liturgie, celui du matin, du soir, du sabbat, d'une fête; qui aurait arrosé l'autel ou en aurait aspergé les cornes du sang de la victime, qui serait entré dans le Saint ou le Saint des saints, à la bonne heure; mais où a-t-on vu que quelqu'un des premiers rois ait usurpé une de ces cérémonies? — Quant à ce qui regarde la bénédiction du peuple, personne n'ignore que non-seulement tout Israélite pouvait bénir d'autres personnes, surtout ses parents, mais que cet acte était réputé pieux et méritoire. Voy. *Deut.* XXIV, 13. Ailleurs (*Deut.* XXV, 12), outre la tribu de Lévi, cinq autres tribus sont chargées de répéter sur le mont Garizim les paroles de bénédiction prononcées sur le peuple, ce qui était réellement bénir le peuple, et est présenté comme tel. Qui s'étonnera après cela d'entendre Joas bénir David II *Sam.* XIV, 22; les moissonneurs de Booz répondre au salut de leur maître : *Benedicat tibi Dominus*, *Ruth* II, 4; le peuple d'Israel bénir son roi Salomon après avoir été béni par lui, I *Reg.* VIII, 55; XX, 60? (compar. *Prov.* XXVII, 14). Si donc le Pentateuque regarde la bénédiction du peuple au nom de Jéhova comme une fonction sacerdotale, il ne peut être question que de la bénédiction liturgique dont la formule est prescrite *Num.* VI, 24-26, et réservée aux Prêtres seuls. Mais David et Salomon n'ont pas employé cette formule pour bénir le peuple; la preuve en est que David bénit le peuple *in nomine Domini exercituum*, locution étrangère au Pentateuque, et que les paroles de Salomon diffèrent tout-à-fait de la formule du livre des Nombres. Si un patriarche israélite pouvait bénir sa famille, pourquoi un roi, sous la théocratie, n'aurait-il pas eu le même droit pour ses sujets? — Enfin on reproche à David d'avoir em-

Si nous examinons maintenant les passages indiqués plus haut, qui semblent faire allusion à un sacerdoce puissant, mais sans territoire et sans moyens d'existence, nous trouverons qu'ils diffèrent du langage tenu ailleurs (*Num.* xxv, etc.) en ce que Moyse, dans le Deutéronome, recommande les Lévites comme dépourvus de biens à la sollicitude des Israélites, et conjure ceux-ci de ne point les délaisser, tandis qu'auparavant il avait ordonné de payer la dîme à la tribu de Lévi. Mais ces recommandations réitérées, cette inquiète sollicitude du législateur s'explique facilement. La tribu de Lévi, sauf 48 villes, ne devait avoir aucune part dans le pays de Canaan. Sans doute les dîmes, les prémices et une portion dans les sacrifices lui assuraient un revenu considérable; mais ce revenu dépendait de la bonne volonté des possesseurs du pays. Est-il étonnant que Moyse, à la fin de sa carrière, jetant encore un regard sur cette tribu nombreuse, qu'il abandonne en quelque sorte à la discrétion des autres, et ému par cette pensée que peut-être le peuple manquera de générosité envers elle, conjure et supplie les Israélites de ne jamais délaisser les Lévites?

Nous n'avons besoin de rien ajouter à ce que nous avons dit ailleurs (*Observationes de Pentateuchi 4 librorum poster. auctore et editore*, Gamundia, 1817, p. 20 seqq.) sur les allusions du Deutéronome aux rois et aux prophètes.

Enfin, l'assertion que les lois du *Deut.* xvii, 8 — 13; xix, 17; xxi, 5, appartiennent à une époque plus récente, ne repose que sur une erreur, savoir que les Prêtres avant Josias n'avaient pas pour fonction d'expliquer la loi au peuple : ce qui est faux comme le prouve *Mich.* iii, 11 (1).

piété sur les priviléges sacerdotaux en revêtant un éphod. Nous reconnaissons d'abord que l'éphod était le vêtement exclusif du Grand-Prêtre; ainsi nous regardons comme inexacte l'assertion de Hengstenberg (*Beiträge zur Einleit. in's A. T.* tom. III, p. 96), que l'éphod dont il est question dans le Pentateuque, était porté par *les serviteurs du sanctuaire*. Donc quiconque, à l'exception du Grand-Prêtre, faisait usage de ce vêtement, transgressait les prescriptions mosaïques. Mais, avant de pouvoir élever contre David une pareille accusation, il faudrait montrer qu'en dehors de l'éphod du Grand-Prêtre, aucun autre vêtement en usage chez les Hébreux ne portait le même nom. Or le contraire est facile à prouver. Les quatre-vingt-cinq prêtres massacrés par Doeg étaient revêtus d'un éphod de lin (I *Sam.* xxii, 18); et Samuel servait devant le Seigneur paré du même ornement (I *Sam.* ii, 18). Ainsi, même dans l'hypothèse où l'éphod de David aurait fait partie des vêtements des prêtres ou des lévites, ce roi n'aurait pas transgressé la loi de Moyse, car la défense de Moyse ne porte que sur l'éphod du Grand-Prêtre. Mais l'éphod de lin peut très-bien n'avoir été ni un ornement des prêtres ni un ornement des lévites; car, indépendamment du silence de la Bible, Samuel en était revêtu dans un âge qui le rendait incapable de remplir les fonctions sacerdotales ou lévitiques. Ajoutons encore cette remarque, que l'éphod du Grand-Prêtre n'est jamais appelé *ephod lineum* : la matière et le tissu de cet ornement empêchaient même de lui donner ce nom.

(1) Donnons encore un exemple de la précipitation et de la témérité avec lesquelles les exégètes rationalistes affirment que certaines lois du Deutéronome portent la marque d'une origine récente. « C'est dans le Deutéronome, dit de Wette (*Beiträge*, tom. I, p. 280), qu'on lit pour la première fois la défense d'adorer le soleil, la lune et les étoiles (iv, 19; xvii, 3). Dans les livres antérieurs où il est question d'idolâtrie, ce genre de superstition n'est pas mentionné. Or nous savons par l'histoire que le culte des astres est devenu fréquent dans les derniers temps de Jérusalem. Manassés s'y adonne, et élève au Seigneur du ciel des autels dans les deux parvis du temple (II *Reg.* xxi, 5); parmi les abominations que Josias fait disparaître, nous trouvons précisément le culte du Seigneur du ciel (II *Reg.* xxiii, 5). Enfin Jérémie (viii, 2) s'élève avec force contre cette impiété. » Donc, conclut le fameux exégète, les lois du *Deut.* iv, 19; xvii, 3, appartiennent au temps du roi Josias, puisque seulement alors se produisit la superstition qu'elles condamnent, superstition inconnue aux temps mosaïques. Eh bien, ouvrez le prophète Amos (v, 26), et vous lirez, entre autres reproches qu'il adresse aux Israélites, celui d'avoir, durant les quarante années de leur pèlerinage dans les déserts de l'Arabie, porté avec eux *l'image de Saturne, l'astre de leur dieu.*

II.

DE VATICINIO MOYSIS

(DEUTER. XVIII, 15-18) (1).

1. In vaticinio Moysis ab exemplari hebraico vix quidquam differunt verba vulgatæ translationis, sicut et verba translationum cæterarum. Diversas tamen totius oraculi explanationes reperire est, quas quum expenderimus, sententiam nostram aperiemus, eamque probabimus argumentis directis et indirectis, ea, quæ objiciuntur, deinceps soluturi.

§ I.

Diversæ interpretationes.

2. Prima interpretatio est oraculum simpliciter de Josue dictum esse, quæ sane vetusta est, nam patres eam refutant; atque ex quibusdam Augustini verbis colligi posse videtur hanc sectatos fuisse Judæos ejus ætate, *Contra Faust.* lib. XVI, cap. XIX. Hanc autem eo refellit Gregorius Nyssenus, quod « filius Nave (Josue) multo ante per manus Mosis fuerat declaratus, ut in Levitico legimus, » ap. Euthym. Zigab. Panopl. dogm. P. I, tit. 8, init.; dicere voluit *in libro Numerorum* (XXVIII, 18-23). Isidorus Pelusiotes autem, lib. III, *epist.* 94, præter hanc alias affert rationes, eæque sunt, quod Josue non fuerit *sicut Moyses*, sed eo longe inferior, quod secundum rationem allatam a Gregorio Nysseno dicendum fuisset *suscitavit*, non *suscitabit*, quod nihil legi addiderit (23) Josue, sed tantummodo eam sectatus sit. Præterea obstant verba Deuteronomii : « Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, » cap. XXXIV, 10, quæ inferius magis explanabimus (12). Ex quibus verbis Lachais, *La Sainte Bible*, in h. l. post Sherlockium, *L'usage et les fins de la Prophétie*, Disc. 6, recte arguit, siquidem hæc, ut a multis creduntur, adjecta Deuteronomio fuerunt a Josue, jam, ipso Josue fatente, prophetam, qui hoc oraculo prænuntiatur, Josuem esse non posse.

3. Secunda est oraculum pertinere ad Josuem, ut τύπος erat et figura Christi, simulque ad Christum, ut qui per Josuem τυπικῶς fuit præsignificatus, sive quod idem valet, ad Josuem secundum sensum litteralem, ad Christum secundum spiritalem. Hæc interpretatio est Clementis Alexandrini, qui de hoc oraculo hæc scripsit : « Per Jesum Nave filium Jesum Dei filium significans, » *Pædag.* lib. I, cap. VI, sub fin. At, quæ contra primam explanationem attulimus, evincunt sensum litteralem oraculi ad Josuem pertinere non posse; hinc etiam altera hæc respuenda est.

4. Tertia est prædici prophetas in universum seu seriem prophetarum. Ita post Salomonem Iarchium, in h. l., et Moysem Maiemonidem, *Jad chazaka*, P. I, lib. I, tract. 5, cap. X, § 4, recentiores Judæi. Sed quod majus est, huic sententiæ favere videtur unica quidem sed maximi ponderis auctoritas, Hieronymi (*in Isai.* VIII, 19) inquam. At, quum ex Hieronymi verbis nullo modo sequatur Christum ab hujus oraculi significatione esse excludendum, nemo obsistere potest, quominus Hieronymi patrocinium, huic sententiæ ademptum, illi, quam secundum hanc exponemus, a nobis addicatur. Iarchii autem et Maiemonidæ auctoritati adversari vetustiores Judæos inferius demonstrabimus. Tum huic quoque interpretationi obstant verba Deuteronomii jam allata (2), sive ea a Josue προφητικῶς, sive historice ab Esdra, libro huic fuerint adjecta. Imo, si ab Esdra addita sunt, patet jam, quod modo diximus, vetustiores Judæos adversari huic interpretationi. Si enim oraculum secundum vetustiorum Judæorum sententiam ad prophetas in universum pertineret, prophetæ, item secundum illorum eorumdem sententiam, dicendi forent fuisse *sicut Moyses*. Quomodo ergo huic oraculo contradixisset Esdras ea verba in Deuteronomium intrudens?

5. Quarta est et prophetas et Christum simul prædici. Hæc plurium et magni nominis interpretum sententia est, etsi non omnes uno modo eam proponant. Vel enim quædam ex hoc oraculo

(1) Excerptum e Patritii libro II *De Interpretatione Scripturarum Sacrarum*. Romæ, 1844,

Christo congruere affirmant, quædam vero solis prophetis, Christo, inquam, versiculum decimum octavum, prophetis vero decimum quintum; ita nonnulli apud Tostatum (in h. l. *Quæst.* VI). Vel omnia de prophetis dicta esse accipiunt, præcipue tamen de Christo, ut Oleaster, Lyranus, Tostatus, Cornelius, Bonfrerius, Tirinus, Frassen, et ex *Criticis sacris* Fagius. Hujus sententiæ patronis adnumerandi sunt, qui oraculum modo de Christo, modo tanquam de prophetis, dictum accipiunt, sicut fecit Origenes (hom. 12 *in Exod.*, 1 *in Jerem.*, *in Matth.*, tom. XVII, § 14. Conf. *Contr. Cels.* lib. I). Sed, si dixeris etiam de prophetis oraculo hoc agi, nescio, quam solide poteris probare ad Christum præcipue illud pertinere, præsertim si cum Judæis tibi res fuerit. Sin vero illud dicamus, quod nonnulli apud Tostatum, vix non Moysi obsistimus, qui nos docet, quæ leguntur in versiculo decimo quinto, et ab ipso prolata sunt, ea ipsissima esse, quæ jam Deus protulerat, quæque legimus in versiculo decimo octavo. Denique qui factum est, ut hoc Dei promissum evanuerit ea ætate qua secundum templum stetit?

6. Præterea his omnibus interpretationibus ea argumenta adversantur, quibus nostram comprobamus, quæ sic est.

§ II.

Propositio.

7. Oraculum hoc ad unum Messiam pertinet, hoc est, de Messia solummodo agit Moyses hoc oraculo. Legendi sunt Cajetanus (in h. l.), Sherlock, et Lachais (loc. cit.). Hanc propositionem argumentis primo directis tum indirectis comprobabimus.

§ III.

Probatio directa.

8. Ac primo probatur argumento petito ex rerum congruentia. Præcipui inter prophetas Christum omnes expressis verbis prænuntiarunt. Credibile ne igitur cuiquam fiat Moysen solummodo, prophetarum omnium maximum, nihil expresse aperteque prædixisse de re maxima omnium, quæ ad Israelitas spectabant? At, nisi hic, nusquam alibi ipsum Moysem id præstitisse deprehendas, tametsi aliorum prædictiones retulerit.

9. Secundo probatur auctoritatibus. A Tirino aliisque patronis quartæ sententiæ (5), imo et a nonnullis, qui nobiscum sentiunt, videas ex tota antiquitate unum Eusebium proferri, ac si solus esset inter Patres, qui propositioni nostræ patrocinaretur; quum tamen Patres, qui hoc oraculum simpliciter de uno Messia dictum putant, adeo multi sint, ut intra quinque priora sæcula rei Christianæ ad viginti saltem numerantur. Sunt autem Tertullianus, *Adv. Marc.* lib. IV, cap. XXII; auctor *Recognitionum*, lib. I, cap. XXXVI; Cyprianus, *Testim. adv. Jud.* lib. I, cap. XVIII; Novatianus, *De Trinit.* cap. IX; Archelaus, *Disput. cum Man.* §§ 41, 43; Methodius, *De Symeone et Anna*, § 11; Eusebius, *Dem. Evang.* lib. III et IX; Lactantius, *Instit. div.* lib. IV, cap. XVII; Athanasius, *Orat.* 1 *contr. Arian.* § 54; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 12, § 17; Titus Bostrensis, *Contr. Manich.* lib. III, cap. VI; Gregorius Nyssenus, *Testim. adv. Jud.* II; Epiphanius, *Hæres.* 42, *schol.* 27 ex Evang. Luc. et *schol.* 8 ex Epist. ad Gal.; Philastrius, *Hæres. de Deuter.* 116, al. 68; Gaudentius Brixiensis, *Serm.* 9; Augustinus, *Contr. Faust.* lib. XVI, cap. XV; Chrysostomus, *Contr. Anomœos*, hom. 12 *in* II *Cor.* hom. 7 *in Gal.* II; Cyrillus Alexandrinus, *De Ador. in spir. et verit.* lib. II, *in Isai.* lib. I, orat. 1; *in Joann.* I, 21; V, 46; VII, 40, 49; VIII, 24; IX, 30; XII, 49; scriptor *Consultationis Zacchæi et Apollonii*, lib. II, cap. XIV; auctor *Quæstionum ad Orthodoxos*, int. opp. Justini, *Quæst.* Cl.

10. Affirmamus autem hos omnes oraculum ita intellexisse, ut quod simpliciter de uno Messia dictum sit. Licet enim non omnes expresse atque aperte prophetas alios excludant, quum tamen ex oraculo argumentum petant ad ea probanda, quæ ad Messiam unum pertinent, dicendi sunt cæteros quoscumque ab oraculi significatione excludere. Nam secus argumentum nihil conficeret; responderet enim quis, oraculum vel secundum ipsorum Patrum sententiam ad prophetas omnes pertinere.

11. Tertio probatur argumento deprompto ex ipsis oraculi verbis, etiam sine respectu antece-

dentium et consequentium. Habes enim primo nomen נביא, *prophetam*, numero singulari; deque hoc propheta singulari numero est in toto oraculo. Nec infitior in lingua hebraica, sicut et in cæteris, singularem numerum subinde pro plurali usurpari, cujus rei exempla passim sunt, puta illud : « Diliges proximum tuum, » *Matth.* v, 43. Imo scio nomen נביא singulari numero adhibitum esse pro plurali in celebri illo Danielis oraculo (*Dan.* ix, 24), ubi, quanquam recentiores quidam Protestantes nomine hoc designari putent Jeremiam, quia totum oraculum dictum esse aiunt de captivitate Israelitarum brevi solvenda (vid. *Rosenmul.* Schol. in h. l.), nobis tamen, qui vaticinium de Christo scriptum esse contendimus, in eo nomen נביא necessario collectivum habendum est. Nihilominus, quod attinet ad oraculum Moysis, hæc, quæ subdimus, quisque accipere debet, quum manifesta ea sint. Primum est, proferri nomen illud eo numero, quo necessario proferendum fuisset, si sermo reipsa esset de uno Messia. Secundum est, singulari numero nomen illud esse accipiendum atque exponendum, si nihil obstet; nihil autem obstare mox videbimus. Tertium est, eum qui simpliciter caput illud legit, ne suspicari quidem plures potius, quam unicum et singularem prophetam, a Moyse promitti. Quartum est, Messiam nomine *prophetæ* prædictum fuisse, ut ex evangelio (*Joan.* vi, 14, etc.) apparet; quem tamen nusquam tanquam prophetam prænuntiatum reperies, nisi hoc oraculum de uno Messia dictum esse teneas (16, 17). Quintum denique est, ubi habent Scripturæ nomen collectivum vel singulare pro plurali positum, sæpissime pronomina et verba, quæ ab eo pendent, pluralia esse (vid. *Gesenii* Lehrg. § 183, 184, 186), at hoc in oraculo constanter esse singularia.

12. Habes deinde vocem כמני, *sicut me*. Ex hac vero, quæ prophetæ illi futura prædicitur, cum Moyse similitudine eum non alium esse aut esse posse nisi Messiam, arguunt Archelaus, op. cit. § 44; Eusebius, loc. cit.; Gregorius Nyssenus, loc. cit.; Augustinus, loc. cit.; Cyrillus Alexandrinus, *Contr. Julian.* lib. VIII. Ratio vero desumitur ex his verbis Deuteronomii : « Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, » cap. xxxiv, 10; nec unquam surrexisse Judæi omnes semper firmissime asseverarunt, idque ipsum confirmant ea, quæ leguntur in libro Numerorum, xii, 2, 6-8. Sensisse porro veteres Judæos vocem כמני dictam esse, non de quacumque, sed de tali similitudine, quæ prophetam illum Moyse haud inferiorem efficeret, ac proinde de illa ipsa similitudine, quam cæteris prophetis abnegant verba modo allata ex Deuteronomio, testem habemus Pseudojonathanem, qui vocem illam sic exponit, *sicut me in Spiritu Sancto*. Ne vero quis tuto reponat, verba *in Spiritu Sancto* non esse jungenda prioribus illis *sicut me*, sed sub sequentibus *suscitabit vobis*, præsto est collatio instituta cum versiculo decimo octavo, in quo hoc ipsum oraculum a Deo jam pridem prolatum ipsius Dei verbis refertur, quæ verba ita idem ipse Pseudojonathan παραφράζει : « Prophetam suscitabo eis,.... in quo Spiritus Sanctus sicut (in) te. » Qua vero ratione inter Moysen et Christum similitudo intercedere dicatur, videre est potissimum apud Archelaum, Eusebium, Augustinum, et Cyrillum Alexandrinum, locis citatis. Consulantur etiam Sherlock et Lachais, loc. cit. Cæterum præcipua nomina, quibus Moyses et Christus similes dici possunt, sunt *mediator*, *redemptor*, et *legislator*.

13. Denique etiam voces אליו תשמעון nos juvant. Ex quibus quid confici possit in rem nostram, brevi patebit (14), quum promemus argumenta ex aliis Scripturarum locis. Interea animadverte, verbum שמע sæpe idem esse ac *obedire*, semper vero, quoties, sicut hoc loco fit, construitur cum præpositione אל. Quare, non modo *audire* prophetam illum, sed ei etiam *obedire* Israelitæ jubebantur hoc oraculo. Pulchre Cyrillus Alexandrinus, *in Joan.* ix, 29, ex his vocibus ratiocinatur κατ' ἄνθρωπον adversus Pharisæos hæc effutientes : « Nos autem Moysi discipuli sumus; nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, » *Joan.* ix, 28, 29. Chrysostomus vero, in epist. *ad Gal.* ii, ex his iisdem verbis desumit rationem exponendi illud Pauli : « Ego enim per legem legi mortuus sum, » *Gal.* ii, 19, in quantum videlicet lex Moysis præcipit obedire Christo, qui eam erat abrogaturus.

14. Quarto probatur aliis Scripturarum testimoniis. Christus sic carpebat Judæos : « Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit, » *Joan.* v, 46. Ex quibus Christi verbis hoc oraculum ad eumdem ipsum pertinere arguunt (9) Cyprianus, loc. cit.; Archelaus, o p. cit. § 41; Epiphanius, *Hæres.* 66; Chrysostomus, loc. cit.; Cyrillus Alexandrinus, in h. l.; scriptor *Consultationis Zacchæi et Apollonii*, loc. cit. Et recte arguunt. Ut enim animadvertit Tostatus, unicus hic locus est, quo dici possit Moyses sermonem de Messia habuisse *ita*,

quod sint verba Moysis. Alias enim in Pentateucho utique sermo de Christo est, attamen, vel sub involucris typorum, vel aliorum verbis quam Moysis. Verum quod caput est, quodque vim omnimodis adjungit argumento huic ex Christi verbis deducto, occasionem attende, qua Christus ea protulit, quum videlicet Judæis exprobraret, quod sibi credere nollent; tunc quippe Moysen veluti appellavit his, quæ continuo subdidit : « Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses, » *Joan.* v, 45. At, nisi Moyses aliquid legibus sanxisset circa fidem Messiæ adhibendam, locus non esset appellationi. Jam vero ubinam aut quando Moyses verba de hoc fecit? Nisi agnoscas id haberi in illo *ipsum audies, ipsi obedies,* frustra quæras in toto Moyse.

15. Neque negligenda est collatio, quæ institui potest inter hæc Moysis verba *ipsum audies* et inter verba ab æterno Patre prolata, quum Christus in monte transfiguratus est, *ipsum audite, Matth.* XVII, 5; *Luc.* IX, 35. Nam Moyses illud oraculum proferens nihil egit, nisi ut illud ipsum repeteret, quod Deus quadraginta ante annis ediderat in monte Horebo (conf. *Deut.* XVIII, 15 cum seqq.); quare verba illa *ipsum audies* (*ibid.* 15) eadem ipsa sunt, quæ Deus jam olim protulerat (*ibid.* 19). Sicut autem ea protulerat Deus in monte Horebo, quum Filium suum venturum promitteret, ita denuo protulit in illo alio monte, quum Filium suum jam advenisse manifestavit, utrobique vero præsente Moyse.

16. Judæi visis Christi prodigiis obstupescentes exclamabant : « Hic est vere propheta, ὁ προφήτης, » *Joan.* VII, 40; alias vero : « Hic est vere propheta, ὁ προφήτης qui venturus est in mundum, » *ibid.* VI, 14. Attendere autem in his potissimum oportet vim articuli græci, ex qua Isidorus Pelusiotes, lib. III, *epist.* 94, arguit prophetam aliquem singularem ab illis Judæis commemorari; neque enim huic syntaxi locus est in novo Testamento neque forsan in vetere, nisi quum unus aliquis propheta memoratur. Quare patet Judæos illos exspectasse eo tempore prophetam aliquem singularem; proinde noverant eum a Deo fuisse prænuntiatum. Jam vero, illos nomen *prophetam* usurpasse veluti unum ex nominibus, quibus Messias prænuntiatus fuerat, facile quisque sibi persuadebit ut credat : neque enim alium exspectabant, quum nullus alius prænuntiatus esset. Quod si sic est, aliud inde argumentum promimus. Si enim Messiam hac *prophetæ* appellatione prædictum exspectabant Judæi, quærendum est, quinam ex prophetis veteribus nomine isto Messiam vocaverit? Nullus profecto præter Moysem, dum hoc ederet oraculum.

17. Elegans porro et ingeniosa est probatio, quam excogitavit Isidorus Pelusiotes argumento desumpto ex alio Scripturarum capite. Narratur in Evangelio, eos, qui Hierosolymis missi fuerant ad Joannem Baptistam, eum interrogasse, an esset ὁ προφήτης, *Joan.* I, 21, Joannem vero respondisse, se non esse. At nonne Zacharias Joannis pater de eo hæc vaticinans cecinerat : « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, » *Luc.* I, 76. Nodum hunc dextere solvit Isidorus : προφήτης μεν γὰρ ἦν, ὁ προφήτης δὲ οὐκ ἦν, *era profeta, ma non era il profeta.* Quæ vero Isidoro opponi possent, alias (29) diluemus. Similia jam scripserant Origenes, *in Joan.* tom. VI, p. 101, ed. Huetii, et Eusebius, *Demonst. Evang.* lib. IX, cap. IX.

18. Denique scriptores novi Testamenti aperte nos docent, hoc oraculum de Messia dictum esse Judæos illa ætate putasse. Etenim Petrus, *Act.* III, 22; et Stephanus, *ibid.* VII, 37, quum probare vellent Jesum esse Messiam, argumentum ex oraculo illo sumpserunt.

§ IV.

Probatio indirecta.

19. Hoc quoque argumento res confici posse videtur. Propheta, quem Moyses prænuntiat, non alius est nisi quem prænuntiavit Deus in monte Horebo. At propheta a Deo prænuntiatus est Messias. Propheta igitur, quem Moyses prænuntiavit, non alius est nisi Messias.

20. Prima propositio omnino patet. Moyses promissionis suæ rationem statim affert, *Deut.* XVIII, 16, eaque est, hoc idem a Deo promissum fuisse in Horebo, *ibid.* 18, 19, quod iisdem fere verbis ipse mox prænuntiaverat (conf. *ibid.* 15 cum 18, 19). Etenim, ut animadvertit Cajetanus in h. l., qui præclare quæstionem hanc habet, non alio sane nisi huc spectare potest, quod Moyses in audientium mentem revocet ea, quæ populus in Horebo a Deo petierat, *Deut.* XVIII, 16, quæ-

que Deus populo promiserat illa ipsa die, qua conventum est ad legem audiendam (*Exod.* xx, 1, 18, 19 coll. *Deut.* v, 2, 23-28), videlicet ut, qui Moysi ea vaticinanti tunc aderant audiebantque prophetam illum pronuntiari, probe nossent a Moyse non alium prophetam nisi illum promitti, quem Deus jam olim promiserat in Horebo.

21. Alteram vero propositionem argumenta non pauca confirmant de illis, quibus directo probavimus sententiam nostram; sed alia etiam præterea. Nam propheta, quem promisit Deus in Horebo, esse nequit ullus aliorum prophetarum, nec tota simul prophetarum series. Quum enim tunc prophetam illum Moysi *similem* futurum dixisset, ferme post annum dixit cæteros prophetas longe *dissimiles* Moysis esse ob diversam rationem, qua cum Moyse atque cum his ipse agere solebat (*Num.* xii, 2, 6-8). Id jam animadverterat Lachais post Sherlockium, loc. cit. At, si propheta iste nemo est cæterorum prophetarum, quinam esse potest nisi Messias?

22. E Patribus superius numeratis quidam, quos nunc fortasse enumerare præstitisset, non afferunt verba versiculi decimi quinti, quæ Moysis sunt, sed versiculorum duodevicesimi et undevicesimi : ea, inquam, quæ Deus ipse protulit in Horebo. Sensere proinde, prophetam, quem promisit Deus in Horebo, esse Messiam.

23. Sed, quæ apprime id evincunt, sunt adjuncta rerum ac temporis, quibus ea promissio facta est. Quod argumentum mirifice præ cæteris urget Cajetanus in h. l., belle etiam tractant Sherlock et Lachais, loc. cit. Ipsa Cajetani verba referre præstat : « Libra, prudens lector, hanc circumstantiam prophetæ hujus, de quo est sermo, videlicet quod est ille propheta, qui promissus est a Deo, quando dedit legem ore proprio in monte Sinai, universo audiente populo (huc enim tendit universa hæc commemoratio dictorum a populo in die, quo adunatus est populus ad audiendam ex ore Dei legem), ut hinc haurias, quod, non de propheta in genere, sed de propheta vice Dei latore legis est sermo. Deum siquidem timebant audire ad ulteriora legis procedentem, atque ideo aptissime... ex tunc promittitur ipsemet Deus in natura humana allocuturus populum humanissime, non majestate... Extra propositum erat *tunc* Deum revelare Mosi, futurum prophetam similem ipsi Mosi, nisi de propheta *legislatore* loqueretur. Hæc enim causa, scilicet ferendæ legis, quadrat universis commemoratis hic a Mose. Nam quadrat petitioni populi horrentis ulteriorem legislationem ex ore Dei in majestate. Quadrat materiæ, quæ tractabatur tunc. Quadrat similitudini Mosis. Quadrat pœnæ subjunctæ illis, qui non audierint vocem illius prophetæ. Quadrat imperfectioni legis veteris perficiendæ per Messiam. Quadrat et singularitati atque excellentiæ illius prophetæ, cum tanto apparatu, tali tempore revelati Mosi, et in hac littera descripti. » Huic interpretationi favent Lactantius, loc.; cit., Gregorius Nyssenus hæc scribens : « Illud enim *similem tibi* similitudinem in legibus sanciendis potissimum indicat » (ap. Euthym. Zigab. loc. cit. Vide et *Testim. adv. Jud.* l. c.); Chrysostomus, loc cit. in II *Cor.* et *Galat.*; Isidorus Pelusiotes, loc. cit., qui omnes Christum hoc Deuteronomii capite tanquam novum legislatorem prænuntiari ponunt, aut etiam expresse docent. Præterea Cyrillus Alexandrinus hæc pronuntiat : « Quum igitur spectaculum eorum, quæ ad Dei gloriam figurata erant, ferre non possent, qui tum temporis instituebantur, homines, tandem necessario incarnationis unigeniti modus prædictus est, » *Contr. Julian.* lib. VIII. Imo Chrysostomus, in II *Cor.* l. c., hoc oraculo producto probat legem veterem a Christo fuisse abrogandam. Nimis profecto manifestum est prophetam illum non ita prænuntiari, ut qui futura prædicat, aut occulta retegat, sed ut qui leges a Deo latas referat.

24. Concludendum igitur est prophetam a Moyse prædictum alium non esse nisi Messiam. Interea hoc callide consideremus, Moysem, quum id prædixit, novum oraculum haudquaquam edidisse, sed illud in mentem Israelitis revocasse, quod ipse Deus jam ediderat. Non ergo hoc oraculum inspicere atque explanare oportet, tanquam si foret connexum cum iis rerum adjunctis quæ fuerunt, quum Moyses illud recolebat, sed tanquam prolatum a Deo in Horebo, ac si reapse legeretur in eo Exodi capite, in quo Deus legem primo promulgasse narratur (*Exod.* xx coll. *Deut.* v, 23, 31). Quo fiet insuper, ut multa corruant aut præcipua saltem eorum, quæ in contrarium congeruntur.

§ V.

Contraria diluuntur.

25. Diodorus Tarsensis hæc opponebat (inter opp. Marii Mercatoris in Gallandi *Biblioth. veter., Patr.* tom. VIII) : « Ex *fratribus* non est Deus Verbum; » quum vero prophetæ sit ministrare spiritui, « Deus... Verbum cui ministerium præbuit? » Verum ista, quum nihil conficiant, nisi ut prodant errores Diodori *Christum dividentis*, qualem eum dicit Marius Mercator, securi negligimus.

26. Faustus contendebat non potuisse Messiam dici *similem* Moysis, aut *sicut* Moysem futurum, siquidem Jesum, quem Messiam esse credimus, longe excellentior fuerit quam Moyses. Hinc oraculum non pertinere ad Messiam. Quod Fausti argumentum bona fide redintegravit Bonfrerius (in h. l.). Sed, quid Fausto respondeas, jam Augustinus suggessit, instituta inter Christum et Moysem comparatione, amborum similitudinem eruens ex illis ipsis rebus, propter quas eos dissimiles omnino Faustus dicebat (*Contr. Faust.* lib. XVI, cap. XV seq.). Bonfrerio autem respondemus, excellentiæ unius præ alio adversari utique æqualitatem, non vero similitudinem inter utrumque. Tum nonne hominem *ad similitudinem Dei* factum dixit ipse Deus? *Gen.* I, 26.

27. Voces כמני, *sicut me*, et כמוך, *sicut te* (*Deut.* XVIII, 15, 18), ita intelligere oportet, ac si dictum esset, prophetas, qui prænuntiabantur, fuisse orituros ex ipsa gente israelitica, *sicut* ex hac ortus erat Moyses, quæ interpretatio est Salomonis Jarchi; vel futuros fuisse veros prophetas, *sicut* verus propheta Moyses fuit, quæ Tostati sententia est. Quare ex illis vocibus nullum desumere possumus argumentum (12). Equidem non inficior posse has voces sic intelligi, si seorsum a toto sermone atque ab hujus vaticinii adjunctis illas spectemus. Atqui hoc ipsum fieri minime debet, ut seorsum ab illis considerentur, sed prorsus e contrario. Jam vero ea disseruimus (20 seqq.), ex quibus consequitur, significationem eorum, quæ Moyses loquutus est ad vada Jordanis, pendere ex significatione eorum, quæ Deus loquutus fuerat in Horebo. Quare significatio prioris vocis כמני pendet ex significatione posterioris כמוך. Hanc ergo alteram expendamus, de qua hæc dicenda occurrunt. Primum est, sensum, quem nos in ea voce deprehendimus, magis obvium esse, utpote qui ad plura sese porrigat, quæ Moysi tantæ excellentiæ causa fuerunt, non vero ad unum aliquod, quod conjectando divinare adnitamur, ut Salomon Jarchi et Tostatus suis interpretationibus faciunt. Profecto, qui primo legeret versiculum illum duodevicesimum, voce illa כמוך intelligeret potius plenam similitudinem, quam unam aliquam, significari. Secundum, quod aio, est, omnino superfluam vocem istam videri, si accipienda foret in sententiam Salomonis Jarchi sive Tostati. Jam enim Deus dixerat prophetam illum oriturum ex eadem gente, ex qua erat Moyses; quod autem verus propheta futurus esset, ecquis in dubium revocare vel cogitasset? Tertium est, utrique illi interpretationi obstare veterum Judæorum sententiam (12, 14, 16, 17, 18). Quartum denique est, utrique obstare etiam adjuncta rerum ac temporis, quibus Deus oraculum protulit, quæ e contrario sententiæ nostræ apprime favent.

28. Quum in Pentateucho pluries Christus prænuntietur, aiunt necesse non esse Christi verba *de me enim ille scripsit* accipere ita, ut quæ ad hoc oraculum solummodo spectent. Verum hoc superius jam occupavimus, ubi ex his Christi verbis argumenta petebamus (14).

29. Argumentum, quod Isidorus Pelusiotes (17) depromit ex iis, quæ narrantur de legatione sacerdotum et levitarum ad Joannem, nullius ponderis esse videtur, quum in ea narratione Christus a propheta plane distinctus sit, ita ut duo sint, non unus (*Joan.* I, 20, 21, 25). Verum illud attende, quod in eam narrationem congestæ sint interrogationes diversæ, quas diversi fecerunt; plures enim a Judæis legati fuerant apud Joannem (I, 19, 21, 22, 24, 25). Quid ergo mirandum est, si diversi diverso nomine Messiam vocarunt (Vid. et *Joan.* VII, 40, 41)? Præterea fieri potuit, ut aliqui de vulgo minus periti Scripturarum sacrarum, sicut eo errabant, quod Eliam ipsum exspectarent, sic etiam errarent putando prophetam et Messiam, qui tunc ab omnibus exspectabatur, esse duos homines, non autem duo unius ejusdemque hominis nomina. Quem tamen errorem male quis inde concluderet Judæis omnibus communem fuisse aut maximæ eorum parti, ideoque minus valere, quidquid in rem nostram promebamus ex sententia Judæorum illius ætatis

(12 14, 16, 18). Dices eos, qui Joannem interrogabant, fuisse sacerdotes et levitas, quos oraculorum interpretationem probe calluisse, ideoque errore immunes fuisse in ea habenda, deceat putare. Verum scientia Scripturarum penes scribas erat (vid. nostr. *Quæstion. de Evangel.* Tit. XIII, Q. VII, num. 5, 6 edit. lithogr.), non autem penes sacerdotes et levitas, tametsi ex sacerdotibus et levitis scribæ esse possent; imo sacerdotes levitasque ignorantia legis laborasse satis apparet vel ex loco hoc, sicut etiam ex iis, quæ Nicodemo pro Christo verba facienti responderunt (*Joan.* VII, 52 coll. cum 45, 50), et arguere est ex quibusdam historiis Flavii Josephi, atque ex eo quod a scriptoribus novi Testamenti scribis tribuantur, nunquam vero sacerdotibus, quæcumque ad illam scientiam possunt pertinere. Fortasse etiam, qui Joannem interrogarunt, loqui maluerunt secundum quorumdam de vulgo imperitorum opinionem, ex quo Eliæ quoque mentio repetenda foret. Denique argumentum, quod urget Isidorus Pelusiotes petitum ex articulo græco, insolubile est, quum ex eo appareat manifesto singularem aliquem prophetam tunc fuisse commemoratum; hunc vero alium esse non potuisse nisi Messiam, æque apparet ex aliis argumentis a nobis productis (16).

30. Tostatus etiam ad prophetas, nuper vero Rosenmullerus ad prophetas dumtaxat, oraculum pertinere arguebant ex ejus et præcedentium ac consequentium connexu, id est ex oppositione ariolorum et divinorum, de quibus antea, et falsi fictique prophetæ, de quo postea sermo est. Sed contra hæc interpretamenta facit id, quod jam suadebamus ante oculos habendum (24), Moysem, non aliquid novum promittere, sed ea repetere, quæ Deus promiserat in Horebo. At in Horebo neque de ariolis aut divinis, neque de falso fictoque propheta, sermo fuit. Nos vero hoc oraculum interpretamur, atque urgemus, non tanquam a Moyse ad vada Jordanis, sed tanquam a Deo in Horebo editum. At enim, inquies, ex hoc ipso, quod Moyses hujus promissionis Dei meminerit, eamque repetat respectu ariolorum et falsi prophetæ, concludamus oportet, Moysem ipsum sensisse a Deo haudquaquam Messiam, aut saltem non unum, esse promissum, sed seriem prophetarum non defuturam, quos loco ariolorum et ficti prophetæ populus consuleret. Verum, rogo, certum ne exploratumque est prophetam illum ideo promitti, quia ariolorum loco Israelitis futurus esset? Nam id, quod horum vicem eo in populo esset, indicatum est superioribus verbis, quæ ut sunt in exemplari hebraico, ita sonant: « Et tu, non sic dedit tibi Dominus Deus tuus, » *Deut.* XVIII, 14, ex quibus si quid concludere licet, illud Deus, haudquaquam *daturus* יתן, sed jam *dedisse* נתן dicendus est, quum Moyses hæc loquebatur. Quod autem usque ad illud tempus dederat, fuit munus pontificis maximi, cujus erat Deum consulere et hujus responsa referre, quacumque demum ratione illud fieret (vid. Calmeti *Dictionar.* ad v. *Urim et Tummim*); cujus rei non modo expressa mentio habetur in legibus mosaicis (*Num.* XXVII, 21), sed insuper a Deo sic constitutum fuisse nos docet ipsa sacra historia (*Deut.* IX, 14 coll. cum *Num.* XXVII, 21; *Jud.* XX, 28; I *Reg.* XIV, 18, 36, 37; XXIII, 9 — 12; XXX, 7, 8, etc.). Etsi vero, posteaquam prophetæ esse cœperunt, etiam per hos Deus daret responsa (I *Reg.* XXVIII, 6), tamen, quum id agerent prophetæ legatione extraordinaria, necesse non erat, ut de hac ratione consulendi Deum leges essent, secus autem se res habet quantum ad pontificem maximum, qui ordinaria potestate Dei loco erat. At si Messias hoc vaticinio prænuntiatus fuisset a Moyse, interrogat Rosenmullerus, « quomodo hæc cohærerent: Nolite ariolos adire, *nam* Deus vobis prophetam Messiam excitabit. » Sed primo illud *nam* ab ipso intrusum a nobis deleri Rosenmullerus bonus facilisque patiatur; quo jam cohærentiæ illius necessitas disparet. Sed et ego vicissim ipsum rogabo, quomodo cohæreant ea, quæ habentur in prima hujus capitis parte circa victum sacerdotum et levitarum (*Deut.* XVIII, 1 — 8), cum iis, quæ de ariolis dicuntur in secunda parte (*ibid.* 9 — 14)? Si inter hæc nullam cohærentiam esse videmus, cur hæc putetur necessario esse oportere inter illam secundam capitis partem et tertiam, in qua de Messia (*ibid.* 15 — 19), atque inter tertiam et quartam, in qua de ficto propheta (*ibid* 20 — 22) sermo est? Sed dare etiam possumus Rosenmullero, quod postulat, ut sit illa cohærentia inter ea, quæ prius dicta sunt, interque ea, quæ habentur in oraculo, imo et illud *nam* retinere, quum, quid præterea ipsi respondeamus, jam suggesserit Lachais ita oraculum cum prioribus connectens (loc. cit.): « Turpe esset vos ad ariolos recurrere, vos, inquam, quibus Deus adeo præsto est respondendo, ut maximum quoque prophetam promiserit, » etc. Animadverte præterea Rosenmullerum illud dare, quod aliis scriptorum sacrorum testimoniis (*Act.* III, 22; VII, 37; *Joan.* VI, 14) constat, hoc oraculum ætate Christi ita fuisse intellectum, ut quod ad Messiam pertineret.

Quamobrem concludimus, quum ex una parte nihil sit, quod reipsa nos cogat, ut Tostati aut Rosenmulleri interpretationibus assentiamur, ex altera vero parte plurima esse viderimus, quæ nos compellant, ut in illo oraculo Messiam unum prædictum agnoscamus, hoc alterum omnino a nobis præferendum esse.

31. Aiunt nihil valere argumentum ductum ex eo, quod (23) populus in Horebo Deum rogasset, ne ipse ad eos loqueretur; quin imo hoc evincere potius Deum promisisse se in posterum per prophetas, non autem ipsum per se, Israelitas alloquuturum. Verum primo animadverte populum haudquaquam simpliciter petiisse, ne eos Deus alloqueretur, sed tantum ne ea ratione ac modo, id est, de medio ignis, inter fulgura atque tonitrua, tantoque cum audientium terrore (vid. *Deut.* cap. v, 23 — 27). Tum populi petitionem pertinuisse tantummodo ad illud tempus illamque legis promulgationem, non autem ad futuram ætatem; rogabant quippe, ut Moyses ipsos alloqueretur (*ibid.* 27; *Exod.* xx, 19). Denique Deum hoc populi votum probasse (*Deut.* v, 28; xviii, 17), quia ex metu procederet (*ibid.* v, 29), profecto haud probaturum, si qualecumque Dei ipsius alloquium Israelitæ refugissent. His diligenter consideratis levi negotio contraria refelluntur.

§ VI.

Quidnam in hoc oraculo portenderet Jesum futurum Messiam.

32. Demonstravimus hoc oraculo Messiam, neque alium præter hunc, fuisse prædictum. Ut vero ex hoc eodem oraculo argumentum sumi possit ad probandum Messiam hunc esse Jesum, necesse est illud aliquam notam nobis suppeditare, quæ in Jesum conveniat. Hanc habes in eo, quod propheta ille, ut alter a Moyse, et huic similis *legislator*, prænuntietur (23). Hunc vero Jesum fuisse, qui nova lege condita mosaicam maxima ex parte abrogavit, cæcus sit, oportet, qui non perspiciat.

G. Meignan, egregio opere cui titulus, *Les Prophéties messianiques de l'Anc.-Test.*, tom. I, p. 611 seq., et prophetas et Christum simul hic prædici censuit. Cujus argumentationis hæc est summa :

« Le prophète par excellence, le Christ, résume en lui l'ordre des prophètes ..... Nous estimons que l'auteur du Pentateuque avait en vue l'ordre entier résumé en Jésus-Christ. Nous appuyons notre opinion sur cinq raisons.

1° La première est une raison de convenance et d'analogie. L'un des caractères distinctifs du Deutéronome et qui en constitue la mélancolique originalité, c'est l'empreinte des préoccupations que faisait naître la perspective douloureuse de la mort de Moyse. Ce dernier semble avoir écrit ce livre pour rassurer les esprits et préparer l'avenir, ménager des consolations, prévenir des châtiments. Moyse y rappelle les lois, les motifs de l'obéissance aux supérieurs. En énumérant ces motifs, il semble chercher l'occasion de donner de salutaires avis. Dans le chap. xvii et au commencement du chap. xviii jusqu'à notre prophétie, Moyse parle d'abord des supérieurs civils (xvii, 8 — 10), ensuite des supérieurs religieux (xviii, 1 — 8), des magistrats, des divers états et corporations, des prêtres, etc. Est-il vraisemblable qu'il ait omis de mentionner les prophètes? on sait l'importance immense du rôle des prophètes... Le prophète était l'intermédiaire du prêtre et de Dieu, l'organe des communications directes de la Divinité et l'interprète de la loi. Il était placé à côté du prêtre pour l'avertir, l'exciter, le reprendre, en un mot pour diriger et aider son ministère. Cela posé, n'est-il pas probable que Moyse a dû quelque part annoncer les prophètes, les consolations et les secours réservés à Israël par leur entremise? Il nous semble que Moyse faisait allusion à la mission consolatrice du prophète en général, lorsqu'il rappelait ces paroles de Dieu : « Je susciterai parmi vous un prophète. » Sans doute, et nous l'avons prouvé, cette prophétie désignait premièrement et directement le Christ; mais l'auteur du Pentateuque ne pouvait-il pas voir dans le Christ le représentant de l'ordre entier des prophètes? Il nous semble qu'aux yeux de Moyse les simples prophètes se confondaient dans la personnalité et l'action du prophète par excellence, de celui auquel se rapportait le ministère de tous les prophètes comme les préliminaires se rapportent à ce qu'ils préparent et annoncent, comme l'accessoire se rapporte au principal.

2° L'examen des circonstances occasionnelles de la prophétie nous fournit la seconde raison de croire qu'en parlant de Jésus-Christ, Moyse avait en vue l'ordre entier des prophètes. Qu'on lise le chap. xviii depuis le vers. 9 jusqu'à la fin. Il peut se résumer ainsi : *a*) Dieu défend à son peuple d'écouter les augures des nations infidèles; *b*) il lui promet un prophète qu'il lui ordonne d'écouter; *c*) il le prémunit contre les faux prophètes.

Moyse répète deux fois notre prophétie. C'est d'abord en son nom propre qu'il la formule. Elle fait suite aux recommandations par lesquelles il interdit à son peuple la pratique de tous les moyens superstitieux,

et de chercher, comme les nations idolâtres, à franchir, par des moyens criminels, la sphère des connaissances humaines. « Vous n'agirez point de la sorte, leur dit-il; les secrets que ces nations cherchent à découvrir par des moyens condamnables, Dieu vous les communiquera : *il suscitera du milieu de vous un prophète.* » Il me semble que ce prophète doit résumer et comprendre en lui tous les prophètes. Car le rôle particulier du Christ sera d'apporter au monde des révélations qui, à la vérité, rendront superflues, en ce qui touche le salut et la doctrine, toutes les autres révélations, mais qui supposent néanmoins toutes les prophéties antérieures et les complètent. Une prophétie qui ne se rapporterait absolument qu'au Messie, ne serait pas à sa place en cet endroit.

Moïse, au chap. XIII, vers. 2, a déjà donné le moyen de distinguer les vrais prophètes de ceux qui ne le sont pas. N'est-il pas probable qu'après avoir interdit la consultation des faux prophètes, et les pratiques des devins par ces mots : « Vous ne devez point agir de la sorte, » Moïse se met à parler des prophètes qui seront opposés directement à ces devins? Moïse fait une défense : « Vous ne consulterez point les devins. » Cette défense, il la justifie, en disant : Dieu vous donnera mieux que ces devins; il suscitera parmi vous un prophète. Les devins étaient une institution présente : le prophète qui leur est opposé ne doit-il exercer son action que dans le plus lointain avenir? La Vulgate a parfaitement reproduit le sens du texte hébreu, au vers. 14, lorsqu'elle traduit : « Gentes divinos audiunt.... tu autem aliter *institutus es.* » Les nations ont des devins, mais vous, vous avez été autrement institué. C'est qu'en effet l'institution des prophètes était alors en exercice et donnait déjà des fruits. Moïse nous semble opposer ici aux devins les prophètes ordinaires, prophètes qui se confondent et se perdent dans la personnalité compréhensive du Christ.

Ne nous étonnons point non plus de voir apparaître en cette circonstance la personne de Jésus-Christ. Moïse parlait de médiation entre Dieu et son peuple, de communications entre le ciel et la terre, de révélations divines : pouvait-il oublier le grand médiateur, le grand révélateur, Jésus-Christ, qu'il connaissait, à la fois, et par ce que Dieu lui en avait appris dans des révélations particulières, et par les prophéties qu'il avait recueillies? Moïse mentionne des révélations moins importantes, taira-t-il la principale?

Pour ajouter à l'autorité de la prophétie, Moïse raconte dans quelle circonstance elle se fit entendre à lui, et, à cette occasion, il la répète tout entière. Dieu lui a fait la communication d'un prophète *comme Moyse* sur le mont Sinaï, à l'occasion de la promulgation de la loi, quand il se manifestait directement à lui. La foudre et les éclairs avaient jeté l'effroi dans l'âme des Hébreux : ceux-ci avaient supplié Dieu de ne communiquer avec eux que par l'intermédiaire de Moïse : « Ce que le peuple demande est raisonnable, avait répondu le Seigneur; ils ont bien parlé; je susciterai du milieu de leurs frères un prophète semblable à vous. » Ces mots : « Ils ont bien parlé, » se trouvent aussi *Deut.* V, 28, où sont racontés les discours de Dieu à Moyse sur le Sinaï; cette circonstance indique que notre prophétie n'est qu'un morceau détaché du discours de Dieu sur le Sinaï. Ainsi la circonstance des devins n'a été que l'occasion de rappeler une prophétie faite à Moïse au jour solennel de la promulgation de la loi sur le Sinaï. La prophétie nous apparaît avec la majesté qui nous convient. C'est précisément pour lui donner ce caractère de majesté, que Moïse la répète une seconde fois, et avec toutes ses circonstances. La première fois il a pour but de justifier la défense des devins; la seconde, il se propose, par les circonstances solennelles qu'il rappelle, de graver, pour les siècles, dans l'esprit des Hébreux, la promesse du Messie-prophète, personnification de tous les prophètes futurs.

3° La troisième raison pour laquelle on ne peut pas appliquer la prophétie exclusivement à Jésus-Christ, c'est que les vers. 20, 21 et 22, qui suivent immédiatement, ramènent à la pensée des autres prophètes. Ces versets contiennent des signes distinctifs des faux prophètes. C'était donc et de Jésus-Christ et des prophètes en général que Moïse voulait parler.

4° S'il n'était question dans notre prophétie que du Christ seul, ne s'ensuivrait-il pas que l'institution des prophètes n'est point consacrée dans la loi? Or, il est impossible que cette institution fondamentale soit oubliée dans la législation de Moïse. L'importance historique de l'élément prophétique doit avoir pour fondement l'institution divine. Or, cette institution n'a point été postérieure à Moïse, car le chap. XIII du Deutéronome la suppose existante.

5° Enfin le Nouveau Testament lui-même nous fournit un argument contre l'application trop exclusive de la prophétie au Messie. On lit *Luc.* XI que Dieu *demandera compte* du sang de tous les prophètes, versé depuis Abel jusqu'à Zacharie, *requiretur ab hac generatione.* Cette expression, *le sang sera recherché,* rappelle bien cette parole de notre prophétie : « Que si quelqu'un ne veut pas entendre les paroles que ce prophète prononcera en mon nom, *j'en demanderai compte.* » Il est remarquable de voir combien les mots des grandes prophéties s'impriment dans le langage et sont cités à propos dans toute l'Ecriture. C'est ainsi qus lorsque Zacharie est injustement mis à mort (II *Par.* XXIV, 21), il prononce cette parole : « Que Dieu en demande compte! » *Dominus requirat,* יִדְרֹשׁ, allusion évidente à notre prophétie. Un jour il sera demandé compte aussi du sang du Christ versé sur la croix; et la justice divine vengera ainsi celui de tous les prophètes.

III.

POIDS ET MESURES CHEZ LES HÉBREUX [1].

La Bible nous fournit bien quelques données pour fixer la valeur relative des différents poids et mesures; mais leur évaluation absolue est sujette à de grandes difficultés. Josèphe est le seul auteur ancien qui puisse nous servir de guide; car il indique souvent le rapport des mesures des Hébreux à celles des Grecs, qui nous sont mieux connues. Le Nouveau Testament et le Thalmud nous fournissent également quelques renseignements utiles. Il pourrait sembler, à la vérité, que tous ces ouvrages sont trop modernes pour que leurs données puissent s'appliquer sans réserve aux temps anciens; mais si l'on réfléchit que les mesures et les poids, chez les Hébreux, étaient considérés en quelque sorte comme une chose sacrée, à cause de leur application aux dimensions du sanctuaire et de ses ustensiles ainsi qu'aux offrandes, aux libations et aux impôts sacrés, on ne trouvera pas invraisemblable que les Juifs, après l'exil, aient cherché à connaître exactement les mesures anciennes pour se conformer strictement aux prescriptions de la loi mosaïque. Le caractère sacré qu'on attribuait aux poids et aux mesures résulte aussi de ce verset des Proverbes (XVI, 11) : « Le peson et les balances justes appartiennent à Jéhova : toutes les pierres du sachet (les poids) sont son œuvre. » Pour l'évaluation des poids en particulier, nous avons une base à peu près sûre dans quelques monnaies machabéennes qui nous restent encore, et dont on connaît assez exactement la valeur intrinsèque, comme on le verra plus loin. Nous ne pouvons nous livrer ici à une discussion détaillée sur cette matière, et nous nous contenterons de résumer les données puisées dans la Bible, dans les œuvres de Josèphe et dans les renseignements combinés de quelques autres documents antiques (2). Nous parlerons successivement des mesures de longueur, de distance et de capacité, des poids et des monnaies.

I. Les mesures de longueur, appelées *middôth*, sont généralement empruntées à la main et au bras; on mentionne les suivantes : 1° *eçba* (*Jer.* LII, 21), le *doigt*, c'est-à-dire la largeur du doigt ou du pouce; 2° *téphach* (I *Reg.* VII, 26), ou *tophach* (*Exod.* XXV, 25), le *palme*, c'est-à-dire la largeur de quatre doigts ou de la paume; 3° *zéreth* (ibid. XXVIII, 16), la distance de l'extrémité du pouce à celle du petit doigt, ou *l'empan*; 4° *ammah*, toute la longueur de l'avant-bras, ou la *coudée*. La valeur relative de ces mesures n'est indiquée nulle part dans la Bible; pour la fixer, il faut consulter Josèphe et la tradition rabbinique. Dans l'Exode (XXV, 10), on donne à l'arche sainte deux coudées et demie de long, une et demie de large, et une et demie de hauteur; Josèphe, dans ses *Antiquités* (III, 6, 5), traduit les deux coudées et demie par *cinq empans*, et pour une coudée et demie il met *trois empans*, d'où il résulte que l'empan était la moitié de la coudée. Les rabbins sont d'accord avec Josèphe : selon eux aussi, le *zéreth* est une demi-coudée; la coudée moyenne, disent-ils, étaient de *six palmes* (3), et chaque palme de *quatre doigts*. Nous avons tout lieu de croire ces données exactes, puisque nous retrouvons les mêmes proportions dans d'autres systèmes anciens; ainsi par exemple, les Grecs avaient des coudées d'un pied et demi, ce qui fait six palmes (παλαισταί), ou vingt-quatre doigts; Hérodote (II, 149) parle aussi d'une coudée de six

(1) Ex opere cui titulus *Palestine*, auctore Munk.

(2) Parmi les auteurs modernes qui ont traité ce sujet, nous signalerons : Bernard Lami, *De tabernaculo fœderis, de sancta civitate Jerusalem et de templo*, etc. Paris, 1720; Eisenschmid, *De Ponderibus et Mensuris Romanorum, Græc. et Hebr.* edit. 2, Argentor. 1737, inséré aussi dans le *Thesaurus* d'Ugolini, tom. XXVIII; Ernst. Bertheau, *Zur Geschichte der Israeliten, zwei Abhandlungen*, Gœtting. 1842. — La Dissertation de M. Bertheau est entièrement basée sur le savant ouvrage que le célèbre Bœkh a publié récemment sous le titre de *Metrologische Untersuchungen*, etc. Berlin, 1838. — Glaire, *Introduct. aux Livres de l'Anc. et du Nouv. Test.* Paris, 1843, tom. II; Winer, *Biblisches Realwœrterbuch*, édit. 3. Lips. 1847.

(3) Voy. le Dictionnaire de David Kimchi aux mots *Zereth* et *Tephach*; Maïmonide, *Commentaire sur la Mischna*, 5e partie, traité *Middoth*, chap. III, § 1; 6e partie, traité Kelim, chap. XVII, § 9.

palmes, en usage chez les Egyptiens. Nous aurions donc pour la valeur relative des mesures hebraïques le tableau suivant :

Ammah	1.			
Zéreth	2.	1.		
Téphach	6.	3.	1.	
Eçba	24.	12.	4.	1.

Il suffirait de savoir la valeur absolue d'une de ces mesures pour connaître les autres; mais comme nous ne trouvons, à cet égard, aucune donnée positive, ni dans les écrits de Josèphe, ni dans ceux des rabbins, nous devons nous contenter d'une estimation approximative, en nous aidant des mesures égyptiennes, que les découvertes modernes ont permis de déterminer avec assez de précision. Il est très-probable que le système des Hébreux fut emprunté aux Egyptiens. — Les rabbins déterminent les mesures de longueur d'après la largeur de grains d'orge placés les uns à côté des autres, comme le font aussi les Arabes et d'autres peuples de l'Orient; on comprend ce qu'il y a de vague dans cette manière de mesurer, vu l'inégalité des grains d'orge. Maïmonide, qui s'est livré à ce sujet à des calculs minutieux, a trouvé que l'*eçba* de la Bible était égal à la largeur de sept grains d'orge moyens (1), ce qui donne pour l'*ammah* 168. Or, on a trouvé, par des calculs assez exacts, que la coudée Arabe, qu'on estime à 144 grains d'orge (c'est-à-dire à 24 doigts de 6 grains chacun), réduite en lignes et décimales de ligne, en faisait 213, 58 (2) ce qui donnerait pour l'*ammah* hébraïque de 168 grains d'orge 248,567, ou environ 560 millimètres. Nous ne prétendons pas donner ce résultat pour strictement exact, mais on verra qu'il ne s'écarte pas trop de la valeur très-probable des mesures égyptiennes; il peut du moins servir à constater les rapports qui existaient entre les mesures des Hébreux et celles des Egyptiens. Mais il se présente une autre question : les savants ont attribué aux anciens Hébreux plusieurs espèces de coudées (3), et tout en rejetant des conjectures qui n'ont aucune base solide, nous devrons toujours admettre chez les Hébreux deux espèces de coudées, l'une ancienne ou mosaïque, usitée pour les choses sacrées, l'autre moderne pour l'usage vulgaire. Dans le 2e livre des *Chroniques* (III, 3), on parle d'une *coudée première* ou *ancienne*, dont on se servait pour les mesures du temple de Salomon, ce qui fait supposer l'existence d'une *coudée moderne* ou *vulgaire*. Le prophète Ezéchiel (XL, 5; XLIII, 13), dans une vision où il voit les dimensions du temple futur, parle évidemment d'une coudée ayant un palme de plus que la coudée vulgaire, d'où il résulte qu'il y avait entre les deux coudées la différence d'un palme, ce que le Thalmud entend dans ce sens que la petite n'avait que cinq palmes de la grande (4); mais il serait peut-être plus convenable de leur donner le même rapport qu'avaient les deux diverses coudées égyptiennes, qui étaient environ comme 7 à 6. Il est probable, du reste, que l'une et l'autre étaient divisées respectivement en six palmes; le Thalmud parle positivement de palmes plus ou moins longs (5). L'ancienne coudée mosaïque était sans doute la coudée royale égyptienne, et les diverses échelles qui nous restent de celles-ci, combinées avec les mesures de plusieurs monuments égyptiens, donne pour terme moyen, à peu près 525 millimètres (6). Ce résultat nous paraît d'autant moins douteux, qu'il ne diffère que de 35 millimètres de celui que nous avons trouvé par le calcul si vague de la largeur des grains d'orge. Ceci admis, nous trouverons pour la coudée vulgaire 450 millimètres, ou bien 433, 5, selon qu'on admettra le rapport égyptien, qui est de 7 : 6, ou le rapport thalmudique, qui est de 6 : 5. Chacune des deux coudées était divisée proportionnellement en deux empans, six palmes et vingt-quatre doigts. Nous ne croyons guère possible d'aller plus loin dans l'évaluation des mesures de longueur des Hébreux sans se perdre dans de vastes conjectures. Quant à la mesure appelée *gomed*, qui n'est

(1) Voy. Maïmonide, *Mischné Thorah*, ou *Abrégé du Thalmud*, livre II, sect. 3 (*Sepher Thorah*), ch. IX, § 9.
(2) Voyez les *Recherches métrologiques* de Bœkh, pag. 247; Bertheau, l. c. pag. 60.
(3) Voy. Leusden, *Philologus Hebræomixtus*, pag. 211, où l'on parle de quatre espèces de coudées, savoir, la coudée vulgaire, la sacrée, la royale et la géométrique.
(4) Voy. Maïmonide, *Comment. sur la Mischna*, traité *Middoth*, 3, 1; *Mischna*, traité *Ketim*, 17, 10; les Commentaires de Raschi et de Kimchi à *Ezech.* XL, 5.
(5) Thalmud de Babylone, traité *Succa*, fol. 7a. Comparez Buxtorf, *Lexicon Thalmudicum*, col. 900 et 2370.
(6) Bœkh a trouvé 524, 587 millimètres, ou à peu près 232, 55 lignes. Voy. Bertheau, l. c. pag. 83.

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

mentionnée qu'une seule fois, dans le livre des Juges (III, 16), pour fixer la longueur de l'arme avec laquelle Ehoud tua le roi de Moab, elle est entièrement inconnue; mais comme il est dit qu'Ehoud cacha l'arme sous ses vêtements, et qu'elle entra avec la poignée dans le corps d'Eglon, on ne pourra guère admettre, avec quelques savants, que le *gomed* était une coudée plus longue (1), et on préférera, avec la version grecque, y voir un *empan*, de sorte que l'arme, qui avait *deux tranchants*, serait une espèce de poignard. Le *Kané* (roseau, verge) était un long bâton de six coudées, servant à mesurer les bâtiments (*Ezech.* XL, 5; XLI, 8), ce qu'on faisait aussi avec une corde (*ibid.* XL, 3; *Amos* VII, 17).

Aux mesures de longueur se rattachent celles des distances, ou les *mesures itinéraires;* mais les anciens Hébreux mesuraient les chemins d'une manière très-vague. Nous trouvons dans l'Ancien Testament deux mesures itinéraires, dont l'une est appelée *Kibrath areç* (espace de pays) (2), dautre *dérech yôm* (chemin d'un jour, journée) (3). Il paraîtrait que la première était une mesure l'éterminée; du moins les Septante durent la considérer ainsi, car ils conservent, dans leur traduction, le mot hébreu, qu'ils prononcent *chabratha*. La version syriaque le rend toujours par *parasange*, ce qui ferait environ une lieue de France. Le *dérech yôm*, c'est-à-dire le chemin qu'on peut parcourir à pied en une journée, est une mesure également vague; mais on la trouve chez plusieurs peuples de l'antiquité (4), et elle est souvent employée par les géographes arabes du moyen âge. En comparant les différentes données des auteurs anciens et des Arabes, on trouve pour la journée moyenne environ sept lieues (5). Plus tard, à l'époque gréco-romaine, les Juifs comptaient par *stades* et par *milles;* ces mesures se trouvent dans le Nouveau-Testament et dans le Thalmud, ainsi que le *chemin sabbatique* (*Act.* cap. I, vers, 12), qui était de deux mille coudées. Pour l'arpentage, la mesure ordinaire était le *cémed*, dont on ne saurait indiquer la valeur précise.

II. Les mesures de capacité, appelées *Mesourôth*, étaient de deux espèces.

a) Pour les liquides on mentionne trois mesures différentes : 1° le *bath* contenait, selon Josèphe, 72 *xestes* (sextarii), qui font un *métrète* attique, ou 38 litres et 843 millilitres; 2° le *hin*, que Josèphe compare à deux *chous* ou *conges* attiques; or, comme le conge est un douzième du métrète, le *hin* sera un sixième du *bath*, ou 6 litres 474 millilitres; 3° le *log*, qui n'est déterminé nulle part par Josèphe, forme, selon les rabbins, la valeur de six œufs, ou un douzième du *hin*, ce qui fait juste un xeste, ou environ 539 millilitres.

b) Pour les choses sèches nous trouvons les mesures suivantes : 1° le *chomer* (*Levit.* XXVII, 16), selon le prophète Ezéchiel (XLV, 11, 14) égal à 10 *bath*. La même mesure est aussi appelée *cor* (*Ezech.* ibid.) (6), et sa moitié *léthech* (*Osee.* III, 2); c'est ainsi du moins que ce dernier mot est interprété par les rabbins et par saint Jérôme. 2° L'*épha*, un deuxième du *chomer*, et par conséquent, égal au *bath* (*Ezech.* XLV, 11). 3° La *séah*, selon les rabbins, un tiers d'*épha;* de même selon Josèphe, qui dit que le *saton* (*seah*) est égal à un *modius et demi* d'Italie (7), ce qui fait 24 xestes ou un tiers du *bath* et de l'*épha*. 4° Le *omer* (*gomor*) est la dixième partie de l'*épha* (*Exod.* XVI, 36); c'est pourquoi on l'appelle aussi *issarôn*, *dixième*. 5° Le *kab*, selon les rabbins, un sixième de la *séah*, ou un dix-huitième de l'*épha*, c'est-à-dire quatre *xestes* attiques. Pour montrer d'un coup d'œil la valeur relative de toutes les mesures de capacité, tant pour les liquides

(1) Telle est l'opinion de Iahn, *Archæologie*, I, 2, pag. 37, et de Gésénius dans son *Dictionnaire*.

(2) Cette expression se trouve dans trois passages : *Gen.* XXXV, 16; XLVIII, 7; II *Reg.* 5, 19.

(3) Voy. *Nombres* XI, 31; on trouve de même : chemin de 3 jours, de 7 jours, etc. *Gen.* XXX, 36; XXXI, 23; *Deut.* 1, 2 et passim.

(4) Herodote la fixe tantôt à 200 stades (IV, 101) tantôt à 150 (V, 53).

(5) Voy. Edrisii *Africa*, cur. Joan. Melchior Hartmann; edit. alt. Gotting. 1798, præfat. pag. CXVIII.

(6) Josèphe (*Antiq.* XV, 9, 2) fait une grave erreur en fixant le *cor* a dix *médimnes* attiques; au lieu de médimnes il faut lire *métrètes*. Bœkh cite un passage de Didyme selon lequel le *cor* phénicien était égal à 45 *modii*, qui font 720 *xestes* ou 10 métrètes. Voy. Bertheau, pag. 71.

(7) Voy. *Antiq.* IX, 4 à la fin du § 5. La même chose résulte de la version des LXX, qui rend *seah* par μέτρον (II *Reg.* VII, 1), et *epha* par τρία μέτρα, comme la version chaldaïque par 3 *seah* (*Ex.* XVI, 36; *Is.* V, 10). — Il est très-probable que par *schalisch* (*Isaïe* cap. XL, vers. 12) qui veut dire *tiers*, on entend aussi le *tiers* d'un *epha* ou la *seah*.

que pour les choses sèches, nous les représentons dans le tableau suivant, en prenant la plus petite, qui est le *log*, pour unité de mesure commune :

Chomer	1.						
Bath Epha	10.	1.					
Séah	30.	3.	1.				
Hin	60.	6.	2.	1.			
Omer	100.	10.	$3^1/_3$.	$1^2/_3$.	1.		
Kab	180.	18.	6.	3.	$1^4/_5$.	1.	
Log	720.	72.	24.	12.	$7^1/_5$.	4.	1.

Comme on sait que la valeur du *bath* est exactement celle d'un métrète attique (litr. 38,843), on pourra facilement calculer celle de toutes les autres mesures. L'identité du *bath* et du *métrète* attique n'est pas fortuite; l'un et l'autre ne sont autre chose que l'ancienne *artabe* des Egyptiens, qui contenait également 72 *xestes* (1).

Ce tableau montre dans les mesures hébraïques le mélange de deux systèmes différents; l'*épha* se trouve avec le *chomer* et le *omer* dans un rapport décimal, tandis qu'il forme avec les autres mesures un système duodécimal. Ce dernier paraît être le système primitif, car nous le trouvons aussi dans les mesures de longueur (2).

III. Le *poids*, appelé *mischkal*, se déterminait comme chez nous, au moyen des balances (*moznaim*), ou d'un peson (*pélès*). Les poids étaient faits en pierre, et les marchands en portaient avec eux dans un sachet, attaché à la ceinture, ce qui se fait encore maintenant en Orient (3). Voici les différents poids des Hébreux : 1° le *kiccar*, *talent*; 2° le *mané*, *mine*; 3° le *sékel*, *sicle*; 4° le *béka*, et 5° la *guéra*. La valeur relative de tous ces poids, à l'exception du *mané*, est clairement indiquée dans le Pentateuque. Il résulte d'un passage de l'Exode (XXXV, 25, 26) que 100 *kiccars* et 1775 *sékels* faisaient 603550 *békas*, et que le *béka* était un demi-*sékel*, d'où il résulte que le *kiccar* avait 3000 *sékels*. Le *sékel* se divisait en vingt *guéras* (ibid. XXX, 13). Sur le *mané* les opinions sont divisées : les uns donnent au *mané* cent *sékels*, s'appuyant d'un verset du deuxième livre des *Chroniques* (IX, 16), où il est dit que les boucliers de Salomon pesaient trois cents (pièces) d'or chacun, tandis que leur poids, selon le premier livre des Rois (X, 17) était de trois *manés*. D'autres réduisent le *mané* à 60 *sékels*, invoquant l'autorité d'un verset obscur d'Ezéchiel (XLV, 12), qui semble diviser les sicles du *mané* en 20 + 25 + 15 = 60; c'est du moins dans ce sens que saint Jérôme et les rabbins interprètent les paroles d'Ezéchiel. D'autres enfin, justement choqués des difficultés grammaticales et de la division bizarre qu'offre le texte hébreu d'Ezéchiel, ont recours à la version alexandrine, selon laquelle la valeur de la mine serait réduite à 50 sicles (4). Mais la version grecque de ce verset étant elle-même très-corrompue et très-incertaine dans les manuscrits et dans les éditions, nous ne pensons pas que son autorité puisse prévaloir sur celle du texte, pour lequel nous croyons devoir adopter l'interprétation de la Vulgate. Le passage des *Chroniques*, qui d'ailleurs n'est pas assez précis, parle peut-être du sicle du *poids royal* (II *Sam.* XIV, 26), qui n'aurait contenu que $^8/_5$ du sicle mosaïque. Josèphe, qui fixe la mine à deux livres et demie (de Rome), s'accorde bien avec ceux qui lui attribuent le poids de 60 sicles; mais nous

(1) Voy. les *Recherches métrologiques* de Bœkh, pag. 242; Bertheau, pag. 88 et 89.

(2) Voy. Bertheau, p. 66-70. Pour expliquer le mélange des deux systèmes, il suppose que le *chomer*, la plus grande mesure cubique, n'appartenait pas primitivement au système hébraïque, et qu'il était égal a 6 *métrètes* Syriens (de 120 *xestes* chacun), de même que le *kané*, la plus grande mesure de longueur, était égal à 6 coudées. — Mais comme le *chomer* et le *omer* sont déjà mentionnés dans la loi de Moyse, il est difficile d'admettre cette hypothèse.

(3) Voy. *Lev.* XIX, 39; *Deut.* XXV, 13 et 15; *Prov.* XI, 1; XVI, 11; XX, 10; *Mich.* VI, 11. Comparez le *Voyage de Chardin*, édit. Langlès. Tom. VI, p. 120.

(4) Cette opinion est celle de Bœkh, adoptée aussi par Bertheau, pag. 9 et suiv.; elle est basée surtout sur l'analogie des poids grecs : car la mine des systèmes grecs se divise en 50 didrachmes. Le verset des *Chroniques*, selon Bœkh, parle du sicle commun, ou demi-sicle.

ne pourrons fixer la valeur absolue des poids qu'après avoir parlé des monnaies. La valeur relative des différents poids, selon ce que nous venons d'exposer, se résume ainsi qu'il suit :

Kiccar	1.				
Mané	50.	1.			
Sékel	3000.	60.	1.		
Béka	6000.	120.	2.	1.	
Guéra	60000.	1200.	20.	10.	1.

IV. Les *monnaies* ne sont autre chose dans l'origine que des pièces de métal d'un poids déterminé, marquées d'un signe généralement reconnu dans le commerce. La question de savoir si les Hébreux, avant l'exil de Babylone, avaient des pièces de *monnaie*, dans le sens que nous attachons à ce mot, ne saurait être complétement résolue. Le silence que gardent les livres des anciens Hébreux sur l'argent monnayé ne suffit pas pour en nier l'existence. On a aussi attaché trop d'importance au mot *peser*, dont on se sert souvent dans la Bible, en parlant du payement d'une somme (1), et on a conclu de là que le métal qu'on donnait en échange des denrées, etc., n'était marqué d'aucun signe et se livrait au poids comme la marchandise. Mais nous trouvons le mot *peser* employé dans le sens de *payer*, à l'époque des Perses, où, sans aucun doute, on avait de l'argent monnayé (2); encore maintenant il est généralement d'usage en Orient de peser les monnaies, afin de constater leur valeur. Il est vrai qu'on n'a trouvé aucunes traces de monnaies égyptiennes appartenant aux temps des Pharaons, ni de monnaies phéniciennes remontant au-delà de l'invasion des Perses; mais, d'un autre côté, on rapporte que Phidon, tyran d'Argos, vers l'an 750 avant l'ère chrétienne, frappa le premier de la monnaie en Grèce, d'après un système de poids et mesures emprunté aux Phéniciens (3). N'est-il pas dès lors très-probable que les Phéniciens, à cette époque, connaissaient la monnaie et en faisaient usage dans leur commerce? Il y a en effet des auteurs grecs qui font remonter aux Phéniciens l'invention de la monnaie (4), quoique Hérodote (I, 94) l'attribue aux Lydiens. Les Hébreux pouvaient donc, par leurs fréquentes relations avec les Phéniciens, avoir de la monnaie vers l'époque d'Ezéchias (5). Quoi qu'il en soit, il est certain que les Hébreux avaient, dès les temps les plus anciens, sinon des monnaies proprement dites, du moins des pièces d'argent marquées d'un signe et qui avaient cours chez les marchands (*Gen.* XXIII, 16). On mentionne non-seulement des pièces d'un sicle, mais aussi des demi-sicles (*Exod.* XXX, 13), des quarts de sicle (I *Sam.* IX, 8) et de petites pièces d'argent appelées *agora* (ibid. II, 36) et qui étaient probablement du poids d'une *guéra* (6).

Mais quelle est la valeur absolue de ces pièces? Plusieurs savants ont fait cette supposition toute gratuite, que la *guéra* était la même chose que le *keration* des Grecs et la *siliqua* des Romains, c'est-à-dire un *grain de caroube*, que les Hébreux auraient employé comme une unité dans les poids. Dix-huit de ces grains pesaient, selon Eisenschmid, environ 87 à 88 grains du poids de France, d'où l'on a conclu que le sicle, qui avait 20 *guéras*, pesait environ 96 grains. Ce résultat, pont on va reconnaître toute la fausseté, a été généralement admis, et c'est d'après cette fausse donnée qu'on a déterminé les poids des Hébreux. Nous avons cependant une base bien plus sûre dans les sicles qui nous restent de l'époque des Machabées, notamment du prince Siméon, qui, dès la première année de son règne, fit frapper de la monnaie nationale (7). Il n'y a pas de doute

(1) Voy. *Gen.* XXIII, 16; *Exod.* XXII, 16; II *Sam.* XVIII, 12; I *Reg.* XX, 39; *Is.* LV, 2; *Jérém.* XXXII, 9 et 10.
(2) Voy. *Zach.* XI, 12; *Esdr.* VIII, 25 seqq.
(3) Voy. Herodote VI, 127. Bœkh, dans ses *Recherches métrologiques*, pag. 76, admet ce fait comme historique.
(4) Voy. Bœkh l. c. pag. 42; Bertheau, p. 22.
(5) L'existence de la monnaie chez les anciens Hébreux, généralement niée par les archéologues, est déclarée fort probable par plusieurs auteurs de nos jours. Voy. Hussey, *Essay on the ancient weights and money.* Oxford, 1836, p. 197 seqq.; Bertheau, p. 21 seqq. De Wette, dans la 3e édit. de son *Archæologie* (1842) p. 234, a embrassé la même opinion, après avoir soutenu le contraire dans les éditions précédentes.
(6) Quant au mot *kesita*, qu'on ne trouve que dans trois passages (*Gen.* XXXIII, 19; *Jos.* XXIV, 32; *Job* XLII, 11), et qui paraît appartenir à l'époque la plus ancienne, on ne saurait en déterminer le sens. Il est probable qu'il désigne aussi une pièce d'argent; les anciennes versions le rendent généralement par *agneau*.
(7) Voy. sur les monnaies machabéennes, dont l'authenticité ne saurait être mise en doute, l'ouvrage de Fr. Perez Bayer, *De Nummis hebræo-samaritanis*, Valentiæ 1781: Ekhel, *Doctrina Nummorum*, tom. III, pag. 458 seq.

que ce prince et grand prêtre, dans son enthousiasme pour la liberté et l'indépendance de son peuple, et animé d'un zèle ardent pour le rétablissement des anciennes institutions nationales, n'ait adopté pour ses monnaies le système des poids mosaïques; ses sicles, sur lesquels on lit d'un côté les mots *sékel d'Israël*, et de l'autre *la Sainte Jérusalem*, et qui devaient servir à payer les taxes sacrées prescrites par la loi mosaïque, durent répondre exactement au sicle sacré. Or le poids des sicles de Siméon qui existent encore varie de 256 grains à 271,75; la plupart ont 266 à 268 grains (1). On ne s'étonnera pas de cette variation, si l'on songe aux rognures et à l'affaiblissement de poids que ces monnaies ont pu éprouver dans la circulation. Mais, grâces aux vastes recherches de M. Bœkh, il est maintenant possible de déterminer exactement la valeur normale du sicle-poids, qui ne diffère que fort peu du poids réel des monnaies encore existantes. Il résulte avec évidence de ces savantes recherches que le système suivi par les Hébreux avant l'exil de Babylone était encore bien connu du temps de Siméon, et que ce prince a frappé ses sicles sur le pied ancien. Il est maintenant démontré que le système d'Egine, c'est-à-dire celui que Phidon, tyran d'Argos, avait emprunté aux Phéniciens, était aussi celui des Babyloniens, des Syriens et des Hébreux. Le talent attique, qui pèse 493200 grains de France, est au talent d'Egine, comme 3 à 5, et ce dernier, par conséquent, pèse 822000 grains. Ce talent se divisait en 3000 didrachmes, de même que le talent Hébreu en 3000 sicles; le poids normal du didrachme d'Egine était donc, de même que celui du sicle, de 274 grains, ce qui s'accorde parfaitement avec le poids réel des sicles de Siméon. Les quelques grains qui manquent à ces derniers ont été déduits probablement comme prix de fabrication. Il nous reste à voir comment ce résultat s'accorde avec les données de Josèphe et du Nouveau-Testament. Josèphe dit que le sicle vaut quatre drachmes attiques, et dans deux autres endroits il désigne par *didrachme* ou *deux drachmes* l'impôt d'un *demi-sicle* que tout Israélite payait chaque année au temple. Dans l'Evangile de saint Matthieu (XVII, 24) cet impôt est également évalué à deux drachmes, et le *stater*, qui valait quatre drachmes, suffisait à Jésus et à saint Pierre pour payer leur impôt; or, quatre drachmes attiques pèsent 328,8 grains, tandis que le poids normal du sicle, comme on l'a vu, n'est que de 274 grains. Mais la difficulté disparaîtra si l'on réfléchit qu'à une époque où les monnaies juives étaient devenues très-rares, la valeur du sicle a dû hausser considérablement, et que d'ailleurs on payait toujours l'impôt du demi-sicle selon la monnaie qui avait cours, pourvu que sa valeur réelle ne fût pas au-dessous de celle de l'ancien sicle. Or, comme le tétradrachme, ou le *stater*, était alors la monnaie la plus répandue, on en payait la moitié, ou le didrachme, pour le demi-sicle, de même qu'à l'époque persane on avait payé une demi-*darique* (2). Josèphe pouvait donc dire avec raison que le sicle équivant à quatre drachmes, quoique ce ne fût pas là sa valeur intrinsèque. Ce que nous venons de dire est entièrement confirmé par les données que nous fournissent les rabbins. Maïmonide dit positivement que le sicle du second Temple (c'est-à-dire à l'époque romaine) pesait 384 grains d'orge, tandis que l'ancien sicle mosaïque n'en pesait que 320 (3). S'il faut en croire Eisenschmid, 320 grains d'orge équivaudraient à 267 grains du poids de France, ce qui s'accorderait assez bien avec le poids des sicles de Siméon; mais, sans entrer dans l'évaluation peu sûre du poids des grains d'orge, ce qui résulte positivement de la donnée de Maïmonide, c'est que l'ancien sicle était au nouveau comme 5 à 6, et ce rapport est exactement le même que nous trouvons entre le didrachme d'Egine, ou le sicle hébreu (274 gr.), et le tétradrachme attique (328,8 gr.) Nous observerons encore que saint Jérôme fait aussi le sicle égal au *stater* ou *tétradrachme*, qui, selon lui, équivant à une demi-once romaine (4); or, comme la livre romaine a douze onces, les deux livres et demie que Josèphe,

(1) Voy. Bœkh, p. 56, Bertheau, p. 33. Parmi les différents sicles du cabinet des médailles de la Bibliothèque royale, le plus léger a 3 gros 39, 5 grains, ou 255,5 grains, et le plus lourd 268 grains. Voy. les tables de M. Mionnet.

(2) Voy. *Mischna*, P. II, traité *Schekalim* (des sicles), ch. II, § 4, et les commentaires. Bœkh (p. 63) suppose, avec moins de vraisemblance, que la valeur de la drachme avait baissé, et qu'on était habitué alors à considérer le denier romain (*denarius*) comme une drachme, de sorte que les 4 drachmes qui ne faisaient que 4 deniers, étaient à peu près égales à l'ancien sicle, car le denier pesait 69, 8 grains.

(3) Voy. Maïmonide, *Comment. sur la Mischna*, P. V, traité *Bechoroth* (des premiers-nés) ch. VIII, § 7; *Abrégé du Thalmud*, liv. III, 7e sect. (des sicles), chap. I, § 2. Le traité *De Siclis* de Maïmonide a été publié à part, avec une version lat. et des notes, par Esgers, Leyde, 1718.

(4) Comment. in *Ezech.* IV, 10 : « Siclus autem, id est stater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo latinam unciam faciunt. » Hieronymi Opera, éd. Martianay, tom. III, col. 722.

comme on l'a vu, donne à la *mine* hébraïque, font trente onces; d'où il s'ensuit que Josèphe, de même que les rabbins, donne à la mine soixante sicles (1). D'après tout ce que nous venons d'exposer, la valeur absolue des poids hébraïques pourra se fixer ainsi qu'il suit :

1 guéra	pesait	13,7 grains.
1 béka		137.
1 sékel		274.
1 mané		16440.
1 kiccar		822000.

Le sékel en monnaie pouvait valoir environ 3 francs 10 cent.

Tel est, en résumé, le système des mesures, des poids et des monnaies des Hébreux, qui, comme il est démontré par les savantes recherches de Bœkh, n'est qu'une branche du système général qui de la Babylonie a passé dans le sud-ouest de l'Asie, en Egypte et en Grèce, et repose tout entier sur le pied cubique des Babyloniens.

(1) Nous ne saurions dire de quelle livre romaine Josèphe a voulu parler, car il y en a une grande variété (voy. Bœkh, pag. 170 seq.); mais si l'on admet avec Bœkh (pag. 165) que le poids normal de la livre est de 6165 grains, les deux livres et demie de Josèphe font 15412, 5 grains, tandis que 50 sicles qui, selon Bœkh, forment une mine, ne donneraient que 13700 grains.

COMMENTARIA

IN LEVITICUM.

ARGUMENTUM.

Dicitur hic liber hebraice ויקרא *vaiicra*, id est, *et vocavit*, a suo exordio : Græcis et Latinis vocatur Leviticus, a materia quam tractat; tractat enim de sacrificiis aliisque muniis Levitarum.

Levitæ qui? Nam Levitæ, id est, ii qui erant prognati ex patre et tribu Levi, electi fuerunt a Deo ad munus sacerdotale, et ad ministrandum ei in tabernaculo : sed hac partitione, ut Amramitæ, sive posteri Amram, hoc est Aaron, ejusque filii, sacerdotio fungerentur solique sacrificarent; cæteri, puta posteri Caath, Merari et Gerson (qui omnes fuerunt filii Levi) hisce subservirent, uti sacerdotibus nostris diaconi. Vide cap. III et IV *Numer*. Quod factum est ut priores, sacerdotes, posteriores, Levitæ, nomine communi inferioribus appropriato, vocarentur : solet enim species imperfectior sibi nomen generis appropriare; sic brutum vocamus animal. Hic tamen contrarium accidit : nomen enim generis datur hic dignioribus; nam per Levitas hic sacerdotes intelliguntur, cum Leviticum vocamus hunc librum.

Leviticus idem est quod sacerdotalis. Leviticus ergo idem est quod sacerdotalis, aut sacrificatorius : continet enim præcepta cæremonialia, quibus proprie Israeliticus populus Deo, Deique familiæ et cultui allectus est, circa oblationes et sacrificia, qui excellentissimi sunt cultus quos exterius Deo deferimus.

Cur Deus sacrificia vetera instituit? Prima causa. Secunda. Quare *prima* causa sanciendorum horum sacrificiorum, fuit debitus Deo exterior cultus et veneratio. *Secunda*, ut pernicioso otio et idololatria hac ratione Judæos; pie occupatos semper Deus avocaret. Hanc causam dat S. Clemens, lib. I *Recognit.*, sub medium; Chrysostomus, homil. 6 *in Matth.*; Hieronymus, in I *Isaiæ*, et Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVIII, ubi sic ait : «Per sacrificiorum onera, et operationum ac oblationum negotiosas scrupulositates, religioni suæ voluit eos Deus astringere, ne simulacris faciendis delinquerent. » *Tertia*, ut variis typis dignitatem, variamque rationem sacrificii Christi in cruce peracti, adumbrarent. Omnia enim hæc sacrificia Christum adumbrasse, Christique immolationem, docent S. Augustinus, libro I *Contra adversar. legis et Prophet.*, cap. XVIII, et lib. XVII *De Civit.* cap. II; Eusebius, lib. I *Demonstr.* cap. X, Concilium Tridentinum, *sess.* XXII, capite I in fine, et S. Leo, serm. 8 *De Passione*, ubi sic ait : «Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Domini implet oblatio; ut, sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum. » Unde et in Collecta Ecclesiæ dicitur : « Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti.» *Quarta*, ut significarent ea quæ nos agere convenit, itaque mores nostros instruerent, uti docent S. Augustinus, lib. X *De Civit.* cap. V; Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*; Theodoretus, lib. *De Sacrificiis*, ante medium, et alii. Hinc patet vetera hæc sacrificia fuisse bona et sancta, Deoque placuisse, utpote ab eo instituta et in honorem illius oblata; erant enim actus religionis et latriæ.

Tertia. Quarta. Sacrificia vetera placuerunt Deo; erant enim actus latriæ.

Dices : S. Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum*, ante finem; S. Hieronymus, Rupertus, in cap. I *Isaiæ*; Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVIII et XXI; Chrysostomus, orat. 1 *Contra Judæos*, et alii, videntur dicere, hæc sacrificia non fuisse grata Deo, nec ejus destinata voluntate fuisse instituta, sed tantum ad vitandum majus malum, ne scilicet Hebræi in Ægypto sacrificiis assueti, ad ea relaberentur, eaque Api aliisque idolis offerrent.

Objectio.

Respondeo, isti Patres tantum dicere volunt ea non fuisse grata Deo secundum se, sive quatenus externa erant sine cultu interno : opponunt enim ea sacrificio Christi, et actionibus virtutum, quæ secundum se Deo placent. Atque hoc est quod aiunt Theologi, sacrificia et Sacramenta novæ legis Deo placere, nosque justificare ex opere operato; vetera vero id fecisse ex opere operantis; unde displicebant illa Deo, si impuro corde a sceleratis offerrentur. Et hoc est quod ait Deus, *Isaiæ* I, 11 : «Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum, holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui : incensum abominatio est mihi; » quia scilicet a vobis impiis impio corde mihi adoletur : vos enim in externis illis sacrificiis omnem sanctitatem ponitis, itaque internam sanctitatem, quæ vera est, negligitis. et

Resp. Sacramenta vetera justificabant ex opere operantis; nova ex opere operato.

rapinis, stupris aliisque sceleribus vos inquinatis.

Levitici tres partes.

Leviticum in tres sectiones partiri possumus : *Prima* agit de ipsis sacrificiis, eorumque varietate et distinctione, a cap. I ad VIII. *Secunda* agit de personis offerentibus, earumque præparatione et dispositione, a cap. VIII ad XXIII. *Tertia* agit de temporibus oblationi destinatis, puta de festis, a cap. XXIII ad finem, cui nonnulla de votis eorumque redemptione junguntur.

Leviticus a Deo dictatus est in Sina.

Porro hæc omnia acta et dicta sunt in duodecima mansione Hebræorum in deserto, puta in monte Sinai, uti dicitur in fine hujus libri. In Sinai enim gesta sunt omnia quæ narrantur a cap. XIX *Exodi* ad finem Exodi, quæque toto Levitico et Numeris usque ad caput X narrantur. *Numer.* enim X, 11, ex Sina moverunt Hebræi castra : præcepta tamen hæc Levitici, non in ipso monte Sina uti Decalogus, sed in tabernaculo recens fabrefacto, Mosi data sunt a Deo, ut patet cap. I, vers. 1.

Idque anno secundo egressus ex Ægypto, id est anno mundi 2455.

Hinc sequitur Leviticum Mosi a Deo dictatum esse anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto, quod fuit anno mundi 2455, a diluvio 798 (quod fuit ante nativitatem Christi 1496 annis); imo totus Leviticus uno mense, puta primo anni hujus secundi, dictatus est a Deo, quod clare videbis si Levitici initium et finem conferas cum cap. ult. *Exodi*, vers. 15, et cum cap. I *Num.* vers. 1 Ex quo patet Numerorum librum, qui Leviticum sequitur, incipere a die primo mensis secundi. Certe non potuisse Leviticum dictari post vigesimum diem mensis secundi, certum est; nam ultra illum diem non fuerunt Hebræi in Sinai, ut patet *Num.* cap. X, vers. 11. Nota hæc Levitici præcepta non fuisse simul uno die data, sed successive per varios mensis primi dies, ut patet cap. IX, vers. 1; cap. X, vers. 1 et 2; cap. XVI, vers. 1.

Origenes, Isychius Cyrillus et Radulfus mystice explicant Leviticum.

Leviticum mystice explicarunt *primo*, Origenes, cujus in Leviticum exstant sedecim homiliæ. Eædem reperiuntur inter opera S. Cyrilli, et non homiliæ, sed libri vocantur. Verum eas non esse Cyrilli, sed Origenis, patet tum ex stylo, tum quia in quibusdam redolent errores Origenis, tum quia ab olim Origeni semper adscriptæ sunt. *Secundo*, scripsit in Leviticum Isychius presbyter Hierosolymitanus, S. Gregorii Nazianzeni discipulus. Claruit hic sub Honorio Imperatore sub annum Domini 400. *Tertio*, scripsit in Leviticum S. Cyrillus, libros XVII *De Adoratione in spiritu et veritate*, quibus pleraque Levitici mysteria interpretatur, et Christianis tropologice adaptat. Edidit eos nuper Romæ Antonius Agellius anno Domini 1588. *Quarto*, egregie in Leviticum scripsit Radulphus monachus Flaviacensis, vel, ut alii volunt, Fuldensis, sub annum Domini 910. Fuit vir solide doctus, imitatur phrasin S. Gregorii, apteque singula explicat sensu mystico et tropologico. Hoc sæculo in Leviticum scripsit tam mystice quam litteraliter Petrus Serranus Canonicus Complutensis.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit Deus Mosi ritum holocausti triplicis, scilicet primo, boum, vers. 3; *secundo, ovium et caprarum, vers.* 10; *tertio, avium, puta turturum et columbarum, vers.* 14.

Pauca hic de sacrificio ejusque speciebus præmittenda sunt.

Sacrificii definitio.

Unde nota primo : Sacrificium est oblatio rei sensibilis a legitimo ministro facta Deo, per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium et nostram subjectionem. *Dico per* realem immutationem : *quia in hoc distinguitur sacrificium ab oblatione, quod in hac res integra offerebatur Deo, uti patet in oblatione decimarum et primitiarum; in sacrificio vero res oblata occidebatur, si esset animata, sin esset inanima, conscindebatur, conterebatur, comburebatur, vel effundebatur, itaque immutabatur et interimebatur.*

In sacrificio victima debet immutari, cur?

Hinc sacrificare græce dicitur θύειν, *hebraice* זבח zabach, *quorum utrumque significat occidere, mactare :* zabach *enim nomine et significatione consentit cum* טבח tabach, *id est mactare : et Latinum sacrificare, licet dicatur a re aliqua sacrificanda, tamen sæpissime accipitur pro occidere, quod signum est, sacrificium vel in ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea conjunctum esse.*

Ratio est, quia cum res perimitur, eripitur usibus humanis, et perfectius videtur tota in honorem Dei cedere, et significare supremum ejus in omnia dominatum, omniaque ab ipso pendere, ac præsertim ipsum esse vitæ necisque omnium dominum : hæc enim omnia significamus et protestamur ipso sacrificio.

Quomodo immolabantur liquida? quomodo solida?

Ubi nota secundo : Res inanimæ quæ sacrificabantur, vel erant liquidæ, ut sanguis, vinum, oleum : hæc effusione offerebantur; vel erant solidæ, ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, et triticum : hæc levabat sacerdos in altum, varieque conficiebat et immutabat : in qua immutatione consistebat ratio sacrificii; nam panis in frusta dissecabatur, simila sartagine, clibano vel craticula coquebatur, sal urebatur, thus adolebatur, manipulus spicarum torrebatur, triticum conterebatur.

Octo animalia immolabilia.

Nota tertio : Ex animalibus sola munda jussit sibi Deus offerri, eaque octo tantum, scilicet, ovem, capram, hædum, bovem, vitulum, columbam, passerem et turturem, nec aliud animal licuit Judæis Deo sacrificare.

Sacrificii species tres.

Nota quarto : Sacrificiorum tres erant species : Prima erat holocaustum; secunda, victima pacifica; tertia, hostia pro peccato : quibus adde quartam, scilicet mincha, seu sacrificium ex simila aut pane; quæ omnia in se continet sacrificium Christi, quod hisce figurabatur. Hæc eo ordine prosequitur Moses, ut de holocausto agat, cap. I; *de mincha, cap.* II; *de victima pacifica, cap.* III; *de hostia pro peccato, cap.* IV, V *et* VI.

1. Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens victimas, 3. si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum; 4. ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. 5. Immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi, 6. detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, 7. et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita; 8. et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, 9. intestinis et pedibus lotis aqua : adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. 10. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum

absque macula offeret; 11. immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino : sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum; 12. dividentque membra, caput, et omnia quæ adhærent jecori : et ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis; 13. intestina vero et pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino. 14. Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, 15. offeret eam sacerdos ad altare; et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris; 16. vesiculam vero gutturis, et plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, 17. confringetque ascellas ejus, et non secabit, neque ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.

Vers. 1. 1. VOCAVIT AUTEM MOYSEN, ET LOCUTUS EST EI DOMINUS. — « Locutus est, » non imaginaria, sed sensibili voce, ex tabernaculo prodeunte, et formata in aere ab angelo, Dei vice loquente : quæ locutio non propria, aut vitalis humanave erat locutio, cum angelus corpore et corporeis organis, puta ore, lingua et dentibus ad loquendum necessariis careat, sed erat ei similis. Unde analogice locutio dicitur. « Dominus, » id est angelus, Domini personam sustinens, uti dixi *Exodi* III, 2 (1).

DE TABERNACULO TESTIMONII, — id est de tabernaculo in quo erat testimonium, id est lex sive tabulæ legis. Vide dicta *Exodi* XXVII, 20. Potest *secundo* verti, de tabernaculo conventus, aut constitutionis, quod scilicet erat quasi locus statutus conventioni populi et Mosis cum Deo. Ita Vatablus; utrumque enim significat Hebræum מועד *moed*.

Vers. 2. 2. LOQUERE FILIIS ISRAEL, — omnibus, etiam Levitis. Nota : Quando in Scriptura nominantur filii Israel, si sit sermo de re temporali, excluduntur Levitæ; si de spirituali, comprehenduntur, ut patet *Deuter.* XXVII, 12; *Apocal.* VII, 7, ubi tribus Levi numeratur inter signatas a Deo : Levitis enim et personis sacris incumbit, non temporalia curare et sapere, sed spiritualia.

HOMO QUI OBTULERIT, — supple *sponte*; erant enim aliæ oblationes non spontaneæ, sed præceptæ, ideoque necessariæ. Talis erat oblatio primogenitorum, de quo *Exodi* XXII, 29; et oblatio pro peccato, de qua hic cap. IV et V; atque hæc quæ necessaria erant, non poterant a quoquam transferri ad alium modum oblationis, ut patet cap. XXVII, vers. 26 : « Primogenita, inquit, quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere. »

HOMO QUI OBTULERIT EX VOBIS HOSTIAM DOMINO.— Soli enim Deo est sacrificandum, idque omnium gentium usu receptum est, ut scilicet nulli sacrificarent, nisi qui Deus esset, aut Deus ab iis haberetur, quemque scirent, putarent, vel fingerent esse Deum, ait S. Augustinus, lib. X *De Civitate*, cap. IV, idque ob causam, quam initio capitis dedi. Jure gentium soli Deo sacrificatur.

DE PECORIBUS. — Interpres noster non distinguit inter pecora et pecudes, perinde ut grammatici faciunt, qui pecudes vocant animalia minora, pecora majora. Interpres enim omnia animalia, tam minora quam majora, vocat tam *pecudes* quam *pecora*.

DE BOBUS ET OVIBUS OFFERENTES VICTIMAS. — Sub ovibus et capras intellige; his enim communis est Hebræa vox צאן *tson*. Seligit sibi hic Dominus in sacrificium, ex animalibus terrestribus bovem, ovem et capram, ex volucribus columbam et turturem; nullum vero piscem. Cujus *prima* ratio est libera Dei voluntas, quæ ita sanxit. *Secunda*, quia hoc congruum erat : illa enim animalia magis sunt in communi hominum usu, præbentque homini sua carne et lacte cibum, suo vellere et corio vestitum; boves etiam arant et triturant. Rursum hæc animalia sunt mansueta, ideoque mundiora. Ita Theodoretus, *Quæst.* I, et Philo, lib. *De Victimis*. In piscibus etiam hoc peculiare fuit, quod vix viventes adduci, ideoque nec immolari potuissent; utrimque enim verum est illud S. Antonii : « Quod piscis est extra aquam, hoc monachus est extra cellam. » Adde pisces, quia humore et semine abundant, symbolum esse ignaviæ et luxuriæ. Pierius vero, *Hierogl.* 31, ait pisces esse hieroglyphicum innocentiæ, cum omnino sint innocui, nec elementum suum ad insidias aliis inferendas transgrediantur : ideoque Pythagoram cavisse, abstinendum esse piscibus, ne insontes persequerentur. Idem docet Lilius Giraldus in *Symbolis Pythagoræ*. Quocirca Pythagoras, teste Plutarcho, a piscatore retis jactum emisse fertur, ut quiquid piscium eo jactu caperet, statim emitteret; quod et fecit. Nullus piscis poterat Deo immolari, cur? Pisces symbolum sunt ignaviæ et luxuriæ.

Tertia causa est, quod pisces valde imperfecta et ignobilia sunt animalia. Audi Philonem, lib. I

(1) Quod vocis ויקרא littera ultima in nostris exemplaribus minor reliquis scribi solet, variasse olim codices in eo vocabulo arguit. In quibusdam enim exemplaribus, pro ויקרא quod nunc receptum est, ויקר omisso א extitisse videtur, seu fut. apocopat. conjug. niphal verbi קרה *occurrere, obviam fieri*, ut vertendum sit, *apparuit Mosi* Dominus, quæ ipsa loquendi forma occurrit *Num.* XXIII, 8; *Exod.* III, 18.

De Constit. mundi : Primi inter cætera animalia pisces creati sunt, quod eorum videlicet sit anima ignobilissima, ut hominis est acutissima. « Animarum, inquit, aliqua quidem est tardissima, et minus expressa, quæ generi piscium obvenit; aliqua vero acutissima, quæ hominis est. Quæ autem ambarum est intermedia, terrestribus et volucribus data est. Magis enim hæc sensilis, quam in piscibus; hebetior vero, quam quæ in hominibus. Quamobrem Deus inter animantes pisces primos condidit, magis corporis substantiæ, quam animæ participes, et quodammodo animalia et non animalia, ac mobilia inanima : atque ad ipsam solam corporis conservationem Deus illis indidit spiritum animalem, ceu (ut dicitur) sal carnibus inspergitur, ne facile putrescant. » Quocirca Ægyptii, teste Herodoto, piscibus quasi impuris et inquinatis abstinebant. Quin et cum nefas, inquinamentumque iidem significare volunt, piscem pingunt, quod pisces mutua carne vescantur, et inter se esca sint, ut Horus Ægyptius scribit. Sane præter Ægyptios, et Syros etiam piscibus abstinuisse legimus. Unde apud eos Atergatis dea celebratur, quæ interpretatur *sine pisce* : quippe Syrorum lingua, *ater* privativa est dictio, et *gatis* piscem significat.

Alias tamen gentes de thynno et de anguilla rem sacram fecisse tradit Athenæus, libro VII. Quin et M. Varro, libro III *Rei rusticæ*, de certis piscibus rem sacram apud Lydios fieri scribit.

Quartam causam dat Abulensis : « Voluit, inquit, Deus sibi immolari bovem, ne Hebræi putarent Apim, bovem Ægyptium, esse Deum; arietem, ne Hammonem Ægyptium, habentem cornua arietis, censerent esse Deum; hircum, quia dæmones culti ab Ægyptiis, hirci specie sæpe se videndos exhibebant, » uti etiamnum exhibent.

Hinc sequitur omnia animalia munda ad sacrificium, fuisse quoque munda ad cibum, potuisseque comedi : non tamen e converso. Nam cervus, pygargus, et cætera erant munda ad cibum et esum, ut patebit cap. XI, non tamen ad sacrificium; nec enim ea licebat immolare. Ita Abulensis (1).

(1) « Ad sacrificiorum naturam autem rite explicandam omnino tenuisse juvabit, primævos homines ea, quibus tanquam cibo uterentur, et quæ ipsis acceptissima essent, Deo ceu suo parenti in gratæ mentis testificationem in altari apposuisse. Hinc altare *Dei mensa*, sacrificium *Dei cibus* vocatur *Mal.* I, 12.... Quemadmodum primi mortales sua dona aut gratæ mentis signa ferebant e frugibus terræ, e lacte et primitiis (*Gen.* IV, 34) : ita et Moses sacra hæc ad priscam religionem revocaturus voluit Deo afferre nonnisi quæ ad cibum optima suoque in genere præstantissima essent, primitias et primitiva, ferta ex tritico purissimo et libamina e vino generosissimo, et ex animalibus tantummodo quædam, videlicet ex quadrupedibus (בהמה) boves, oves et capras, ex volatilibus tantum turtures et pullos columbarum, et hæc animalia non vitio quodam laborantia, nec morbo confecta, sed lectissima. Præterea animalia non decrepita, nec nimis tenera, non igitur infra octiduum offerenda erant; ea scilicet ætate esse debebant, qua ad cibum gratissima essent. Pisces autem nullos, nec gallinas aut gallos oblatos vidimus. Prisci videlicet mortales non videntur natatilia inter suas cupedias atque dapes retulisse. Nulla hujus cibi in annalibus Mosis ante Israelitarum exitum ex Ægypto mentio occurrit; nulla etiam inter Græcos ante Homeri tempora. Poetarum iste princeps plura heroum suorum convivia variasque dapes refert, at nunquam pisces; imo quemdam, Menelaum scilicet (*Odyss.* IV, 368, 369), de fame conquerentem sistit, quæ tanta fuerit, ut ad vitam suam sustentandam alimenta ex piscibus capere coactus esset. Ob eamdem causam credibile est, gallinaceum genus ad sacrificia non fuisse adhibitum. Hæc enim volatilia aut nullum, aut saltem non primum locum occupabant in veterum mensis. Certe in conviviis, de quibus scriptores sacri meminerunt, quæque, ut tum erant tempora, lauta celebravit prisca gens mortalium, appositas gallinas quoque fuisse, nusquam legimus. Quos Homerus cecinit heroes, quin ipsi luxuriosi Penelopes proci, nullas sibi epulas ex gallinaceo genere paravisse dicuntur. Tantum in summa inopia, laborantes fame comedebant

Ἰχθῦς, ὄρνιθάς τε, φίλας ὅ, τι χεῖρας ἵκοιτο,
. . . . . ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός,

pisces avesque, charas quodcumque in manus venisset,..... vexabat vero ventrem fames, Odyss. XII, 330, 331. » Hæc Rosenmullerus in *Excursu* I post *Scholia in Levit.*

Allegorica causa fuit, quia hæc animalia aptissime significabant Christum, qui est unica victima legis novæ, ad quam significandam præcipue erant instituta, *Hebr.* X, 1. Bos enim significabat Christi fortitudinem et labores; ovis, innocentiam; hædus, formam peccatoris; turtur, arctam cum Deo conjunctionem; pipiones sive pulli columbarum, mansuetudinem. Ita S. Cyrillus, lib. XV *De Adoratione in spiritu et veritate*, pag. 304, Procopius in cap. IV *Levit.*, et Beda hic. Allegorice, omnia victimæ significabant Christum, quomodo?

Idem significant hæc eadem tropologice; nam, ut ait Origenes, *hom.* 2 : « Offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ovem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigit (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, et iracundiæ tumore deposito, mitem intra te et simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem vel agnum puta); hædum offert, qui lasciviam superat; par turturum, qui mentem suam verbo Dei ut conjugi sociat; pullos, qui oculos columbinos sponsæ imitatur. » Ita et Isychius, et Radulphus. Tropologice.

Hinc Philo, lib. *De Victimis*, ait animalia hæc immolanda debuisse esse integra, illæsa partibus omnibus, vitiis nævisque carentia, ideoque sacerdotes solere ea diligenter ante immolationem scrutari, a capite ad pedes usque, ne unquam labem haberet victima : idque ut per hoc monerentur offerentes, nitidam et immaculatam in conspectu Dei producere animam, eamque cum victima sua Deo offerre.

3. SI HOLOCAUSTUM FUERIT EJUS OBLATIO. — Holocaustum vox Græca est, *q. d.* ὅλον καυστόν, id est, totum combustum, quod in eo tota victima Deo combureretur. Unde hebraice vocatur כליל *calil*, Vers. 3. Holocaustum quod, et unde dictum?

id est totum, vel consummatum, quia totum in Dei honorem igne consumebatur; vocatur et עולה *ola*, id est ascensio, quod in eo tota hostia per ignem et fumum ascenderet ad Deum. Hinc rursum græce vocatur ὁλοκάρπωμα, quod totum in Dei fructum cederet. Holocaustum ergo erat sacrificium Deo oblatum pure ad laudem Dei, et honorem supremæ majestatis ejus, atque amorem summæ bonitatis ejusdem, etsi ab ea nihil exspectaremus gratiæ, ait Philo.

In holocaustum tota victima excepta pelle crematabatur, cur?

Hac enim de causa in holocausto tota victima, excepta pelle, cremabatur, ut per hoc significaretur summum Dei dominium in res omnes, omniaque referenda ad ipsum, ipsiusque gloriam. *Secundo*, offerentes per hoc protestabantur se totos esse Dei, seque quasi cum holocausto totos Deo consecrabant, ut quasi corpore pessumdato, animum cum hostiæ suæ fumo in cœlum sustollerent, atque in Deum transferrent. Hic Gentiles Græci, si cœlestibus diis immolarent, ita caput victimæ statuebant, ut cœlum spectaret : si vero inferis, ut despiceret terram, ait Giraldus, *Syntag.* 17.

Nota *primo* : Victima holocausti debebat esse mascula et immaculata. Divites offerebant bovem, vel vitulum : alii qui vitulum habere non poterant, offerebant agnum aut hædum; denique pauperes, qui nec agnum nec hædum, offerebant turturem aut pullum columbæ. *Secundo*, debebat adduci ad ostium tabernaculi. *Tertio*, offe-

Ritus et ordo immolandi holocaustum.

rens imponebat capiti victimæ manus. *Quarto*, sacerdos eam mactabat et jugulabat, sanguinem phiala excipiebat, eumque fundebat per altaris circuitum, mox pellem detrahebat, deinde victimam in frusta concidebat, eaque altari imponebat, ac supposito igne et lignis comburebat. In hisce autem sacerdos sacrificans aliorum sacerdotum et Levitarum opera juvabatur; nec enim hæc omnia unus sacerdos præstare potuisset, præsertim cum simul multæ victimæ essent offerendæ.

Holocaustum tropologice quid et quotuplex?

Tropologice : Holocaustum, inquit Radulphus, efficitur qui corde et corpore jugiter divinis mancipatur obsequiis; estque triplex : *primo*, bovis, id est, corpore robustorum, qui labores suos fraternis substernunt commodis; *secundo*, ovium, id est eorum qui imbecilles corpore operum innocentia, et morum simplicitate alios pascunt; *tertio*, avium, id est eorum qui scientiæ et contemplationi vacant, ut Deum agnoscant; sic fere Isychius, et Rupertus qui primos comparat cum Job, secundos cum Noe: Noe enim inter peccatores effulsit innocentia; tertios cum Daniele mortalium sapientissimo. *Secundo*, apposite Ribera, lib. IV *De Templo*, cap. III, per holocaustum vituli accipit Christum, « qui, ut ait Paulus, tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam

Holocaustum vituli est

Deo, in odorem suavitatis. » *Secundo*, per holocaustum agni vel hædi, accipit oblationem et mortem Martyrum, quæ dignitate fuit proxima victimæ Christi. *Tertio*, per holocaustum turturis et columbæ accipit eos, qui per jugem carnis macerationem, et voluntatis abnegationem, se quasi hostias vivas Deo immolant, *Rom.* XII, 1.

Christus, agni sunt Martyres, turtures sunt continentes. Tropologia rituum holocausti.

Jam *primo*, hi omnes sunt masculi per fortitudinem, immaculati per sanctitatem. *Secundo*, Christus ad ostium tabernaculi, id est juxta et extra urbem, immolatus est. *Tertio*, Christus qui simul offerens est et victima (seipsum enim obtulit), Christus, inquam, offerens manus super caput hostiæ imposuit, quia peccata generis humani imposuit super caput suum, ait Origenes. *Quarto*, Christus offerendo se Patri, sanguinem fudit in circuitu altaris, id est crucis, ut sciremus omnes orbis terræ nationes participes fore crucis et sanguinis Christi; pellis detracta est hostiæ, cum vestibus omnibus spoliatus est Christus; artus in frusta sunt concisi, cum Christi corpus flagris et clavis concisum, in cruce ita distentum est, ut ossa suis locis emota sint, juxta illud *Psalm.* XXI : « Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea. » Ignis quo immolatus, et mystice crematus est Christus, fuit ignita ejus charitas; ligna, miseriæ nostræ, quæ ejus amorem excitarunt. De reliquis, puta de ove et avibus, dicam inferius suis locis.

DE ARMENTO, — de bobus. Ita habent Hebræa : aut vitulis; nam ii soli e majoribus animalibus immolabantur.

MASCULUM, — quia holocaustum erat nobilissimum sacrificium, quod directe Deo ad ejus honorem et laudem tantum offerebatur; unde nobilissimam decebat in eo adhiberi victimam; talis autem est mascula. Secus erat in sacrificio pacifico, quod pro salute alicujus offerebatur : in eo enim, utpote minus nobili, offerri poterat femina. Ita Abulensis.

IMMACULATUM OFFERET, — bovem, sive vitulum. Victimam immaculatam vocat, quæ nullas habet maculas, non coloris (bos enim maculosus, id est, nigro vel varicolori vellere, censebatur immaculatus, poteratque immolari), sed deformitatis et vitii : maculam enim hanc explicat *Levit.* XXII, 22, dicens : « Immaculatum offeret, ut ac-

Victima expers erat maculæ cujus?

ceptabile sit; omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, aut impetiginem; » et talis macula intelligitur *Cantic.* I, cum de sponsa dicitur : « Tota pulchra es, et macula non est in te. » Unde pro *immaculatum*, hebraice est תמים *tamim*, id est *perfectum*, ut vertit Aquila; et *integrum*, ut Symmachus. Has maculas perscrutari solebant sacerdotes, uti superius dixi ex Philone. Gentiles vero cornua victimæ inaurabant. Unde Ovidius :

Indutaque cornibus auro
Victima, vota facit,

et Virgilius :

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum;

ubi Servius : « Si minor, inquit, hostia esset immolanda, illius de fronde coronabatur, cui sacra fiebant, laneaque infula et candida vitta circumdata, ante aras nullo vinculo ligata sistebatur. »

Tres partes tabernaculi quasi tria templa.

OFFERET AD OSTIUM TABERNACULI TESTIMONII. — Dixi *Exodi* XXVI, tres fuisse partes tabernaculi et templi : *primam* intimam, scilicet Sanctum sanctorum; *secundam* ei conjunctam, scilicet Sanctum : hæ duæ proprie erant ipsa fabrica tabernaculi; *tertiam* extimam, videlicet atrium quoddam undique cingens tabernaculum; erantque hæc quasi tria tabernacula, primum pontificis, secundum sacerdotum, tertium laicorum : in hoc enim atrio, quasi in templo suo conveniebant laici, in eoque comedebant victimas pacificas.

Atrium tabernaculi duplex.

Porro atrium erat bipartitum : anterior enim pars erat atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum; posterior pars septo ab anteriore divisa, erat atrium laicorum. Laici ergo offerentes victimam in holocaustum, eam adducebant ad ostium tabernaculi, id est ad introitum atrii sacerdotum; ibi enim illi eam excipiebant, ducebantque ad altare holocaustorum, ubi eam immolabant : nec enim ad hoc altare, vel atrium sacerdotum ingredi poterant laici.

AD PLACANDUM SIBI DOMINUM. — Proprius holocausti finis erat colere et honorare Deum, non autem eum placare; hoc tamen ex illo sequebatur, etsi offerens nihil de placatione cogitaret. Hebraice est לרצונו *lirtsono*, quod recentiores vertunt, *secundum voluntatem suam*, *q. d.* Offeret id quod ei libuerit; sed melius *lirtsono* vertas, *ad favorem ejus* coram Domino, *q. d.* Offeret ad favorem Domini sibi conciliandum. Nomina enim et affixa Hebræorum sæpe passive capiuntur, juxta *Can.* 25; sic hic vocatur « favor ejus, » scilicet non qui faveat, sed cui faveatur, quod Noster vertit, *ad placandum sibi Dominum*; et Septuaginta, *acceptabile erit ei ad propitiandum pro eo*. Hinc sequitur :

Vers. 4. Victimæ offerens manum imponebat, cur? Prima causa.

4. PONETQUE MANUM SUPER CAPUT HOSTIÆ. — *Primo*, ut hoc ritu offerens significet se victimam e sua manu et potestate in Dei jus transferre. Simili cæremonia prisci Romani servis se abdicabant eosque manumittebant; nam tenentes caput, dicebant : « Hunc hominem liberum esse volo, » et mittebant eum manu sua. Unde et ea cæremonia adhibita est in oblatione et consecratione Levitarum, *Numer.* VIII, 19. *Secundo*, ut hac cæremonia significet offerens se peccata sua imprecari, et quasi imponere victimæ immolandæ, eamque pro se offerre; per manus enim significantur actiones et peccata, quæ manibus fiunt, ait Theodoretus et Eusebius, lib. I *Demonst. Evang.* cap. X. « Manuum impositio, ait Eusebius, symbolum oblationis erat, et testimonium reatus in hostiam translati. » Licet enim holocaustum primario offerretur ad honorem Dei, secundario tamen offerebatur pro peccatis ad placandum Deum, uti dixi. Sic Ægyptii Gentiles capiti victimæ imprecabantur, si quid forte esset, quod vel sacrificantibus, vel Ægypto nociturum esset, ut id omne in caput hoc converteretur : moxque caput victimæ resecabant, et in flumen abjiciebant, ut refert Giraldus, *Syntag.* 17. *Tertio*, ut hoc ritu significet offerens, se totum semetipsum cum victima in holocaustum offerre Deo, totumque se impendere velle Dei obsequio. His de causis et nostri sacerdotes in sacrificio Missæ, manus superponunt hostiæ, ut annotavit Durandus in *Rationali divinorum officiorum*, Suarez et alii.

Secunda. Tertia.

Hac eadem de causa sanxit Numa apud Romanos, « adorantem in orbem sese circumagere debere, » ut hoc gestu significet, in humanis nihil esse stabile, ideoque conveniens esse ut quocumque modo vitam nostram torqueat Deus atque revolvat, boni consulamus, inquit Plutarchus in *Numa*.

Fulgebat onyx in rationali dum sacrificabatur.

ET ACCEPTABILIS ERIT. — Hebraice est נירצה לו *nirtsa lo*, id est, *placebit*, vel *accepta erit ei* . scilicet Deo. *Secundo*, verti potest, *accepta erit pro eo*, scilicet offerente. Id signo externo ostendisse Deum docet Josephus, lib. III *Antiquit.* cap. IX : « Nam ex duobus, inquit, onychinis, qui in humeris pontificis positi erant, dexter micabat, quoties litabatur, eo fulgore ut procul etiam videretur. » Simili modo micasse lapides rationalis idem asseverat.

Calvini error, vetera Sacramenta justificasse æque ac nova.

IN EXPIATIONEM PROFICIENS (1). — Ex hoc loco, et ex cap. IV Calvinus infert, per hæc sacrificia vetera, modo sacramentali reconciliatos fuisse Israelitas, solutosque culpa et reatu in Dei judicio, sicut hodie abluimur et solvimur per baptismum. Hæc sententia sequitur ex alio principio Calvini, quo docet Sacramenta legis novæ non conferre gratiam ex opere operato, sed fidem quam Sacramenta excitant, gratiam conferre, at Sacramenta tantum esse sigilla gratiæ collatæ per fidem; quia ergo tam vetera quam nova Sacramenta et sacrificia non justificant nisi per fidem, quam pari modo excitant : hinc secundum Calvinum par est modus justificandi utrorumque.

Refellitur. Primo.

Verum hic est error manifestus, et clare repugnat S. Scripturæ, *Psal.* L, 18 : « Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis; » *Psal.* XXXIX, 7 : « Sacrificium et oblationem noluisti; » *Gal.* IV, 9 : « Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa? » ut expresse refutatur a Paulo, *Hebr.* X, 4 et seq. *Secundo*, hic error adversatur Concilio Florentino tract. *De Sacram.*, et damnatur a Tridentino, *sess.* VII, can. 2; idque merito, nam hæc hæresis ita legis novæ gratiam et Sacramenta extenuat, ut Judæos Christianis, et legem veterem novæ æquet, utque secundum eam tam optabile fuerit esse Judæum, quam Christianum, ut merito Hunnius

Secundo.

(1) Hebr. est, *ita ut ipsum* hominem *expiet* Jehovah; proprie *tegat eum*, scil. peccata ejus abscondat, aboleat et condonet.

et alii librum scripserint in Calvinum hoc titulo: *Calvinus judaizans*. Unde *tertio*, refellunt eum S. Clemens, lib. VI *Constit.* XXII; Irenæus, lib. IV, cap. XXXII; Hieronymus, in cap. V *Matth.*, et in *Isaiæ* cap. I et LX; Chrysostomus, hom. 9 *in Matth.*, et alii.

Tertio.

Objectio. Dices: Quomodo ergo hic dicitur vetus hostia proficere in expiationem?

Respondeo *primo*, quia valebat ad expiationem pœnæ temporalis, et ad punitionem hujus vitæ, quam Deus alias eis irrogasset, avertendam. *Secundo*, quia tollebat ex se immunditiem legalem sive carnis, qua censebantur immundi inter suos, et arcebantur sacris: quæ immunditia figura erat peccati; sic ergo hæc hostia conferebat justitiam quamdam legalem et externam, quæ figura erat veræ justitiæ et renovationis internæ. *Tertio*, quia auferebat culpam et pœnam æternam, non vi sacrificii aut ex opere operato (hoc enim ne sacrificio quidem legis novæ, sed tantum ejus Sacramentis concessum est), verum ex opere operantis, puta ex contritione et charitate offerentis: neque enim alia sacrificiis et Sacramentis veteribus annexa fuit spiritualis promissio.

Respon-sio.

Vers. 5. 5. IMMOLABITQUE VITULUM CORAM DOMINO. — « Immolabit, » offerens scilicet, per eum cujus est immolare, puta per sacerdotem, sive summum sive inferiorem; omnes enim et soli hi sacerdotes poterant sacrificare, uti et adolere thymiama, ut patet cap. X, vers. 1.

Victimæ jugulabantur expansæ in modum crucis, cur? Prima causa. Secunda. Tertia. Notat Vilalpando, lib. III *De Templo*, cap. XXXVII, pag. 232, tam Judæos, quam Gentiles victimas suas jugulasse expansas, videlicet divaricatis cruribus et toto earum corpore expanso; idque *primo*, quia talis expansio victimæ super lapidibus, demisso collo et erecto corpore, commoda erat ad faciliorem et copiosiorem sanguinis effusionem. *Secundo*, ut per hanc victimæ compositionem externam, significaretur internus offerentis animus quasi totus coram Deo effundi. *Tertio*, ut significaretur Christus, qui quasi victima expansus, mactatus est in cruce pro redemptione hominum; in qualibet ergo hostia ita distenta quasi in imagine viva repræsentabatur Christus crucifixus, et in cruce pari modo distentus.

VITULUM. — Hebraice, *filium bovis*; bovem quem vers. 3, offerri jussit, hic vocat vitulum. Bovem ergo Deus delegit aliisque prætulit, non annosum, sed juvenem, quia is tenerior et delicatior; optima enim Deo sunt offerenda. Hac de causa eumdem masculum et immaculatum esse voluit. Licet et alia mystica hujus rei, eaque potior fuerit causa, quam dat S. Cyrillus, lib. XV *De Adoratione in spiritu et veritate*, pag. 300, videlicet *primo*, quod masculus simul et immaculatus, juvenisque fuerit filius hominis, Emmanuel noster, hisce victimis præsignatus; in flore enim juventutis immolatus est Christus. *Secundo*, quod Deus a nobis requirat animum masculum, robustum, et a vitiis liberum; mollities enim et muliebris animus, atque interior mentis atque intellectus debilitas prorsus a Deo respuitur, ait Cyrillus. Sic et apud Ægyptios feminas immolare non licebat, teste Herodoto, lib. II. Ex adverso aliæ gentes feminas præferebant maribus in sacrificio, ait Servius in lib. VIII *Æneid.* Nota: In solo holocausto Deus requirit victimam masculam, quia hoc præcise offerebatur ad laudem et honorem Dei, qui cum perfectus sit, perfectam poscit victimam, ideoque masculam, qua ejus perfectionem protestemur et repræsentemus, inquit Abulensis. Quare in sacrificio pacifico victima poterat esse femina, ut patet cap. III, 1. Idem videtur de hostia pro peccato. Nam, cap. IV, lex non requirit in eo hostiam masculam. Ita Radulphus et Abulensis.

Vitulus signat Christi juventam. Masculus animus Deo offerendus, quia mollis et muliebris ei displicet.

CORAM DOMINO, — coram altari et tabernaculo ubi singulariter præsens est Deus, auditque vota, et sacrificia offerentium excipit. Ex hoc loco, et clarius ex vers. 11, ubi dicitur: « Immolabitque ad latus altaris, » colligitur animalia non fuisse jugulata super altare, sed juxta illud, sive ad latus ejus; altare enim igne erat plenum, neque potuisset sacerdos elevare bovem super altare tam altum. Unde et aspergebatur altare sanguine victimæ, postquam illa alibi esset immolata; membra vero victimæ jugulatæ concisa imponebat sacerdos super altare, ut in eo cremarentur. Ita Abulensis.

Occidebatur victima non supra altare, sed juxta, cur?

ET OFFERENT FILII AARON SACERDOTES SANGUINEM EJUS, FUNDENTES PER ALTARIS CIRCUITUM. — « Filii Aaron » vocantur hic quilibet sacerdotes, qui sacerdoti sacrificanti ministrant, etsi alioqui illi dignitate pares sint: tunc enim non erant alii sacerdotes, qui Aaroni pontifici sacrificanti ministrarent, quam ejus filii. Sola enim familia Aaron a Deo electa et evecta est ad sacerdotium.

SANGUINEM EJUS FUNDENTES. — Nam, ut ait Apostolus, *Hebr.* IX, 22, « sine sanguinis effusione non fit remissio. » Holocaustum autem secundario ad remissionem peccatorum referebatur. Itaque quia peccata faciebant homines dignos morte et sanguinis effusione: anima enim, id est vita, consistit in sanguine, *Levit.* XVII, 14: hinc ipsi vice sanguinis sui, fundebant sanguinem victimarum, in quas manuum impositione, sua peccata protestando quasi transtulerant; fundebantque sanguinem circa altare, quia Deus altari repræsentabatur. Unde hoc signo se ei offerri sanguinem bestiæ pro suo testabantur, petentes ut eum loco proprii reciperet Deus, eoque tanquam peccatoris, et hostis sui supplicio justæ ejus vindictæ satisfieret. Vide cap. XVII, vers. 11, et Abulensem cap. III, *Quæst.* III.

Miraculo exhalabat sanguis victimarum.

Censet Abulensis per miraculum continuum omnem sanguinem victimarum mox exhalasse, idque ad decentiam et reverentiam sacrificiorum; alioqui enim intolerabilem fœtorem induxisset, præsertim cum multæ victimæ simul mactaban-

tur. Huic incommodo occurrit Salomon in templo suo: fecit enim piscinas, meatus et canales subterraneos, per quos sanguis emitteretur, et aqua superfusa abstergeretur, uti testatur Aristæas, tractat. *De Septuaginta et duo Interpret.*

Vers. 6. 6. DETRACTAQUE PELLE HOSTIÆ. — Pellis detrahebatur, tum ob munditiam sacrificii, tum quia sacrificium erat quasi cibus Dei. Pellis autem comedi non solet. Excipe vitulam rufam, et sacrificia pro peccato, in quibus comburebatur pellis, fimus et cornua victimæ extra castra; idque ad indicandam et inducendam peccati detestationem, de quo cap. IV. Porro sacerdotum erat detrahere pellem; unde et pellis sacerdoti cedebat, ut patet cap. VIII, 7. Intellige, nisi necessitas urgeret : tunc enim etiam Levitæ huic excoriationi serviebant, ut patet II *Paral.* XIX, 34. Ita Cajetanus, Oleaster et alii.

ARTUS IN FRUSTA CONCIDENT. — Hebraice, *et incidet* (scilicet sacerdos) *eam juxta incisiones*, vel *partes suas;* et Septuaginta, μελιοῦσιν αὐτὸ μετὰ μέλη, *concident eam membratim*. Josephus addit frusta hæc sale fuisse conspersa, itaque aræ imposita.

Symbolice, hac membrorum concisione significabatur, ait Philo, quod oporteat Deum laudare, eique gratias agere pro cœlo, sole, luna, terra, mari, aere, et omnibus universi partibus.

Orbis est quasi integra Dei victima. Hæ enim sunt quasi frusta et membra orbis, qui est quasi integra Dei victima.

Tropologice, diligenter inspicitur unumquodque membrum ejus, qui Deo dicatus est a sermone Dei, qui pertingit usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum et medullarum, cui omnia nuda et aperta sunt, inquit Procopius, Radulphus, et S. Gregorius, lib. I *Moral.* cap. ult. « Pellem, inquit Gregorius, hostiæ detrahimus, cum a mentis nostræ oculis superficiem virtutis amovemus; cujus artus in frusta concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima membratimque cogitamus, » etc.

Vers. 7. 7. SUBJICIENT IN ALTARI IGNEM, — facient ut ignis sit subjectus; ergo in primo sacrificio subdent ignem, quem postea jugiter fovebunt sub altari, ut dicetur cap. VI, vers. 13.

Nota τὸ *in altari*, id est *sub altari*. Altare enim erat cavum interius ad ignem et ligna recipienda, ut dixi *Exod.* XXVII, 8; sed tegebatur craticula cancellata instar retis, cui victimæ comburendæ imponebantur, ut patet ibidem vers. 4. Hebraice est, *dabunt super*, vel *ad altare ignem*. Unde infert Abulensis ignem et ligna non fuisse sub, sed super altare. Verum respondeo: « Dabunt ignem ad altare, » id est ad locum sub altari constitutum, vel *super altare*, ut vertunt Septuaginta, id est super partem altaris internam, puta super lapides a terra elevatos, qui pertingebant ad medium altaris interius, quibus foculus cum igne et lignis imponebatur.

Altare dicitur Hinc *altare* dictum est quasi *alta ara*, ait Isidorus, lib. XV *Origin.* cap. XIV; *ara* vero dicta est ab ardendo, quod in ea arderent victimæ. Ara, inquit Varro, dicitur quod areæ in urbe puræ sint; vel ab ardore victimarum. Alii aras putant a precationibus, quas Græci ἀρὰς vocant. quasi alta ara: ara, ab ardore victimarum.

Vers. 8. 8. CAPUT VIDELICET, ET CUNCTA QUÆ ADHÆRENT JECORI. — Nominat partes de quibus poterat esse dubium; nam de reliqua carne manifestum est, eam omnem in holocausto comburi debuisse, patet ex Septuaginta, Hebræo et Chaldæo (1).

Mystice, maxime Deo offerre debemus partes vitales, caput et jecur, id est intellectum et affectum; jecur enim est sedes amoris. Hinc Gentiles, putantes singulas in homine partes et membra singulos deos obtinere, Jovi caput, Minervæ oculos, Junoni brachia, Neptuno pectus, Marti lumbos et cingulum, Veneri renes et inguina, Mercurio pedes attribuerunt, uti ex Democrito et Placiade docet Giraldus, *Syntagm.* 1.

Vers. 9. 9. IN HOLOCAUSTUM ET SUAVEM ODOREM DOMINO. — Anthropopathῶς hoc de Deo dicitur. Sensus est, ut Chaldæus vertit, *holocausti oblatio est, quæ suscipitur cum beneplacito coram Domino*. Unde pro *odorem suavem*, vel *suavitatis*, hebraice est *odorem quietis*, in quo scilicet suaviter quiescit et delectatur Deus, tanquam in sacrificio sibi accepto. Abulensis, uti sanguinis, ita carnium nidorem et fœtorem censet divinitus fuisse sublatum, eisque inditum fuisse suavem odorem; alioquin enim in continuis sacrificiis fuisset gravissimus odor, et intolerabilis fœtor. Miraculo nidor victimarum sublatus.

Tropologiam omnium jam dictorum affert Radulphus: Altare, inquit, est cor nostrum; ligna sunt sanctæ cogitationes; offertur hostia ad ostium tabernaculi, id est, ad et prope ingressum cœli; manus impositio est devotio offerentis; sanguinis effusio est parvarum cupiditatum expulsio; pellis detractio est interioris voluntatis examen; membrorum concisio est operum charitatis discreta distributio; ignis est charitas; caput est operis intentio; intestina, id est animæ interiora, et pedes, id est actiones externæ, lavanda et purganda sunt, ut victimæ simus dignæ Deo. Hæc tropologia servit quoque holocausto ovium, avium, aliisque sacrificiis, ideoque eam deinceps in aliis non repetam. Tropologia totius immolationis.

Vers. 10. 10. QUOD SI DE PECORIBUS OBLATIO EST. — *Pecora* vocat pecudes, sive greges ovium et caprarum; has enim significat Hebræum צאן *tson*. Transit enim hic Moses a prima specie holocausti, puta a bobus, ad secundam, scilicet ad oves et capras.

(1) Hebræum sic vertas, *et ordinent filii Aaron sacerdotes frusta* (porricias, quo vocabulo Romani appellabant partes victimæ quæ adolebantur, ut viscera) *et adipem* (a carne sejunctum, ait Bochartus; alii, jecori adhærentem : qui adeps capiti, pectori et membris superponebatur, ne tabes et sanguis ex illis effluens flammam extingueret, sed eam potius aleret. Cf. *Iliad.* II, 423), *super ligna*, etc.

AGNUM MASCULUM ABSQUE MACULA OFFERET. — Pro *masculum* Biblia Plantiniana habent *anniculum*, Verum legendum esse *masculum*, patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta et Romanis. Et licet Josephus dicat: « Agnum et hædum anniculos, bovem vero licet mactare etiam grandiorem; » tamen Scriptura et lex divina nil tale habet: forte Judæi interpretati sunt talem oportere esse agnum in holocausto, qualis erat paschalis, qui debebat esse anniculus, *Exodi* XII, 5.

Vers. 11. 11. IMMOLABITQUE AD LATUS ALTARIS QUOD RESPICIT AD AQUILONEM. — Jussit id Deus ad hoc, ut mactatio et immolatio hæc fieret coram ostio tabernaculi, sive Sancti, quod erat quasi templum et domus Dei. Nam altare holocaustorum erat ostio huic ad Meridiem; ergo ut immolatio fieret coram ostio, debebat eadem fieri ad latus Aquilonare altaris. Ita Isychius. Causam allegoricam dat S. Cyrillus, lib. XVI *De Adoratione*, scilicet ut significaretur Christi passionem Gentibus profuturam; quia enim Judæa erat ad Austrum, hinc Gentes Judæis oppositæ per Aquilonem significantur.

SANGUINEM VERO ILLIUS FUNDENT SUPER ALTARE, — super latera altaris, seu super parietes altaris circumcirca, ut dixit vers. 5; nam si super craticulam reticulatam fusus fuisset sanguis, extinxisset ignem illi subjectum.

Vers. 12. 12. ET PONENT SUPER LIGNA, — vel immediate, vel mediante craticula, uti dixi *Exodi* XXVII, 4.

Tropologice, Ribera hæc omnia quæ spectant holocaustum ovium, sigillatim adaptat Martyribus. Vide eum lib. IV *De Templo*, cap. III.

Exempla Martyrum, qui se Deo obtulerunt in holocaustum.

Talis ovis, imo aries gregis et Martyrum Christi fuit S. Polycarpus, qui cum in stadium martyrii ingrederetur, vox cœlitus audita est : « Confortare, Polycarpe, ac vir esto. » Quocirca constanter pro fide Christi decertans coram Præside, ab eo damnatus ductusque ad rogum, « manibusque post tergum ligatis, instar insignis arietis, holocaustum Deo omnipotenti acceptum obtulit, dicens : Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem cognitionem tui accepimus, Deus angelorum ac virtutum, omnisque creaturæ et omnis generis justorum, qui vivunt coram te, tibi gratias ago, quod hac me die et hora dignatus es, ut partem accipiam in numero Martyrum, in poculo Christi, ad resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul et corporis, in incorruptione Spiritus Sancti : in quibus suscipiar in conspectu tuo hodie in sacrificio pingui et accepto, sicut præparasti, jam antea patefecisti, et adimplesti, qui mentiri nescis, Deus verax. Quapropter et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per æternum Pontificem Jesum Christum Filium tuum dilectum, per quem tibi una cum ipso et Spiritu Sancto, sit gloria nunc et in futuris sæculorum sæculis. Amen. » Ita narrant Smyrnenses oculati testes, apud Eusebium, lib. IV *Historiæ*, cap. XV. Vis non unum, sed plures?

Imperante Diocletiano Christiani Nicomediæ in templum die Christi natali convenerant; tyrannus misit eo qui templum clauderent, et ignem circumcirca accenderent. Mox per præconem proclamari jussit, ut qui vivere vellet, ex templo exiret, et in proxima Jovis ara thura adoleret; alioqui nisi hoc fecisset, cum templo conflagraturus. Tum vero unus e templo pro omnibus libere respondit : « Omnes nos Christiani sumus, unum eumque solum Deum et regem credimus esse Christum; et ipsi, Patrique ejus, et Spiritui Sancto sacrificare, atque nos omnes una offerre parati sumus. » Vix hæc ille dixerat, cum ignis succenditur, qui quasi in momento templum omne complexus, illos omnes (erant autem viginti hominum millia) quasi holocausta combussit, et in cinerem redegit, uti refert Nicephorus, lib. VII *Hist.* cap. VI. Audi et tres pueros martyres in camino ignis : « Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, » Domine, *Daniel.* III, 40. Audi et heroinam inter feminas.

Illustris fuit matrona et Martyr sub Dunaan tyranno Homeritarum, quæ cum ei blasphemiam et perjurium exprobrasset, ab eo audivit : Ego te, audacissima mulier, discerpam, et canibus devorandam tradam; videbo an Nazarenus tuus possit tibi auxiliari. Quæ verba non ferens prima filiarum Martyris, annum jam agens duodecimum, tyranni oculos consputavit : mox astantes tyranno eam cum sorore ense confodiunt, sanguinemque matri offerunt. Illa vero eum gustans, et in cœlum suspiciens : « Tibi, inquit, Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, et tibi Martyres exhibeo castas virgines, quæ egressæ sunt ex utero meo, cum quibus quoque me connumeratam introduc in tuum thalamum, et, ut dicit divinus David, ostende matrem propter filias lætantem. » Quare rex eam ad mortem damnavit. Ita ex Procopio narrat Baronius anno Christi 522, pag. 91.

Denique S. Ambrosius jussus a Justina et Valentiniano ejus filio Imperatore ecclesiam tradere Arianis, recusavit, dicens : « Quæ Dei sunt, imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite; si corpus, accurrite; vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est: non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo. » Vide eum epist. *ad Marcellinam sororem.*

14. SI AUTEM DE AVIBUS HOLOCAUSTI OBLATIO FUERIT DOMINO, DE TURTURIBUS AUT PULLIS COLUMBÆ. — Vers. 14. Est hæc tertia species holocausti, scilicet avium, puta turturum, vel pullorum columbarum. Turtures enim majores selegit Deus, quia hi sunt meliores : ex columbis vero selegit pullos, quia in columbis pulli sunt meliores et pinguiores. Ita Philo. Adde columbas majores cæteris avibus esse

salaciores; singulis enim mensibus generant. Ita Theodoretus.

Nota : Ab Hebræo *tor* geminato dicitur *turtur*. Sic ab Hebræo *rab* Chaldaice *rabrabbim* vocantur principes. Sic a Syro *bar*, id est *extra*, geminato, dicitur *barbar* sive *barbarus*.

Hoc erat holocaustum pauperum, ut patet *Levit.* cap. XII, vers. 8. Unde *Numer.* cap. VII, ubi principum victimæ enumerantur, nullæ memorantur aves.

Mystice turtures et columbæ sunt Confessores et Virgines.

Tropologice, Ribera tertium holocaustum avium ait significare Confessores et Virgines, qui per carnis macerationem et mundi contemptum, per scientiam et contemplationem, perque orationem in cœlum evolant. « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » inquit Psaltes, *Psal.* LIV: columba enim velocis ac diuturni volatus est; rursum fecunda est, mansueta et felle carens. Turtur castitatem et solitudinem amat, et gemit. Unde Poeta :

Nec gemere aerea cessabit turtur ab ulmo.

Sic justi volant celeriter, nec labore defatigantur, et fecunditatem bonorum operum habent, mansueti sunt, felle carent, vicem injuriis referre nesciunt, castitatis studiosi sunt, solitudinem ad orationem et ad vacandum Deo quærunt : pro cantu gemitum edunt, quia dum alii lætantur in suis voluptatibus, ipsi pœnitentiæ gemitibus sua et aliorum peccata deflent; de quibus dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » Hoc est quod ait S. Hieronymus in *Psalm.* XCV : « Virginitas hostia Christi est. » Et S. Ignatius, epist. *ad Tharsenses*, virgines vocat sacerdotes Christi : « Eas, inquit, quæ in virginitate degunt, in pretio habete, tanquam Christi sacerdotes. »

Virgo est holocaustum et sacerdos Christi.

Vers. 15. 15. RETORTO AD COLLUM CAPITE, AC RUPTO VULNERIS LOCO. — Hinc apparet *primo*, in holocausto non amputatum, sed retortum fuisse collum turturis; *secundo*, illud ipsum non ferro vel cultro, sed ungue apertum fuisse. Ita Abulensis, Ribera et Vatablus.

Allegorice. Allegorice S. Gregorius, homil. 1 *in Ezech.* : « Caput, inquit, turturis incisum olim inhæsit corpori : quia pro nobis quidem passus est Christus, sed a nobis per passionem separatus non est, quin imo nos sibi conjunxit. »

Tropologice. Tropologice, a voluptate carnis mens sublimis incisa sit oportet, et tamen non sit abscissa; fovere enim carnem debemus ut vivat, non ut luxu diffluat. Ita idem Gregorius.

Vers. 15. 15. DECURRERE FACIET SANGUINEM SUPER CREPIDINEM ALTARIS, — id est, super summitatem parietum, ut inde ad terram decurrat. Unde hebraice est, *super parietem altaris* (1).

Vers. 16. 16. VESICULAM VERO GUTTURIS, ET PLUMAS PROJICIET PROPE ALTARE, AD ORIENTALEM PLAGAM, IN LOCO IN QUO CINERES EFFUNDI SOLET. — Pro *vesiculam* hebraice est מראה *mura*, quod Vatablus vertit *ventriculum* (2).

Verum tam Septuaginta quam Chaldæus et Noster vertunt, *vesiculam gutturis;* ita et Theodotion, qui vertit φύσαν, id est *folliculum;* et Aquila, qui vertit σιτίζουσαν, id est *alimentarem partem*, quæ recipit cibum, eumque reliquis corporis partibus suppeditat. Hinc Septuaginta vertunt πρόλοβον; πρόλοβος dicitur hæc vesicula gutturis, ἀπὸ τοῦ λοβοῦ, id est a sinu sive folliculo, qui primus cibum a gutture comestum excipit.

Theodoretus pro πρόλοβον legit πρόβολον. Πρόβολος, inquit, dicitur hæc vesica, quasi προλαμβάνουσα τὴν τροφήν, id est, quæ prima cibum assumit. Eadem hebraice dicitur *mura*, quasi *conspicua*, a rad. ראה *raa*, id est *vidit* : est enim hæc vesica gutturis protensa omnibus conspicua.

Cur vesica et plumæ abjiciuntur?

Quæres, cur in holocausto avium, vesicula gutturis et plumæ non fuerunt crematæ in altari cum ipsa ave?

Respondet R. Salomon : Quia aves, inquit, plumis volant ad segetes alienas, easque rapiunt et vastant; quia ergo plumæ sunt rapiendi instrumentum, hinc noluit eas Deus sibi adoleri : Deo enim non placent oblationes de rapina. Sed hac ratione nec rostrum, nec pedes, nec stomachus avium debuisset cremari.

Dico ergo : Noluit Deus sibi adoleri vesicam gutturis, quia immunda est; nec plumas, quia hæ non comeduntur, ideoque sacrificio, quod est quasi cibus Dei, inutiles sunt; voluit itaque ea projici in locum juxta altare, in quo cineres servabantur : sacri enim censebantur, quia ex sacris carnibus supererant. In eodem loco vesica hæc, et plumæ turturis comburebantur, eorumque cineres a sacerdote extra castra efferebantur, ut patet *Levit.* VI, 11. Ita Abulensis, Ribera et alii.

Tropologice Doctoribus abjicienda est vesica, id est tumor, et plumæ, id est levitas et curiositas. Secundo, vesica est ingluvies.

Tropologice, in avibus, id est in scientia et contemplatione doctorum et sanctorum, abjicienda est vesica, id est tumor et fastus. Item plumæ, id est levitas et curiosa superfluorum inquisitio; mensque defigenda est in pulverem et cinerem ex quo orti et in quem reversuri sumus. Ita Isychius et Radulphus.

Aptius S. Cyrillus, lib. XVI *De Adorat.* fol. 324, et Ribera, per vesicam gutturis accipiunt ventris ingluviem; cibi enim voluptas non sentitur, nisi in ore et in hac vesica gutturis; cum eam transiit cibus, transiit et voluptas. Unde Philoxenus op-

(1) Vers. 15. Hebr. est, *offerat eam sacerdos ad altare, ejusque caput ungue elidat; tum incensum adolebit in altari, et guttatim exprimet sanguinem super parietem* seu latus *aræ.*

(2) Schrœderus vertit, *amovebit ventriculum ejus cum sordibus ejus.* מראה enim deducit a rad. *marah, cibum concoxit*, ut מראה designet viscera, quæ cibo concoquendo et digerendo inserviunt. צואתה vero oritur a צוא, quæ vox propriam *emicandi* notionem ad *sordium excretionem* transfert. Maurer, *et amoveat ingluviem ejus* (avis) *in sordibus ejus* (ingluviei), id est, ingluviem ejus sordidam צוא *sordes* fortasse est part. N. יצא, pro נוצא, *quod excernitur, excrementum.*

Philoxenus optabat sibi collum gruis.

tabat sibi collum et guttur gruis, ut longius et diutius cibi voluptatem sentiret. Hæc ergo quasi immunda, et peccatorum stercora conservans, projicienda est sapientiæ studiosis. Plumæ molles significant vestes pretiosas et delicatas, quas abjicere debet qui holocaustum Dei fieri vult. Ita fecit S. Joannes Baptista, *Matth.* III, 4.

AD ORIENTALEM PLAGAM, —id est versus atrium, non autem versus tabernaculum sive Sanctum. Has enim sordes versus Sanctum projici, indecens plane fuisset; id ita esse patet ex eo quod altare erat ad Orientem tabernaculo sive Sancto: erat enim ante tabernaculum, sive inter tabernaculum et inter ingressum in atrium. Atrii autem introitus erat ad Orientem, uti Moses dixit *Exodi* cap. XXVII, vers. 13. Ut ergo hæ sordes projicerentur versus introitum in atrium, non autem versus Sanctum, debebant projici versus Orientem.

Vers. 17. 17. CONFRINGETQUE ASCELLAS EJUS. — Hebraice, *et scindat*, vel *findat illam in alis suis, et non separabit, q. d.* Alas ejus ita findat sive confringat, ut tamen eas non resecet, aut abrumpat. Ita Oleaster, Cajetanus et Vatablus.

Cujus rei litteralis ratio est congrua compositio victimæ; sic enim confringuntur et intorquentur ascellæ nostrorum altilium, dum assantur vel lixantur.

Ascellas confringere mystice quid?

Tropologica causa est, ut significetur virtutem altæ et sublimis scientiæ et contemplationis, non omnino resecandam, findendam tamen eam, itaque retorquendam et reprimendam esse, ut altiora non præsumat, suæ infirmitatis semper memor. Ita Radulphus: « Ascellas, inquit, frangere est acumen ingenii, non sibi tribuere, sed sub divino munere humiliter infirmitatem propriam cogitare. »

HOLOCAUSTUM EST ET OBLATIO. — Hebraice, *holocaustum est et ignitio*, id est ignita oblatio, qua totum per ignem pure in honorem Dei consumitur, ideoque suavissimi odoris est; et summe Deo placens.

Moral. de silentio et religione in sacris.

Quare tam sacerdotes quam populus, mira religione et silentio hisce sacrificiis aderant, uti testatur Aristæas, lib. *De* LXXII *Interpretibus*. Sic apud Romanos Numa sanxit, ut sacrificia præco ingenti voce præcedens clamaret: « Hoc age, » animos scilicet sacrificio adhiberi jubens. Atque, ut scribit Cicero, lib. I *De Divin.*, et Seneca, lib. *De Vita Beata*, clamando: « Favete linguis, » indicebatur silentium, ut rite perageretur sacrificium, nulla mala voce obstrepente. Quid nunc faciant nostri sacerdotes et Christiani? cum et Virgilius poeta indicat *fida silentia sacris*, et mysteria a μύειν τὸ στόμα, id est ab occludendo ore, sint dicta.

Audiant in ecclesia garruli, audiant immodesti S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.*: « Estne quidquam, inquit, indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? circumsonare Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis reverentiam tacendo referant? unde illud exemplum proditur: Alexandro Macedonum rege sacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumina accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret. Atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. » Deinde aliud fidelium affert exemplum. « Frequens, inquit, sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi; tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? »

Si cœlum est templum, ut S. Chrysostomus ait, vide quid in cœlo agant angeli. In ipso templo hæc audis, si sacro ausoultas: « Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates; cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. » Id ipsum et tu in templo age, lauda, ora Deum, juxta illud *Psal.* XXVIII: « In templo ejus omnes dicent gloriam; » et *Psal.* LXIV: « Te decet hymnus Deus in Sion, » id est *in templo*, hebr. est, *tibi silentium est laus, o Deus, in Sion.* Silentium enim laus est quædam, tum interna animi Deum venerantis, tum externa, quia alios excitat ad Dei laudem, dum in sacris vident tantam modestiam et religionem.

S. Cyprianus, lib. *De Orat. Domini*: « Sacerdos, inquit, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda. Et dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur se nihil aliud quam Deum cogitare debere. »

B. Cassius Narniensis episcopus quotidie cum lacrymis Missam celebrans, a Deo per visionem cujusdam presbyteri audivit: « Age quod agis, operare quod operaris. » Dicat ergo sibi sacerdos: « Ad quod venisti, hoc age; » dicat idem populus assistens.

Præparatio ad sacrificium.

Ob hanc sacrificiorum religionem et reverentiam, sacerdotes sacrificaturi ad ea se præparare debebant: *Primo*, purificando se, et lavando se aqua cinerali vitulæ rufæ, de qua *Numer.* XIX, si essent immundi. Idem fecerunt Gentiles. Unde Æneas sacrificare noluit: « Donec me flumine vivo abluero, » inquit ipse, *Æneid.* II. *Secundo*, abstinendo a vino et omni potu qui inebriare potest, juxta legem *Levit.* X, 8. Sic apud Gentiles, initiandi sacris Isidis per decem dies carnibus et vino abstinebant. *Tertio*, abstinendo ab usu conjugii omnique libidine: « Plus placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quam cantus clericorum luxuriantium; » ait S. Augustinus. Sic Numa Pompilius, cum pro frugibus sacrificaret, esu carnium et venere abs-

Primo.

Secundo.

Tertio.

tinebat. Constat sacerdotes Matris deorum Samia testa sibi virilia amputasse, atque illos qui maxima sacra obibant, ut in casta religione manerent, et procul a contagio mulierum vitam agerent, herbis quibusdam se evirasse, ut toti deo rebusque divinis intenderent. Hinc illa sanctio : « Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento; qui secus faxit, Deus vindex erit. » Hinc Agesilaus rex aiebat, « deos non minus religiosis operibus, quam castis sacrificiis delectari. » Hierophantæ Atheniensium post sacerdotium, ut caste sancteque sacrum facerent, cicutæ sorbitione se castrabant. Ægyptii sacerdotes negotiis omissis, mulieribus nunquam indulgebant, carnibus et vino abstinebant. Gymnosophistæ ita erant continentes, ut pomis solum, oriza et farina alerentur. Quin etiam ab antiquis observatum invenimus, eum qui rem divinam facturus esset, ad suas levandas culpas, se imprimis reum dicere solitum, et noxæ pœnituisse, et admissa fassum, vultusque submisisse, et ad
Quarto. omnem modestiam finxisse. *Quarto*, nudis pedibus ad sacrificia accedebant, iisque æque ac manibus lotis, ut dixi *Exodi* XXX, 19. Insuper pura et religiosa veste induebantur. Idem imitati sunt Gentiles. Audi Platonem : « In sacrificiis pulchra veste, aureisque coronis ornatus sacerdos rem divinam facit. » Eratque in pura veste et candida, plerumque in textili tela, nonnunquam in purpura et auro. Triumphales viri et qui magistratum gesserant, in triumphi ornatu, aut in prætexta, lotis manibus, et fronde coronati, sancti et venerabiles nudis pedibus adorabant et sacrificabant, teste Plutarcho. Addit Virgilius :

Fontemque ignemque ferebant
Velati lino, et verbena tempora vincti.

Sic et Ægyptii sacerdotes vocabantur erantque linigeri. Apud Græcos sacerdos sacrificaturus præfabatur : « Quis hic? » qui sacris intererant respondebant : Πολλοὶ καὶ ἀγαθοί, id est *multi et boni*. Unde Virgilius :

Procul hinc, procul este profani.

Porro inter sacrificandum Levitæ canebant et ludebant organis, cymbalis, psalteriis, etc. Sic apud Gentiles tibicines et citharœdi sacrificiis præcinebant, mox sacerdos Romanus lanea infula velatus, et fronde coronatus, puraque veste indutus, aram manibus tenens, mane, versus ad Orientem, meditato carmine, priscisque verbis, numina precabatur, votaque effundebat, quam precem ter repetebat. Deinde se ad dexteram volvebat et circumvertebat, manumque ori admovebat, ac sedebat, velut diis ratas preces habentibus : tum setas inter cornua victimæ excerpens in ignem mittebat; ac tandem obliquum cultrum ferreum a fronte ad caudam victimæ ducebat, et se ad Orientem vertebat. Interim alii vasa cadenti hostiæ supponebant, ut cruorem exciperent, quæ σφάγεια dicebantur; alii victimam decoriabant : mox aruspex, flamen, aut sacerdos cultro ferreo viscera et exta rimabatur, et extispicium faciebat, id est per exta deos consulebat, et an perlitatum esset attente explorabat; et tunc exta reddi dicebantur, cum probata aræ supponebantur. *Prima* enim sacrificii pars erat libare, *secunda* immolare, *tertia* reddere, *quarta* litare. Litare enim erat rite sacrificare et impetrare. Exta vero vocabant, quæ in victimis interiora extant, ut cor, pulmo, lien, jecur. Extis porro inspectis, ex omni viscere et membro primitias partesque desectas farina farris involvebant, et in calathis sacrificanti offerebant; et tunc hostia perfecta dicebatur : has sacerdos aris imponens accensis, igne comburebat, addito thure, costo aliisque odoramentis. Ex reliquis autem hostiæ partibus cœnam apparabant, quibus vescebantur ii qui sacris interfuerant : licebat et ad domesticos portiunculam afferre, extraneos adhibere erat nefas : vescebantur vero stantes, cum panibus rotundis, in deorum honorem adhibitis. Inter vescendum canebant laudes et hymnos diis, quibus sacrificatum erat, quod apud Virgilium de Hercule diligenter observatum videmus. Re divina peracta, sacerdos proclamabat : *Ilicet*, *q. d.* Abire licet. Græcis vero et Ægyptiis, teste Apuleio, concinebatur, λαοῖς ἄφεσις, hoc est, *populis missio*. Sic Christiani, sacrificio peracto, audiunt : *Ite, Missa est.* Hæc omnia fuse tradit Giraldus, *Syntag.* 17.

Ritus sacrificandi apud Romanos.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur secunda species sacrificii, scilicet mincha, id est sacrificium farreum, illudque triplex : scilicet primo similæ, vers. 1; *secundo panum, illudque rursum triplex : scilicet panum clibani, sartaginis, et craticulæ, vers.* 4; *tertio spicarum, vers.* 14.

1. Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, et ponet thus, 2. ac deferet ad filios Aaron sacerdotes : quorum

unus tollet pugillum plenum simile et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino; 3. quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. 4. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita. 5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento, 6. divides eam minutatim, et fundes super eam oleum. 7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: 8. quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis. 9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare in odorem suavitatis Domino; 10. quidquid autem reliquum est, erit Aaron, et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino. 12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera; super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. 13. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. 14. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, 15. fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est. 16. De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, et olei, ac totum thus.

Vers. 1. 1. ANIMA CUM OBTULERIT OBLATIONEM SACRIFICII DOMINO, SIMILA ERIT EJUS OBLATIO. — « Anima, » id est *homo* per synecdochen. Ita capitur anima cap. IV et V, et sæpe alibi. Simili figura *caro*, quæ est altera pars hominis, sæpe totum hominem significat, ut *Genes.* cap. VI: « Omnis caro, » id est homo, « corruperat viam suam. » *Joannis* I, 14: « Verbum caro, » id est homo, « factum est. » *Isaiæ* XL, 5 et 6: « Omnis caro, » id est homo, « fœnum. » Ubi nota Scripturam uti nomine *animæ*, cum actuum animæ, vel dignitatis humanæ habetur ratio; *carnis*, vero, cum hominis vilitatem spectat.

Mincha est sacrificium ex simila aut pane. OBLATIONEM SACRIFICII. — Hebraice est, oblationem *mincha*, quod Aquila, teste Isychio in cap. X, vertit, *donum de frumento;* Vatablus vertit, *sacrificium cibarium*; Andreas Masius in cap. XXII *Josue*, vers. 23, vertit, *fertum*. *Mincha* enim Hebræis proprie est sacrificium, quod ex farre aut simila fit, sive pura simila sit, sive cocta clibano, sartagine aut craticula. Et quia alia sacrificia peculiare habent nomen: hinc noster Interpres passim per Leviticum sacrificium ex simila, sive *mincha* vocat absolute *sacrificium;* quod diligenter observa.

Cur mincha instituit Deus? Prima causa. Quæres, cur hoc sacrificium *mincha*, id est farreum, instituit Deus?

Respondeo *primo*, propter pauperes: non enim omnium erat emere et offerre animalia. Ita Lycurgus, legislator Spartanorum, rogatus cur ita parca et tenuia sacrificia instituisset, respondit: Ne unquam deorum apud nos cultus deficiat; testis est Plutarchus in *Lycurgo*. *Secundo*, ut sacerdotibus de pane et annona provideret; magna enim pars hujus sacrificii cedebat sacerdotibus. *Tertio*, ut, sicut animalibus Deum colebant Hebræi, eique gratias agebant, ita et colerent frugibus terræ, discerentque in omni egestate et alimonia ad Deum respicere. *Quarto*, quia sacrificium erat quasi convivium, quo Deus epulabatur cum hominibus, victimæque erant quasi cibus Dei; panis autem, cujus materia est far aut simila, necessarius est hominum cibus. Unde similam vel panem in suo sacrificio pariter exegit Deus. Id ita esse patet *primo*, ex eo quod victima vocatur panis, id est cibus Dei, *Levit.* XXI, 21, et cap. XXII, vers. 25. *Secundo*, ex eo quod altare vocatur mensa Dei, *Malach.* I, 7 et 12. Voluit enim Deus, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, hac ratione dignationem suam erga homines ostendere, exhibendo se iis tam familiarem, ut eamdem cum ipsis habeat mensam et prandium. Hinc apud Gentiles Romanos in epulo Jovis, quod in Capitolio septemviri Epulonum celebrabant, Jupiter in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitabantur: ex quo illud colligit Valerius Maximus, quod viri antiquitus in lectulis duntaxat, mulieres vero in sellis discumberent. *Tertio*, ex eo quod Septuaginta passim sacrificium vocent κάρπωσιν, vel κάρπωμα, id est fructus, quo scilicet vescitur et fruitur Deus. Unde ὁλοκάρπωμα vocant holocaustum, eo quod totum cedat in fructum, et esum Dei. *Quarto*, quia hac de causa jussit Deus in omni sacrificio animalis offerri similam et vinum, ut patet *Num.* XV, vers. 4, 7 et 10, item sal, ut patet hoc cap. vers. 13, ut scilicet plenum et perfectum esset Dei convivium: nam in omni convivio requiritur caro et panis ad cibum, vinum ad potum, sal ad condimentum.

Secunda. Tertia. Quarta. Sacrificium erat quasi prandium Dei. Hinc constabat carne, pane, vino et sale. Prob. Primo. Secundo Tertio. Quarto.

Idem imitati sunt Gentiles in suis sacrificiis, qui farre molito (quod proinde « molam salsam » Mola salsa quid

A mola hac dictum est, *immolo.* vocabant), tosto et sale consperso victimæ caput aspergebant : a qua mola et ritu deductum est verbum *immolo,* id est sacrifico; hujus molæ testis est Lucanus lib. I :

Jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro.

Et Virgilius, *Ecloga* 8 : « Sparge molas; » et Horatius, lib. II *Serm.* satyr. 3 :

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput improbe salsa.

Et Plautus, *Amphit.* : « Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatum oportuit. » Idque ab olim. Numa enim Pompilius, qui Romulo in regno Romano successit, sanxit « non litandum esse sine farina, » causamque symbolicam addidit, ut, inquit, hoc symbolo significem, « non minimam pietatis partem in moribus cicurandis, et ad mansuetudinem componendis sitam esse. » Farina enim mollis et tractabilis, symbolum est mansuetudinis. Ita Plutarchus in *Numa.* Plura vide apud Plinium lib. XII, cap. XVIII, et Ciceronem, lib. II *De Divinat.* Ab hoc ritu deductum est verbum *mactare,* id est magis augere; et victima *macta,* id est magis aucta. Quoties enim farina, vinum, aut thus super victimam fundebatur, dicebant : Mactus est taurus thure vel vino, hoc est, cumulata est hostia et magis aucta thure vel vino. Ita Isidorus, lib. X, et Giraldus, *Syntag.* 17.

Mactare quid ?

Mincha fuit typus Eucharistiæ. Allegorica causa hujus sacrificii farrei fuit, ut significaretur Christi carnem et sacrificium, etiam panis uti et vini rationem habuisse et habere in Eucharistia. Unde et caro Christi vocatur *panis, Jerem.* XI, 19; *Joannis* VI, vers. 35, 47, 51, 58. Hoc est enim sacrificium mincha, quod a Gentibus Christianis in omni loco, totoque orbe offerendum prædixit Malachias, cap. I, vers. 11. Sicut enim victimæ animalium jugulatorum significabant sacrificium Christi in cruce occisi : ita sacrificium mincha significabat sacrificium Christi in Eucharistia, sub speciebus panis et vini.

Mincha fuit sacrificium. Hinc sequitur oblationem hanc mincha, sive panis aut similæ, fuisse verum et proprie dictum sacrificium, quod licet neget Abulensis, convincit tamen vox *mincha,* quam tam Malachias, quam Septuaginta et noster Interpres vertunt *sacrificium.* Et patet ex ritu mincha, quo panis aut simila cremabatur, aut alio modo immutabatur ad Dei honorem; hoc enim plane arguit mincha fuisse verum sacrificium, non tantum simplicem oblationem : in hac enim res non destruebatur aut consumebatur, sed integra offerebatur, verbi gratia integræ fruges, poma, nuces, panes fermentati et pulmenta, ut patet *Numer.* XV, 19, et *Levit.* XIX, 24.

Dices : *Mincha* non erat holocaustum, nec sacrificium pacificum, nec sacrificium pro peccato : ergo non erat sacrificium. Ita Abulensis.

Respondeo negando consequentiam; nam illa tria, scilicet holocaustum, pacificum, et pro peccato, sunt tantum divisio et species victimæ animalis, sive animatæ, non autem inanimæ. Itaque sacrificium in genere dividendum est in animatum et inanime; animatum deinde dividendum est in holocaustum, pacificum, et pro peccato : inanime vero aliud erat solidum, puta farris et panum; aliud liquidum, puta libamen olei et vini.

Sacrificii plena divisio.

Addo tamen similam illam, quæ cum victima carnea semper offerri debebat, non fuisse distinctum ab ea sacrificium, sed fuisse quasi libamen, sive additamentum et ornamentum sacrificii, de quo *Numer.* XV.

SIMILA ERIT EJUS OBLATIO, — *q. d.* Similam puram sine furfuribus offeret, si, ut præcessit, sacrificium quod dicitur *mincha,* offerre voluerit.

Simila est puritas conscientiæ. Tropologice, simila est puritas conscientiæ, ait Radulphus, hæc enim est sacrificium Deo gratissimum.

Cur oleum addatur minchæ? FUNDETQUE SUPER EAM OLEUM. — Similæ infundi jussit Deus oleum, velut quoddam saporis condimentum; oleatus enim panis est sapidior : sapidissimus autem et lectissimus cibus Deo est offerendus.

Oleum fuit typus misericordiæ Christi. Allegorica causa fuit, ut oleum significaret charitatem et misericordiam Christi, quam ipse in suo sacrificio, tum crucis, tum Eucharistiæ, nobis exhibuit. Ita S. Bernardus in illud *Cantic.* I : « Oleum effusum nomen tuum. »

Tropologice, eadem est nobis imitanda cum hilaritate (oleum enim faciem exhilarat); non enim tristes et lugentes, sed lætos et hilares decet nos inhærere Christianæ conversationi, ait Cyrillus, lib. XI *De Adoratione,* fol. 233, et lib. XV, fol. 315. Est enim olea et oleum symbolum, *primo,* reconciliationis; *secundo,* misericordiæ; *tertio,* pacis et fœderis; *quarto,* hilaritatis, uti dixi *Gen.* VIII, 11. Id imitati sunt Gentiles, et dii sive dæmones eorum. Nam, ut ait Plutarchus in *Parallelis,* in fine : « Cum Hegesistratus Ephesius civili nece perpetrata Delphos fugisset, sciscitatus est Deum, ubinam locorum sedem poneret. Respondit Apollo, ibi, ubi rusticos visurus esset choreas ducere frondibus olivæ coronatos. Quod cum ille in quadam Asiæ regione deprehendisset, urbem ibi condidit, et ab oleis Eleuntem (ἔλεος enim Græcis est *oleum*) appellavit; perinde ac Ulysses juxta oraculum condens urbem in Italia eo loco, ubi colonos ramis ilignis coronatos viderat, eam Prinistum (quæ jam vocatur Præneste) vocavit; πρῖνος enim Græcis est ilex. » Ita Plutarchus.

Refert Leontius in Vita S. Joannis Eleemosynarii, quod ipsi noctu in somnis apparuerit Miricordia, specie puellæ ornatissimæ et sole splendidioris, quæ coronam de ramis olivarum in capite gestabat; dixitque ei : « Ego sum prima filiarum regis. Si me possederis amicam, ego te ducam in conspectu Imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe

feci eum in terris hominem fieri, et salvare homines. » Ad hæc refert vidisse Sabinum monachum, quod eadem puella ita splendens et olea coronata, morientem Joannem exceperit, et ad Deum deduxerit, indeque cognoverit Joannem eadem hora esse defunctum, et propter eleemosynas ad superos translatum.

Minchæ imponitur thus, cur?

ET PONET THUS. — Similæ offerendæ jubet Deus thus superponi, ut in hoc Dei quasi convivio non tantum gratus sapor, sed et suavis adsit odor. *Secundo*, quia thus ex communi hominum sensu Deo, eique pene soli adoleri solet, ideoque totum illud hic sibi adoleri præcipit Deus. Hinc Ovidius, lib. XIV *Metamorph.*:

Templa tibi statuam, solvam tibi thuris honores,

puta divinos, *q. d.* Thure te ut Deum colam et honorabo. Hinc etiam nonnulli *thus* a θύειν, id est, *a sacrificando*, deducunt, quod thus Deo sacrificari, et inter ejus sacrificia adhiberi soleat. Ita tres Magi Christum adorantes, *Matth.* II, 11, thure Christo puero oblato, ejus divinitatem significarunt et professi sunt, uti docent S. Ambrosius, Basilius, Gregorius, Hieronymus, et Juvencus dum canit :

Thus jure gentium Deo dicatum est.

Thus, aurum, myrrham regique hominique Deoque
Dona ferunt.

An prima θυσία fuerit θυμίασις, id est thurificatio.

Censent nonnulli olim a priscis hominibus in sacrificio oblatam fuisse Deo odoratarum arborum evaporationem, quam Græci thymiasin vocant : unde derivata sit θυσία, id est sacrificium, eo quod prima θυσία, sive primum sacrificium, fuerit thymiasis, id est, thurificatio et odorum incensio. Verum thus a vetustissimis adhibitum fuisse in sacris negat Arnobius ; nam heroibus Hetruscis, Romulo et Numæ thurificationem ignoratam, sed exta observata, deinde assa vel elixa diis cremari solita legimus, idque ex Apuleio docet Giraldus, *Syntagm.* 17. Neque id mirum, cum tam longe distarent ab Arabia, quæ sola thuris est ferax. Ergo inventum thuris Deo offerendi Mosi, imo Deo hic præcipienti est adscribendum : versabatur enim Moses cum Hebræis in Arabia. Ita Hieronymus Prado in *Ezech.* VIII, pag. 119.

Romulus et veteres ignorarunt thurificationem.

Thurificationis auctor fuit Moses hic.

Nota : Thus cum simila et mincha colore et luce consentit ; est enim thus candidum : unde ab Hebræis vocatur לבונה *lebona*, et a Græcis λίβανος, id est album et candidum ; hinc Scriptura thus vocat purum et lucidissimum, *Exodi* XXX, 34 ; indeque tum ob evaporationem, tum ob lucem, aptissimum est quod adoleatur Deo, cui lucidissima quæque grata sunt.

Thuris generatio.

Notat *secundo* Plinius, lib. XII, cap. XIV, thus nasci in Arabia Felice, illudque quasi parturiri et coqui in æstate æstivis caloribus, colligique in autumno jam concoctum, candidum et purissimum. Nam quod hieme colligitur, aut vere, ex corticibus arboris thuriferæ incisis, rufum est, nec priori, quod ex æstus calore emanavit, comparandum.

Thus symbolum est, Primo, charitatis.

Hinc tropologice, thus et thurificatio significant opera sancta, fervore charitatis quasi liquefacta et fumigantia, quæ in igne ejusdem charitatis adolentur Deo, ideoque odorem emittunt suavissimum Deoque gratissimum.

Secundo, orationis.

Secundo, thus significat virtutem religionis et orationis, *Psalm.* CXL, 2 : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » Unde in sacris adhibetur thurificatio, ut præsentes moneantur devotionis et orationis internæ. Ita Isychius, Radulphus, Beda et alii.

Tertio, bonæ famæ.

Tertio, thus significat odorem bonæ vitæ. « Thus, ait S. Cyrillus, lib. XII *De Adoratione*, et simila oleo madens odoratam illam nitidamque vitam innuunt. »

Vers. 2.

2. TOLLET PUGILLUM SIMILÆ ET OLEI, — puta plenum similæ oleo conspersæ, sive similæ oleatæ ; est hendiadys.

ET PONET MEMORIALE SUPER ALTARE. — Hebraice est, *incendet*, sive *adolebit memoriale ejus*, id est, pugillum similæ quem accepit, cum toto thure cremabit, ut sit hoc velut memoriale et signum, similam hanc quasi mincha, id est, sacrificium farreum, non sacerdoti, sed Deo esse oblatam. *Secundo*, ut hæc mincha similæ Deo renovet memoriam offerentis, impetretque ab eo id quod ipse petit ; ita enim hanc phrasim explicat Interpres noster cap. V, 12. Pugillus ergo hic ex simila cremabatur Deo ; reliquum vero similæ cedebat sacerdoti. Unde sequitur :

Vers. 3.

3. QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT DE SACRIFICIO (mincha sive similæ), ERIT AARON ET FILIORUM EJUS, SANCTUM SANCTORUM DE OBLATIONIBUS DOMINI. — Hebraice est ; *sanctitas sanctitatum erit de ignitionibus*, id est, de oblationibus ignitis Domino, *q. d.* Reliquum similæ Deo oblatæ erit et habebitur sanctissimum, quia pars est rei, puta similæ per ignem Deo sacrificatæ. Unde non poterat comedi nisi a personis sacris, puta a familia sacerdotis, ut patet *Levit.* XXII, 10 et 11.

Vers. 4.

4. CUM AUTEM OBTULERIS SACRIFICIUM COCTUM IN CLIBANO, DE SIMILA, — supple, offeres illud. Ita Vatablus (1). Huc usque descripsit Moses mincha, sive sacrificium ex simila pura et incocta : hic

(1) Rectius, *simila* sit, id est, conficientur e simila, scil. חלות, *perforatæ* placentæ, quales Arabes hodie solent parare, ut narrat Arvieux, in libello *de Moribus Arabum Nomadicorum*. Solent, ait, urceum, cujus os et venter ejusdem sunt latitudinis, dimidium implere silicibus parvis, lævibus, qui pro foco inserviant ; tum, urceo satis calefacto, massam farinæ super silices illas explicant, et coquunt hoc modo placentas, quæ a silicibus subjacentibus foramina habent. Alterum placentarum genus a Mose vocatur רקיק, *tenue*, quod, eodem Arvioso teste, hoc fere modo ab Arabibus paratur : calefaciunt magnum urceum lapideum, in cujus latere exteriore ponunt massam ex farina tantum et aqua confectam, quæ, quum sit valde tenuis, sponte sese explicat, et brevi percoquitur.

describit mincha ex simila subacta et cocta, quæ secunda erat species mincha. Ubi nota : Quot modis coquitur simila et panis, totidem modis sibi illum sacrificari voluit Deus : sicut ergo panis tripliciter coquitur, scilicet clibano, sartagine et craticula, ita et mincha panum erat triplex : scilicet clibani, sartaginis et craticulæ.

Mincha triplex, clibani, sartaginis et craticulæ.

Allegorice, mincha est caro Christi : *primo*, in clibano, id est, utero B. Virginis in incarnatione, cocta; *secundo*, in sartagine, id est, passione crucis, frixa; *tertio*, in craticula ejusdem crucis mortua, ut percoctum nobis in venerabili Sacramento Eucharistiæ præbeat panem et alimentum. Ita Isychius. *Secundo*, mincha sive similago est Ecclesia Christi, inquit Beda, quæ est corpus illius ex multis membris, velut ex multis granis collectum, per legis et Evangelii molam comminutum, per aquam baptismi tinctum, chrismatis oleo perunctum, Spiritu Sancto solidatum. Unde idem Beda et Origenes, *hom.* 5, per craticulam, sartaginem et clibanum intelligunt tres S. Scripturæ sensus, scilicet litteralem, moralem, mysticum, quibus coquitur hic Ecclesiæ panis.

Mincha triplex est caro Christi frixa in cruce.

Secundo, mincha est Ecclesia.

Tropologice, clibanus est pressura hujus mundi, puta afflictio et persecutio tyrannorum. Unde Deus Hebræos liberasse dicitur de fornace ferrea, id est, servitute et afflictione Ægypti; qui clibano hoc coquuntur, panes Christi fiunt. Talis fuit S. Ignatius, qui audiens leones ad se devorandum præparatos, rugientes : « Frumentum, inquit, Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus efficiar. » *Secundo*, sartago est mentium frixura, et zelus Sanctorum ob peccata hominum, vel ærumnas proximorum, quæ eos per compassionem frigunt et excruciant. *Tertio*, craticula est quotidiana cujusque crux, cui superpositus vir justus lento, sed assiduo æstu cruciatur; verum oleum, id est, charitas erga Deum et proximum, hæc omnia fortiter excipit, offertque inde Deo sacrificium, dicens cum Paulo *Philip.* II, 17 : « Sed etsi immolor super sacrificium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis; » et I *Cor.* XV, 31 : « Quotidie morior per vestram gloriam, fratres. » Ita Radulphus, Beda et S. Gregorius, hom. 12 *in Ezech.* : « Simila, inquit, in sartagine, est munda mens justi in zeli spiritalis afflictione, quæ per sollicitudinem animarum frigitur, et non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur. »

Tropologice sartago est mentium frixura et zelus, craticula est quotidiana crux, clibanus est persecutio tyrannorum.

Porro victimæ sartaginis ad litteram fuerunt septem fratres Machabæi, ab Antiocho pro fide et lege Dei in sartagine frixi, II *Machab.* VII. Victimæ clibani fuerunt tres pueri, in fornacem Babyloniam propter unius Dei cultum a Nabuchodonosore injecti, *Daniel.* III. Item S. Eustachius in bovem æneum candentem immissus, quod fuit tormentum Phalaridis tyranni. Item Antipas Episcopus Pergami, cujus meminit S. Joannes, *Apoc.* II, 13, qui sub Domitiano Imperatore in bovem æneum similiter conjectus gloriosum obiit martyrium, cujus memoriam recolit Ecclesia die undecima aprilis. Item Martyres trecenti, qui in fornacem calcariam pro Christi fide insilierunt, Carthagine sub Valeriano, indeque dicti sunt Massa candida, in Martyrologio 24 augusti. Victima craticulæ fuit S. Laurentius, qui castus et purus instar similæ, oleo misericordiæ et amoris divini accensus, viva fuit ardensque hostia Deo, ut jure in eum intuens Psaltes dixerit : « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, » *Psalm.* XVI, 3. Durum sane examen et acre, sed ignito Laurentii animo leve et suave. Nam, ut ait S. Leo, serm. *De Laurentio* : « Superari charitatis Christi flamma non potuit; segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit; » imo, quod prodigii est instar, externus ignis internum in mente Laurentii accendit, internus externum restinxit. Magis enim sitiebat hunc ignem Laurentius, quam cervus anhelus sitiat aquam, imo magis quam Valerianus sitiret ejus cruorem et incendium. O quam potens est flamma Christi! « Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te, Deus meus. »

CONSPERSOS OLEO, — subactos oleo vice aquæ; hoc enim significat Hebræum בלולות *belulot*.

ET LAGANA AZYMA LITA OLEO. — « Lagana » sunt liba non crassa, sed tenuia et extensa, qualia sunt liba nostra ex panico : hoc enim significat Hebr. רקיקי *rekike;* alibi vocantur חלות *challot*, quasi primitiæ vel initia massæ subactæ, uti matres dum pinsunt, ex pasta solent primo, antequam panes conficiant et coquant, pueris liba conficere, quæ coquant super prunas. Ita Oleaster et Ribera. Lagana sunt liba tenuia.

Nota : Lita oleo vocat, non mixta oleo, sed desuper inuncta oleo. Ita enim hæc distinguit Scriptura, ut alia vocet conspersa, id est subacta, oleo instar aquæ; alia vocet uncta vel lita oleo, quæ non subacta, sed superne delibuta sunt oleo. Ita Abulensis et Ribera, et patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta.

5. SI OBLATIO TUA FUERIT DE SARTAGINE (1), DIVIDES EAM MINUTATIM, ET FUNDES SUPER EAM OLEUM. — « Minutatim, » ut scilicet partes ita divisæ, melius oleum eis superfundendum imbibant; *secundo*, ut aliquot ex illis Deo sacrificentur. Vers. 5 et 6.

9. QUI CUM OBTULERIT EAM. — Hebraice, *accedere faciet*, vel *adducet eam ad altare*, scilicet ipse offerens, ut patet ex Hebræo, et maxime ex Septuaginta. Vers. 9.

TOLLET MEMORIALE DE SACRIFICIO. — Tollet, scilicet is cujus est tollere, puta sacerdos. Tollet autem de omnibus sacrificiis jam dictis, puta clibani, sartaginis et craticulæ. Rursum, « memoriale » passim hic vocatur pars illa sacrificii farrei, quæ Deo comburebatur et sacrificabatur, per quam testabantur totum mincha Deo esse oblatum; totum enim per hanc sui partem censebatur Deo sacrificari. Vide dicta vers. 2.

(1) Vas planum, quale dicitur Gall. *poële*.

Vers. 11. 11. OMNIS OBLATIO QUÆ OFFERTUR DOMINO, ABSQUE FERMENTO FIET. — Licet panis fermento conditus, ob acorem quem habet, sit sapidior et digestu facilior, eo tamen uti Hebræos in sacrificio non voluit Deus, sed azymo. *Primo,* ob puritatem sacrificii; azymus enim panis est purior. *Secundo,* ut Hebræi perpetuam haberent memoriam liberationis suæ ex Ægypto, quando ob festinationem azymis sunt usi, *Exod.* XII, 34. Quare azyma, *Deuter.* XVI, 3, vocantur « panis afflictionis. »

Fermentum in sacrificio vetuit Deus, cur?

Tropologice, fermentum significat vetustatem, nequitiam, et omne vitium ac corruptelam, quæ procul debet abesse a sacris Dei, I *Cor.* V, 3. Hinc et apud Plautum, *jacens in fermento* vocatur mulier inflata et irata.

Mystice fermentum est vitium et corruptela.

Secundo, S. Cyrillus, libro XV *De Adoratione,* fol. 302, per fermentum intelligit astutiam, quæ indifferens est ad bonum et ad malum. Ideoque fermentum offerri poterat, sed non adoleri, aut incendi et sacrificari : quia probæ animæ astutia, ait Cyrillus, licet a Deo non repudietur, si opportune pietatis causa adhibeatur, non tamen pro spirituali sacrificio et odore suavitatis censetur.

Secundo, fermentum est astutia.

NEC QUIDQUAM FERMENTI AUT MELLIS ADOLEBITUR IN SACRIFICIO. — Mel hic, æque ac fermentum vetatur in sacrificio; sed cur? R. Salomon per mel intelligit fructus dulces, uti sunt ficus et dactyli; sed hoc alienum est et contortum. Philo, lib. *De Victimis,* mel putat in sacris esse vetitum a Deo, eo quod apis collectrix mellis sit animal impurum, natum ex putribus boum cadaveribus; sed hoc absolute verum non est. Constat enim apes ab apibus in alvearibus progigni, idque pure et caste sine concubitu.

Mel vetitum fuit in sacrificio, cur?

Causa prima.

Dico ergo : mellis vetiti eadem est causa quæ fermenti; est enim mel pani instar fermenti : nam mel coctum acorem contrahit, panemque cui miscetur fermentat. *Secundo,* mel stomacho est inimicum, tum quia flatulentum, tum quia bilem auget; nam, ut ait Horatius : « Dulcia se in bilem vertunt. » E contrario absinthium stomacho prodest; omnem enim intestinorum fæcem expurgat.

Secunda. Mel est flatulentum, et bilem auget.

Tertia. Baccho offerebatur mel.

Tertio, mel vetatur Judæis, quia Gentiles Baccho offerebant mel et dulcia : audi Ovidium, lib. III *Fast.* :

> Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
> Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.

Adde ex Plutarcho, lib. V *Sympos.*, Quæst. V, mellis admixtione vinum corrumpi, quod mel vino maxime adversam naturam habeat; unde et gustato melle vinum desipit; vino autem utendum erat in sacrificiis, eoque libandum : erat enim vinum quasi potus Dei; ergo par erat ut mel ab iis arceretur.

A Christi sacrificio abfuit mel, id est

Allegorica et præcipua causa fuit, ut significaretur in sacrificio crucis Christi omne mel, id est omnis suavitas et lætitia defutura.

Tropologica causa fuit, ut significaretur a sacris debere abesse mel, id est voluptatem vanam et carnalem, tanquam Deo displicentem, quodque resoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non possint mysteriorum Dei esse participes. Unde phase comedi debebat cum lactucis agrestibus, vel, ut hebræum est, amaris, quia « semper austera est districtio veritatis, » ait Eucherius; nam, ut ait Psaltes, *Psalm.* L, 19, « sacrificium Deo (est) spiritus contribulatus. » Est enim mel symbolum *primo,* hominis voluptuarii; *secundo,* adulatoris, qui mel in ore habet, sed in occulto caudæ gerit spiculum quod ferit et vulnerat. Unde Sapiens labia meretricis comparat favo mellis, *Proverb.* V, 3. Ita Procopius, Eucherius, Radulphus, Rupertus, Beda, et Cyrillus, lib. XV *De Adorat.*

lætitia.

Mel symbolum est, primo, voluptuarii; secundo, adulatoris.

Vers. 12. 12. PRIMITIAS TANTUM EORUM OFFERETIS AC MUNERA. — Hebraice est *munus,* id est oblationem, *primitiarum offeretis,* ex fermento puta et melle, idque in cibum sacerdotum, ut dicetur *Numer.* XV. Cujus mystica causa est, quia sacerdotum est peccata populi per confessionem comedere, coquere, digerere, ut pro iis deprecentur, iis consulant, eos per sacramentum pœnitentiæ absolvant : ita Serranus, qui per primitias fermenti et mellis accipit confessionem peccatorum, restitutionem bonorum male partorum, pœnitentiam, etc. Peccata enim ipsa sunt mel et fermentum, quia melleam ingerunt homini voluptatem, quæ in fel et fermentum mox convertitur. Huc alludit et Radulphus.

Typus Sacramenti pœnitentiæ.

Peccatum est mel, quod mox in fel convertitur.

Vers. 13. 13. QUIDQUID OBTULERIS SACRIFICII (mincha, ut est in Hebræo), SALE CONDIES, — omnis enim cibi condimentum est sal. Itaque ut sacrificium, quod est quasi Dei convivium, rite sit instructum, jubet Deus ut panes et simila non insulsa, sed sale condita offerantur. Sic et Gentiles nulla sacra faciebant sine mola salsa, ut dixi vers. 1. Sine sale enim vita humana consistere nequit. Nam sal carnem servat, ne putrescat; vinum, ne stupescat, aut in acetum degeneret; defuncta ac putrescentia corpora ita a corruptione vindicat, ut durent per sæcula; cibum reddit sapidum et gratum. Unde veterum axioma : « Corporibus nihil utilius est sale et sole.

In omni sacrificio aderat sal, cur?

Rursum, « sal est vita artificialis carnium exsanguium; » nam eas corrodendo et exsiccando præservat a corruptione; et mystice apte significat vitam spiritus, quæ respectu vitæ animalis est adventitia. Hinc et Ovidius in *Fastis* :

> Ante Deis homines quod conciliare valeret,
> Far erat, et puri lucida mica salis.

Sane ebrios et delirantes oleo et sale perungere solebant antiqui, quod in *Nebulis* Aristophanes innuit.

Tropologice, sal symbolum est sapientiæ, prudentiæ et discretionis, quæ in omni sacrificio omnique opere, etiam pœnitentiæ et mortificationis, quod ad Dei obsequium fit, est adhibenda. Hinc

Sal primo symbolum est discretionis.

Apostolus, *Rom.* XII, 1, monet ut rationabile sit obsequium nostrum; et Christus, *Marc.* IX, 48 : « Omnis, ait (victima spiritualis et Deo grata), igne salietur, et omnis victima sale salietur, » nimirum igne tribulationis et sale sapientiæ. Ita Theodoretus, Procopius, Radulphus, Beda, Rupertus, Eucherius, et Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*; nam, ut ait S. Bernardus, serm. 49 *in Cant.* : « Discretio est moderatrix et auriga virtutum, affectuum, morum; omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit et decorem, et perpetuitatem : tolle hanc, virtus vitium erit. »

Discretio est auriga virtutum.

Hinc *secundo*, sal symbolum et typus fuit doctrinæ evangelicæ et prædicationis apostolicæ : hæc enim summa est sapientia, qua omnes nostras actiones et oblationes condire debemus. Omnis enim actio nostra huic sapientiæ, quasi normæ respondeat, illique per omnia conformetur, oportet. Hinc Christus Apostolis dixit : « Vos estis sal terræ. »

Secundo, sal symbolum est doctrinæ Apostolicæ.

Tertio, sale significatur æterna durabilitas : sal ergo est symbolum tum æternitatis Dei, quam per salem protestabantur offerentes victimas salitas; tum integritatis et incorruptionis animæ et corporis, quam Deus in offerente exigit. Nam, ut ait Philo, lib. *De Victimis*, primus conservator corporum est anima; secundus est sal : sal enim corpora diutissime tuetur, redditque quodam modo immortalia : ideo, ait Philo, altare vocatur θυσιαστήριον, παρὰ τὸ διατηρεῖν τὰς θυσίας, id est a conservandis victimis; atqui carnes victimarum igne consumuntur : unde colligitur victimam hanc sale conditam et conservatam, mysticam accipi debere, scilicet offerentis mentem et alacritatem virtutibus confirmatam : hæc enim animæ puritatem et incorruptionem tuetur et conservat. Ita Philo.

Tertio, sal symbolum est incorruptionis et æternitatis. Primus conservator corporum est anima, secundus est sal.

Hinc allegorice et anagogice, cœlestis sal est Christus, qui sua gratia et gloria tam corpora quam animas condit et servat æternitati, ut resurgant ad vitam immortalem.

NEC AUFERES SAL FOEDERIS DEI TUI DE SACRIFICIO TUO. — Cur vocetur « sal fœderis, » insulsam et stultam causam dat R. Salomon, scilicet hanc : Aquæ, inquit, terrestres in principio creationis rerum omnium, ægre tulerunt se ab aquis cœlestibus separari per interpositum firmamentum : ut ergo Deus illas placaret, promisit se effecturum ut aquarum sacer usus esset in tabernaculo fœderis; deinde ut sal quod ex aquis fit, sacrificiis perpetuo adhiberetur. Ita iste ludio, qui hic nec micam salis habet, et carens cerebro indiget elleboro.

Sal fœderis quod?

Dico ergo : vocatur « sal fœderis, » id est sal legis hujus, qua sal in *mincha* adhiberi præcipio. Lex enim erat ratio, conditio et conciliatio fœderis et pacti inter Deum et Hebræos. Unde tabulæ legis vocabantur *tabulæ fœderis*, et sæpe alibi lex ipsa vocatur *fœdus*. Dicitur autem peculiariter de lege hac salis, quod sit sal fœderis, quia sale significabatur firmitas legis et fœderis; ideoque in fœderibus sal adhiberi solebat, nam victimæ cum mola salsa immolabantur ad sanciendum fœdus. Et verisimile est ita factum esse in fœdere Hebræorum cum Deo, *Exod.* XXIV, 5; unde II *Paralipom.* XV, 5, et *Numer.* XVIII, 19, vocatur *pactum salis*, pactum firmum et stabile. Sicut enim sal a putrefactione carnes conservat, ita pactum salis metaphorice significat pactum alienum a corruptione et violatione, pactum firmum et perpetuum. *Sal* ergo *fœderis* idem est quod sal firmativum fœderis, aut symbolum fœderis firmi et stabilis.

In fœdere adhibebatur sal ad firmitatem.

Pactum salis est pactum firmum.

Eadem de causa olim hospitibus, ante alios cibos apponi solebat sal, ut scilicet sale significaretur amicitiæ firmitas ac perseverantia : quare multi Gentiles ominosum habebant, si sal in mensam profundi contigisset, quasi per hoc amicitiæ eversio vel rescissio portenderetur. Ita Pierius in *Hieroglyph. salis*.

Hospitibus olim primo apponebatur sal, cur?

Nota : In omni carneo sacrificio, quo immolabatur, v. g. bos, ovis aut capra, adhibebatur et sacrificium farreum; sed non e converso : poterat enim mincha, sive far et simila offerri sola sine carne. In omni ergo sacrificio carneo adhibendum erat oleum, thus, simila et sal; nullum vero fermentum aut mel adhiberi poterat in sacrificio, sive illud carneum esset, sive farreum.

Ritus et ordo sacrificandi.

Ritus ergo sacrificiorum carneorum erat hic : Sacerdos carnes victimæ cremandæ imponebat altari; deinde ex simila oleo et sale condita et commixta, pugillum tollebat, eumque victimæ cremandæ imponebat, simulque super victimam vinum effundebat; denique thus similæ imponebat, mox subjiciebat ignem, et victimam cum hisce suis libaminibus Deo adolebat et concremabat, uti patebit *Num.* XV, 4 et seq.

Vers. 14.

14. SI AUTEM (cum autem) OBTULERIS MUNUS PRIMARUM FRUGUM TUARUM (adhuc in spica existentium, ut patebit ex sequent.) DOMINO DE SPICIS ADHUC VIRENTIBUS, TORREBIS IGNI, ET CONFRINGES IN MOREM FARRIS. — Est hæc tertia species mincha sive sacrificii farrei : prima enim species erat oblatio similæ; secunda erat oblatio panum; tertia hæc erat oblatio spicarum virentium.

Tertia species mincha erat oblatio spicarum.

Loquitur hic Deus de primitiis frugum, sive messis hordeaceæ, cujus manipulus offerebatur in paschate secundo die azymorum : nec enim Hebræi quidquam hordei, aut segetum demetere poterant, nisi prius hunc manipulum spicarum quasi primitias Deo obtulissent.

Nota : Triplices primitias debebant Hebræi offerre Deo. *Primo*, has spicarum in Paschate; *secundo*, primitias panum ex messe triticea in Pentecoste, ut patet cap. XXIII, vers. 15 et 17. *Tertio*, primitias omnium frugum in festo Tabernaculorum, ut patet *Exodi* XXIII, 16 et 19.

Nota *secundo*, spicas has fuisse virentes, non omnino, sed simul albicantes et maturescentes; alioqui non potuissent in far confractum comminui, utpote cum nulla adhuc farris grana essent

Triplices frugum primitias exigit Deus.

formata. Septuaginta pro *virentes*, hic et alibi vertunt νέα, id est *nova*.

CONFRINGENS IN MODUM FARRIS, — Hebraice est גרש כרמל *geres carmel*, quod Vatablus vertit, *quas profudit fertilissimus ager*; hic enim hebraice vocatur *carmel*. Verum melius noster Interpres, Septuaginta et Chaldæa vertunt, *contusionem* vel *confractionem spicæ*, aut frumenti, id est contusum frumentum; vel far, supple offeres, ut sequitur: non enim poterat esse farina, cum spicæ adhuc essent virentes.

Nota : Hæc omnia faciebat non sacerdos, sed laicus offerens. Ipse enim primitias spicarum suarum conterebat instar farris, inde super eas fundebat oleum, ac denique thus eis imponebat, itaque offerebat eas sacerdoti, ut is partem earum adoleret Deo, et reliquum sibi servaret; unde sequitur :

Vers. 16. 16. DE QUA ADOLEBIT SACERDOS IN MEMORIAM MUNERIS, PARTEM. — ut scilicet pars hæc Deo cremata memoriale sit et signum, totum hoc munus, id est sacrificium, oblatum esse Deo. Vide dicta vers. 2.

Primitiæ est Christus resurgens. Allegorice, primitiæ frugum in paschate, est Christus resurgens in paschate, quasi primogenitus mortuorum. Ita Cyrillus, lib. XVII *De Adoratione*, cap. XXIII.

Tropologice. Primitiæ sunt neophyti. Tropologice, oblatio spicarum virentium, significat neophytos in Dei obsequio, et perfectionis via; hi torrent spicas igne, cum corpus macerant, et spiritui subigunt; confringunt eas in far, cum voluntatem propriam abnegant; imponunt oleum, id est cordis hilaritatem; et thus, id est preces; denique memoriale Dei, id est timorem Dei, semper animo gestant, ideoque ad eum omnia referunt. Ita Radulphus.

Novitii documenta. Primum. Cassianus, lib. IV *De Instit. Renunt.* cap. VIII : Novitius « renuntiaturus sæculo, in monasterio, inquit, primitus docetur suas vincere voluntates, et ea illi sæpius imperare student, quæ senserint animo ejus esse contraria. Pronuntiant enim nullatenus posse monachum prævalere iræ, vel tristitiæ, aut spiritui fornicationis, nisi prius didicerit mortificare per obedientiam suas voluntates; sed non humilitatem quidem cordis veram, nec cum fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in monasterio diutius permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare. »

Secundum. Rursum novitii, ait Ruffinus, est studere puritati cordis, eique quod ait Psaltes, *Psalm.* XLV : « Vacate et videte, quia ego sum Deus; » denique conari ut ad infantiam, et primam innocentiam redeat.

Tertium. Pachomius, ex regula sibi ab angelo tradita, jussit novitios operari manibus, et opera sua facere simpliciter, eosque a studiis sacratioribus arceri.

Quartum. Pinufius Abbas apud Cassianum, lib. IV *De Instit.* cap. XXXII, novitium docet, eum debere imitari et induere Jesum crucifixum, ut timor Dei sit ei jugis crux, qua crucifigat suos appetitus, præsertim excellentiæ et superbiæ, per veram et assiduam humilitatem et humiliationem.

Quintum. Cassianus, lib. IV, cap. XLI, novitium docet ut in monasterio, juxta Psalmistæ sententiam, « sit tanquam surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum, nihil discernens, nihil dijudicans ex his quæ ei fuerint imperata. Ergo, inquit, patientiam tuam non debes sperare de aliorum virtute, id est, ut tunc tantum eam possideas, cum a nemine fueris irritatus. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur tertia species sacrificii, scilicet hostia pacifica; eaque triplex : primo, bovis, vers. 1; *secundo, ovium, vers.* 6; *tertio, capræ, vers.* 12. *Denique versu ultimo, omnem adipem et sanguinem sibi deposcit Deus.*

1. Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. 3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus : 4. duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis. 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. 6. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, et pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt. 7. Si agnum obtulerit coram Domino, 8. ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi

testimonii; fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris. 9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem et caudam totam, 10. cum renibus, et pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis; 11. et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis et oblationis Domini. 12. Si capra fuerit ejus oblatio, et obtulerit eam Domino, 13. ponet manum suam super caput ejus; immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii. Et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum. 14. Tollentque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, et qui tegit universa vitalia; 15. duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, et arvinam jecoris cum renunculis; 16. adolebitque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, et suavissimi odoris Omnis adeps, Domini erit 17. jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris; nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

Vers. 1. 1. QUOD SI HOSTIA PACIFICORUM FUERIT EJUS OBLATIO. — « Hostia pacificorum, » subaudi animalium, hoc est eorum quæ offeruntur pro pace, id est salute, incolumitate et prosperitate (hoc enim est Hebræis pax), sive jam obtenta, sive obtinenda : erat enim duplex hostia pacifica, una quæ offerebatur in gratiarum actionem pro prosperitate obtenta; altera quæ offerebatur ad prosperitatem, vel beneficium alicui impetrandum, vel homini, vel familiæ, vel Reipublicæ. Septuaginta vertunt, θυσία σωτηρίου, id est *hostia salutaris*, id est *salutis*, hoc est hostia oblata pro salute; Chaldæus vertit, *hostia sanctificationum*. Hebraice hæc hostia vocatur זבח שלמים *Zebach scelamim*, quod *primo* verti potest, *hostia pacificorum*, id est pacifica, ob causam jam dictam, et quia hæc hostia pacem quasi faciebat inter Deum, sacerdotem et offerentes, eo quod in ea sua victimæ pars cuique tribuebatur. *Secundo*, verti potest, *victima tranquillorum*, id est, victima oblata pro quiete et tranquillitate. *Tertio*, verti potest, *victima retributionum*, id est victima gratiarum actionis, ut vertit Josephus. *Quarto*, verti potest, *victima perfectorum*, id est, victima oblata pro integritate et perfectione, vel hominis, vel domus et familiæ. Hebræum enim שלם *scalam* significat *primo*, pacificare; *secundo*, esse quietum et tranquillum; *tertio*, retribuere; *quarto*, finire, complere et perficere.

Victima pacifica, quæ?

Zebach scelamim quatuor res significat.

Hostia pacifica in tres partes dividebatur.

Nota : Hæc hostia pacifica non ex præcepto, sed ex voto, vel sponte offerebatur; unde ad libitum offerentis poterat esse masculus, vel femina. Si quis tamen vovisset pecus e grege suo melius, ideoque masculum, id offerre debebat, juxta illud *Malachiæ* I, 14 : « Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.»

Nota *secundo* : Hostia pacifica dividebatur in tres partes : *prima*, puta adeps et sanguis, Deo adolebatur; *secunda*, puta pectus et armus dexter, cedebat sacerdoti sacrificanti; *tertia*, puta reliqua caro, cedebat laicis eam offerentibus, de quo cap. VII. In holocausto vero tota victima cedebat Deo; in hostia pro peccato pars cedebat Deo, pars sacerdoti, nihil vero offerenti, ut patet cap. VII, vers. 6.

Hinc nota *tertio* : Hostia pacifica, uti et pro peccato, debebat esse bos, ovis aut capra, non autem aves, puta turtur aut columba, quia hæ minores sunt, quam ut in tres portiones commode dividi possint. Aves tamen offerebantur in holocaustum, quia hoc totum Deo cremabatur.

Tropologice Radulphus et Isychius : In holocausto, inquiunt, perfectorum vita, in hostiis pacificis mediocrium conversatio designatur, qui licet summa bona non expleant, mala tamen summa devitant. Hi quædam distribuunt altari, nonnulla sacerdotibus, reliqua ad corporis usum concedunt, ait Theodoretus, *Quæst.* I.

« Bovem *ergo* immolat, ait Radulphus, quisquis in sæculari vita mundi actibus deditus, de ipsis laboribus suis Deo ministrat. Ovem offert, qui laborare non sufficiens, et infirmitate ac æstate, seu paupertate a misericordiæ actibus revocatus, per solam innocentiam Deo placet. Capram litat, quisquis veterem conversationem melioris propositi castigatione immutat. Avium nulla hic fit mentio, quia contemplationis virtus perfectioribus tribui solet. »

Secundo, Rupertus hic, cap. XXVII, per hostiam pro peccato accipit fidem; per hostiam pacificam, spem; per holocaustum, charitatem, quæ major est omnium; sed hoc non tam tropologicum, quam accommodatitium est.

Hostia ergo pacifica est continentia et misericordia. « Vere continens est, qui perturbatione superior est, et nullum voluptatis irritamentum admittit; sed animo est sobrio, et nusquam cedente voluptati, » ait S. Basilius, et ex eo Maximus, serm. *De Continentia*.

Moral. exempla continentiæ.

Anacharsis statuis suis inscribi jussit : « Linguæ, ventri et pudendis temperandum; » quod maximorum malorum causa sit lingua effrænis, luxu nil turpius, libido ex homine pecudem reddat, inquit Laertius, lib. I, cap. IX.

Socrates rogatus quo pacto quis dives evaderet? « Si, inquit, continens et cupiditatum fuerit exsors. »

Archidamus, cum ei quispiam promisisset suavissimum vinum : « Quorsum, ait, opus est? nam quo melius est, eo plus absumetur; et ad ea quæ fortes decent viros, reddet inutiliores. » Testis est Plutarchus in *Lacon.*

Alcamenes dives, cum parcius viveret, mirantibus aliis dixit : « Decet eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere; » significans perniciosas esse opes, nisi adsit animus eis superior. Plutarchus ibidem.

Alexander Magnus invitatus ut Darii filias pulcherrimas captas viseret, noluit ire, dicens : « Non committam ut qui viros vici, a mulieribus vincar. »

Idem in Jovis ara mulieris effigiem pulcherrimam spectans, cum Hephæstion diceret æquum esse ut ipse amatam caperet : « An non, inquit, hoc indignissimum esset, ut qui in aliorum incontinentiam animadvertere volumus, ipsi incontinentiæ servire ab exteris deprehendamur?» Refert Maximus, *serm.* 3.

Menedemus, adolescente quodam dicente, magnum esse si quæ quis concupiscat, assequatur : « Multo, inquit, majus est, nihil eorum quæ non decent, concupiscere. »

Audi Christianos. S. Ephrem in Vita S. Abrahæ : « Continentia, ait, est vitæ spiritualis fundamentum. »

Abbas Isaac in *Vitis Patrum* ita studuerat continentiæ, ut diceret quadraginta annos esse, ex quo sentiret quidem motum in mente sua, nunquam tamen concupiscentiæ aut iræ consentiret. Ibidem, prior jussus a S. Antonio sororem suam salutare, id præstitit, sed clausis oculis : ita continens erat oculorum. Et Marcus clausis oculis matrem salutavit. Simeon Stylites matrem videre renuit. Eusebius, teste Theodoreto, nec vicinos campos, nec cœlum videre voluit, sed ferro degravatus, curvus et terram spectans incedebat. Nota est continentia Arsenii, qua nec fami satisfacere, nec mulierem ullam videre sustinuit. Dorothæus apud Palladium in *Lausiaca*, cap. II, labore et æstu se macerabat : rogatus cur? « Occidendum (mortificandum), ait, est corpus, ne illud nos occidat. »

Abbas Pambo rogavit abbatem Antonium : « Quid faciam ut salver? Esto, inquit, continens ventri et linguæ. » Continentes ergo sunt victimæ pacificæ sibi et Deo.

IMMACULATA. — Hebraice תמים *tamim*, id est *integra, perfecta.* Vide dicta cap. I, vers. 3.

OFFERET CORAM DOMINO, — coram altari, quo colitur et repræsentatur Deus.

Vers. 2. 2. PONETQUE MANUM SUPER CAPUT VICTIMÆ. — Hujus ritus causa dedi cap. I, vers. 4.

QUÆ IMMOLABITUR IN INTROITU TABERNACULI TESTIMONII. — Hebraice, *quæ immolabitur apud ostium tabernaculi testimonii*, puta apud altare holocaustorum (quod erat juxta tabernaculum, in quo erat testimonium, id est lex sive tabulæ legis in arca), scilicet ad latus altaris quod respicit Aquilonem, ut patet cap. I, vers. 11.

FUNDENTQUE SANGUINEM PER ALTARIS CIRCUITUM. — Tropologice, sanguinem circum altare fundunt, qui vitiosos affectus et cupiditatem, circa crucem Christi (dum videlicet Christi virtutes mente revolvunt) a se ejiciunt : altare enim nostrum est Christus, cui quidquid Patri gratum futurum est imponimus, et per eum offerimus.

Vers. 3. 3. ET OFFERENT DE HOSTIA PACIFICORUM IN OBLATIONEM DOMINO, ADIPEM QUI OPERIT VITALIA. — « Vitalia, » hebraice *interiora*, puta cor et præcordia, quæ maxime faciunt ad vitam tuendam, et quibus læsis vita excidimus.

Vers. 4. 4. ET RETICULUM JECORIS. — Hoc *reticulum* est pinguedo, quæ instar retis hepar circumdat. Unde vers. 15, vocatur *arvina jecoris.*

Allegorice Origenes et Beda : Adeps tegens vitalia est anima Christi, tegens ejus divinitatem; renes sunt caro Christi : Christus enim est omnis hostia nostra, tam pacifica, quam holocaustum et pro peccato.

Tropologice. Tropologice Radulphus : « Adeps, inquit, qui operit vitalia, significat affectum quem habemus ad hanc vitam; pinguedo quoque quæ intrinsecus est, eorum innuit amorem quæ in hac vita possidentur, ut est domus, ager, pecunia, pater, mater et propinqui, quæ omnia, si in hac vita abundent, beatos facere videntur : verum Deus hæc sibi offerri et adoleri præcipit; » quamvis id fiat ægre et cum dolore, ut scilicet quis malit illa perdere, et ab illis averti, quam a Deo et pietate recedere. « Qui enim amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, » ait Dominus.

CUM RENUNCULIS, — cum renibus jam nominatis hoc eodem versu. Est pleonasmus, sive hebraica repetitio ejusdem rei; nam per renunculos hic semper intelligi renes duos, qui in lumbis sunt, adeoque renes lumbares hic Deum sibi adoleri velle, patet ex Hebræo, Septuaginta, Josepho et Philone, qui constanter hic et alibi vertunt, νεφρούς, id est renes. Ita legit et S. Basilius, lib. *De Virginitate*, Origenes hic, *homil.* 3, Theodoretus hic et Quæst. LXI *in Exod.*, Isychius, Radulphus, Beda, Vatablus et alii, imo et Interpres noster, qui quos hoc versu vocavit *renes* et *renunculos*, vers. 10 et 15 tantum vocat *renunculos*. Iidem ergo sunt renes et renunculi.

Renes sunt symbolum appetitus concupiscibilis. Jecur irascibilis. Tropologice iidem, puta S. Basilius, Theodoretus, Isychius, Radulphus, per renes intelligunt appetitum concupiscibilem, maxime libidinis; renes enim sunt vasa genituræ, ait Philo. Unde Ecclesia orat : « Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus. » Iidem per reticulum jecoris intelligunt vim et appetitum irascibilem : hepar enim est fons sanguinis, id est crudelitatis : hæc, ait Radulphus, offerentes victimam pacificam, id est, mediocres et

conjugati, non omnino abjicere debent, sed partim Deo offerre, rebusque divinis impendere, partim mortificare et restringere, uti docent S. Basilius et Theodoretus.

Vers. 8. 8. IN VESTIBULO TABERNACULI, — in introitu tabernaculi, ut dixi vers. 2, puta ante Sanctum, apud altare holocaustorum.

Vers. 9 et 10. 9 et 10. ET CAUDAM TOTAM CUM RENIBUS. — Recte Interpres noster Hebræa vertit, quidquid recentiores cum Chaldæo aliter vertant : nam sic ad verbum habent Hebræa, *caudam integram ad oppositum spinæ dorsi auferent*, id est, ita auferent caudam et eousque, ut simul renes oppositos spinæ dorsi auferant; nam spina dorsi illa parte qua caudæ conjungitur, renes sustinet. Ita Cajetanus. Et hoc videntur voluisse Septuaginta hic et cap. VIII, vers. 25, qui pro cauda (1) habent lumbum; sic enim vertunt, καὶ τὴν ὀσφῦν ἄμωμον σὺν ταῖς ψοίαις, quod Interpres bibliorum Regiorum non bene vertit, *et lumbum immaculatum cum ilibus*; vertendum enim est, *et lumbum immaculatum cum musculis* (hi enim vocantur ψοίαι) *internis*, vel carne interna, cui nimirum adhærent renes, quod idem est ac si diceret : Lumbum cum renibus auferant et offerant Deo. In hostia ergo pacifica ovis, puta agni et arietis, ut patet *Levit.* IX, 19, peculiare erat quod cauda adolebatur Domino; hoc enim non fiebat, si hostia pacifica esset bos aut capra. Cujus rei causam tropologicam dat Radulphus. Cauda, ait, quia finis est corporis, symbolum est consummationis et perseverantiæ in sanctis et bonis operibus; hanc in ove sola offerri præcipit Deus, quia revera ovibus, id est simplicibus, incogitantibus et desidiosis de inconstantia timendum est; non autem victimis caprarum, id est, peccatoribus pœnitentibus; nec victimis boum, id est, laboriosis, qui, videntes fructum laborum suorum, voluptate magna saginantur, itaque acuuntur et roborantur ad labores. Hinc S. Gregorius, homilia 25 *in Evangelia* : « Præcepto, inquit, legis cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri : in cauda quippe finis est corporis, et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. »

Cauda ovis est perseverantia simplicium.

« Perseverantia, ait S. Bernardus, *epist.* 129, nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Vers. 16 et 17. 16 et 17. OMNIS ADEPS DOMINI ERIT JURE PERPETUO IN GENERATIONIBUS, ET CUNCTIS HABITACULIS VESTRIS. — Ita scilicet, ut nulla generatio nullaque domus ab hac lege sese excipere possit.

(1) Cf. not. ad *Exod.* XXIX, 22.

Vers. 17. 17. NEC SANGUINEM, NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. — Nota : Judæis vetitus fuit omnis sanguis, non tantum immolatitius, puta sanguis victimæ, de quo proprie hic agitur, uti mox patebit ex adipe; sed etiam quivis alius, v. g. ovis, capræ, cervi, quem domi ad esum mactabant. Eorum enim sanguinem non edere, sed in terram effundere debebant, ut patet *Deuteron.* XII, 16, et hic cap. XVII, vers. 13, ubi et vers. 11, ratio hujus legis insinuatur, videlicet, quia anima carnis in sanguine est, id est, quia sanguis est vehiculum, nutrimentum et tutela vitæ, vitaliumque spirituum; vita autem solius est Dei : ergo par est et sanguinem soli Deo cedere, etiamsi non sit sanguis victimæ; nam si sit victimæ, clarum est justissimum esse ut is omnis in sacrificio Deo auctori vitæ libetur. Ita Theodoretus. *Secunda* causa est, quia voluit Deus Judæos mansuetudinem docere, et longissime avocare a crudelitate in homines exercenda. Itaque vetuit esum sanguinis bestiarum, in quo vita animalis consistit; concessit autem esum carnis exanguis et exanimis. Ita Isychius et Abulensis. Vide dicta *Genes.* IX, 4 et seq. Hinc et Apostoli primis Christianis, *Actor.* XV, 29, vetuerunt esum sanguinis, ut sic facilius Judæi cum Gentibus consuescerent, in unamque Ecclesiam coalescerent. Judæi enim aversabantur Gentes quasi barbaras, eo quod sanguinem comederent (2).

Sanguinis esus Judæis fuit vetitus ob duas causas. Prima. Secunda.

NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. — Omnem adipem hic edi vetat, eumque sibi deposcit Deus. Adipem intellige, non eum qui carni adhæret, eique immixtus est, sed qui seorsum in intestinis confertus et condensatus est. Rursum, adipem intellige hostiæ immolatæ, aut quæ poterat immolari. Nullum ergo adipem ovis, capræ, bovis, etsi is domi mactatus ad esum esset, poterant comedere Hebræi, quia hæc animalia munda erant ad sacrificium, Deoque immolari poterant; adipem vero aliorum animalium mundorum, quæ Deo non immolabantur, comedere poterant Hebræi. Itaque poterant comedere adipem capræ, cervi, bubali, tragelaphi, pygargi, orygis, camelopardi; hæc enim munda erant ad esum, sed non ad sacrificium, ut patebit cap. VII. Ita S. Augustinus hic, *Quæst.* II. Judæi tamen ut exactius legem hanc servarent, omni omnino adipe, etiam cervi, bubali, etc., abstinebant, eumque abjiciebant, uti etiamnum facere perhibentur. Verum lex hoc non præcipit.

Sic et esus adipis.

Ratio hujus legis erat, quia adeps igni est aptissimus, estque optima portio hostiæ : hanc ergo

Cur?

(2) Adde, hoc interdictum procul dubio respexisse ad valetudinem in Orientalibus illis regionibus, in quibus sanguis citius in putredinem abit, ideoque in cibum noxior est quam in nostris septentrionalibus regionibus. Accedebat fortasse, quod sanguinis esus in sacrificiis in fœderum pactione ethnicorum usitatus esset, ita ut is, qui in sacrificiis sanguinem biberet aut ederet, sese deorum ethnicorum cultorem profiteri videretur.

Deo cedere par erat, si esset adeps victimæ immolatæ; sin autem esset adeps victimæ non immolatæ, sed quæ immolari poterat, par erat ut ob Dei reverentiam, adipe hoc etiam non immolato abstinerent, quia adeps hic erat ex hostiis quæ Deo immolari poterant. Idque voluit Deus, ut sic semper haberent Hebræi religionis et cultus Dei exercitium, utque eum etiam domi jugiter hac ratione colerent et venerarentur. Ex adipe hoc Deo sacro manavit illa Scripturæ phrasis, ut sacrificium Deo gratum et dignum vocet sacrificium pinguium, oretque ut holocaustum nostrum pingue fiat. Victimæ enim carnosæ et bene saginatæ, abundant pinguedine et adipe.

Mystice, adeps est devotio, et intentio, quæ in omni opere ad Deum est dirigenda.

Tropologice, ut Isychius et Radulphus, adeps animæ est animæ desiderium, affectus, devotio et intentio, quæ in omni opere quo Deo placere, Deique gratiam demereri cupimus, ad Deum est dirigenda; quisquis ergo in bono opere quod agit, gloriam non Dei, sed suam, aut lucrum temporale quærit, hic adipem Domino subtrahit et comedit. Mediocres ergo et conjugati (qui per hostiam pacificam significantur) in suis negotiosis operibus hunc saltem adipem, puta hanc sinceram intentionem Dei offerre debent; per eam enim opera indifferentia, ut fabricare, arare, fodere, etc., fiunt sancta et meritoria, actusque religionis, charitatis, etc. Hoc pauci milites, rustici, mechanici sciunt, vel advertunt: hinc pro lucro multa tolerant, multum laborant, sed frustra, quia apud Deum mercede carebunt, cum ad eum labores suos non retulerint. Hoc ergo doceant eos Pastores et Catechistæ, ut uno eodemque opere, ob hanc piam intentionem; qua opus Deo offerunt, illudque suscipiunt ob Dei honorem et amorem, lucra tam æterna quam temporalia acquirant. « Sicut fabrica, ait S. Gregorius, columnis, columnæ autem basibus innituntur : ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. » Et rursum : « Si semel, inquit, cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus ab hoste callido secure possidetur : quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulneravit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens, reproba intentione polluatur. » Et S. Bernardus, tract. *De Præcept. et dispens.* : « Ut interior, ait, oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, et veritatem in electione; quomodo enim simplex erit oculus, qui ex ignorantia veritatis malum nescius agit? Hujus enim bonus est oculus, quia pius; non tamen simplex, quia cæcus. Et est qui bonum et libenter agit, et prudenter intelligit: illius oculum simplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia; ille vero oculus nequam est, qui perversus, pariter cæcus, bonum agit, et malum credit. »

Tropologias horum trium primorum capitum etiam sequentibus applica.

Denique nota : Sicut in holocausto, ita et in hostia pacifica adhibebatur libamen thuris, salis, olei, vini et farinæ, idque certa mensura, atque eo ritu quem dixi capite præcedenti, vers. 13, de quo plura *Num.* XV, 4.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur quarta species sacrificii, scilicet hostia pro peccato, eoque per ignorantiam commisso. Hæc hostia erat quadruplex : prima, pro peccato pontificis, quæ erat vitulus, vers. 3; *secunda, pro peccato populi, quæ erai vitulus, vers.* 13; *tertia, pro peccato principis, quæ erat hircus, vers.* 22; *quarta, pro peccato plebeii, quæ erat capra, vers.* 27, *vel ovis, vers.* 32.

1. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens : 2. Loquere filiis Israel : Anima quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit : 3. si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino ; 4. et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. 5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii. 6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarii. 7. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi. 8. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quam omnia quæ intrinsecus sunt : 9. duos re-

nunculos, et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis, 10. sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum; et adolebit ea super altare holocausti. 11. Pellem vero et omnes carnes, cum capite, et pedibus, et intestinis, et fimo, 12. et reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent; incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. 13. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, 14. et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. 15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, 16. inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii; 17. tincto digito aspergens septies contra velum. 18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii; reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. 19. Omnemque ejus adipem tollet et adolebit super altare : 20. sic faciens et de hoc vitulo quo modo fecit et prius, et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. 21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut et priorem vitulum, quia est pro peccato multitudinis. 22. Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur; 23. et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. 24. Ponetque manum suam super caput ejus : cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, 25. tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus. 26. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet; rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. 27. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, 28. et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam. 29. Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, et immolabit eam in loco holocausti. 30. Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo; et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino; rogabitque pro eo, et dimittetur ei. 32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam, 33. ponet manum super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent cædi holocaustorum hostiæ. 34. Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini, rogabitque pro eo, et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

Vers. 1. 1. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN. — Incertum est an eodem tempore, quo locutus est ea quæ præscripta sunt cap. I, II et III, an alio; nam quod verbum *locutus est* hic repetatur, arguere potest tantum novitatem materiæ, non autem temporis. Ita Abulensis.

Vers. 2. 2. ANIMA, — homo. Vide dicta cap. II, vers. 1.

QUÆ PECCAVERIT PER IGNORANTIAM, — sive legis et juris, sive facti, eamque crassam et culpabilem. Pro *ignorantiam* hebr. est שגגה *segaga*, quod recentiores vertunt errorem et lapsum ex passione, v. g. ex vehementi cholera. Verum *segaga* proprie significat *ignorantiam*, et ita vertunt Chaldæus, Philo, S. Hieronymus et alii.

ET DE UNIVERSIS MANDATIS DOMINI, QUÆ PRÆCEPIT UT NON FIERENT, QUIPPIAM FECERIT (1). — « De universis, » ergo tam naturalibus, quam cæremonialibus et judicialibus; tam affirmativis, quam negativis mandatis. Ita Ribera contra Abulensem, qui de solis cæremonialibus hic agi putat. Ratio

(1) Errat Rosenmullerus, qui dicit, post *quidpiam fecerit*, subaudiendum esse, *sacrificio delictum expiet*. Sermo ita struendus est, *quando* (כי) *aliquis deliquerit per imprudentiam*....., (vers. 3) *si sacerdos peccaverit, juvencum offerat*, et sic porro vers. 13, 22, 27, id est, quando deliquerit aliquis, is, si sacerdos fuerit, etc.

est, quia in omnia omnino cadere potest error, saltem facti, qui sacrificio expiandus erat. Si enim quis, non per ignorantiam, sed scienter violasset ea quæ in Decalogo mandantur, idque publicum fuisset, hic culpam non sacrificio, sed pœna et mulcta a judice inflicta fuisset, ut patet *Deuter.* cap. XIX, 12 et ultimo, et alibi : unde sequitur hic agi de peccato occulto, non publico, uti docet Josephus, lib. III, cap. X, et ex eo Ribera; publicum enim per judicem punitum fuisset; judex enim non admisisset excusationem ignorantiæ : nam in judicio cum agitur de crimine, præsumitur reus scivisse legem, et facti sui speciem, nisi ipse contrarium doceat.

MANDATIS, — id est, mandato aliquo prohibitis.

Unde sequitur : « Quæ præcipit ut non fierent; » sicut enim Hebræi sæpe actus ponunt pro objecto, ut amorem pro re amata, timorem pro re timenda (quomodo dicitur Deus amor et timor noster, vide *Can.* 21): ita pariter legem aut mandatum ponunt pro re, quæ lege vel mandato vetatur. Ita Cajetanus.

QUÆ PRÆCEPIT UT NON FIERENT. — Hebraice est, *quæ non fient*, id est, quæ ex Dei lege fieri non debent, *q. d.* Qui fecerit aliquid lege prohibitum, sive qui contra legem aliquid fecerit, et peccaverit, vel commissione, vel omissione : nam non tantum præcepta negativa, sed et affirmativa, sicuti præcipiunt rem quam mandant, ita contrarium ejus ejusque omissionem prohibent, v. g. cum dicitur : *Honora patrem*, præcipitur honor patris, et simul prohibetur contumelia et omissio honoris patri debiti.

Vers. 3 3. SI SACERDOS, QUI UNCTUS EST, PECCAVERIT. — « Sacerdos, » id est pontifex : nam Septuaginta habent ἀρχιερεύς, et Chaldæi, *sacerdos magnus*; illius enim peccatum ob personæ dignitatem erat maximum. Unde primo loco hic ponitur, et hostia maxima, puta vitulo, expiari jubetur.

QUI UNCTUS EST, — postquam consecratus est. Ita Septuaginta, qui vertunt ὁ κεχρισμένος; nam si designatus pontifex peccasset antequam consecraretur, tunc victima plebeii aut principis expiabat se. Ita Ribera.

DELINQUERE FACIENS POPULUM. — Hebr. *Si peccet ad peccatum populi*, ut scilicet suo peccato scandalizet, et peccare faciat populum. Potest *secundo* verti, *si peccet secundum peccatum populi*, vel sicut populus peccare solet; quo tacite significat lex, pontificis non esse peccare, sed populi : pontificis enim est intercedere pro peccatis populi.

Vers. 4. 4. ET IMMOLABIT EUM DOMINO. — Puta ipsemet pontifex qui peccavit, uti præcessit; neque enim alius hic nominatur sacerdos inferior qui id faciat, sicuti nominatus est cap. I, vers. 5, in sacrificio laici, de quo tamen minus erat dubium quin per Aaronem et filios ejus fieri deberet. Rursum, pontifex qui peccaverat, debebat imponere manus suæ victimæ, uti sequitur, et eamdem immolare; omnia enim hæc eodem spectant, et eumdem pontificem qui peccavit respiciunt. Ita ex Philone Ribera contra Abulensem.

Moraliter Origenes : Admonetur, inquit, hic pontifex infirmitatis suæ, ut humiliter agnoscat et intelligat peccatum suum : nunquam enim se emendat, qui peccasse se non putat. Simul docetur facile indulgere peccantibus; nam, ut aiebat Dido :

> Non ignara mali miseris succurrere disco.

Vers. 6. 6. ASPERGET EO (sanguine vituli a se et pro se immolati) SEPTIES CORAM DOMINO CONTRA VELUM SANCTUARII, — puta contra velum Sancti sanctorum, ubi præsentiam suam exhibet Deus in propitiatorio. Aspergendo ergo sanguinem coram velo Sancti sanctorum, dicebatur eum aspergere coram Domino.

Nota : « Asperget septies, » ut scilicet perfecta fiat expiatio. Septenario enim significatur perfectio : sic septem peccata capitalia, omnia peccata comprehendunt.

Nota, multa fuisse peculiaria in sacrificio hoc, uti et in sacrificio pro peccato totius populi, sicut patet textum legenti et conferenti, idque ad hoc, ut per ea significaretur gravitas peccati tum sacerdotis, sive pontificis, tum totius populi.

Vers. 7. 7. IN BASIM (juxta basim, patet vers. 18) ALTARIS (quod est) IN INTROITU (juxta introitum) TABERNACULI.

Vers. 8. 8. ET ADIPEM VITULI OFFERET. — Corrige *auferet*, scilicet a vitulo, ut offerat et adoleat eum Deo. Ita Hebræa, Chaldæa, Græca, Romana.

TAM EUM QUI VITALIA OPERIT, QUAM OMNIA QUÆ INTRINSECUS SUNT, — *q. d.* Auferet et offeret adipem omnem, tam eum qui operit vitalia, puta cor et præcordia, quam eum qui est intra ipsa vitalia et viscera. Ita Hebræa.

Vers. 10. 10. SICUT OFFERTUR. — Corrige *aufertur*, juxta ea quæ dixi vers. 8.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. PELLEM VERO ET OMNES CARNES, CUM CAPITE, ET PEDIBUS, ET INTESTINIS, ET FIMO, ET RELIQUO CORPORE EFFERET EXTRA CASTRA IN LOCUM MUNDUM, UBI CINERES EFFUNDI SOLENT, INCENDETQUÆ EA. — Nota : Hic erat ritus hostiæ pro pontificis peccato. *Primo*, pontifex ipse adducebat ad altare suam hostiam, scilicet vitulum, eique suas manus imponebat, quasi imprecans et imponens ei peccatum suum. *Secundo*, ibidem eam jugulabat et immolabat. *Tertio*, cratere ejus sanguinem excipiebat, quem inferebat in tabernaculum, septies eo aspergens velum oppositum Sancto sanctorum, eodemque tingens cornua altaris thymiamatis; reliquum vero sanguinem referebat in atrium, eumque effundebat juxta basin altaris holocaustorum. *Quarto*, in altari holocaustorum cremabat adipem et renes hujus hostiæ, puta vituli. *Quinto*, reliquum hostiæ, puta totum vitulum, cum pelle, intestinis et fimo ferebat extra

Ritus sacrificii pro peccato pontificis.

castra, eaque omnia cremabat in loco mundo, ubi cineres victimarum effundi solebant.

Victima pontificis tota crematur extra castra, cur? Prima Causa.

Quæres, cur jussit Deus hunc vitulum oblatum pro peccato pontificis, uti et vitulum oblatum pro peccato totius populi, totum cum pelle comburi, non in altari, sed extra castra?

Respondeo : Litteralis causa hujus cæremoniæ fuit, *primo*, ut illa excitaret in Judæis ingens peccati odium et horrorem : tacite enim significabat, quod sicut victima pro peccato extra castra cremabatur, ita multo magis peccatum ipsum, et peccatores extra mundum cremandi essent in inferno. *Secundo*, nemo, inquit Philo, lib. *De Victimis*, est pontifice aut toto populo præstantior, qui pro eo peccante deprecator apud Deum allegari possit, ut hac ratione ex lege quæ hic, cap. VI, vers. 26, præscribitur, eorum victimas pro peccato comedat : restat ergo ut illæ extra castra crementur. Addit Theodoretus, *Quæst.* III, totam hostiam cum pelle comburi, ut demonstretur sacerdotem, sive pontificem, non aliquatenus, sed totum se omniaque sua dedicasse Deo universorum, cumque per peccatum aliquid sui Deo subtraxerit, hinc pro se totum vitulum Deo consecrare et immolare. *Tertio* et proprie, hæc cæremonia tacita erat oratio, qua pontifex rogabat Deum, ut peccata ista pontificis, vel totius populi, id est, pœnæ peccatis eorum debitæ, ipsum populum non tangerent nec læderent, sed cum victima hirci et vituli quasi extra castra populi offerrentur, cremarentur et abolerentur.

Secunda.

Tertia.

Peccatum pontificis æquatur peccato totius populi.

Ubi nota peccata pontificis, utpote personæ communis, et principis totius populi, æquari peccatis totius populi : nam tam victima pro peccato pontificis, quam victima pro peccato populi cremanda erat extra castra, ut significaretur peccatum pontificis, quasi principis, tota populi castra contaminare ; alia enim peccata privatorum hominum expiabantur victima immolata in ipsis castris, et in ipso atrio tabernaculi, neque censebantur tota castra contaminare, maculare aut polluere.

Allegorica causa.

Causam allegoricam hujus cæremoniæ dat Apostolus, *Hebr.* XIII, 12, scilicet hac cæremonia significatum fuisse, quod « Christus extra castra, » id est extra portam urbis Jerusalem (castra enim habebant suas portas, erantque quasi urbs cum suo tabernaculo et templo ambulans et mobilis per desertum), torquendus erat in cruce, et abolito castrorum Judaicorum tabernaculo et templo, Ecclesiam Gentium per totum orbem diffundendam morte sua erat instituturus : hoc est enim quod ait S. Leo, serm. 9 *De Passione* : « Nec intra septa civitatis ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris et extra castra crucifixus est Christus, ut verum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, et crux Christi non templi esset ara, sed mundi. » Unde et S. Joannes, cap. XI, vers. 53, ait Christum morti destinatum esse « pro gente » Judaica, « et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant » toto orbe inter Gentes « dispersi, congregaret in unum. » Denique sanguis victimarum expians Sanctum et Sanctum sanctorum, ut patet cap. XVI, vers. 15, significabat Christum sanguine suo expiaturum Ecclesiam, et cœlum ipum ; non quasi cœlum in se immundum sit, sed quod legaliter et symbolice censeretur immundum, et quasi aspergine quadam peccati (peccatum enim morali quadam æstimatione censetur, et in Scriptura dicitur, contaminare ipsam terram, cœlum totumque mundum) maculatum, ideoque clausum, perinde ac templum pollutum clauditur ; Christus ergo suo sanguine peccata nostra expians, etiam cœlum ipsum peccatis nostris quasi contaminatum, quodam modo expiasse et reconciliasse censetur, dum illud nobis aperuit et reseravit. Ita Radulphus hic in cap. XVI.

Crux Christi ara est non templi, sed mundi.

Tropologica causa, Christiani exire debent extra castra mundi.

Tropologicam causam hujus cæremoniæ dat Apostolus, *Hebr.* XIII, 13, scilicet hanc cæremoniam significasse nos omnes, qui ad Christum et altare Eucharisticum accedere cupimus, exire debere « extra castra » pompæ, voluptatum, luxus et legum tabernaculi, id est mundi hujus caduci et mobilis, ut portemus improperium crucis Christi, imitando scilicet et voluntarie amplectendo Christi ignominiam, paupertatem, abstinentiam, humilitatem, contemptum, persecutiones, tormenta et martyrium : hisce enim verbis Apostolus excitat Hebræos, ut Judæorum prrsecutiones, contumelias, et dira quæque pro Christi fide fortiter sustineant, et in iis glorientur, tanquam qui cum Christo extra castra Judaismi, et mundanæ felicitatis egrediantur portantes improperium crucis ipsius. Sic « Apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Exeamus ergo et nos cumulati opprobriis, consputi, milleque probris oppleti, portantes crucem nostram cum Christo : exeamus, inquam, læti, fidentes et animosi, tanto duce Christo nobis præeunte, dicamusque cum Paulo : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Ita Procopius et Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*, atque Theodoretus, S. Thomas, Anselmus et Theophylactus in cap. XIII *ad Hebræos*.

Anagogica causa.

Anagogicam causam dat ibidem Paulus vers. 14, scilicet hac cæremonia adumbratum fuisse, quod in hac vita et mundo non habeamus manentem civitatem, sed quod in eo degamus quasi in castris et tabernaculis, ut sciamus nos hic esse peregrinos et milites, qui futuram civitatem in cœlis inquirere, et pro ea generose contra carnem, mundum et dæmonem dimicare, ad eamque omnibus viribus tendere et conniti debeamus. Addit Beda : Christus, ait, in cœlo oblatus est pro munere Angelorum et Beatorum, quos visione suæ humanitatis et divinitatis beat ; in terris vero oblatus est pro peccato, id est passus est extra castra Angelorum et Beatorum, de quibus dixit Jacob : « Castra Dei sunt hæc, » *Gen.* XXXII, 2.

Vers. 12. 12. EFFERET EXTRA CASTRA IN LOCUM MUNDUM — Licet enim hoc sacrificium esset pro peccato pontificis, ideoque victima cremaretur extra castra, tamen quia sacrificium hoc expiatorium, sanctum et mundum erat; hinc locus mundus debebatur ei, victimæque cineres, quasi reliquiæ sacrificii, mundo loco erant reponendi, ne a populo calcarentur, vel irreverenter tractarentur.

UBI CINERES EFFUNDI SOLENT. — Nota : Cineres victimarum primo in atrio, juxta altare holocaustorum effundebantur, indeque ad locum mundum, de quo hic agitur, extra castra efferebantur, in quo vitulus hic pro pontificis peccato jugulatus jubetur cremari.

Tropologice. Tropologice significatur hic non licere peccata sacerdotum in publicum jactare, neque in locum immundum, id est in detractorum conventicula, et in profanas ac maledicas linguas, sed curandum esse ut taceantur, et omnes eorum reliquiæ charitatis igne consumantur, ac perpetuo silentio contegantur, utque nihil remaneat quod trahi possit in exemplum. Ita Ribera, lib. IV *De Templo*, cap. VII, qui cætera omnia tropologice applicat, et sigillatim adaptat.

Vers. 13. Secunda hostia pro peccato, scilicet populi, erat vitulus. 13. QUOD SI OMNIS TURBA ISRAEL IGNORAVERIT. — *q. d.* Si totus populus Judæorum, vel certe maxima ejus pars peccaverit per ignorantiam. Est hæc secunda hostia pro peccato, scilicet totius populi.

Nota : Eadem præscripta est hostia in peccato populi, quæ præscripta est in peccato pontificis, puta vitulus. Idemque erat ritus immolandi utriusque, quem descripsi vers. 11, nisi quod in peccato populi, non pontifex, sed seniores populi pro toto populo manus hostiæ imponebant (1).

Vers. 15 et 16. 15 et 16. IMMOLATOQUE VITULO IN CONSPECTU DOMINI, INFERET SACERDOS QUI UNCTUS EST, — puta pontifex; nam peccatum totius populi erat valde grave : hinc illud solus expiabat pontifex; maxime quia hoc sacrificium pro peccato populi, typus erat expiationis culpæ totius generis humani, quam solus potuit facere Christus Pontifex noster.

Vers 18. 18. ALTARIS QUOD EST CORAM DOMINO, — puta altaris thymiamatis, quod in Sancto obversum erat propitiatorio, in quo residebat Deus.

QUOD EST IN OSTIO (*in*, id est, *juxta ostium*) TABERNACULI.

(1) Versus 13 et 14 vulgo vertuntur, *si totus Israelis cœtus aliquid deliquerit... et culpam contraxerint* (vers. 14), *si peccatum ab iis commissum innotuerit, offerat congregatio juvencum*, etc. Maurer vero construit, *si totus Israelis cœtus aliquid deliquerit... culpam contraxerunt. Si peccatum ab iis commissum innotuerit, offerat*, etc. Cæterum duo notat hic Clericus, *primo*, mulctam etiam ignorantia aut imprudenter peccantibus a Mose impositam fuisse, ut apud Hebræos legum cognoscendarum et observandarum studium aleret; *secundo*, peccata hic intelligit in rebus ritualibus, aliisque, quæ neque capitis supplicio sancitæ fuerant, et facile poterant ignorari, aut non animadverti.

20. ROGANTE PRO EIS SACERDOTE (pontifice) PROPITIUS ERIT EIS DOMINUS, — *q. d.* Dominus placatus hoc sacrificio, non inferet populo pœnam in hac vita, quam alioqui inflixisset; nam quoad culpam et pœnam alterius vitæ, hæc non tollebatur sacrificio aut prece sacerdotis, sed contritione eorum qui peccaverant : cujus contritionis signum et protestatio erat hoc sacrificium, quod pro peccato suo offerebant. Vers. 20

21. IPSUM AUTEM VITULUM EFFERET EXTRA CASTRA, ATQUE COMBURET, QUIA EST PRO PECCATO MULTITUDINIS, — *q. d.* Si hæc victima fuisset oblata pro peccato principis, aut privatæ personæ, non cremaretur extra castra, sed de more in altari holocaustorum. Rursum, non inferretur ejus sanguis in tabernaculum, ut eo aspergeretur altare thymiamatis : hæc enim duo tantum fiebant in peccato pontificis et totius populi. Et hoc est quod ait Apostolus *Hebr.* XIII, 11 : « Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. » Vide dicta vers. 11. Vers. 21

22. SI PECCAVERIT PRINCEPS. — Est hæc tertia hostia pro peccato, scilicet principis. *Princeps* hic vocatur is, qui erat dux, caput et primus in familia, aut tribu, aut exercitu; hunc enim significat hebr. נָשִׂיא *nasi*, id est elevatus, qui dignitate inter suos eminet, ut patet *Num.* I, vers. 4, et cap. VII, vers. 2. Vers. 22 Tertia hostia pro peccato, scilicet principis, erat hircus

Principis peccati et hostiæ legem specialem Deus hic sanxit, ut sciant principes se homines esse, errare et peccare posse, dicantque : Homo sum, humani a me nihil alienum puto; ac proinde si quid male promiserint, fidem rescindant; si quid mali imperarint, retractent, nec mordicus in eo quod semel statuerunt, persistant, sive fas sit, sive nefas. Ita Agesilaus rex Lacedæmonum, urgenti verbum regis, dicentique : Assensus es : « Omnino, inquit, assensus sum, si res justa est; sin minus, dixi sane, verum assensus non sum; » inferentique : At vero « reges par est implere quod capite annuerint, » respondit : « Non magis, quam æquum est ut qui regem accedunt, petant dicantque justa, considerato quid occasio et decorum regis ferat. » Ita Cato Major aiebat : « Malo nullam ob beneficium collatum gratiam adipisci, quam ob delictum non dare pœnam; omnibusque peccantibus, me uno excepto, ignosco. » Ita Agesipolis Cleombroti filius objicienti quod, cum rex esset, datus fuisset obses : « Quia, inquit, justum rectumque est nosmetipsos nostra peccata luere. » Ita Plutarchus in *Apophtheg.*

23. OFFERET HOSTIAM DOMINO HIRCUM DE CAPRIS, — Hebraice, *hircum caprarum*, id est hircum filium alicujus capræ. Ubi duplex est hebraismus : prior, quod numerus pluralis ponatur pro singulari, puta *caprarum* pro *capræ;* posterior, quod hac phrasi Hebræi significent hircum novellum, et adhuc matrem sequentem : quando enim animali cuipiam additur genitivus femininus pluralis, Vers. 23 Nota ca nonem.

tunc significatur animal illud tenerum esse, ita ut necdum a matre sit avulsum. Unde Alexander Macedo, quia juvenis erat, vocatur *hircus caprarum*, *Daniel.* VIII, 21. Similia sunt *Genes.* XXXVII; 17; I *Esdr.* VI, 17; *Psalm.* CXIII, 4; *Ezech.* XLV, 23, in Hebræo.

Alexander Magnus vocatur hircus caprarum, cur?

Septuaginta, pro *hirco* et *capra*, vertunt *chimarrus* et *chimarra*, id est fœtus caprarum chimerini, hoc est hyberni : bis enim in anno pariunt capræ, semel in æstate, semel in hyeme. Per hyemem ergo et capram hybernam, videtur significari pœnitentia. Ita Isychius et Radulphus.

Tropologice. Rursum princeps, id est vir sanctus et heroicus, pro peccato offert hircum, id est fortem et duram subit pœnitentiam; anima vero de populo terræ, id est homo infirmus, qui est ex grege vel fæce hominum, pro peccato offert capram, id est levem, remissam et quasi femineam, quam sustinere possit, obit pœnitentiam : ita Radulphus.

Vers. 24 et 25. 24 et 25. CUMQUE IMMOLAVERIT (non princeps, sed sacerdos ad quem spectat immolare), QUIA PRO PECCATO EST, TINGET SACERDOS DIGITUM IN SANGUINE HOSTIÆ PRO PECCATO, TANGENS CORNUA ALTARIS, — *q. d.* Si non esset hostia pro peccato, non tingeret sacerdos sanguine cornua altaris; illa enim tinctio tantum fiebat in sacrificiis pro peccato (1) : altare enim Deum repræsentabat, itaque tingebat illud sanguine sacerdos, quasi significans se sanguinem peccatoris Deo debitum, in hac victima illi dare, itaque placari Deum.

Nota, hoc versu et vers. 3, 25, 26, *hostia pro peccato* vocatur hebraice חטאת *chattat*, græce ἁμαρτία, id est *peccatum*, metonymice; peccatum enim hominis, impositione manus in hostiam, morali æstimatione quasi transferebatur. Sic Paulus, II *Cor.* cap. V, vers. ult. : « Eum, inquit, qui non noverat peccatum (Christum), pro nobis peccatum (id est hostiam pro peccato) fecit, ut nos efficeremur justitia (justi) Dei in ipso (per ipsum). »

Vers. 27. Quarta hostia pro peccato, scilicet plebeii, erat capra. 27. QUOD SI PECCAVERIT ANIMA PER IGNORANTIAM DE POPULO TERRÆ. — « Anima de populo terræ, » est homo plebeius, vulgaris et gregarius. Est hæc quarta hostia pro peccato, scilicet plebeii : hujus hostia erat capra.

Tropologice Beda : Anima, ait, quæ peccat, est de populo terræ, quia terrenis bonis inhiat; nam ea quæ non peccat, est ex iis de quibus dicitur : « Nostra conversatio in cœlis est. »

Vers. 25. 32. SI AUTEM DE PECORIBUS, — de pecudibus (vide dicta cap. I, 10), puta de ovibus; nam de capris jam præcessit. Unde Hebræa clare habent : *Si ovem adduxerit oblationem pro peccato, femellam, integram adducet eam.*

Cur? Notat Philo, principem pro peccato offerre hircum; plebeium capram, quæ minoris pretii est victima, quia mas magistratui, femina plebeio competit : minus enim virilitatis et sapientiæ habet plebeius quam princeps. Rursum capra et ovis tacite admonebat offerentes, ut in posterum innocentiæ studerent, darentque operam ut quibus injuria aliqua aut exemplo nocuerant, omni ratione prodessent; sic enim oves et capræ suo lacte, lana, carne, corio omnibus prosunt.

33. IMMOLABIT EAM (per sacerdotem) IN LOCO, etc., HOLOCAUSTORUM, — scilicet juxta altare, ubi immolari solent holocausta. Ita Septuaginta. Vers. 33.

35. CREMABIT SUPER ALTARE INCENSUM DOMINI, — id est, ut hebræa habent, *adolebit sacerdos ea ad incensa* (vel in incensa) *Domini*, ut scilicet sint incensa Domini (2). Itaque sicut in victimis pacificis, sic et in hostia pro peccato, solus adeps cum renibus et sanguis Deo cedebant. Quid faciendum sit de carnibus hujus hostiæ pro peccato plebeii, uti et hostiæ pro peccato principis, dicet Moses cap. VI, vers. 26. Vers. 35.

Hostiæ pro peccato imponebatur sal, non thus, nec libamina.

Nota : In sacrificio pro peccato, uti et in quolibet alio, victimæ imponebatur sal, uti præscriptum est cap. II, vers. 13; non vero alia libamina vini, olei et farris : hæc enim tantum addebantur holocausto et victimæ pacificæ : cujus differentiæ causam assignabo *Numer.* XV, 3. Hinc sequitur nec thus impositum fuisse victimæ pro peccato. Thus enim non victimæ, sed ejus libamini, puta farri, imponebatur, ut patet *Levit.* II, 1. Sacrificium autem pro peccato non habebat libamen farris, uti jam dixi : ergo nec thus, imo si, deficiente victima, offerenda esset simila, sive far pro peccato, illi non imponebatur thus, uti diserte præcipit Deus, cap. V, vers. 11.

Decem miracula Judaica in sacrificiis.

Denique audi hic decem miracula in sacrificiis, quæ recensent Judæi : *primum*, inquiunt, erat, quod cum statis festis innumera vis hominum ad templum conflueret, nulli unquam defuerit hospitium; *secundum*, cum in templo stabant, se invicem comprimebant; cum vero in terram procumberent confessionem peccatorum facturi, omnes satis spatii habebant, quod ne alius alium sua delicta confitentem audiret, quatuor cubitorum esse oportebat; *tertium*, ignis sacrificiorum cum esset sub dio, nunquam a pluvia fuit extinctus; *quartum*, fumum victimarum nulli venti dimovere poterant, quin semper recta in cœlum ascenderet; *quintum*, nunquam malus casus aliquis accidit summo sacerdoti in die expiationis; *sextum*, nullum unquam vitium inventum fuit in panibus propositionis vel primitiarum; *septimum*, nulla unquam mulier gravida abortiit, ob odorem carnium sanctificatarum; *octavum*, nunquam fœtuit caro sanctificata; *nonum*, nulla musca visa fuit in eo loco, ubi mactabantur victimæ; *decimum*, nullus unquam læsus fuit a serpente vel a

(1) Hoc tamen discrimine, quod in sacrificio pro peccatis pontificis et populi, ubi sanguis victimarum inferebatur in Sanctuarium, tingerentur cornua altaris suffitus, in aliis cornua altaris holocausti.

(2) *Ea*, quamvis *adeps* in singulari antecesserit, quia legislator plura intelligit membra, quibus adeps adhærebat. Cf. cap. III passim.

scorpione. Verum hæc crassa miracula illis fabulonibus relinquamus.

Moraliter de compunctione. Mystice, sacrificium pro peccato est pœnitentia et contritio, *Psalm.* L : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » *Baruch* II, 18 : « Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes (lacrymis, jejuniis et vigiliis), et anima esuriens dabit tibi gloriam et justitiam Domino. » *Daniel.* III : « In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, etc., sic fiat sacrificium nostrum. » « Ad pœnitentiam, ait S. Augustinus, *De Pœnit.*, agendam non sufficit mores immutare in melius, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. » Notent hoc Lutherus et Novantes, qui pœnitentiam aliam non agnoscunt, quam resipiscentiam et novam vitam. Adjicit S. Augustinus : « O humilis lacryma, tuum est regnum, tua est potentia, aspectum judicis non vereris, inimicis accusantibus silentium imponis. Sola intras ad regem, sed sola non recedis : vincis invincibilem, et ligas omnipotentem. » S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* : « Quo uberius, ait, culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renovatur. » Et mox : « Vis compunctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit; cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. » Idem, lib. III *Dialogorum*, docet compunctionem hanc primum ex timore gehennæ, deinde ex amore Dei et regni ejus promanare : « Qui prius, inquit, flebat, ne duceretur ad supplicium, postea amarissime flere incipit, quia differtur a regno. »

S. Bernardus, serm. 10 *in Cant.* : « Unguentum, inquit, est contritionis, est unguentum devotionis, est unguentum pietatis : primum pungitivum, dolorem faciens; secundum temperativum, dolorem leniens; tertium sanativum, morbum expellens. »

S. Chrysostomus, lib. *De Compunctione cordis* : « Sola, inquit, compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum. Sicut impossibile est ut ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctionem vigere in deliciis. Illa enim mater est fletus, hæ risus; illa cor constringit, istæ dissolvunt. »

Scimus quam Christo gratum fuerit sacrificium compunctionis S. Magdalenæ, S. Petri, S. Pauli, S. Matthæi, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Pelagiæ pœnitentis, et S. Thaidis, quæ pœnitens triennio cellæ se inclusit, dixitque : « Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, et flebam semper illa conspiciens. » Unde Paulus discipulus S. Antonii vidit lectum pretiosum in cœlo illi præparatum, quem tres virgines clara facie fulgentes custodiebant. Hoc meruit ejus humilis pœnitentia, qua ex institutione B. Paphnutii, non audebat Deum nominare, nec manus in cœlum expandere, sed una ejus vox hæc erat : « Qui plasmasti me, miserere mei. »

Merito dixit Abbas ille sanctus : « Ut umbra corpus, sic compunctio te ubique comitetur. » Et alius : « Filii Israel post quadraginta annos intraverunt in terram promissionis. Lacrymæ sunt terra promissionis, ad quas si perveneris, jam non timebis bellum. »

Nota est contritio Arsenii assidue lacrymantis, et Fabiolæ publice pœnitentis, apud S. Hieronymum, et alterius apud Ruffinum, lib. II, cap. I, qui sepulcro se inclusit, et tanquam vivens sepultus, de inferno mugitum cordis gemitumque assidue edebat; unde audivit dæmones clamantes : « Vicisti, vicisti. » Vere ergo ait Damascenus in *Vita Barlaam*, contritio, et « fons lacrymarum est baptismus. » Narrat Palladius in *Lausiaca*, cap. XLVI, de quodam monacho lapso : qui in se reversus speluncæ se inclusit, sibique saccum et cinerem substravit, nec prius e terra surrexit, nec cessavit flere, quam angelum audivit dicentem : « Accepit Deus pœnitentiam tuam, et tui misertus est : vide ne deinceps decipiaris. »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite et initio sequentis specificantur aliqui casus circa peccata aliena, ne quis propria putet duntaxat expianda sacrificio. Censet Benedictus in suis Bibliis hoc capite agi de expiatione peccati ex passione commissi; capite vero præcedenti, de expiatione peccati ex ignorantia; et capite sequenti, puta VII, *de expiatione peccati ex certa scientia facti. Verum repugnant verba Scripturæ, vers.* 3, 4, 15, 17, 18, *ex quibus patet, hoc capite agi etiam de expiatione peccati ex oblivione, errore et ignorantia admissi.*

1. Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. 2. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile, et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est et deliquit; 3. et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto. 4. Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, 5. agat pœnitentiam pro peccato, et 6. offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos, et pro peccato ejus; 7. sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum; 8. dabitque eos sacerdoti, qui primum offerens pro peccato retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, et non penitus abrumpatur. 9. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris; quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est. 10. Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet; rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus, et dimittetur ei. 11. Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. 12. Tradetque eam sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in monimentum ejus qui obtulerit, 13. rogans pro illo et expians; reliquam vero partem ipse habebit in munere. 14. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 15. Anima si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii; 16. ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei. 17. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, 18. offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati : qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit; et dimittetur ei, 19. quia per errorem deliquit in Dominum.

Vers. 1. *Jurantis*, id est adjurantis.

1. SI PECCAVERIT ANIMA, — eo modo quo sequitur. Casus et leges hujus capitis et sequentis ad omnes, etiam pontifices pertinere videntur; nulla enim hic personarum distinctio, uti facta est capite IV.

ET AUDIERIT VOCEM JURANTIS. — « Jurantis, » hoc est, ut Chaldæus, Vatablus et alii vertunt, *adjurantis*, puta judicis. Unde et nonnulla Biblia manuscripta legunt *adjurantis*; quin et Radulphus utramque lectionem, scilicet *jurantis* et *adjurantis*, adfert et exponit. Vilalpando quoque in cap. XVII *Ezech.* pag. 3 : « jurantis, » ait, id est judicis prævio juramento interrogantis, *q. d.* Si quis testis a judice adjuratus, ut vere dicat id quod vidit,

aut scit de re in judicio controversa : si is eam non indicet, sed palliet vel neget, dicatque se nihil de illa se scire, hic portabit iniquitatem suam.

Secundo. *Jurantis*, id est juramento confirmantis.

Secundo, τὸ jurantis simpliciter et proprie accipi potest. Hebraice enim est אלה *ala*, id est *juramenti*, præsertim execratorii, *q. d.* Si quis audierit vocem jurantis, id est juramento aliquid confirmantis, puta promittentis rem aliquam, aut contractum aliquem ineuntis, aut quid aliud asserentis et stabilientis juramento (Hebræi enim juramento suos contractus et promissa firmabant), hujusque rei testis citatus sit in judicio, ut dicat id quod de re vidit aut cognovit : si is juridice requisitus ad testandum veritatem, eam non indicet, hic portabit iniqùitatem suam. Ita S. Augustinus, *Quæst.* I, Procopius, Isychius, Origenes, Radulphus et Abulensis. Aliter exponunt Rabbini aliqui, quasi hic loquatur Scriptura de eo qui audit aliquem dejerantem, execrantem; maledicentem et abutentem nomine Dei, et non indicat illud magistratui, ut is puniatur : illum enim reum fieri, et debere pro hoc suo silentio, quasi delicto, offerre oblationem hic præscriptam (1).

Nota hic cæcitatem et perversitatem Judæorum, qui nullam sibi juramenti et perjurii conscientiam faciunt, nisi jurent manu imposita super librum legis; quod si alio ritu jurent, audacter jurabunt falsum. Quare imprudenter cum magna Christianorum injuria faciunt magistratus, qui Judæos in rebus forensibus ad jusjurandum contra Christianos admittunt. Quam perfidiam cum Norinbergenses, aliæque Respublicæ olim intellexissent, Judæos ad nullum admiserunt juramentum, nisi admota manu ad librum legis suæ Synagogæ jurarent. Adde quod ipsi, in die expiationis, a Rabbinis suis ab omnibus votis et juramentis, si quæ malignius fecerunt, absolvuntur. Denique Judæus licitum sibi putat, Christiano homini, quacumque ratione possit, damnum inferre. Unde et quidam eorum magnus Rabbi sic scribit : « Optimus qui inter gentes est, dignus est, ut caput illi conteratur tanquam serpenti. »

PORTABIT INIQUITATEM SUAM. — *Iniquitas* hic ponitur metonymice, pro pœna iniquitatis, quasi dicat : Talis punietur a Deo, etiamsi scelus perpetuo lateat homines; talis sustinebit pœnam iniquitatis suæ, quam tamen amoliri poterit pœnitentia, et sacrificio quod præscribitur vers. 6. Illa enim sanctio quæ habetur vers. 6, ad omnes casus præcedentes referenda est : Deo enim per hoc sacrificium satisfiebat; proximo tamen si læsus esset, nihilominus damnum omne sarciendum erat (2).

2. ANIMA QUÆ TETIGERIT ALIQUID IMMUNDUM, etc., AUT QUODLIBET ALIUD REPTILE (omnia enim reptilia ex lege, *Levit.* XI, 42, erant immunda), ET OBLITA FUERIT IMMUNDITIÆ SUÆ (ac consequenter neglexerit eam tollere per sacrificium a lege statutum), REA EST. — Hebraice, *immunda* vel *polluta est*, quia videlicet rem immundam tetigit, ideoque *rea est*, quia contra legem, *Levit.* XI, 43, quæ vetat tangi immundum, fecit. Vers. 2.

ET DELIQUIT, — quia immunditiam hanc per sacrificium, sive lustrationem lege perscriptam, non expiavit. Ita Abulensis.

Theodotion et Aquila vertunt, *anima quæ se inquinarit verbo impuro*, id est re impura vel immunda, *rea est*. *Verbum* enim sæpe pro re sumitur metonymice.

Tropologice Procopius : Qui alium quam Dei sectatur sermonem (hic enim solus purus est, cæteri sunt impuri), reus est et deliquit.

3. ET SI TETIGERIT QUIDQUAM DE IMMUNDITIA HOMINIS, JUXTA OMNEM IMPURITATEM QUA POLLUI SOLET (id est, de omnibus illis in quibus homines ex lege Mosis pollui solent, sicut vers. 5, legaliter polluebatur is, qui tangebat morticinum), SUBJACEBIT DELICTO. — Hebraice *deliquit*, ideoque pœnæ, uti et culpæ, rea est et subjecta, ac consequenter tenebitur ad sacrificium vers. 6 præscriptum, ut se expiet. Vers. 3.

4. ANIMA QUÆ JURAVERIT, etc., UT VEL MALE QUID FACERET. — *Male facere* Hebræis est *affligere*. Unde ipsi per *male facere* hic intelligunt jejunare. Ita et S. Gregorius, Cajetanus, Vatablus et alii; jejunium enim est carnis afflictio. Verum quia *male facere* hic opponitur *benefacere*, hinc melius hæc non ad ipsum jurantem, sed ad tertium referas, *q. d.* Homo qui juraverit aliquem affligere, intellige juste, ut cum parentes jurant se castigaturos filios; loquitur enim Deus hic de malo pœnæ, non culpæ : nam malum culpæ non est materia juramenti, quod tamen hic requiritur, ut patet ex Hebræo, qui sic habet : *Ad omne quod loquetur homo in juramento*, vel *effutierit*; בטא *bata* enim effutire, vel temere et inconsiderate proloqui significat (3). Vers. 4.

(1) Maurer et Allioli, *cum aliquis peccaverit, eo quod* (particula ו ante שמעה hic usurpatur αἰτιολογικῶς, estque vertenda *quia, eo quod*) *audierit vocem execrationis* (aliquem jurantem), *et ipse testis fuerit* (esse potuerit), *sive viderit, sive* aliunde *cognoverit : nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.*

(2) Alii, *si non indicaverit, et culpam suam sustinuerit*, ut tum hujus versiculi, tum trium sequent., apodosis sit demum vers. 5.

Item vers. 3..... *et ignotum ei fuerit, et reus fuerit*, sensu usque ad vers. 5 pendente.

(3) Allioli, *si quis juraverit, sese afflicturum* aliqua *pœnitentia*, v. g. jejunio, *aut alteri benefacturum*, etc. Clericus, *quisquis jusjurandum temere effuderit sive ad nocendum, sive ad benefaciendum;* sensumque hoc modo exponit : « Facile fieri potuit, ut in vehementiore affectu quisquam juraret, se alteri malefacturum, aut, ut interposito jurejurando promitteret temere, quod dare non posset; deinde jurisjurandi oblitus, nihil eorum præstaret. Ad malum quidem quod attinet, revocari jusjurandum debuit, sed propter temere effusum mulcta delinquenti

OBLITAQUE (ita ut non impleverit juramentum) POSTEA INTELLEXERIT DELICTUM SUUM, — juramenti sui obliti et neglecti. Hebraice est, cum cognoverit quod deliquerit in aliquo horum. Unde patet sacrificium, quod sequitur, ad omnes præcedentes casus referendum esse; idque docet S. Augustinus, *Quæst.* I.

Vers. 5. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO, — ut scilicet illud agnoscat, de eo doleat et conteratur; alioquin enim sacrificium quod offert parum ei proderit, sed ut ei prosit, ex contritione procedat necesse est. Unde idem intellige in omnibus aliis sacrificiis, etiamsi non exprimatur. Hebræa et Chaldæus habent : *Confiteatur peccatum in quo peccavit.* Unde Hebræi tradunt specialem hic requisitam fuisse peccati confessionem, istam videlicet, ut offerens manus suas habens inter victimæ cornua diceret : « Obsecro, Domine, peccavi, inique egi, prævaricatus sum, sic et sic feci, ecce pœnitet me, et pudet me operum meorum, nunquam revertar ad rem istam. » Traduntque nihil profuisse sacrificia, nec expiasse peccata, nisi תשובה וידוי *tescuba veiiddui*, id est pœnitentia et confessio hæc accessissent, juxta id quod præcipitur *Numer.* cap. V, 7 : « Confitebuntur peccatum suum quod fecerunt. » Hebræi etiamnum hanc specialem peccatorum confessionem faciunt in die expiationis, et loco satisfactionis sibi plagas infligunt, uti ex ipsismet audivi. Vide ergo quam particularis fuerit Judæorum confessio, cum hæretici apud Christianos generalem esse volunt (1).

Ritus confessionis particularis Judæorum.

Vers. 6 et 7. 6 et 7. OFFERAT DE GREGIBUS AGNAM SIVE CAPRAM, etc.; SIN AUTEM NON POTUERIT OFFERRE PECUS (pecudem, hebraice est, *si manus ejus non potuerit tangere sufficientiam ovis,* id est, si tam pauper sit ut non suppetat ovis), OFFERAT DUOS TURTURES, VEL DUOS PULLOS COLUMBARUM DOMINO : UNUM PRO PECCATO, ALTERUM IN HOLOCAUSTUM.

Nota : Prius debebat offerri turtur unus pro peccato, deinde alter in holocaustum, quia non est pretiosa laus Dei in ore peccatoris. Carnes turturis immolati pro peccato cedebant totæ sacerdoti, nihil Deo, uti fiebat in aliis sacrificiis pro peccato, ut patet *Levit.* VI, 26. Ita Abulensis.

Tropologice, de variis pœnitentiæ modis.

Tropologice S. Gregorius, Isychius et Radulphus per ovem, turturem, columbam varios pœnitentiæ modos accipiunt. « Si pecus, aiunt, offerre, id est pœnitere in carnis afflictione nequeas, da turturem, id est contritionem et gemitum, quod non possis digna satisfactione peccatum abluere; da duos pullos columbarum, id est consecra mentem tuam contemplationi, et cœlesti conversationi, ac plenissime te Deo trade; retorque caput ut collo hæreat, quia qui vitam in deliciis egit, si morte vicina et ætate fessa vanitatem studiorum suorum intelligit, si jam scit plangere quod vitam perdidit, caput a corpore secernat, mentis scilicet intentionem a procurandis carnis voluptatibus avertat; nec tamen caput ipsum penitus abrumpendum est, quia cura quæ carnis desideriis negatur, sustentandis necessitatibus debetur, » inquit Radulphus.

Alia S. Gregorii.

Paulo aliter hæc accommodat S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. II : « Juramentum, ait, proferre, est nos voto divinæ servitutis alligare; et cum bona opera promittimus, nos bene facere spondemus; cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostræ vovemus, male ad præsens nos nobis facere juramus; sed quia nullus quamlibet devotus est, qui inter ipsa pia vota non peccet, pro peccato agnam, id est activæ vitæ innocentiam, offerat, aut capram quæ in rupibus pascitur, id est ad pastum contemplationis se accingat. Si hæc non possit, det duos turtures, vel duos pullos columbarum, id est duplicem pœnitentiæ gemitum, quia scilicet et recta non fecit, et prava operatus est. »

Vers. 11. 11. QUOD SI NON QUIVERIT MANUS EJUS OFFERRE TURTURES, etc., OFFERET PRO PECCATO SUO SIMILÆ PARTEM EPHI DECIMAM. — Decima ephi est gomor, quæ erat mensura quotidiani victus et manna, ut dixi *Exodi* cap. XVI, vers. ult. Hæc omnia ad omnes præcedentes hoc capite casus pertinent, uti superius dixi.

Christus est decima ephi, cur?

Allegorice, Christus est decima ephi, seu trium modiorum, quia Christus habet in se SS. Trinitatis plenitudinem, sed ut decima, quia humanitas multo minor et inferior est deitate. Rursum ut decima, quia Christus perfectissime Decalogum adimplevit, inquit Isychius.

Tropologice, Radulphus per decimam ephi accipit integram peccatorum confessionem; denarius enim est numerus plenus et perfectus.

Hostia pro peccato caret oleo, id est luce et lætitia.

NON MITTET IN EAM OLEUM, — quod de more ex lege *Levit.* II, 1, in *mincha*, id est sacrificium similæ, immitti solet. Vetatur ergo hic oleum in sacrificio pro peccato, cujus sanctionis, uti et aliorum cæremonialium causa *prima* fuit, voluntas et electio Dei. *Secunda* causa mystica fuit, ut scilicet significetur peccatorem expertem esse lætitiæ et lucis; oleum enim lætitiæ et lucis est symbolum. Ita Theodoretus, Procopius et Cyrillus, lib. XV *De Adoratione in spiritu;* nam, ut ait Cyprianus, sermone *De Lapsis* : « Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. » Et S. Martialis, epist. *ad Burdegal.* : « Peccata, ait, sunt spinæ, quæ per multas amaritudines, invidias et dolositates, non sinunt gaudium et oleum Spiri-

merito imponebatur, » etc. Sed verum vidisse Maurerum existimo, qui locum sic interpretatur, *si quis jurandum protulerit, se vel hoc vel illud facturum.* Nam *male* et *bene* omnia complectuntur, et significant *quodlibet, aliquid.* Cf. *Gen.* XXIV, 50; XXXI, 24.

(1) Vers. 5 et 6 in hebræo ita se habent : 5. *Et erit quando delictum admiserit per unum ex istis, tunc confitebitur quod peccavit in eo* (per illud). 6. *Et adducet victimam pro delicto ipsius τῷ Jovæ, propter peccatum quod peccavit, feminam de grege, avem vel pullum caprarum pro peccato, et purificabit illum sacerdos a peccato.*

tus Sancti in vobis dominari. » Aliter Isychius et Radulphus : « Peccator, ait, non debet se mulcere oleo, » id est non debet præsumere de peccati venia et indulgentia, sed anxiari et timere ne forte eam non assequatur.

Caret et thure, id est bono odore.

NEC THURIS ALIQUID IMPONET, QUIA PRO PECCATO EST. — Thus hic vetatur in victimis pro peccato, ut per hoc designetur peccatum non bene ut thus, sed pessime olere, et esse abominabile coram Deo. Ita Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*, Procopius et Theodoretus. *Secundo*, deest hic thus, id est oratio, quia, ut inquit Radulphus, « peccator libera fronte veniam petere non debet, cum dignam non exhibeat satisfactionem; petat, quasi non petendo; speret, sed quasi desperando, dum et se indignum venia confitetur, et tamen sola Dei misericordia fieri posse credit, ut salvetur. Unde Ecclesia orare Deum nos docet, ut dimittat quæ conscientia metuit, et adjiciat quæ oratio non præsumit. » Et Isychius : « Thus, ait, hic non apponitur, quia nescit peccator utrum boni odoris sit ejus oratio, quam frequenter prævaricatus est. » Unde Joel cap. II : « Convertimini, ait, ad Dominum, quia benignus est; quis scit si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem? »

Vers. 12. 12. IN MONIMENTUM EJUS QUI OBTULERIT. — Ut scilicet Deus recordetur offerentis. Vide dicta cap. II, vers. 2.

Vers. 13. 13. ROGANS ET EXPIANS, — rogans ut remittatur ei, patet ex Hebræo (1).

RELIQUAM VERO PARTEM (ex simila oblata pro peccato) IPSE (sacerdos offerens) HABEBIT IN MUNERE. — Hebraice, *sicut munus*, quo scilicet eum vult remunerari Deus, pro labore et ministerio tabernaculi; *mincha* enim hebraice subinde quamvis oblationem et quodvis donum significat. Septuaginta vertunt, *reliquum erit sacerdoti, sicut sacrificium similæ*, quod scilicet ex lege ei cedere debet, de quo cap. VI, vers. 16.

Vers. 15. 15. ANIMA SI PRÆVARICANS CÆREMONIAS PER ERROREM. — Nam si scienter eas prævaricata esset, non expiabatur per sacrificium arietis quod hic præscribitur, sed morte puniebatur, ut patet *Numer.* XV, 3. Unde vers. 18 hic dicitur : « Orabit pro eo, quia nesciens fecit. » Pari modo Gentilium hæc erat sanctio : « Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit rapseritve, parricida esto, » uti refert Cicero, lib. II *De Legibus*.

IN HIS QUÆ DOMINO SUNT SANCTIFICATA, — v. g. si laicus comedat de carnibus Deo immolatis, ut dicitur cap. XXII, vers. 14.

OFFERET PRO DELICTO SUO ARIETEM, QUI EMI POTEST DUOBUS SICLIS. — Hebraice, *juxta æstimationem*, vel *pretium argenti siclorum*, puta minimum duorum. Ita Vatablus. Adde verisimile esse in Hebræo non legendum esse in plurali שקלים *scekalim*, id est siclorum, sed in duali *scekalaïm*, id est duorum siclorum (2). Siclus continebat quatuor regales Hispanicos : duo ergo sicli argentei faciebant octo regales Hispanicos, id est duos florenos Brabanticos. Radulphus asserit Septuaginta vertisse arietem pretii 50 siclorum, idque ad mysterium, inquit, ut scilicet significaretur confessionem fidei quam siclus significat, qua aries, id est Christus, acquiritur, per quinquagesimam, id est Spiritum Sanctum in Pentecoste effusum, hominibus dari. Verum Græca, Regia et Romana carent jam omni numero, et certum est τὸ 50 irrepsisse : nil enim tale habent Hebræa, Chaldæa et Latina; et constat 50 siclis non arietem, sed bovem tunc emi solitum. Aries enim duobus siclis emi poterat, uti dicitur hoc versu.

JUXTA PONDUS SANCTUARII, — id est justi ponderis, ut siclo qui in sanctuario asservatur, tanquam justissimi ponderis, æquiponderet, uti dixi *Exod.* XXX, 24, et patet *Levit.* cap. ult. vers. 25, ubi dicitur : « Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. »

16. IPSUMQUE QUOD INTULIT DAMNI RESTITUET, ET QUINTAM PARTEM PONET SUPRA. — Ut scilicet hæc quinta pars superaddita, sit in compensationem injuriæ, quam præter damnum irrogavit Domino ejusque sacris. Hinc patet, si quis per errorem usurpasset res sanctificatas et oblatas Deo, puta carnem vel adipem, qui soli Deo in victima cedebat, hic debebat *primo*, offerre arietem in sacrificium; *secundo*, restituere rem usurpatam, et insuper quintam, ut v. g. si quinque usurpasset, restitueret sex : Deus enim hic privatæ personæ vicem subit; hæc enim sanctificata Deo specialiter, quasi privatæ personæ erant propria, erantque quasi peculium Dei. Unde restitutio eorumdem eidem erat debita. Hæc ergo præscribitur hic, addita insuper mulctæ loco quinta parte. Vers. 16. Restitutionem hic exigit Deus.

Nota : Hæc restitutio facienda erat in pecunia, quæ cedebat sacerdotibus (hi enim Dei vices in terra gerunt), idque insinuatur hic; nam alioqui ii qui holocausti partem per errorem comedissent, debuissent integrum animal restituere, quod Deo offerretur in holocaustum; nec enim pars animalis offerri poterat in holocaustum, sed totum animal : ergo ne totum animal restituere cogerentur, partis usurpatæ pretium persolvebant sacerdoti. Ita Abulensis. Græce pro *quintam partem*, est ἐπίπεμπτον, « quod nos, ait Origenes, possumus dicere super quintas, nisi diceretur istud specialis cujusdam numeri apud illos esse vocabulum, quo indicaretur pro quinque alios quinque dandos, et unum super; ut, verbi gratia, intelligatur, qui furatus sit, vel usurparit in necessitate quin-

(1) Post *expians* addunt hebræa, peccatum *quod ulla ejusmodi re commisit.*

(2) Rectius : *Argentum siclorum* non differt a *sicli argentei;* est hypallage. Si enim hic pretium arietis *duo siclos* statuitur, non opus erat æstimatione sacerdotis. Cf. II *Sam.* XXIV, 24; I *Chron.* XXI, 25, et vers. Æthiop. Evangelii S. Joan. XII, 3, ubi legitur *unguentum litræ* pro λίτρα μύρου.

que nummos de sanctis, ipsos quinque restituere, et insuper alios quinque, uno etiam superaddito. » Verum melius τὸ ἐπίπεμπτον exponas juxta Hebræa, Chaldæa et Latina, quæ habent *quintam partem;* loquitur enim Moses de pœna non furti, de quo *Exod.* cap. XXII, vers. 1, sed abusus sanctificatorum.

Vers. 17. 17. ANIMA SI PECCAVERIT PER IGNORANTIAM, FECERITQUE UNUM EX HIS QUÆ DOMINI LEGE PROHIBENTUR, — omittendo in sacris cæremoniam aliquam nulli damnosam; de hoc enim casu hic agi, patet ex eo quod subditur: « Deliquit in Dominum, » et ex eo quod peccans juxta mensuram peccati jubetur arietem majoris vel minoris pretii offerre. Ita Cajetanus. Hæc ergo lex distinguitur a præcedenti, vers. 15, quod illa agat de sanctificatis sive oblatis Deo, hæc agat de ipsis sacris et cæremoniis. Distinguitur etiam ab illa cap. IV, vers. 27, quia illa generalis est, agitque de quibuslibet peccatis contra præcepta Dei moralia commissis, hæc vero specialis est (1).

(1) Insuper, quum Moses cap. IV sacrificia imposuerit iis, qui ignorantia *juris* peccassent; quæ sequuntur a vers. 2 hujus cap., ad ignorantiam *facti* videntur pertinere.

Vers. 18. 18. JUXTA MENSURAM ÆSTIMATIONEMQUE PECCATI, — *q. d.* Pro majori peccato meliorem et pretiosiorem offeret arietem, pro minori vero minorem et vilioris pretii. Aliter Abulensis, *q. d.* Tantus erit valor istius arietis qui offertur, quanta fuit æstimatio vel mensura posita in ariete pro peccato, id est duorum siclorum. Sed non advertit Abulensis ubi pretium duorum siclorum constituitur, non addi, « juxta mensuram æstimationemque peccati, » quia jam per legem certum pretium definiebatur; hic vero, ubi dicit: « Juxta mensuram æstimationemque peccati, » non constitui nec definiri pretium duorum siclorum, sed illud arbitrio et æstimationi sacerdotis relinqui, ut ipse pro majori peccato majoris pretii arietem, pro minori minoris pretii injungat. Ita Ribera. Unde hebraice est, *juxta æstimationem tuam,* scilicet, o Moses, et consequenter tuam, o Aaron et sacerdos; hæc enim sacra spectant ad Mosen, quatenus ipse erat princeps sacrorum et sacerdos. Unde in iis Aaron et sacerdotes ei successerunt.

ORABIT PRO EO, QUIA NESCIENS FECERIT, — *q. d.* Orabit pro eo, dicens: Parce, Domine, huic qui deliquit in adhibendis cæremoniis a te præscriptis, quia nesciens id fecit.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur hostia pro peccato injuriæ in proximum. Deinde quid ex singulis hostiis cremandum sit, quid comedendum; unde vers. 9, *describitur in hac re lex et ritus holocausti, et ignis perpetui; vers.* 14, *ritus mincha; vers.* 20, *ritus hostiæ in consecratione sacerdotum; vers.* 25, *ritus hostiæ pro peccato.*

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Anima quæ peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, 3. sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, 4. convicta delicti, reddet 5. omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, et quintam insuper partem domino cui damnum intulerat. 6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti: 7. qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit. 8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 9. Præcipe Aaron et filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane; ignis ex eodem altari erit; 10. vestietur tunica sacerdos et feminalibus lineis; tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare, 11. spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. 12. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. 14. Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari. 15. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est; adolebitque illud in

altari, in monimentum odoris suavissimi Domino ; 16. reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento, et comedet in loco sancto atrii tabernaculi; 17. ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. 18. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini; omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur. 19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 20. Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus vespere : 21. quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino 22. sacerdos, qui jure patri successerit; et tota cremabitur in altari. 23. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. 24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : 25. Loquere Aaron et filiis ejus : Ista est lex hostiæ pro peccato : In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. 27. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. 28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur; quod si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aqua. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est. 30. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

Vers. 1. 1. ANIMA QUÆ PECCAVERIT, ET, CONTEMPTO DOMINO, NEGAVERIT PROXIMO SUO DEPOSITUM. — *Et* significat *id est*, ut et vers. 14, et cap. v, vers. 1, et *Matth.* cap. XIII, 41, ubi dicitur : « Colligent de regno ejus omnia scandala, et (id est) eos qui faciunt iniquitatem. » Et *Colos.* II, 8 : « Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam, » *q. d.* Non damno veram philosophiam, quæ nil falsum docet, sed eam quæ sit captiosa et inanis fallacia; damno erroneam, damno errores philosophorum adversantium veritati.

Nota τὸ *contempto Domino*, *q. d.* Qui falso negat depositum occultum et secretum, hic peccat in Dominum, qui solus vidit illud deponi, eo quod res ageretur sine testibus. Contemnit enim Domini præsentiam, omniscientiam, judicium et vindictam. Non ergo agitur hic de eo, qui formaliter contemnit Dominum, dicendo per superbiam : Nolo obedire Deo; talis enim occidendus erat, juxta legem *Num.* XV, 30. Vide Abulensem ibidem, *Quæst.* XLIII.

AUT CALUMNIAM FECERIT, — puta per calumniam et fraudem aliquem læserit, ita Septuaginta, damnum videlicet dando, et bona alterius fraude occupando. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion, teste Isychio, vertunt, *si calumniatus est aliquid* (1).

3. ET QUODLIBET ALIUD. — Hebr. additur *ex illis*, Vers. 3.
scilicet quibus solet fieri fraus, aut damnum aliud irrogari proximo, uti fit in omnibus casibus hic enumeratis (2).

Calvinus vult hoc sacrificium, de quo hic loquitur Scriptura, per synecdochen etiam ad alia peccata sponte et scienter admissa extendi : adeoque nullam peccati cujuspiam expiationem fuisse apud Judæos, nisi per sacrificium, idque ad hoc, ut ea ratione opera satisfactionis elidat et enervet. « Unde, ait ipse, refellitur diabolicum figmentum de satisfactionibus, quibus se a Dei judicio redimi imaginantur Papistæ. In hunc finem fabricantur opera supererogationis, quæ meritoria sint ad pœnam redimendam; inde et Purgatorium emersit. » Calvinus vult hi elidi ope ra satis factoria.

Verum id falsum esse aperte convincitur (ut alia taceam) ex hac clausula, quæ pro similibus injuriis et damnis proximo illatis tantum, hoc sacrificium præcipi aperte docet. Unde pro idololatria voluntaria, divinatione, schismate, cæde parentum, etc., nulla particulatim erant indicta sacrificia; similiter pro peccatis internis nullæ hic statuuntur victimæ, sed tantum pro externis; certum tamen est omnia hæc actu contritionis potuisse expiari, ad quem omnes prophetæ peccatores adhortantur, eis veniam promittentes. Porro hæc nihil faciunt ad satisfactionem, quæ pro pœna tantum temporali redimenda valet; imo hinc ar- Refellitur. Pro idolatria parricidio, et nulla præscribitur victimæ.

(1) Hebr. est, *si quis peccaverit et delictum commiserit in Jovam, negando proximo suo rem aliquam concreditam aut depositum* (litt. *positionem manus*, quod Rosenmullero est *stipulatio* vel *sponsio*), *aut per raptum, aut omnino injuste læserit sodalem suum.* Hic locus spectat ad eos casus in quibus læsus nihil potuit contra lædentem probare.

(2) Hebr. est, *aut falso juraverit de uno ex omnibus, quæ faciet homo peccando in illis*, id est, vel falso de ulla re, circa quam homines peccare solent, juraverit.

gumentum pro satisfactione retorqueo : Sacramenta illa vetera non valebant ad expiationem culpæ per se, sed tantum pœnæ temporalis, ut ostendi cap. I, vers. 4 : ergo valebant per modum satisfactionis. Satisfactionem enim Catholici doctores vocant, redemptionem pœnæ temporalis, quæ manet remissa culpa. Vide Bellarminum et Suarez in illa materia.

Vers. 4. 4. CONVICTA DELICTI. — Hebr. est, *cum deliquerit:* sic et Septuaginta; sed *delinquere* accipiunt ipsi abusive, pro eo quod est *delictum suum agnoscere.* Ita Vatablus. Ita et Chaldæus exponit cap. V, vers. ultimo. Pari abusione *delinquere* significat delictum expiare, et *delictum* ipsum passim hic vocatur ipsa hostia delicti expiatrix ; sic *mundare* significat mundum declarare, cap. XIII, vers. 14, 25, 27. Pari modo intellige quod vertit Noster, *convicta delicti*, scilicet non a testibus, sed a seipsa et sua conscientia, qua pungente sacerdoti delictum istud confitetur. Id clarius exprimitur *Num.* V, 7, ubi idem hic casus repetitur ; nam de occulto peccato hic agi, patet ex eo, quod de publico peccato jam egerit, legesque sanxerit Moses toto cap. XXII *Exodi*, ac nominatim vers. 8, ubi fraudator, convictus de fraude, jubetur solvere non simplum, uti hic dicitur, sed duplum. Idem patet ex Josepho, qui, cum esset sacerdos, optime hæc scire potuit. Ipsius hæc sunt verba lib. III *Antiquit.* X : « Qui sciens peccavit, nemine conscio, arietem offert, lege ita jubente; » ergo is qui sciens peccat, licet occulte, jubetur hic adire sacerdotem, et peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries deligatur, et ipse pro peccatore oret. Sic et Philo : « Si quis, ait, mentitus fuerit de societate, aut deposito, aut rapina, aut inventione rei perditæ; deinde ad vitandam suspicionem jurare non recusarit; et tandem arguente se intus conscientia, perjurium suum abnegationemque ipse damnans, confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti oblivionem. »

Typus confessionis et absolutionis. Unde videas hic rursum confessionis sacerdotalis legis novæ typum et figuram, uti et satisfactionis, in eo quod subditur : « Juxta mensuram æstimationemque delicti, » ut scilicet si delictum esset grave, daret offerens arietem meliorem; sin esset leve, daret viliorem et minoris pretii, pro sacerdotis, cui confitebatur delictum, judicio et arbitrio, ut ait Josephus ; nam verba illa non patiuntur alium sensum, nisi torqueantur. Vide dicta cap. V, vers. 18. Erat ergo sacerdos hic quasi judex, peccator erat reus et sui accusator, aderat ejus satisfactio, aderat et oratio sacerdotis, quæ erat vice absolutionis.

Morala de confessionis necessitate et fructu. « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur, » ait Sapiens, *Prov.* XXVIII. S. Augustinus in illud *Psalm.* XXXI, 5, *Delictum meum cognitum tibi feci* : « Non operui, ait, sed aperui, ut operires; non celavi, ut tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit; cum homo celat, Deus nudat; cum homo agnoscit, Deus ignoscit. » « Gehennam, ait Tertullianus, lib. *De Pœnitent.*, exomologesis extinguit. » Et infra : « Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit? Cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. » Audi quid de S. Ambrosio confessiones suorum privatim audiente scribat Paulinus in ejus Vita : « Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. » S. Pacianus in *Paræsesi ad pœnitent.* : « Vos, fratres, ait, appello, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri. Rogo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam; prudenter ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam perusturos. »

S. Chrysostomus, hom. 33 *in Joann.* : « Vos, ait, hortor, dilectissimi, ut, etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, et judicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi ea manifeste patere. » Joannes Climachus, *gradu 4* : « Ante omnia, ait, culpas nostras præclaro judici nostro soli confiteamur, omnibusque si ille jusserit, confiteri simus parati. » Additque sine confessione quæ fit homini, nullum posse consequi remissionem.

Vis fructum confessionis et exempla? Astion Martyr, ut habet ejus Vita, per confessionem curatus fuit a turpi cogitatione, et diabolus ab eo in specie pueri nigri cum ignea facula recessit, dicens : « Confessio tua, o Astion, magnas meas vires contrivit, et inermem me reddidit. »

S. Macarius Theopemptum verecundantem confiteri sua peccata, ei confitendo, ad confessionem impulit, atque a blasphemiæ tentatione et diabolo liberavit. Idem fecit S. Ignatius. Nam Parisiis confitendo peccata juventutis suæ cuidam sacerdoti impuro, magna contritione, multisque lacrymis, eum pariter ad lacrymas et confessionem impulit.

Serapion apud Cassianum, *Collat.* II, XI, solitus furari paximatium ad explendam gulam, publice hoc ipsum confessus, omni tentatione gulæ et furti in perpetuum liberatus est. Dæmon enim specie lampadis de sinu ejus egredi visus, imo fœtore totam cellam replevit. « Nihil ergo, inquit Cassianus, sic noxium est monachis, et lætificat dæmones, quam si patres spirituales celent suas cogitationes. »

Alius tentatus fornicatione per 14 annos, cum assidua abstinentia eam superare non posset, publice tandem confitendo eam, superavit. « Confessio, ait S. Isidorus, lib. I, cap. XII, sanat, con-

fessio justificat, confessio peccatis veniam donat. Nulla tam gravis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam. » Quin et Hugo, lib. *De Claustro animæ*, audet dicere : « Si veniret dæmon ad capitulum confessionis (si videlicet serio pœnitere, conteri et confiteri posset), impetraret indulgentiam remissionis. Satan expulsus est a capitulo cœli, Adam a capitulo paradisi, Judas a capitulo Christi. In primo fuit culpa superbiæ, in secundo inobedientiæ, in tertio avaritiæ, » quam nemo eorum agnoscere et confiteri voluit.

Exempla Gentilium.

Audi et Gentiles. Seneca, lib. *De Moribus* : « Ubi, ait, est confessio, ibi est remissio. » Pythagoras dicebat peccata non esse verbis tegenda, sed detegenda, ut reprehensionibus curentur. Aristoteles dicebat non multum ab impeccabili distare eum, qui peccatum, ut decet, confiteretur. Testis est Maximus, serm *De Confessione*.

Attila rogatus a S. Lupo Trecensi episcopo, quis esset, qui tot regibus devictis cuncta sibi subderet, confessus est, dixitque : « Ego sum Attila Hunnorum rex, Dei flagellum. »

Creusa apud Euripidem in *Jone*, ut flagellantis conscientiæ stimulos confessione leniret, detexit occultum suum stuprum.

Vers. 4 et 5.

4 et 5. REDDET OMNIA QUÆ PER FRAUDEM VOLUIT OBTINERE. — « Obtinere, » id est retinere ; si enim tantum voluit et concupivit rem alienam, nec obtinuit, non tenetur ad restitutionem : pro actu enim interno nulla est restitutio facienda, aut unquam fuit; sed tantum pro re aliena sublata, vel damno alteri reipsa allato, patet ex Hebr. Imperatur hic alieni restitutio, ne quis putet se posse solo sacrificio placare Deum, eoque facto alienum retinere, seque ex præda locupletare; qui fuit error Græcorum aliquorum, teste Guidone Carmelita.

ET QUINTAM INSUPER PARTEM. — Hanc addere jubetur peccans, tum pro injuria, tum pro damno, quod ex absentia rei suæ interim passus est dominus (1).

Vers. 6.

6. PRO PECCATO AUTEM SUO OFFERET ARIETEM. — Nota : Moses in peccatis per ignorantiam admissis, plebeio jussit offerre capram ; hic vero eidem in peccatis scienter admissis, jubet offerre arietem, qui melior et pretiosior est capra : sicut peccatum ex scientia admissum majus est peccato ex ignorantia facto. Non meminit autem Moses hic pontificis, aut principis, aut populi totius, quia præsupponit hos ex scientia non peccaturos. Sic Solon, rogatus cur non constituisset pœnam parricidio, respondit se id neminem facturum putasse, ne non tam prohibere quam admonere videretur. Si tamen pontificem, principem, aut totum populum ex scientia peccare contigisset, voluit Deus eos infimorum quoque hominum pœnis affici, et eadem atque illos offerre sacrificia, ut pares essent pœna iis, quibus virtute non erant superiores. Ita Ribera, lib. IV *De Templo*, cap. VI.

Vers. 9.

9. HÆC EST LEX HOLOCAUSTI, — jugis scilicet ; jussit enim Deus quotidie sibi duos agnos jugiter offerri in holocaustum, unum mane, alterum vespere, ut patet *Num.* XXVIII, 3. Unde unum dictum est matutinum, quia mane primo loco ante omnia sacrificia alia offerebatur ; aliud vespertinum, quia vespere et ultimo loco offerebatur : illud pro diurnis, hoc pro nocturnis Dei beneficiis, ait Philo. Vide dicta *Exodi* XXIX, 38.

Nota : Sicut cap. I, II, III, IV, descripsit Moses ritum immolandi, *primo*, holocaustum ; *secundo*, mincha ; *tertio*, hostiam pacificam ; *quarto*, hostiam pro peccato : ita hoc cap. describit quid de victima qualibet sit faciendum, scilicet quid cremandum sit, quid comedendum ; hoc ergo versu id describit in holocausto ; vers. 14 vero id describit in *mincha* ; vers. 25, in hostia pro peccato ; cap. seq. vers. 11, in hostia pacifica.

Sacerdos debet esse jugis holocaustum.

Tropologice Isychius : Sacerdos, inquit, et qui perfecte sapere vult, juge et continuum debet esse perfectionis holocaustum, ut a perfecta sapientia incipiens in mane ætatis et juventutis, in eadem vesperam senectutis et vitæ suæ finiat.

CREMABITUR IN ALTARI TOTA NOCTE USQUE MANE. — « Cremabitur, » scilicet vespertinum juge holocaustum, ideoque necesse erat holocausti hujus partes successive imponi altari, ut sacrificium duraret a vespera usque mane. Hebraice enim est, *hoc holocaustum erit ad adustionem*, vel *in adustione super altare tota nocte*. Quare necesse erat sacerdotem in tabernaculo vigilare tota nocte, qui hasce holocausti partes vicissim poneret, et disponeret in altari, ut sic sensim tota nocte cremarentur ; idque ad hoc, ut hac ratione jugiter hisce sacrificiis, tam die quam nocte tota coleretur et honoraretur Deus, indeque vocatum est juge sacrificium. Cæteris ergo dormientibus, invigilare sacris debebat sacerdos, uti jam Religiosi in canendis Matutinis Deique laudibus pervigilant. Secus erat in matutino holocausto ; hoc enim sequebatur legem communem, ideoque sicut alia holocausta, totum simul cremabatur ; post illud enim alia holocausta et sacrificia erant offerenda et cremanda. Ita Abulensis et alii. Quin et nonnulli, quod hic dicitur de jugi sacrificio vespertino, a pari vel simili intelligunt de matutino, ut similiter tota die lento igne cremaretur usque ad tempus sacrificii vespertini, nisi scilicet alia holocausta jugi matutino succederent ; tunc enim illa lento igne cremata, totum diem usque ad tempus sacrificii vespertini occupabant. Idque congruum videtur, nimirum ut tota die et nocte altare fumaret, et sacrificium evaporaret, quo scilicet perenni ejus crematione et suffitu coleretur summa Dei majestas, semper a nobis adoranda, perpetuisque victimis honoranda. Quod si verum est, duplici titulo hoc sacrificium erat juge. *Primo*, quia jugiter, id est per totam diem et noctem in altari ardebat, vel in se, vel in vic-

Sacerdos tota nocte vigilabat ad cremandum lente holocaustum.

Altare semper fumabat victimis.

(1) Hebr. est, *ei cujus est*, proprio ejus domino, *die delicti sui*, id est, eo die quo confitebitur se peccasse.

timis sibi succedentibus juxta modum jam explicatum. Ita Lyranus, Dionysius, Cajetanus et noster Lorinus, ac insinuant Septuaginta, qui juge sacrificium, *Exod.* XXIX, 38, vocant κάρπωμα ἐνδελεχίσμου, id est oblationem assiduitatis sive continuationis, quæ assidue et continue Deo adoleretur. Rursum licet per holocaustum proprie hic intelligatur juge, uti docet Hesychius, Abulensis et Hugo Victorinus, tamen Radulphus, lib. IV, cap. I, quodlibet accipit, vultque sanciri hic, ut cujuslibet holocausti qualibet hora, etiam matutina oblati incensique caro, tota sequenti nocte super altare relinquatur, ut sensim evaporans in fumum et cinerem abeat. Nimirum hoc ritu monebat Deus fideles, ut mysticis charitatis, orationis, aliarumque virtutum victimis, jugiter illi succedentibus Deum colerent, nec ullum tempus, imo nec ullum momentum hac victima Deique cultu vacuum esse debere. Unde S. Bernardus: « Omne tempus, inquit, quo de Deo non cogitas (eum amando, laudando, invocando), te perdidisse existima; » ac S. Dominicus, et ex eo S. Thomas Aquinas: « Religiosus, inquit, semper cum Deo aut de Deo loquatur. »

Tropologice: « Vir perfectus tota nocte hujus sæculi et præsentis vitæ, ignis sui, id est charitatis et fervoris sui flammam illustrem servare debet; ut, vero mane (æternæ gloriæ) illucescente, sub Dei præsentia in æternum fulgeat, » inquit Radulphus.

Vers. 10. 10. IGNIS (quo scilicet comburetur juge holocaustum jam dictum) IN (ita legendum, non *ex*, uti legunt Biblia Plantin.) EODEM ALTARI ERIT, — *q. d.* Ignis hic erit ipsius altaris, non alienus, non aliunde illatus. Unde hebraice est, *ignis altaris ardebit*, vel *accendetur in eo*, scilicet altari; *q. d.* Aliunde non inferetur ignis in altare, sed in ipso jugiter erit ardens. Hoc Gentiles imitati sunt impulsu dæmonis, qui est simia Dei et divini cultus; nam in sacrificiis religioso igne ex certa materia utebantur. Unde in iis ignem ex olea, lauro, vel crassioris corticis quercu, aut cujus caudex cavus fungosusque foret, accendere vel adolere nefas erat; hæc enim ligna habebant ut ominosa et detestata. Porro hunc ignem victimarum subdita face accendebant, et eum partim ex fumo quos globos volveret, quantumve se attolleret, partim ex flamma, si lucidior aut obtusior, et qua specie foret, ii qui Capnomantes dicebantur, observabant, indeque divinabant, teste Giraldo, *syntag.* 17. Hinc rursum apud Persas et Romanos sacer ignis jugiter ardebat, cujus cura demandata fuit virginibus Vestalibus: de hoc igne plura cap. IX, vers. 23 et 24.

Tropologice, ignis est charitas. Tropologice, altare est cor, fidelis Christiânus est sacerdos, ignis lucens et ardens, inquit Origenes, *homil.* 4, est lucerna fidei et charitatis, de qua dicitur *Luc.* XII, 35: « Lucernæ ardentes (sint) in manibus vestris. » Hic ignis, inquit S. Gregorius, lib. XXV *Moral.* VII, ignis, id est exemplis Patrum et præceptis Dominicis, quotidie fovendus et excitandus est, idque *mane*, id est matutina oratione et meditatione (quod quam utile sit, utinam intelligant et reipsa in praxi experiantur omnes, præsertim Ecclesiastici), estque in cordibus electorum inextinguibilis: nam etiam post hanc vitam fervor charitatis eorum mentibus accrescet; quisque huic semet quotidie holocaustum imponit, quia omne vitium quod in se male vivit, exurit; imponit et adipes pacificorum, quia interna novæ charitatis impinguatio, pacem inter nos et Deum faciens, odorem de nobis suavissimum reddit. Ita et Rupertus.

Vers. 11. 11. SPOLIABITUR PRIORIBUS VESTIMENTIS. — Quia licet oblatio cinerum ex altari, esset functio sacra in loco sacro, tamen elatio eorumdem extra castra non erat sacra. Unde eos efferens sacerdos, vestes sacras quas sacrificans induerat, exuebat, easque relinquebat in loco sancto sive tabernaculo, et induebat vestes suas vulgares.

ET IN LOCO MUNDISSIMO USQUE AD FAVILLAM CONSUMI FACIET, — non cineres, sed cineribus mixtas partes lignorum, necdum omnino in cinerem resolutas, et si quæ partes adipis carnium vel ossium, igne non omnino consumptæ remanserint, quæ omnia sub cineribus comprehendit hic Moses: hæc enim extra castra iterum comburenda erant, ut nil nisi cineres superesset: in cineres enim meros redigendum erat holocaustum. In cineres redigenda erat victima holocausti.

Hæc minima etiam a sacris hominibus fieri vult lex, ut ostendat nil eorum quæ ad Dei cultum pertinent, exiguum æstimari debere, inquit S. Cyrillus, lib. XII *De Adoratione*.

Vers. 12. 12. ET IMPOSITO HOLOCAUSTO DESUPER ADOLEBIT ADIPES PACIFICORUM, — puta adipes cum renibus, quæ ex hostia pacifica jussit Deus sibi offerri et cremari, cap. III, vers. 3. Sensus ergo est: mane compone struem lignorum in altari, et impone illi omnes carnes holocausti, et si quæ præterea sint hostiæ pacificæ offerendæ, accipe ex iis adipes earum, eosque pone super juge holocaustum; ut simul cum eo crementur. Nolo enim seorsim solum adipem cremari.

Vers. 14. 14. HÆC EST LEX SACRIFICII ET LIBAMENTORUM. — « Sacrificii, » scilicet farrei, non carnium; Hebr. enim est *mincha*, de quo cap. II (1). Unde Noster se explicans subdit: « et libamentorum; » *et* hic significat *id est*. Libamenta enim hic vocantur, non a libando, sed a libis et panibus qui ex libamentis, id est ex simila et farre conficiuntur vel confici possunt. Unde quæ hic libamenta, vers. seq. similam vocat.

Vers. 16. 16. RELIQUAM AUTEM PARTEM SIMILÆ COMEDET AARON CUM FILIIS SUIS. — Intellige, nisi polluti essent et contaminati; hi enim arcebantur sacris tam epulis quam locis, ut patet cap. XXII, vers. 6.

(1) Fertum de quo nunc agitur, illud est, quod sacrificio quotidiano solebat addi: diversum igitur est ab eo, quod ab homine privato offerebatur, et cap. II describitur.

Nota : ex *mincha*, id est sacrificio farreo, poterant comedere soli masculi, scilicet soli sacerdotes eorumque filii, ut patebit vers. 18. Ex hostia vero pacifica pars illa quæ cedebat sacerdoti, poterat comedi ab omnibus qui de familia erant sacerdotis, etiam feminis et servis emptitiis, non tamen mercenariis, ut patet cap. XXII, vers. 11. Unde filia sacerdotis, quæ nupserat viro alterius tribus, non poterat ea vesci, nisi mortuo marito redisset ad domum et familiam patris, ut patet cap. XXII, vers. 13.

Denique hæ sacræ epulæ comedi debebant, « in loco sancto, » puta *in atrio tabernaculi*, uti habent hic Hebræa, Græca, Chaldæa et Latina Romana; male enim legitur in Plantin. : *in loco sanctuarii tabernaculi* (1).

Vers. 17. 17. IDEO AUTEM NON FERMENTABITUR, QUIA PARS EJUS IN DOMINI OFFERTUR INCENSUM (*q. d.* Pars similæ Deo oblata fermentari non potuit, juxta legem *Levit.* II, 11; ergo nec decet reliquam ejus partem, quæ sacerdotibus comedenda cedit, fermentari, quia hæc etiam pars est sacrificii Domino oblati, et censetur illi oblata per sui partem seu pugillum, qui Domino incensus est : ideoque) SANCTUM SANCTORUM ERIT (id est, sanctissimum erit ac separatum a profanis, cedetque solis sacerdotibus), SICUT PRO PECCATO ATQUE DELICTO, — *q. d.* Sanctissimum erit, sicut sanctissimum est sacrificium pro peccato et pro delicto : hoc enim peccata expiat, et sanctificat offerentes. Gravis hic est difficultas, quomodo distinguatur delictum a peccato, quam resolvam cap. VII, vers. 1.

Vers. 18. 18. MARES TANTUM STIRPIS AARON COMEDENT ILLUD. — Putat Abulensis Mosen hic loqui de *mincha*, sive sacrificio pro peccato; illud enim a solis masculis debuisse comedi. Verum hoc arctius est; Moses enim loquitur in genere de *mincha*, sicut locutus est de holocausto, vers. 9 : nam de hostia pro peccato agit vers. 25. Rursum *minchæ* pro peccato non poterat imponi thus, quod tamen hic minchæ imponi jubetur; ergo non agitur hic de *mincha* pro peccato : quælibet ergo *mincha*, id est simila Deo oblata, habebatur admodum sancta, perinde ac sacrificium pro peccato et delicto, ideoque non poterat comedi nisi a sacerdotibus eorumque filiis masculis. Ita Cajetanus. Unde *mincha*, utpote puræ similæ sacrificium, purius et sanctius erat hostia pacifica : hæc enim comedi poterat etiam a feminis et a servis familiæ sacerdotis, uti dixi vers. 16.

LEGITIMUM SEMPITERNUM ERIT, — quasi dicat : Hæc lex et sanctio erit sempiterna, id est tamdiu durabit quamdiu durabit lex vestra; durabit semper, sive toto tempore legis veteris, donec ei lex nova succedat.

OMNIS QUI TETIGERIT ILLA, SANCTIFICABITUR, — id est sanctificari debet et mundari, ne immundus sacra contingat et fœdet. Futurum ergo hoc accipiendum est imperative, non indicative; alioqui enim falsam redderet sententiam, ut patet *Aggæi* II, 14. Ita Abulensis.

20. HÆC EST OBLATIO AARON ET FILIORUM EJUS, — Vers. 20. id est pontificis et minorum sacerdotum; sic sæpe inferius Aaron appellative sumitur pro pontifice quolibet. Nam de Aaronis persona hæc accipi non possunt, utpote qui jam erat consecratus pontifex, antequam Leviticus a Deo dictaretur, ut patebit cap. VIII, vers. 1. Ita aliqui.

Verum nihil prohibet *Aaronem* hic simpliciter capi pro ipso Aarone ejusque successoribus; nam valde probabile est in ejus consecratione, non tantum victimas carnium præscriptas *Exod.* XXIX, sed etiam *mincha* hic præscriptum, fuisse Deo oblatum; in omni enim victima adhibebatur *mincha*, ut dixi cap. II.

Deinde consecratio Aaronis fuit perfectissima, et exemplar consecrationis aliorum pontificum illi succedentium : ergo hoc mincha aliis adhibitum, multo magis Aaroni adhibitum fuit.

Dico ergo hic esse hysterologiam, atque hanc legem latam esse ante consecrationem Aaronis et ante Leviticum : hoc tamen loco reponi, quia Moses hoc loco simul pertractare voluit, quid de qualibet hostia esset faciendum, an illa cremanda esset an comedenda, ut dixi cap. VI, vers. 9.

DECIMAM PARTEM EPHI OFFERENT, — puta unum gomor similæ, quod totum igne comburebatur; nam, ut dicitur vers. 23 : « Omne sacrificium sacerdotum igne consumetur; » secus erat in *mincha* laicorum : in illa enim tantum pugillus Deo adolebatur, reliquum vero cedebat sacerdoti, ut dixit Moses vers. 15 et 16.

SACRIFICIO SEMPITERNO, — quod semper deinceps in consecratione sacerdotum offerri debeat (2).

21. OFFERET AUTEM EAM SACERDOS QUI PATRI JURE SUCCESSERIT, — puta sacerdotis filius primogenitus, nisi is, deformitate aliqua impediente munus pontificium, ab eo arceatur, de qua cap. XXI, vers. 18; tunc enim ejus loco succedebat secundo genitus, et eo deficiente tertio genitus. Apud Hebræos enim pontificatus ad seniorem pontificis filium, sacerdotium ad reliquos ejus filios jure hæreditario devolvebatur. Vers. 21 et 22.

22. TOTA CREMABITUR. — Hebraice erit כליל *calil*, id est holocaustum, ut vertunt Septuaginta, et ut holocaustum tota cremabitur. Holocaustum ergo fieri hic idem est quod totum cremari; nec enim mincha proprie erat holocaustum : holocaustum enim erat victima, puta animal, mincha vero erat simila. Vers. 22

23. OMNE ENIM SACRIFICIUM SACERDOTUM IGNE CON- Vers. 23

(1) *Absque fermento.* Sic et apud Romanos Flamini Diali « farinam fermento imbutam attingere fas non erat, » auctore Gellio, *Noct. Att.* lib. X, cap. XV.

(2) *Sempiterno*, id est quotidiano, ait Rosenmullerus ad h. l.

Vers. 21. Hebr. est, *in sartagine cum oleo paretur* (fertum); *frixum offeras illud, coxiones ferti in frustra comminuti*, id est, coctum more ferti in frusta comminuti.

SUMETUR. — « Sacrificium, » scilicet similæ, vel farreum : hebraice enim est *mincha* ; nam de victimis suis pacificis potuisse sacerdotes comedere, patet *Exod.* XXIX, 28.

Vers. 25. 25. SANCTUM SANCTORUM EST, — quasi dicat : Hostia pro peccato valde sancta est ; est enim peccati legalis expiatrix, ac propterea eam immolari volo eodem loco quo holocaustum, scilicet ad septentrionalem plagam altaris holocausti, ac comedi in loco sancto, id est in atrio tabernaculi ; denique sancio sanctum esse, quidquid eam tetigerit. Hinc latine *sanctum* a *sancio* venit ; sancire enim proprie est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ ; unde *sanctum* dicitur quasi sanguine consecratum, et *sanctio* proprie vocatur lex quæ suo decreto terrorem pœnæ adjungit : sic sanctæ erant victimæ pro peccato, quia pro sanguine peccatoris suum sanguinem Deo offerebant.

Mystice, voluit significare Deus hostiam pro peccato, id est contritionem et pœnitentiam (qua peccator se totum, suamque vitam et sanguinem Deo offert), sacrificium esse sanctissimum, sibique gratissimum instar holocausti. Ita Isychius.

Vers. 26. 26. SACERDOS QUI OFFERT, COMEDET EAM. — Ergo hostia pro peccato pertinebat ad solum offerentem, illique soli jure cedebat, ab eoque et filiis ejus masculis comedenda erat ; poterat tamen offerens et alios sacerdotes eorumque filios masculos ad ejus esum advocare, ut patet vers. 29. Et hoc est quod dicitur *Osee* IV, de sacerdotibus : « Peccata populi mei comedent ; » *peccata*, id est hostias pro peccatis oblatas : est metonymia. Ita Cyrillus, Theophylactus et Theodoretus ibi ; idque ut significaretur muneris sacerdotum esse, ut precibus et oblationibus suis peccata populi deleant et comedant, id est consumant. Ita Alexander Papa, *epist.* 2, et habetur I, *Quæst.* I, cap. *Ipsi sacerdotes* ; Anastasius Nicænus, lib. *Quæst. in Script.*, sub finem ; Ruffinus in *Osee* IV, Theodoretus hic, *Quæst.* X, hæcque causa affertur cap. X, vers. 17.

Peccata populi comedunt sacerdotes, quomodo ?

Averso et contrario sensu hæc accipiunt, et in malos sacerdotes intorquent S. Hieronymus, Gregorius, homil. 17 *in Evang.*, Bernardus, serm. 77 *in Cantic.* : « Sacerdotes, inquiunt, pravi peccata populi comedunt, quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. » Verum hoc est præter mentem Scripturæ ; sic enim Patres subinde ludunt in verbis Scripturæ, dum ea aliis etiam contrariis rebus accommodant.

Vers. 27. 27. QUIDQUID TETIGERIT CARNES EJUS, SANCTIFICABITUR, — id est, aliquo modo sanctum habebitur, ut non possit nisi certa præmissa cæremonia ad usum profanum rursus converti, ut si vestis erat, debebat lavari prius ; non tamen transfundebat suo contactu similem sibi sanctitatem in res alias quas tangebat, ut patet *Aggæi* II, 13, quia sic processus fuisset in infinitum.

Tropologice Radulphus : « Carnes, ait, hostiæ pro peccato tangentem sanctificant, quia pœnitentium gemitus imitantem emundant. »

SI DE SANGUINE ILLIUS VESTIS FUERIT ASPERSA, LAVABITUR IN LOCO SANCTO, — puta in atrio tabernaculi, ut sic lota ad profanos usus redire, et a profanis hominibus indui possit. Abulensis pulchram hic dat regulam : « Si res, ait, sacra, quæ contingebatur, talis erat, ut per contactum aliqua ejus pars, humor vel succus adhæreret rei tangenti, tunc res tangens aliquo modo sanctificabatur, alias non. » Verbi gratia, si sanguinem hostiæ, si carnes Deo oblatas tangeret, sanctificabatur, non autem si tangeret altare, vasa sacra, aut vestes sanctas.

Canon de contactu sanctificatorum.

Vers. 28. 28. VAS AUTEM FICTILE, IN QUO COCTA EST (hostia pro peccato), CONFRINGETUR, — quia vas fictile cum sit porosum, facile humorem aliquem carnium sanctificatarum imbibit : quare illud confringi jubeo, ne deinceps profanis usibus serviat, itaque caro sancta vel humor sanctus profanis rebus misceatur indecenter et irreverenter. Aliam causam dat Theodoretus, *Quæst.* XII : « Vasa, inquit, viliora, utpote fictilia, conteri præcipit Deus ; alia vero quæ pretiosiora sunt lavari jussit, ut illa viliorum confractione legem immunditiæ sanciret, doceretque quantum malum sit peccatum, quod hac hostia figuratur. » Hostia enim pro peccato licet sancta sit, tamen quia pro peccato est, aliquid habet abominabile et abolendum.

QUOD SI VAS ÆNEUM FUERIT (vel metallinum, a quo omnis caro sancta defricari possit, et effundi in locum mundum), DEFRICABITUR.

Vers. 29. 29. OMNIS MASCULUS DE GENERE SACERDOTALI VESCETUR DE CARNIBUS EJUS. — Hostia ergo pro peccato a solis masculis, iisque sacerdotibus, aut eorum filiis comedi poterat.

Vers. 30. 30. HOSTIA ENIM QUÆ CÆDITUR PRO PECCATO, CUJUS SANGUIS INFERTUR IN TABERNACULUM (quod fiebat in hostia pro peccato pontificis et totius populi, uti dictum est cap. IV, vers. 6 et 18), NON COMEDETUR, SED COMBURETUR IGNI. — Talis enim tota cremanda erat extra castra, uti jussit Deus cap. IV, vers. 12 et 21, quod etiam notat et citat Apostolus, *Hebr.* XIII, 11, uti dixi cap. IV.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur lex et ritus hostiæ pro delicto, et vers. 11, hostiæ pacificorum, scilicet a quibus, et quando utraque comedi debeant. Deinde, vers. 23, vetat Deus esum adipis victimarum omnisque sanguinis. Denique, vers. 30, ex hostia pacifica pectusculum, et armum dextrum consignat sacerdoti sacrificanti.

1. Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est: 2. idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto; sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. 3. Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia, 4. duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis; 5. et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. 6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. 7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto, utriusque hostiæ lex una erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. 9. Et omne sacrificium similæ quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur: 10. sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. 11. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. 12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admixtione conspersas; 13. panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: 14. ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem; 15. cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. 16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die; sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: 17. quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. 18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea. 20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. 21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23. Loquere filiis Israel: Adipem ovis, et bovis, et capræ, non comedetis. 24. Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod a bestia captum est, habebitis in varios usus. 25. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. 26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus. 27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. 28. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 29. Loquere filiis Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus. 30. Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum; cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti, 31. qui adolebit adipem super altare; pectusculum autem erit Aaron, et filiorum ejus: 32. armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis. 33. Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron, ipse habebit et armum dextrum in portione sua. 34. Pectusculum enim elevationis, et armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis

eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti, et filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel. 35. Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur, 36. et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis. 37. Ista est lex holocausti, et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione et pacificorum victimis, 38. quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

Vers. 1.

1. HÆC QUOQUE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO. — Gravis hic est difficultas, quomodo distinguantur sacrificium pro peccato et sacrificium pro delicto.

Quomodo differant peccatum et delictum?

Peccatum hebraice vocatur חטאת *chattat*; Septuaginta, ἁμαρτία; *delictum* vero hebraice vocatur אשם *ascam*; Septuaginta vertunt πλημμέλεια. Hebræi *peccatum* interpretantur esse illud quod est contra præcepta affirmativa, quæ ipsi in S. Scriptura tot esse asserunt, quot sunt ossa in corpore humano, nempe 248; *delictum* vero esse illud quod est contra præcepta negativa, quæ ipsi tot numerant quot sunt dies in anno, videlicet 365. Utraque sigillatim enumerat Genebrardus in fine *Chronolog.* ult. edit. *Secundo*, e converso S. Augustinus hic, *Quæst.* XX, per *peccatum* intelligit culpam commissionis, per *delictum* culpam omissionis. Ita et S. Gregorius, hom. 21 *in Ezech.*: « Hoc, ait, inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est mala facere, delictum vero est bona derelinquere, quæ summopere tenenda sunt. » Addit S. Gregorius: « Vel certe peccatum in opere est, delictum in cogitatione. » Ita et plerique recentiores, ut Lyranus, Abulensis, Isidorus Clarius, Petrus Serranus. Alii aliter hæc distinguunt. Verum dico *peccatum*, cum a delicto distinguitur (nam sæpe hæc duo pro eodem accipiuntur, ut patet cap. IV, V, VI), esse illud quod prudenter et scienter committitur; *delictum* vero quod ignoranter fit, puta per imprudentiam, oblivionem, vel etiam inscientiam, maxime *juris*; uti fit cum quis legem ignorat, vel ejus est oblitus.

Peccatum est, quod scienter fit; delictum, quod ignoranter.

Probat. Primo.

Probatur *primo*, quia ita ea distinguunt Procopius hic, et S. Hieronymus in cap. XL *Ezech.* vers. 39, imo et Septuaginta ibidem; nam hi omnes

Secundo.

delictum vertunt ἄγνοιαν, id est *ignorantiam*. *Secundo*, quia ita vertit noster Interpres, cap. V, vers. ult., dicens: « Quia per errorem deliquit

Tertio.

(Hebraice אשם *ascam*) in Dominum. » *Tertio*, quia Septuaginta hic *delictum* vertunt πλημμέλειαν, quod idem est ac si dicas πλὴν μέλειαν, id est *præter curam*, vel ἀμέλεια, id est *negligentia*, uti hic nonnulli vertunt: uti fit cum quis per negligentiam ignorat vel obliviscitur id quod lex præscribit,

Quarto.

quodque ipse facere debet (1). *Quarto*, quia hanc sententiam etiam affert S. Augustinus, eamque probat ex *Psalm.* XVIII, 13, et *Psalm.* LXVIII, 6, *Jacobi* IV, 17. Quæ sane loca videntur peccatum tribuere scientiæ, delictum ignorantiæ.

Objectio.

Dices: Quomodo ergo Moses, cap. VI, vers. ult., hostiam pro culpa pontificis vel totius populi vocavit hostiam pro peccato, cum tamen cap. IV, vers. 2, 3 et 13, dixerit hanc culpam esse ignorantiam.

Respondeo. delictum Pontificis habetur peccatum.

Respondeo: Id fecit, ut ostenderet peccati pontificis et totius populi gravitatem, ignorantiamque illorum qui legem scire debent et facile possunt, quique alios eam docere tenentur, non habendam esse ignorantiam, sed scientiam. Adde tam hic quam alibi sæpe peccatum cum delicto confundi, ac pro eodem sumi.

Aliter respondet Ribera, libro IV *De Templo*, cap. VI, scilicet in peccato pontificis et populi de quo cap. IV, intervenire ignorantiam facti duntaxat, ut cum quis nescit, alienum esse quod capit, aut sacrum esse quod edit, aut pollutum esse quod tangit; in delicto vero intervenire ignorantiam juris, aut potius delictum vocari juris et legis oblivionem: verbi gratia, cum quis facit aliquid quod nescit lege esse prohibitum, aut certe legis non recordatur. Hæc responsio subtilis et probabilis est, sed probatu difficilis (2).

Vers. 3.

3. OFFERENT EX EA (hostia pro delicto) CAUDAM. — Hac cauda tropologice monetur peccator, « qui lubricos affectuum motus corrigere cupit, ut huic proposito suo perseverantiæ finem jungat, » ait Radulphus.

(1) Hesychius πλημμελὲς exponit ἐκμελές, οὐ συναδὰ λέγων, ἁμαρτάνων, vocem illam deducens a πλὴν et μέλος, quasi dicat *præter modum et concentum*, ita ut quidquid inconcinnum, inconditum, indecorum admittitur, πλημμέλεια dicatur.

(2) Sunt et multæ aliæ opiniones circa hanc difficillimam quæstionem quarum novem recenset Rosenmullerus ad h. l. Juxta Allioli, sacrificia pro *peccato* in culpis ex interna potius cujusque fragilitate aut defectu exortis, sacrificia vero pro *delicto* in culpis ob exteriores causas, sive eæ personæ, sive res fuerint, admissis, locum habuerunt. Nostram quod attinet sententiam, censemus cum Philone, *de Victimis*, tom. II, edit. Mangey, sacrificia pro delicto oblata fuisse pro legali quadam solito majori inquinatione, v. g. leprosi, Nazaræi; pro rituum sacrorum graviori violatione; pro decimarum aut primitiarum omissa oblatione; pro læsa Dei majestate, v. g. cum quis, ne proximo rem concreditam, aut casu repertam, aut vi extortam restituere cogeretur, fraudi perjurium addidisset, etc. Adde, quod ait Josephus, *Archæol.* lib. III, cap. IX, § 3, sacrificium pro delicto ab illo oblatum fuisse, qui peccavisset, et sui quidem peccati conscius esset, sed non ab alio redargui posset aut criminis convinci, solo conscientiæ instinctu cogente hominem, ut reatum suum, quem clam hactenus habuerit, confiteretur, ejusque expiationem expeteret.

Vers. 6. 6. OMNIS MASCULUS DE SACERDOTALI GENERE IN LOCO SANCTO VESCETUR (vesci poterit) HIS CARNIBUS. — Proprie hostia pro delicto erat sacerdotis offerentis, uti et hostia pro peccato. Eadem enim utriusque est ratio et lex, ut dicitur vers 7. Poterat tamen offerens, partem hostiæ comedendam dare aliis sacerdotibus, eorumque filiis masculis, non autem feminis.

Tropologice, in agenda pœnitentia nihil decet esse femineum, sed forti opus est sensu et virili intentione, inquit Isychius. Viriles et heroicas veterum pœnitentias lege apud Climachum, *gradu* 5, qui est *de Pœnitentia*.

Vers. 8. 8. SACERDOS QUI OFFERT HOLOCAUSTI VICTIMAM, HABEBIT PELLEM EJUS, — quia ex holocausto, quod totum Deo comburitur, nil aliud est reliquum, quod sacrificanti rependatur, nisi pellis.

Pellis symbolum est patientiæ, quæ sacerdotis propria est vestis. Tropologice, pellis est symbolum patientiæ, ut patet *Job.* II, 4, et *Job.* XIX, 20, quæ sacerdotis propria est virtus et vestis. Ita Isychius. « Si mens, ait S. Gregorius, lib. V *Moral.*, forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat : omne quod affligit, requiem putat. » Unde patiens est perfectus, qualis debet esse sacerdos : « Ille enim, ait S. Gregorius, lib. V, cap. XIV, vere perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte necdum profecit. Hinc in Evangelio Veritas dicit : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Patiens ergo animam possidet, quia cunctis mentis motibus ex virtute dominatur. Et quo se laudabiliter vincit et frangit, infractum se fortiter exserit, quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictum parat. »

Vers. 10. 10. SIVE OLEO CONSPERSA, SIVE ARIDA FUERINT, CUNCTIS FILIIS AARON MENSURA ÆQUA PER SINGULOS DIVIDETUR, — id est, æqualiter per singulos dividetur, ut habent Hebræa, Chaldæa, Septuaginta. Ita videlicet, ut cuique suus dies, suæ vices obtingant, quibus ministrans et fungens sacerdotio omnia quæ offeruntur, sibi vindicet, perinde ut faciunt alii sacerdotes suis vicibus. Ita optime hæc cohærent cum versu præcedenti, quo jussit Deus *mincha* cedere sacerdoti offerenti. Ita Radulphus, Lyranus, Abulensis.

Alii, ut Isychius, hunc versum accipiunt de simila non cocta, quasi illa fuerit omnibus sacerdotibus æqualiter dividenda; versum vero præcedentem accipiunt de simila cocta, sive libis et panibus, qui omnes cedebant offerenti. Verum hanc distinctionem difficulter patitur nostra versio, et ipsa rei natura : nam juxta eam contrarium est convenientius, scilicet panes, ne arescant, statim in singulos æqualiter distribui : similam vero crudam a singulis offerentibus ad pinsendum asservari.

Vers. 12. 12. COCTAMQUE SIMILAM ET COLLYRIDAS. — *Et* hic sumitur pro *id est* : nam simila conspersa et subacta cum est cocta, hoc est; ut habent Hebræa, *frixa in sartagine*, est collyrida, sive libum frixum. Ita Chaldæa et Septuaginta. Noster Interpres collyridam, alibi *crustulam* vocat.

Vers. 13. 13. PANES QUOQUE FERMENTATOS, — non ut ex iis aliquid inferatur altari : hoc enim vetitum est cap. II, vers. 11 ; sed ut ii sacerdotibus offerantur tanquam donaria quibus ipsi vescantur.

CUM HOSTIA GRATIARUM QUÆ IMMOLATUR PRO PACIFICIS. — Hebraice : *Cum hostia gratiarum actionis pacificorum ejus*, id est, cum hostia quæ immolatur in gratiarum actionem pro pace, id est salute et beneficiis a Deo obtentis. Hostia enim pacifica erat duplex : una pro pace, id est salute, impetranda, altera pro ea impetrata, quæ proinde vocatur תודה *toda*, id est confessio, laus, gratiarum actio : unde Græci vertunt θυσίαν αἰνέσεως, id est, sacrificium laudationis, quo Deus Deique majestas et beneficentia laudantur et celebrantur : utravis harum rursum erat spontanea vel votiva.

Vers. 14. 14. EX QUIBUS (panibus fermentatis) UNUS PRO PRIMITIIS OFFERETUR DOMINO, — ut scilicet cedat non Deo in sacrificium, sed sacerdoti vicem Dei gerenti in cibum. Cæteri panes, per hunc unum primum, etiam Domino oblati censebantur.

Vers. 16. 16. SI VOTO VEL SPONTE QUISPIAM OBTULERIT HOSTIAM, EADEM SIMILITER EDETUR DIE. — Cujus legis causa *prima* fuit, ne quid sacri cibi corrumperetur, ne, si rancidæ aut putridæ fierent hæ carnes, vilesceret religio victimarum. *Secunda*, quia sacer cibus non est in penum retrudendus, sed omnibus indigentibus proponendus, inquit Philo et Theodoretus, *Quæst.* VII.

Sed cur victima pro gratiarum actione oblata eodem die comedi debebat, ex voto vero vel sponte oblata comedi poterat die secundo?

Respondeo, quia prior gratiarum actionis dignior erat, quam secunda ex voto vel sponte oblata, hoc nomine, quod hæc eliciebatur ex voti necessitate, vel ex spe impetrandi aliquod beneficium; illa vero ex animo grato, liberali, pio, et in laudes Dei effuso prorumpebat.

Allegorica causa fuit, ut per varias figuras et observantias idem significaretur, videlicet eodem die hujus vitæ consummanda et peragenda esse omnia fidei et bonorum operum sacrificia, nihilque in tertium diem resurrectionis et æternitatis servandum esse. Hoc enim significat id quod hic dicitur : « Quidquid tertius dies invenerit, ignis absumet. » Idipsum est quod monet Sapiens, *Eccles.* IX, 10, dicens : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Ita Procopius, Beda, Radulphus, Origenes. Aliquando enim omne tempus, omnisque duratio dividitur in duos dies, unum præsentis vitæ, alterum futuræ : aliquando in tres, per allusionem ad passionem et resurrectionem Christi, ut duo sint dies præsentis vitæ, tertius dies sit æternitatis et resurrectionis. Rur-

sum Origenes et Beda per duos dies accipiunt duo Testamenta, novum et vetus, puta tempus legis Mosaicæ et Evangelicæ, per tertium diem accipiunt æternitatem.

Vers. 18. 18. SI QUIS DE CARNIBUS VICTIMÆ PACIFICORUM DIE TERTIO COMEDERIT, IRRITA FIET OBLATIO, — *q. d.* Per posteriorem hanc prævaricationem legis hujus, qua reservat carnes sacras in tertium diem, perdet gratiam quam priori sacrificio, et hostia pacifica promeruit apud me. Unde Hebræa habent : *Non placebit mihi offerens.*

Vers. 19. 19. CARO QUÆ ALIQUID TETIGERIT IMMUNDUM, NON COMEDETUR, SED COMBURETUR IGNI. — « Caro, » scilicet oblata Deo, quæ post immolationem aliquo modo polluitur, non comedetur, sed comburetur, idque ob reverentiam sacrificiorum, igne non sacro sed profano, quia jam amplius non est caro victimæ et sacrificii, cum ab eo ob immunditiem rejiciatur. Dico *caro Deo oblata*; nam alia carne non sacra, etiamsi quid immundi tetigisset, licebat vesci, ut patet *Deuter.* XII, 15, 22. Dico *post immolationem* ; nam si ante eam cum deferretur ad altare, polluta fuisset caro victimæ, non licebat quidem eam offerre et immolare; poterat tamen ipsa in quosvis profanos usus converti.

QUI FUERIT MUNDUS, VESCETUR EX EA, — non carne immunda jam dicta : hæc enim jussa est comburi, sed hostia pacifica, videlicet si non sit polluta, sed munda et talis qualis oblata est; de hostia enim pacifica egit a vers. 11 hucusque.

Vers. 20. 20. ANIMA POLLUTA (homo pollutus) QUÆ EDERIT DE CARNIBUS HOSTIÆ PACIFICORUM QUÆ OBLATA EST DOMINO, PERIBIT DE POPULIS SUIS, — *q. d.* Homo pollutus, si ausus fuerit carnes Deo sacras comedere, Deo ultore in mortem incurret, vel in hac vita præsentem, vel in futura æternam, si videlicet sciens id fecerit : sin ignorans comederit, expiabitur sacrificio quod præscriptum est cap. V, vers. 3.

Vers. 21. 21. ET QUÆ TETIGERIT IMMUNDITIAM HOMINIS, — puta fæces et stercora : hic ergo homo tam pollutus in se, quam si quid pollutum tetigerit, arcetur esu pacificorum.

Vers. 23. 23. ADIPEM OVIS, ET BOVIS, ET CAPRÆ NON COMEDETIS, — quia hæc tria sunt quæ Domino immolantur, unde eorum adipem mihi deposco, etiamsi illa domi mactetis ad esum, patet ex vers. 25.

Vers. 24. 24. ADIPEM CADAVERIS MORTICINI, ET EJUS ANIMALIS QUOD A BESTIA CAPTUM EST, HABEBITIS IN VARIOS USUS. — Loquitur hic de adipe animalis immundi ad sacrificium, sed mundi ad esum.

Pro quo nota : Animalia munda ad sacrificia erant tria tantum jam dicta, videlicet ovis, capra et bos; animalia vero munda ad esum, præter hæc tria, erant alia septem, scilicet bubalus, cervus, caprea, tragelaphus, oryx, pygargus et camelopardalis, de quibus capite XI. Jam adipe animalium mundorum ad sacrificium, etiamsi illa non sacrificarentur, vesci omnino erat illicitum, ut dixi versu præcedenti. Adipe vero aliorum, quæ munda tantum erant ad esum, si illa morticina erant, id est sponte mortua, vel capta et occisa a bestia, vesci quoque erat illicitum, ut patebit capite XI, versu 31; eo tamen ad alios usus uti licebat, uti hic dicitur : alias eorum adipe vesci licitum fuisse videtur, ut dixi cap. III, vers. 17. Ita Abulensis.

Vers. 25. 25. SI QUIS ADIPEM QUI OFFERRI DEBET, — puta adipem capræ, ovis et bovis, quæ sola offerri debent; nulla enim alia offerre licet. Patet ex Hebræo et Chaldæo, qui habent : *Si quis comederit adipem pecoris, ex quo offertur oblatio coram Domino, exterminabitur de populo suo;* nullum enim adipem animalis immolabilis, etiam si actu non immolaretur, comedere poterant Hebræi; sed is totus Deo adoleri debebat, si animal occideretur Hierosolymæ, ubi erat templum, de quo *Deut.* XII, 21.

Vers. 29. 29. QUI OCCIDERIT VICTIMAM PACIFICORUM DOMINO, OFFERAT SIMUL ET SACRIFICIUM, ID EST LIBAMENTA EJUS, — puta, offerat mincha sive libamen ex simila, ut ita Deo plenum ex carne et simila, vel pane exhibeat convivium, ut dixi cap. II.

Vers. 30. 30. TENEBIT MANIBUS ADIPEM HOSTIÆ ET PECTUSCULUM : CUMQUE AMBO OBLATA DOMINO CONSECRAVERIT (non sacerdos, sed laicus offerens), TRADET SACERDOTI. — Laxius enim erat sacrificium pacificorum præ aliis : unde et magna ejus pars partim sacerdotibus, partim offerentibus cedebat.

Ritus immolationis hostiæ pacificæ.

Oblationis hostiæ pacificæ hic erat ritus, uti tradit R. Salomon et Hebræi. *Primo,* sacerdos jugulabat animal, et in partes conscindebat. *Secundo,* accipiebat pectusculum animalis occisi, et adipes ejus, eaque ponebat super manus laici offerentis. *Tertio,* manibus hisce suas manus supponebat sacerdos, iisque eas elevabat, mox deprimebat; ac rursum transversim ducebat a dextra in sinistram in modum crucis, versus quatuor mundi plagas, ut significaret Deum totius mundi esse dominum. Hic enim est ritus *tenupha,* de quo dixi *Exodi* XXIX, 26. *Quarto,* adipem cum renibus in altari Deo cremabat; mox armum dextrum et pectusculum sibi accipiebat sacerdos offerens. Denique reliquam carnem reddebat laicis eam offerentibus, qui eam comedebant in atrio tabernaculi. Erat enim hæc comestio complementum et consummatio sacrificii pacifici, perinde ac sumptio Eucharistiæ et consummatio sacrificii Eucharistici. Simili modo quælibet alia victima, utpote Deo sanctificata, comedenda erat in atrio templi, ut patet cap. VI, vers. 16, et cap. VII, vers. 6. Idem significat hæc lex et phrasis crebro repetita : « Epulaberis coram Domino, » id est in atrio templi, ut patet *Deuter.* XII, 12 et 18, et cap. XIV, vers. 26, et cap. XVI, vers. 11 et 14 : epulum enim hoc sacrum maxime fiebat ex hostiis pacificis. Audi clarum hac de re textum, *Deuter.* XXVII, 7 : « Immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. »

Vers. 34. 34. PECTUSCULUM ENIM ELEVATIONIS (quod scilicet per elevationem *tenupha* jam dictam, in altum est Deo oblatum), ET ARMUM SEPARATIONIS (Deo scilicet separatum, ut sacerdotibus vice Dei detur) (1) DEDI AARON SACERDOTI ET FILIIS EJUS.— Cur ex hostia pacifica pectusculum et armus dexter cesserint sacerdoti, symbolica causa fuit, quod pectusculum significet fidem, sanam doctrinam, et cordatam sapientiam : armus sive brachium dextrum significet constantem secundum fidem et virtutem operationem, quibus utrisque fulgere, et populum erudire debet sacerdos. Ita Isychius, Radulphus, et aptissime Origenes, *hom.* 5 in fine, ubi sic ait : « Quod ergo sacerdotis pectus, aut quale? plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni divina intelligentia, imo plenum Deo : quale brachium? multa sollicitudo, labor, vigiliæ, quibus convertat peccatorem, qui proinde offerat hostiam salutaris, Deo gratias agat : in qua hostia pars sacerdotis efficitur pectusculum, ut sit indicium quod pectus et cor, quod ante mala cogitabat, sacerdotis labore conversum, recepit bonas cogitationes, et ita mundatum est, ut Deum possit videre; similiter et brachium indicium est, quod mala ejus opera et sinistra convertit in dextram, ut essent secundum Deum. » Et S. Gregorius, II part. *Pastoral.* capite III : « Divina, ait, lege armum sacerdos dextrum in sacrificium accipit et separatum, ut non solum sit ejus operatio utilis, sed et singularis; nec inter malos tantum quæ recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat; cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de seipso dicat immolare, et non solum pectore qua recta sunt cogitet, sed et spectatores suos ad sublimia arma operationis invitet : nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla adversa pertimescat. » Quin et Gentilis Persius, *Satyr.* 2, pontifices vult dare superis

Armus dexter et pectus hostiæ cedunt sacerdoti, cur?

Pectus symbolum est sapientis, armus fortitudinis et laboris.

> Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
> Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.

(1) Pro *separationis* hebr. est *elevationis.* Alia scilicet motionis erat species, quæ fiebat sursum deorsum, ita ut pars illa sacrificii offerenda elevaretur, priusquam imponeretur aræ.

Vers. 35. 35. HÆC EST UNCTIO AARON ET FILIORUM EJUS IN CÆREMONIIS DOMINI. — Hebraice est, *de* (id est *in*, et *in*, id est *cum*) *ignitionibus Domini*, id est oblationibus ignitis, sive igne crematis Domino, juxta ritum et cæremoniam præscriptam cap. VI, vers. 20, et fusius *Exodi* XXIX. Est hic epilogus omnium præcedentium (2).

Vers. 36. 36. RELIGIONE PERPETUA. — Hebraice, *sanctione*, sive *lege perpetua.*

Vers. 37. 37. ISTA EST LEX HOLOCAUSTI. — Sex hic sacrificiorum genera jam descripta enumerantur : videlicet *primo*, holocaustum; *secundo*, mincha sive sacrificium farreum; *tertio*, sacrificium pro peccato; *quarto*, sacrificium pro delicto; *quinto*, sacrificium pro consecratione sacerdotum; *sexto*, sacrificium pacificum. Verum, ut dixi cap. II, proprie tantum erant quatuor species sacrificii : nam sacrificium pro delicto refertur ad sacrificium pro peccato; sacrificium vero pro consecratione sacerdotum ad omnia refertur : nam in ea omnis generis sacrificia offerebantur.

Vers. 38. 38. QUAM CONSTITUIT DOMINUS MOYSI IN MONTE SINAI, — id est in deserto montoso, et juxta montem qui proprie Sinai dicitur. Nam non in hoc monte, sed in tabernaculo Deum dedisse has leges Mosi, dixi cap. I, vers. 1.

(2) Pro *unctio* ex hebræo vertendum est *dimensio, portio*, ut ipsa Vulgata habet *Num.* XVIII, 8.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aaron consecratur a Mose pontifex, et filii Aaronis consecrantur sacerdotes; hinc primo, lavantur et induuntur vestibus sacerdotalibus, vers. 6. *Secundo, vers.* 14, *offertur vitulus pro peccato; et vers.* 18, *aries in holocaustum; et vers.* 22, *aries alter in hostiam pacificam. Tertio, vers.* 24, *ungitur eorum auris dextra et pollices. Quarto, vers.* 33, *jubentur per septem dies manere in tabernaculo.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis, 3. et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. 4. Fecit Moyses ut Dominus imperaverat, congregataque omni turba ante fores tabernaculi, 5. ait : Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri. 6. Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos, 7. vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens eum tunica hyacinthina,

et desuper humerale imposuit, 8. quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas. 9. Cidari quoque texit caput; et super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus. 10. Tulit et unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua. 11. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo. 12. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, et consecravit; 13. filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, et cinxit balteis, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus. 14. Obtulit et vitulum pro peccato; cumque super caput ejus posuissent Aaron et filii ejus manus suas, 15. immolavit eum; hauriens sanguinem, et tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus. 16. Adipem vero qui erat super vitalia, et reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super altare : 17. vitulum cum pelle et carnibus, et fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. 18. Obtulit et arietem in holocaustum : super cujus caput cum imposuissent Aaron et filii ejus manus suas, 19. immolavit eum, et fudit sanguinem ejus per circuitum altaris. 20. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, et artus, et adipem adolevit igni, 21. lotis prius intestinis et pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. 22. Obtulit et arietem secundum, in consecratione sacerdotum; posueruntque super caput ejus Aaron et filii ejus manus suas : 23. quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. 24. Obtulit et filios Aaron; cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum; 25. adipem vero, et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, et duos renes cum adipibus suis et armo dextro separavit. 26. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, et collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes, et armum dextrum, 27. tradens simul omnia Aaron, et filiis ejus. Qui, postquam levaverunt ea coram Domino, 28. rursum suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis sacrificii Domino. 29. Tulitque pectusculum, elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. 30. Assumensque unguentum, et sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron et vestimenta ejus, et super filios illius, ac vestes eorum. 31. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens : Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens : Aaron et filii ejus comedent eos : 32. quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet. 33. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio : 34. sicut et impræsentiarum factum est ut ritus sacrificii compleretur. 35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo, observantes custodias Domini, ne moriamini : sic enim mihi præceptum est. 36. Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

Hoc caput idem est cum cap. XXIX *Exodi*. Ritus enim consecrationis Aaronis et sacerdotum, qui ibi præscribitur, hic factus et completus narratur. Repetit ergo Moses hæc in Levitico, ut omnes sacrificiorum cæremonias, et maxime in sacerdotum consecratione adhiberi solitas, simul hoc libro complectatur. Itaque paucis notis caput hoc expediam : reliqua vide cap. XXIX *Exodi*.

1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN. — Verisimile est hæc omnia quæ hoc cap. narrantur, per anacephalæosin sive recapitulationem hic recenseri : nam tabernaculum jam ante erat erec- Vers. 1.

tum, ut patet *Exod.* ult. vers. 16; simul autem cum erectione tabernaculi facta est hæc Aaronis et sacerdotum consecratio, ut patet ibidem vers. 12.

Vers. 5. 5. ISTE EST SERMO, QUEM JUSSIT DOMINUS FIERI.— Narrat Josephus Israelitas voluisse Mosen creare pontificem, sed eum se excusasse præcepto hoc Domini, jubentis Aaronem consecrari pontificem, eo quod ipse occuparetur colloquio Domini, et regimine populi.

Vers 6. 6. STATIMQUE OBTULIT AARON ET FILIOS EJUS. — Pro *obtulit* hebr. est יקרב *iacreb*, id est *accedere fecit;* Septuaginta, *adduxit;* Chaldæa, *applicavit;* sic et vertit Noster, *Exod.* XXIX, 4, dicens: « Applicabis Aaron et filios ejus ad ostium tabernaculi, » sistendo videlicet eos Domino, offerendoque eos ad Dei ministerium : sic enim solemni ritu Domino oblati sunt Levitæ in sua consecratione, *Num.* VIII, vers. 11 et 21.

Vers. 7. Octo vestes Pontificis. 7. VESTIVIT PONTIFICEM. — Octo vestibus hoc ordine vestiebatur Pontifex. Induebat *primo*, femoralia linea; *secundo*, super ea tunicam lineam; *tertio*, hanc tunicam cingebat cingulo; *quarto*, huic tunicæ lineæ injiciebat tunicam hyacinthinam; *quinto*, huic superinducebat ephod cum rationali; *sexto*, ephod cingebat cingulo polymitō; *septimo*, caput operiebat tiara; *octavo*, tiaræ appendebat laminam auream, cui inscriptum erat, *Sanctitas*, vel *sanctum Domino*. Minores vero sacerdotes quatuor tantum induebant vestes, scilicet *primo*, femoralia; *secundo*, tunicam lineam; *tertio*, zonam; *quarto*, tiaram : carebant ergo ipsi tunica hyacinthina, ephod cum rationali, ejusque cingulo, ac lamina aurea inscripta nomine tetragrammato. Vide dicta *Exodi* XXVIII.

Quatuor vestes sacerdotum.

Nota : Aaron quasi pontifex et vicarius Dei, vestibus pontificalibus indutus repræsentabat tabernaculum, id est Ecclesiam, et consequenter Deum tabernaculi præsidem, et in eo quasi in domo sua residentem. Nam *primo*, pectorale, sive rationale judicii repræsentabat arcam : sicut enim arca tabulas lapideas continebat, ita rationale continebat 12 gemmas. *Secundo*, sicut arca in tabulis continebat legem scriptam, ita rationale continebat scripturam urim et tummim : nam in eo scripta erant *doctrina et veritas*. *Tertio*, ephod rationalis repræsentabat propitiatorium arcæ. *Quarto*, arca habebat duos cherubim : sic tunica pontificis duos habebat onychinos. *Quinto*, lamina pontificis cui inscriptum erat, *Sanctitas Domini*, repræsentabat gloriam Domini quæ habitavit in tabernaculo. *Sexto*, tunica pontificis significabat velum et cortinas, quæ totum interius tabernaculum claudebant. *Septimo*, sicut tabernaculum repræsentabat cœlum omniaque elementa : sic in veste poderis totus erat orbis terrarum, inquit Sapiens.

Nota *secundo*: Pontifex ab aliis sacerdotibus differebat quinque prærogativis. *Primo*, pontifex erat primogenitus, vel senior Aaronis, ejusque successorum, filius : alii ætate erant inferiores. *Secundo*, ille per totam vitam unus erat; alii plures erant. *Tertio*, in sanctuarium, puta in Sanctum sanctorum, solus semel in anno, puta in die expiationis, ingrediebatur : aliis illud nunquam licebat. *Quarto*, alias vestes et ornatum majorem habebat pontifex, quam alii. *Quinto*, moriente pontifice homicidæ fugitivi redibant ad suos : quod non fiebat in morte aliorum sacerdotum.

SUBUCULA LINEA, — quæ *Exodi* XXVIII, vocatur tunica linea et stricta.

Vers. 9 9. LAMINAM AUREAM CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE, — *q. d.* Laminam auream olei unctione consecratam ad usus sanctos. Hebraice est נזר הקדש *nezer haccodes*, id est *coronam*, vel *diadema sanctitatis*, id est sanctum.

Vers. 11 11. CUMQUE SANCTIFICANS, — scilicet tabernaculum et supellectilem ejus, ungendo illa oleo sancto. Sanctificatio ergo hæc non erat aliud, quam unctio tabernaculi et vasorum ejus, qua consecrabantur Deo.

Vers. 14 14. OBTULIT ET VITULUM PRO PECCATO. — *Exodi* cap. XXIX, vers. 35 et 36, jubetur quotidie per septem dies, offerri vitulus : ergo id ita factum est, licet hic non exprimatur; satis tamen innuitur vers. 34.

Vers. 15 15. QUO (altari) EXPIATO ET SANCTIFICATO FUDIT RELIQUUM SANGUINEM AD FUNDAMENTA EJUS. — Hebraice est : *Ita expiavit altare, et sanguinem fudit ad fundamentum altaris, et expiavit illud ad sanctificandum in eo*, hoc est, ut Septuaginta, *ad propitiandum super eo*, ut videlicet deinceps altare hoc eo ritu consecratum serviret hostiis, quibus propitiatur et placatur Deus. Ergo hac cæremonia consecratum est altare.

Vers. 30 30. ASSUMENSQUE UNGUENTUM ET SANGUINEM QUI ERAT IN ALTARI, ASPERSIT SUPER AARON. — Nota : Unguentum hoc erat compositum ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia et oleo olivarum, ut patet *Exod.* XXX, vers. 23 et 30. Unctio ergo, vel potius effusio unguenti in capite, erat consecratio pontificis, ut patet hic vers. 12, et *Exod.* XXIX, 7. Unctio vero communis pontifici et minoribus sacerdotibus, erat aspersio unguenti sanguine mixti super eos, et vestes eorum; adhæc unctio auris dextræ et pollicum, ut patet *Exod.* XXIX, 20. In pontificis ergo consecratione triplex erat lustratio : scilicet effusio, unctio et aspersio, tam olei, quam sanguinis; in minorum vero sacerdotum consecratione tantum erat duplex, scilicet unctio et aspersio. Effusio enim denotans plenitudinem gratiæ, spiritus et potestatis, propria erat pontifici. Voluit Deus hic docere in Ecclesiastica hierarchia debere esse ordinem, sive subordinationem cum mutuo respectu et concordia. Apte S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Esto, ait, subjectus Pontifici tuo, et quasi parentem animæ ama. Sed Episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos : honorent clericos quasi clericos, ut ipsis Episcopis quasi Episcopis a clericis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii : Cur

Unctio Pontificis et sacerdotum qualis?

Moraliter, de unctione. Primo.

ego, inquit, te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem? »

Secundo. *Secundo,* hæc unctio monebat pontificem, quam misericordia (cujus symbolum est oleum), charitate aliisque virtutibus pollere, et cæteris antecellere debeat. « Lux gregis, inquit S. Gregorius, est flamma pastoris. Decet enim Dominicum Pastorem, et sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs sibi commissa et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. » Idem, in *Pastoral.* : « Ab imperitis, inquit, pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur? cum sit ars artium regimen animarum. Hoc est magisterium disciplinæ, ut culpis discrete noverit parcere, et pie resecare. » Et rursum : « Tantum, ait, debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. » Nam ut ait Claudius, I *Stilicon.* :

Scilicet in vulgus manant exempla regentum;
Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Idem Honorium Imperatorem ita monet, *Consul. 4* :

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis.

Mystice. Mystice de unctione et oleo triplici, *primo,* compunctionis, *secundo* devotionis, *tertio* pietatis, vide S. Bernardum, serm. 10 *in Cantic.* Unguentum ait, contritionis bonum est, quo unguntur pedes Domini; unguentum devotionis melius, quo ungitur caput; unguentum pietatis optimum, quo totum ungitur corpus Domini. Unguentum contritionis est in peccatorum recordatione; devotionis, in beneficiorum Dei recordatione; pietatis, in proximorum sublevatione.

Idem, serm. 22 *in Cantic.* : Quatuor, ait, unguenta Christi Pontificis sunt : sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio; sapientia, in prædicatione; justitia, in absolutione peccatorum; sanctificatio, in conversatione; redemptio, in passione. Ibidem, quatuor unguenta Christi ait esse quatuor virtutes cardinales : hisce enim imbui et roborari contra adversa et prospera debet Pontifex et quivis fidelis qui Deo militat, ejusque obsequio se addicit.

Idem toto serm. 2 *in Cant.* tractat. de unctione et oleo misericordiæ, et inter alia ait : « O quæcumque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta tibi ipsi tanquam vas perditum, ut cæteris præsto ubique semper occurras atque succurras, sic denique mortua tibi, ut vivas omnibus : tu plane tertium optimumque unguentum felix possides, et manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Memor erit Deus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pinguescet. »

Adfert deinde exempla. « Talis erat Paulus, cum ait : Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Et Job dicens cap. XXIX et XXXI : Oculus fui cæco, et pes claudo : pater eram pauperum, conterebam molas iniqui. Si comedi buccellam meam solus, etc. Et Joseph, qui postquam universam Ægyptum post se fecit currere in odorem unguentorum suorum, etiam suis venditoribus eamdem demum fragrantiam propinavit. Et Samuel lugens Saul qui se quærebat occidere. Et Moses dicens : Dimitte populo huic; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti. O vere hominem unctum unctione misericordiæ! Et David : Memento, ait, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Et Jeremias, de quo dicitur II *Mach.* XV : Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate. Hoc unguento pietatis Magdalena unxit Christum. »

33. SEPTEM ENIM DIEBUS FINITUR CONSECRATIO. — Hebraice, *septem diebus implebit,* supple oleo, id est consecrabit per unctionem olei manus vestras : ita Septuaginta; idque *primo,* ad hoc, ut per septem hosce dies discant novelli sacerdotes oblivisci rerum terrenarum, et cum Deo versari in tabernaculo, id est atrio tabernaculi. *Secundo,* ad hoc, ut per septem hosce dies admoneantur, se in totam vitam consecratos esse Deo, et in ejus familiam et domum transisse. Septem enim dies sunt omnes dies septimanæ. Ita Cyrillus, libro II *De Adorat.* : « Septem diebus, inquit, id est semper et perpetuo. » Vers. 33. Unctio durat per septem dies. Cur?

34. SICUT IMPRÆSENTIARUM FACTUM EST UT RITUS SACRIFICII COMPLERETUR, — *q. d.* Sicut sanguine victimæ aspersi estis vos, et vestes vestræ hac die, ad complendum ritum sacrificii pro consecratione oblati : ita oportet facere, hancque aspersionem iterare per septem dies, quibus perficitur sacerdotum consecratio. Vers. 34.

36. FECERUNTQUE CUNCTA QUÆ LOCUTUS EST DOMINUS PER MANUM MOYSI, — id est, per Mosen, quasi per instrumentum et manum suam. Est enim manus organum organorum, ait Aristoteles, lib. II *De Anima.* Hic hebraismus passim occurrit in Scriptura. Vers. 36.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aaron celebrat primitias. Unde primo, vers. 8, *offert vitulum pro peccato suo, et arietem in holocaustum. Secundo, vers.* 15, *offert victimas populi, scilicet hircum pro peccato, vitulum et agnum in holocaustum, bovem et arietem in hostiam pacificam. Tertio, vers.* 23, *populo benedicit, ac mox ignis de cœlo descendit, omnesque ejus victimas devorat.*

1. Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron : 2. Tolle de armento vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino, 3. et ad filios Israel loqueris : Tollite hircum pro peccato, et vitulum atque agnum anniculos et sine macula, in holocaustum, 4. bovem et arietem pro pacificis; et immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes : hodie enim Dominus apparebit vobis. 5. Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi; ubi cum omnis multitudo adstaret, 6. ait Moyses : Iste est sermo, quem præcepit Dominus : facite, et apparebit vobis gloria ejus. 7. Et dixit ad Aaron : Accede ad altare, et immola pro peccato tuo; offer holocaustum, et deprecare pro te et pro populo, cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus. 8. Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo : 9. cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui; in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad basim ejus. 10. Adipemque et renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi : 11. carnes vero et pellem ejus extra castra combussit igni. 12. Immolavit et holocausti victimam; obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum, 13. ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite et membris singulis obtulerunt; quæ omnia super altare cremavit igni, 14. lotis aqua prius intestinis et pedibus. 15. Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum : expiatoque altari, 16. fecit holocaustum, 17. addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare, absque cæremoniis holocausti matutini. 18. Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi; obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum; 19. adipem autem bovis, et caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, et reticulum jecoris, 20. posuerunt super pectora; cumque cremati essent adipes super altare, 21. pectora eorum et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses. 22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis, et pacificis, descendit. 23. Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitque gloria Domini omni multitudini : 24. et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

Vers. 1. 1. FACTO AUTEM OCTAVO DIE, — a consecratione Aaronis et tabernaculi, ut patet ex cap. præced., vers. 33, qui dies octavus fuit mensis primi, anni secundi exitus ex Ægypto; qui fuit annus mundi 2455, a diluvio 748. Hoc ergo anno et die Aaron suas quasi primitias celebravit.

Allegorice, dies octava est tempus legis Evangelicæ, quo octavam resurrectionis Christi colimus, et ad eamdem tendimus, et quo apparuit gloria, id est magnifica et gloriosa gratia Christi Salvatoris nostri, qui se obtulit pro peccato suo, id est hominum, in se suscepto; obtulit et victi-

mas Ecclesiæ suæ, puta hircum, id est pœnitentiam; agnum, id est innocentiam; bovem et arietem, id est labores et patientiam populi sui Christiani. Ita ex S. Gregorio Radulphus.

VOCAVIT MOYSES AARON ET FILIOS EJUS, — ut hi novelli sacerdotes sua prima sacrificia offerrent; hac de causa convocati sunt et majores natu populi, ad honorandas videlicet sui pontificis primitias, et ut victimas suas per eum Deo sacrificarent.

Vers. 2. 2. TOLLE DE ARMENTO VITULUM PRO PECCATO. — Licet enim paulo ante Moses hostiam pro peccato tuo, o Aaron, obtulerit, tamen et te jam recens creatum pontificem omnis generis victimas, ac consequenter etiam hostiam pro peccato offerre volo, tum ut hoc symbolo doceam, neminem sibi certo persuadere debere peccata sibi esse remissa, vel ita esse remissa, ut nihil pœnæ pro iis luendum supersit; tum ut usquequaque incipias exercere tuum quasi characterem ordinis, id est, potestatem offerendi quamvis victimam.

Vers. 3. 3. AD FILIOS ISRAEL LOQUERIS. — « Loqueris, » scilicet tu, o Aaron novelle pontifex. Nam tibi jam incumbit auctoritas pontificia, ut præcipias victimas populo.

TOLLITE HIRCUM PRO PECCATO. — Licet enim pro certo et determinato populi peccato jusserit Deus immolari vitulum capite IV, vers. 14, hic tamen, quia indeterminate pro peccato populi in communi fit sacrificium, præcipitur immolari non vitulus, sed hircus, ideoque nec sanguis ejus inducitur in Sanctum, ad aspergendum altare thymiamatis, uti in vitulo præceptum est cap. IV, vers. 12 et 20.

ANNICULOS. — Ita legendum est cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, ita ut tam vitulus, quam agnus præcipiatur esse anniculus.

Vers. 4. 4. IMMOLATE EOS (adducite ad me, ut ego eos immolem pro vobis) CORAM DOMINO, — coram altari holocaustorum, sive coram ostio tabernaculi.

IN SACRIFICIO, — puta farreo. Hebraice enim est, *in mincha*. Ad omnem enim victimam adjungebatur mincha, id est sacrificium farris vel panis, ut patet *Numer.* XV, quia sine pane aut farre non prandetur.

HODIE DOMINUS APPAREBIT, — mittens ignem de cœlo, qui sacrificia vestra comburet (1).

Vers. 5. 5. TULERUNT ERGO CUNCTA, — postquam Aaron jussus a Mose id præcepit, uti dixit vers. 3.

Vers. 10. 10. ADIPEMQUE ET RENUNCULOS AC RETICULUM JECORIS, QUÆ SUNT (partes hostiæ, puta vituli) PRO PECCATO, ADOLEVIT, — id est, adolenda et cremanda imposuit altari : nam igne cœlesti hæc, et sequentes victimæ postea consumptæ sunt, vers. 24.

Vers. 11. 11. CARNES VERO ET PELLEM EJUS EXTRA CASTRA COMBUSSIT IGNI, — juxta legem latam cap. IV, 12.

(1) Alii : Nubes lucidissima et ignea in tabernaculum descendet.

Vers. 15. 15. EXPIATOQUE ALTARI, — per hoc sacrificium pro peccato, cujus sanguine unctum et aspersum est altare. Unde Hebraice est, *et expiavit eo*, scilicet hirco, id est, ut Chaldæus, *in sanguine hirci*, uti ante fecerunt sanguine vituli vers. 9.

Nota : Peculiariter sacrificio pro peccato tribuitur expiatio et consecratio altaris, quia per illud altare expiabatur, id est aspergebatur per cornua sua sanguine : itaque dedicabatur ad expianda deinceps peccata, per sacrificia in eo offerenda.

Nota *secundo*, hic subintelligi, in hoc sacrificio facta esse illa quæ solent, quæque præscripta sunt cap. VII, vers. 2, 3, 4, videlicet adipes esse Deo incensos, et reliquum sanguinis fusum fuisse ad basim altaris.

Vers. 17. 17. ADDENS IN SACRIFICIO (*mincha*) LIBAMENTA, — olei et vini, de quibus *Numer.* XV, 4: quam legem jam fuisse latam, ex hoc loco patet; licet posterius, *Numer.* XV, referatur.

ABSQUE CÆREMONIIS HOLOCAUSTI MATUTINI, — id est, absque eo quod omitteretur, vel impediretur juge sacrificium, matutinum et vespertinum.

Vers. 19 et 20. 19 et 20. ADIPEM, CAUDAM, etc., POSUERUNT SUPER PECTORA, — non sua, sed pecorum jam immolatorum, quæ postea separavit Aaron, adipem et caudam Deo comburens, pectusculum vero et armos elevans coram Domino, ut dicitur vers. seq. Patet ex Hebræo. Pectusculum enim et armus dexter non cremabantur, sed elevata et oblata Domino cedebant sacrificanti, uti dictum est cap. VII, vers. 31 et 32.

Vers. 22. 22. ET EXTENDENS MANUS AD POPULUM, BENEDIXIT EI. — Aaron scilicet novellus pontifex. Forma benedictionis fuit illa quæ habetur *Num.* VI, 24, scilicet : « Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. » Hujus benedictionis exemplum et fructus exstat II *Paralip.* XXX, 27, cujus figuræ veritas in Christi benedictione tum alias, tum in ascensione ad cœlos paruit.

Nota : Videtur hic duplex fuisse benedictio; Aaron enim videtur bis benedixisse populum : *primo*, cum ipse composuisset hostias super altare; *secundo*, post egressum ex tabernaculo : tum enim cum Mose benedixit populo vers. 23.

SICQUE COMPLETIS HOSTIIS (id est hostiarum jugulatione, concisione et impositione in altare) DESCENDIT — Aaron sacrificans; restabat enim hostiarum crematio, quæ postea facta est per ignem cœlitus missum. Quare quæ vers. 10, 13, 17, 20, de ea dicuntur, per anticipationem accipienda sunt, ut patet vers. 24. Hic ergo videtur fuisse ordo et series rei : *primo*, Aaron jugulavit et immolavit omnes hasce victimas; *secundo*, compositis simul holocaustis, et adipibus pacificorum et victimæ pro peccato super altare holocaustorum, Moses et Aaron ingressi sunt tabernaculum, oraturi Deum ut mitteret ignem de cœlo, qui hasce hostias consumeret (id enim futurum scivit et præ-

Ordo et series primitiarum Aaron.

dixit Moses, ut patet vers. 4), simul ut incensum adolerent super altare thymiamatis. *Tertio*, post eorum preces advenit ignis divinus e cœlo, victimasque consumpsit. *Quarto*, hoc videns populus laudavit Deum, cui deinde Moses et Aaron benedixerunt, eumque domum dimiserunt. *Quinto*, vitulus oblatus pro peccato Aaronis, elatus est extra castra, ibique totus cum pelle combustus est, uti dicitur vers. 11.

Vers. 23. 23. ET DEINCEPS EGRESSI. — Ita legendum cum Hebræis, Chaldæis, Septuaginta, Romanis; male ergo in aliis, etiam Plantinianis, legitur *ingressi*.

APPARUITQUE GLORIA DOMINI, — puta *ignis egressus*, id est productus et emissus, *a Domino*, qui devoravit holocaustum et adipes pacificorum, ut sequitur. Hunc ignem in victimas Aaronis misit Deus, ut ordinem sacerdotalem legis veteris a se institutum, et suas de sacrificiis leges hoc miraculo confirmaret, et quasi obsignaret; atque ut populi reverentiam erga sacerdotes et sacrificia accenderet. Sic ignis e cœlo descendens probavit sacrificium et religionem Eliæ certantis contra Baal ejusque sacerdotes, III *Reg.* XVIII, 24 et 38. Idem ignis probavit sacrificia Salomonis in dedicatione templi, II *Paralip.* VII, 1. Vide dicta *Exodi* III, 2. Sic Gentiles fabulati sunt de suo igne divino : sicut de Seleuco proditum est, qui cum Jovi in Pella victimam immolaret, ligna aris imposita ultro arsisse feruntur. Et Servius in illud *Æneid.* XII, « qui fœdera fulmine sancit: » Quia, inquit, apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat victimas; indeque Jupiter Elicius appellatus est. Sed hæc vel fabulosa sunt, vel dæmonis arte et ope peracta.

Ignis a Deo missus devoravit hostias Aaron, cur?

Nota *primo* : Ignis hic octavo die ab erectione tabernaculi, et consecratione sacerdotum, missus fuit a Deo in altare, ejusque victimas; nam primis septem diebus consecrationis sacerdotum, Moses in sacrificiis suis communi usus est igne; post diem vero octavum et ignem hunc e cœlo lapsum, deinceps eo usi sunt sacerdotes in sacrificiis : quem quia Nadab et Abiu non adhibuerunt, sed externum et profanum intulerunt in altare, idcirco igne Domini afflati et consumpti sunt, ut dicetur cap. X.

Ignis hic jugiter ali debuit a sacerdotibus.

Nota *secundo* : Hic ignis debebat a sacerdotibus summa cura, appositis lignis, aliisque fomentis jugiter foveri et conservari, ut patet *Levit.* VI, 12; unde deinceps ab eis semper in tabernaculo, et deinde in templo servatus est, usque ad tempus captivitatis Babylonicæ et conflagrationis templi; ea enim imminente, sacerdotes ignem hunc divinum ex altari et templo extulerunt, atque in puteo absconderunt; quem soluta captivitate requirentes jubente Nehemia, non ignem, sed loco ignis aquam crassam repererunt, quæ in eumdem ignem rursum, sacrificante sacerdote, est conversa; quo igne postmodum usi sunt sacerdotes in secundo templo Zorobabelis, atque in hujus rei et miraculi memoriam, instituerunt festum dati, vel potius redditi ignis : hæc omnia patent II *Machab.* I, 19 et seq.

Ignis hujus historia.

Festum dati ignis.

Fabulæ Hebræorum de hoc igne.

Tradunt Hebræi in igne isto sacrificia absumente leonis faciem conspectam fuisse, ut repræsentaretur Christus, qui est leo de tribu Juda, quique immensæ charitatis suæ igne pro nobis in cruce hostia factus, omnia nostra peccata absumpsit, nosque Deo Patri reconciliavit. Addunt et alia multa, scilicet *primo*, quod ignis hic non poterat extingui aquis, etiamsi flumina inciderent et obruerent eum; *secundo*, quod non indigebat nutrimento; Deus tamen volebat ut sacerdos illum nutriret; *tertio*, quod servabatur panno purpureo involutus. Sed hæ sunt fabulæ Judaicæ : cur enim tanta cura jussit ignem hunc nutriri Deus, nisi quia non tantum aquis, sed et deficiente fomite et lignis, extinctus fuisset? Errant *secundo* Judæi, dum censent ignem hunc cœlestem in secundo templo semper defuisse; contrarium enim patet ex II *Machab.* I, 19. Hallucinatur *tertio* Abulensis, dum censet ignem hunc post octavum diem defecisse, eo quod deinceps in deserto per 38 annos non sacrificarint Hebræi; ac proinde eos in Chanaan, cum rursum sacrificare cœperunt, ignem non e cœlo, sed e silice naturaliter elicuisse, eoque sacrificia cremasse. Ignem enim hunc nunquam defecisse, patet tum ex loco *Machab.* jam citato, tum ex eo quod jussit Dominus eum perpetuo nutriri et conservari, cap. VI, vers. 13. Ita Ribera, lib. V *De Templo*, cap. XVII, et alii passim. Pari modo jussit Deus in mensa panes propositionis jugiter, etiam in deserto sibi apponi, ut patet *Numer.* VII, 7.

Ignis hic non defecit in deserto.

Mystice ignis est castitas et puritas. Hinc Vestales virgines erant custodes ignis sacri. Vesta quid?

Mystice, ignis symbolum est castitatis et puritatis divinæ, quam homines, maxime sacerdotes imitari debent. Hinc Romæ virgines Vestales pari observantia ignem sacrum et pudicitiam conservabant; sed et ignem ipsum, vitæ pariter et castitatis symbolum, Vestam vocabant : sic enim de ea canit Ovidius in *Fastis* :

> Nec tu aliud Vestam, quam puram intellige flammam;
> Nataque de flamma corpora nulla vides.
> Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
> Nec capit; et comites virginitatis amat.

De hoc igne sacro, ejusque custodibus canit et Virgilius, IV *Æneid.* :

> Vigilemque sacraverat ignem,
> Excubias divum æternas.

Hunc ignem dum servaverint et auxerint Christiani, non metuent ignem illum, de quo scriptum est *Deuter.* cap. XXXII : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. »

Secundo, ignis est Spiritus Sanctus, qui in die Pentecostes specie ignis descendit in Apostolos et Ecclesiam, semperque cum ea permanet, uti jam ante descenderat in Christum, *Joan.* I, 33. Ita

lsychius et Radulphus. Quomodo hic ignis nutriri debeat, dixi cap. VI, vers. 11.

Secundo, ignis est Deus, Spiritus Sanctus est charitas ob 17 rationes.

Porro quam ignis Dei, Spiritus Sancti, et charitatis aptum sit symbolum, audi. *Primo*, ignis est quasi omnipotens, quia ferrum emollit, et omnia metalla liquefacit. Talis est Deus, et charitas. *Secundo*, ignis si hostis est, terribilis est ac formidandus, ut patet in incendiis et fulminibus; sin vero amicus, summe beneficus est : ignis enim cibos coquit, et omnia etiam durissima homini emollit. *Tertio*, ignis in tenebris ducatum præstat, et perfugium. *Quarto*, ignis contrectantem adurit, astantem calefacit : ita eminus et reverenter cum Deo agendum est. *Quinto*, ignis nunquam est otiosus ac languens, sed vividus et activus. *Sexto*, ignis in abstrusis silicis venis delitescit : ita Deus in rebus creatis intimus est et abditus. *Septimo*, ignis est clarus et fulgidus, præsertim in caligine. *Octavo*, ignis ab omni alia re secretus et purissimus est, nec in eo quidquam est quod non sit ignis; quinimo aurum, argentum, et alia metalla purificat. *Nono*, ignis aliis se communicat, et integer in se persistit, imo eo magis augetur. *Decimo*, summæ Dei sapientiæ, bonitatis et potentiæ conjunctio in ignis luce, calore et efficacitate mirifice exprimitur. *Undecimo*, ignis alia confringit et obdurat, alia laxat et resolvit : sic Deus « cujus vult miseretur, et quem vult indurat, » *Rom.* cap. IX, vers. 18. *Duodecimo*, ignis plura inter se divisa liquefaciendo unit et coagmentat : ita Deus gentes omnes in sua fide et spiritu unit. *Decimo tertio*, ignis aquam etiam sibi contrariam calefacit : sic Deus, etiam suis hostibus benefacit. *Decimo quarto*, ignis sursum tendit, *q. d.* Cœlestis sum; hinc major ei efficacitas inest sursum, quam deorsum. *Decimo quinto*, ignis alia liquefacit, alia non calefacit, ut adamantem et carbunculum; alia in fumum, alia in favillam, alia in cineres, alia in calcem convertit : ita varia est Dei et Spiritus Sancti operatio. *Decimo sexto*, sicut ab igne manat lux et calor, ita a Patre, et Filius, et Spiritus Sanctus, ait Damascenus, lib. I *De Fide*, IX. Denique, ignis hic altaris tam victimas, quam offerentes, quasi consecrabat et sanctificabat. Recte ergo dixit Heraclitus Deum esse ignem intelligibilem.

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima. Undecima. Duodecima. Decima tertia. Decima quarta. Decima quinta. Decima sexta. Decima septima.

Visiones angelorum in sacrificiis.

Denique notent hic sacerdotes quantæ dignitatis sint sacrificia, utpote quibus se insinuat et ostendit gloria Domini, ac consequenter quam reverenti, sublimi et cœlesti mente ea offerre debeant. Audi S. Chrysostomum, lib. VI *De Sacerdotio* : « Per id tempus (sacrificii) angeli sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Vidit enim senex quidam admirabilis, eo tempore angelorum multitudinem fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, atque sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes videat. »

Ita S. Euthymius Abbas, sub annum Christi 503, sacrificans sæpe vidit angelos, secum Deo ministrantes, et sacra contrectantes. Alias vidit ignem, et lucem immensam desuper descendentem, quæ ipsum cum ministro usque ad finem sacrificii complectebatur : testis est Cyrillus in ejus Vita. Ita Spiritus Sanctus ignis specie S. Anastasium sacrificantem circumdedit, ut habetur in Vita S. Basilii. Ignis.

Ita S. Basilius sacrificium non peragebat, nisi divina visio ei ostenderetur; quæ cum quadam vice ob lascivum diaconi aspectum ei negaretur, eum ab altari amovit, ac mox visione redeunte sacrificium consummavit. Alias visus est sacrificans candidissimo lumine et candidatis angelis circumdari : testis est Amphilochius in ejus Vita.

Ita S. Gudwalus ante annos 500 Archiepiscopus existens, assidue præmissis jejuniis, vigiliis et precibus, celebrans cœlos vidit aperiri, angelos descendere, laudes Deo canere cum ingenti reverentia; ipse vero ceu splendida lucis columna stabat, Sancta sanctorum tractans, et agnum Dei immolans.

Ita super caput S. Martini, dum sacrificaret, globus igneus apparuit, teste Severo.

Ita S. Plegilus presbyter sacrificans, vidit Christum instar pueri in hostia consecrata, offerentem se illi ad implexus et oscula : testis est Paschasius Corbeiensis, lib. *De Corp. et sang. Domini*, cap. XL. Et Christi.

Mira quoque sunt, quæ refert S. Gregorius, homil. 37 *in Evang.*, de S. Cassio Narniensi Episcopo celebrante assidue.

Joannes Moschus, in *Prato spirituali*, cap. CXCIX, commemorat senem, qui sacrificans videbat angelos dextra lævaque sibi assistere. Idem, cap. IV, refert Abbatem Leontium vidisse angelum stantem ad dextrum altaris cornu, eique dicentem : « Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi astare jussus sum. » Idem prorsus vidit et audivit Barnabas Abbas; ibidem cap. X.

Palladius, in *Lausiaca* cap. LXXII, scribit Ammonam vidisse angelum signantem eos, qui digne accedebant ad S. Synaxin, et eos qui fuerant ab eo deleti, post triduum obiisse.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nadab et Abiu igne alieno thurificantes, a Deo igne afflantur et occiduntur. Plangi eos a sacerdotibus vetat Deus. Secundo, vers. 8, vetat Deus vinum et siceram sacerdotibus tabernaculum ingressuris. Tertio, vers. 12, reliquias sacrificii a sacerdotibus comedi jubet.

1. Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. 2. Egressusque ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. 3. Dixitque Moyses ad Aaron : Hoc est quod locutus est Dominus : Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. 4. Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos : Ite et tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii, et asportate extra castra. 5. Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. 6. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus : Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, et omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus suscitavit; 7. vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis : oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi. 8. Dixit quoque Dominus ad Aaron : 9. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini; quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. 10. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, 11. doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. 12. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus, qui erant residui : Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est. 13. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. 14. Pectusculum quoque quod oblatum est, et armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu et filii tui, et filiæ tuæ tecum : tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel : 15. eo quod armum et pectus, et adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te, et ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus. 16. Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit; iratusque contra Eleazar et Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait : 17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est, et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini, 18. præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra Sancta, et comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? 19. Respondit Aaron : Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino : mihi autem accidit quod vides, quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? 20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

Vers. 1. 1. ARREPTISQUE NADAB ET ABIU FILII AARON THURIBULIS. — Hebr. *et acceperunt thuribula*, videlicet quæ suspensa erant ad altare holocaustorum, ut ea implentes incenso ingrederentur Sanctuarium,

et adolerent super altare thymiamatis, uti præceptum erat *Exod.* XXX, vers. 8 et 20. Videntur hi seniores et digniores Aaronis filii voluisse suas etiam, post patrem, ministerii sui primitias inire, et pro gratiarum actione adolere incensum. Unde videntur hæc contigisse octavo die, puta eodem die quo Aaron celebravit suas primitias, aut certe paulo post; nam sicut primum sacerdotis munus erat immolare, quod jam fecerat Aaron: ita secundum erat adolere thymiama, quod hi jam facere cogitabant; tertium erat accendere lucernas.

Nadab et Abiu primitiæ.

OFFERENTES CORAM DOMINO IGNEM ALIENUM.— Erat in atrio tabernaculi, puta in altari holocaustorum, ignis sacer e cœlo lapsus, quem Deus jusserat foveri, ut eo solo uterentur ad sacrificia et thymiamata, uti dixi cap. præced. vers. 24. Erat in eodem atrio ignis profanus et communis, quo utebantur ad coquendas carnes hostiæ pacificæ, et hostiæ pro peccato, quibus vescebantur in atrio partim sacerdotes, partim laici offerentes. Eodem usi fuerant ad domesticos usus Aaron, Nadab et Abiu, septem diebus consecrationis suæ, quibus continuo in tabernaculo versati sunt. Hoc ergo igne profano, qui a sacris debebat esse alienus, pro sacro in thurificatione sua usi sunt Nadab et Abiu, « coram Domino, » id est, coram altari holocaustorum, et coram ostio tabernaculi. *Secundo* et verius, « coram Domino, » id est, in altari thymiamatis (in hoc enim per thuribula adolendum erat thymiama), quod erat coram Domino residente in propitiatorio et Sancto sanctorum.

In atrio erat duplex ignis sacer et profanus.

Cur igne alieno usi sunt Nadab et Abiu? Resp. Primo.

Quæres, unde contigerit hic Nadab et Abiu lapsus, ut igne profano uterentur ad adolendum thymiama?

Hebræi putant id eos fecisse ex temulentia, eo quod ebrii nescirent quid facerent. Ita R. Simeon, R. Moses, R. Salomon. Huic sententiæ favet, quod Dominus post necem Nadab et Abiu, mox vers. 8, Aaroni et sacerdotibus, ingressuris tabernaculum, vinum et omne quod inebriare potest, prohibeat. Hæc enim cautio et lex suspicionem movet, eos fuisse temulentos, non tamen omnino ebrios: hoc enim non tacuisset Scriptura, et si plane fuissent ebrii, impotes et inepti fuissent ad concinnandum et adolendum thymiama.

Secundo.

Secundo, dici posset id eos fecisse ex inconsideratione et perturbatione : sic enim videmus novellos sacerdotes inexpertos, timidos et turbatos, in suis primitiis multos errores committere.

Tertio et genuine.

Tertio et probabilissime dici potest eos, cum vi subiti ignis e cœlo labentis, victimas cap. præced. vers. 24, devoratas conspicerent, novitate miraculi partim exultantes, partim perculsos et perturbatos, non ausos fuisse accedere ad altare, ut inde ignem sacrum acciperent, sed aliunde festinanter rapto igne, incensum Domino pro gratiarum actione obtulisse : ad hanc enim incitabat eos gaudium ex dato cœlitus igne, sed metus terrebat eos, ut eum attingere non auderent; hoc enim significat τὸ *arreptisque*, quod hanc historiam cum historia ignis divini cap. præcedenti connectit. Unde hi Aaronis filii inobedientiæ quidem non caruerunt reatu, crimen vero damnabile magis significarunt, quam admiserunt, inquit Radulphus. Juventus enim uti fervens est, ita præceps est et inconsiderata, ut recte rogatus Socrates, quænam sit juvenum virtus, dixerit : « Nihil nimis. »

Tropologice, ignis alienus significat hæreses et aliena a fide dogmata Novantium. Ita Isychius, Beda, et S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*. Unde Nadab hebraice significans *spontaneum*, et Abiu significans *patrem ejus*, eos notant, qui non vocante Deo, sed sponte se sacris ingerunt; vel carnalis posteritatis obtentu, aut propinquorum potentium commendatione, sacerdotale munus usurpant. Ita Radulphus.

Tropologice ignis alienus, primo, est hæresis.

Secundo, ignis alienus est quævis cupiditas, quæ igni sacro, id est charitati, est contraria; charitas enim est ignis e cœlo missus, et animæ a Deo inditus; ignis vero alienus est, cum anima ardet ira, avaritia, luxuria, inquit Radulphus : hæc enim non Deus, sed caro vel dæmon animæ suggerit et indit.

Secundo. concupiscentia.

QUOD EIS PRÆCEPTUM NON ERAT, — id est, *quod eis vetitum erat* : alioquin enim non peccassent, nec morte puniti fuissent. Est liptote : vide *Can.* 26. Hinc constat legem de non utendo igne alieno in sacris, a Deo fuisse latam, etiamsi hactenus Scriptura eam nusquam expresserit. Satis tamen eam insinuat, cap. VI, vers. 9, cum ait : « Ignis in eodem altari erit, » uti ibidem dixi. Licet enim ea lex diserte tantum de victimis loquatur, tamen a pari, aut potius a majori, ad thus et thymiama extendenda videtur. Hoc enim « Sanctum sanctorum » vocatur *Exod.* XXX, 36. Unde et victimæ in atrio ante Sanctum, thymiama vero in Sancto ante Sanctum sanctorum adolebatur.

2. EGRESSUSQUE IGNIS A DOMINO, — *q. d.* A Domino ex altari holocaustorum in eos immissus est ignis, cum ipsi tenderent ad Sanctuarium et ad altare thymiamatis : nam antequam eo pervenirent et adolerent, occisi sunt ante tabernaculum, sive Sanctum, in ejus atrio; hoc enim significat τὸ *mortui sunt coram Domino*, id est coram ostio tabernaculi.

Vers. 2.

Secundo et verius, Abulensis et Vilalpando : « a Domino, » inquiunt, id est altari thymiamatis, quod erat obversum propitiatorio (quod erat quasi thronus Dei), egressus est ignis, qui devoravit Nadab et Abiu; ipsi enim cum thuribulis jam ingressi erant Sanctum, et in altari thymiamatis obtulerant et adoleverant ignem alienum, ut dicitur vers. 1, unde ex eodem altari ultor in eos ignis erupit; puniti enim sunt ob sacrilegium, non mente destinatum, sed opere perpetratum.

Ignis ultor ignis alieni erupit ex altari holocaustorum, vel potius thymiamatis.

Ubi nota : Ignis de cœlo lapsus, ex altari holocaustorum in thuribulis deferebatur ad altare thymiamatis, quotidie mane et vespere, ad ado-

lendum thymiama; unde idem ignis cœlestis censebatur tam esse altaris thymiamatis, quam holocaustorum, et forte jam actu delatus erat ad altare thymiamatis, ut thymiama vespertinum adoleretur: hæc enim peractis omnibus Aaronis sacrificiis, quæ totum diem octavum facile occuparunt, sub ejus vesperam contigisse videntur, quando tempus erat adolendi thymiama. Ex hoc ergo altari ignis sacer, non ferens consortium ignis alieni, prosiliit, eumque cum offerentibus absorbuit. Adverte : juste puniuntur igne, qui igne peccaverant; in quo enim quis peccat, per hoc et punitur.

Hinc patet figmentum esse, quod aiunt Rabbini, scilicet Nadab et Abiu igne esse consumptos, eo quod manus et pedes non lavissent, juxta præceptum *Exod.* XXX, 19, quod non omnes vestes sacras induissent, sed tantum tunicas, quod uxores accipere noluissent, quod contra Mosen ipso præsente de lege docuissent.

Mystice ignis ultor est vindicta Dei et excommunicatio Ecclesiæ.

Mystice, ignis hic est ignis divini examinis et vindictæ, I *Cor.* III, 13. Ita Radulphus. Rursum ignis hic est excommunicatio Ecclesiæ, ait Isychius.

DEVORAVIT EOS, — non omnino eos concremando et consumendo, sed instar fulminis afflando et occidendo, nam postea eorum integra corpora sepulta sunt; idque fecit Deus ad consolationem Aaron, et ut pœnam eorum mitigaret. Voluit Deus recentem legem, et sacerdotii religionem tam severa vindicta sancire, in posterorum exemplum. Simile exemplum statuit S. Petrus Christianis,

Nadab et Abiu non damnati, sed salvati videntur.

puniens Ananiam et Sapphiram, *Act.* V. Unde probabiliter opinatur Abulensis Deum Nadab et Abiu morte præsenti punivisse, ut æternam evaderent; itaque eos vel venialiter tantum peccasse, vel, si mortaliter peccarant, antequam efflarent animam, illud contritione delesse : cujus rei signum est *primo*, quod corpora eorum manserint illæsa; *secundo*, quod Moses jusserit eos in vestibus sacris tumulari; *tertio*, quod Deus jusserit toti populo ut eos plangeret. Unde Radulphus : « Mors, ait, eorum æternæ mortis figuram potius quam veritatem exhibuit. »

Deus punit subinde morte peccata venialia.

Ubi nota : Juste Deus potest peccata venialia, etiam cessante scandalo, punire morte, quod facere nequit judex inter homines. Est enim Deus absolutus omnium Dominus, qui summum in vitam et necem omnium jus habet et imperium. Cujus rei illustre exemplum est, III *Reg.* XIII, 24, ubi vir Dei et propheta sanctus occisus est a leone jussu Dei, quia deceptus ab alio propheta in ejus domo cibum sumpserat, quod Deus illi vetuerat. Simili modo Deus occidit Ozam, eo quod arcam labentem suffulsisset et tetigisset, II *Reg.* cap. VI, vers. 6.

Vers. 3. 3. HOC EST QUOD LOCUTUS EST. — Ubi et quando dixerit Deus id quod sequitur, non constat, quia nusquam expressum aut scriptum est. Simile notavi vers. 1. Hinc patet multa a Deo dicta et jussa esse Mosi et Hebræis, quæ non sunt scripta, sed tradita per manus.

SANCTIFICABOR IN IIS QUI APPROPINQUANT MIHI. — Id est in sacerdotibus qui ad mea sacra accedunt, ostendam me esse sanctum, ac proinde et eos ministrantes mihi sanctos esse, me velle, declarabo puniendo profanos et sacrilegos (1). Punitione ergo et justitia, æque ut clementia sanctificatur, id est, sanctum se ostendit Deus. Hinc S. Augustinus, *Quæst.* XXXI : « Sanctificatus est, inquit, Deus in eis, quia aliis per hanc vindictam commendatus est timor ejus. » Hac de causa Numa Pompilius apud Romanos instituit, ut sacrificantibus aliquis inclamaret : « Hoc age, » quo monerentur ipsi et adstantes, ut summa attentione et reverentia interessent rei divinæ, ne Dei offensam et vindictam incurrerent.

4. FRATRES, — cognatos; erant enim in tertio gradu consanguinitatis. Simile est *Genes.* XIII, 8, ubi Abraham vocat Lot fratrem, id est nepotem ex fratre. Vers. 4

6. CAPITA VESTRA NOLITE NUDARE. — Septuaginta vertunt, τὰς κεφαλὰς ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε, *capita vestra non decidarabitis*, id est *cidara non nudabitis, q. d.* Non plangetis mortem fratrum vestrorum Nadab et Abiu, nec dabitis signa luctus, nec ad funus eorum prodibitis. Mirum est Chaldæum vertere contrario sensu, *non multiplicabitis*, vel *non nutrietis comam capitis vestri*; forte ipse Hebræum תִּפְרָעוּ *tiphrau* accepit in contraria significatione, ut significet *comare*, vel *comam alere*, ex eo quod פֶּרַע significet *comam*. Sic et in aliis vacillat subinde versio et fides Chaldæi, dum ipse cum Talmudicis rabbinizat. Vers. 6

Lugentes scindebant vestes, caput pulvere asperge bant. Vetatur hic Aaroni, cur

Mos erat lugentium vestimenta scindere, et capitibus nudatis pulverem aspergere, ut patet *Job* I, 20; I *Reg.* IV, 12 : ergo cum hic vetatur ne vestes scindent et capita nudent, vetatur ne mortem fratrum plangant. In recenti enim eorum consecratione, maxime ipsorum et publico honori ac sanctificationi consulendum et parcendum fuit, ne aut sacras vestes novas scinderent, aut pontifex capiti suo, quod sacro perfuderat unguento (pulvere forsitan, præ doloris nimietate, illud aspergendo), tiaræ ornatum detraheret, itaque festum hoc funestarent hanc causam dat ipse Deus : vers. 7.

Tropologice.

Mystice, cum ignis alienus, id est hæresis, exsurgit, non oportet nudare caput intelligibili cidara, id est, non oportet fidem integram de Christi divinitate (hæc enim Christi est caput) seponere.

(1) *Sanctificabor*, id est, quæcumque ad cultum meum pertinent, ea sacerdotes mei sacra habeant oportet, et a profanis secernant. — Quod vulgo vertitur *sanctificare*, inconcinne et obscure, id aliter latine verti nequit, quam, *sanctam* aut *sacram* habere rem, de qua est sermo. Ita Deus *sanctificavit* diem sabbati, hoc est, sacrum seu festum eum habuit, et haberi voluit. Similiter ii *sanctificant* Deum, qui eum sancte habent, quod testari oportebat sacerdotes Hebræos, sacra illius reverenter habendo.

neque vestimenta scindere, id est stolam humanitatis Christi, ejusque gesta infirmare aut resecare : huc enim omnes fere tendunt hæreses, scilicet ut vel divinitatem vel humanitatem Christi oppugnent. Ita Isychius.

NE FORTE MORIAMINI. — Τὸ *forte* non est dubitantis; certo enim morituri erant, si facerent quod hic vetatur, scilicet si fratres suos plangerent. Utitur tamen Scriptura subinde in rebus certis phrasi hac dubitationis, ut ostendat homines esse liberi arbitrii, et eventum esse liberum ac dubium; licet enim conditionalis hæc propositio esset certa : « Si plangatis, moriemini, » eventus tamen, puta mors erat dubia, quia dubium erat an essent facturi planctum, ob quem morte erant puniendi. Ita S. Gregorius, hom. 9 *in Ezech.*, Chrysostomus et Hieronymus in cap. XXI *Matth.*

ET SUPER OMNEM COETUM ORIATUR INDIGNATIO, — *q. d.* Ne populus puniatur a Deo, propter pontificis et sacerdotum peccatum, tanquam principum et capitum suorum.

Vers. 7. 7. VOS AUTEM NON EGREDIEMINI FORES TABERNACULI, — puta fores atrii tabernaculi; in atrio enim manebant sacerdotes, non autem in ipso tabernaculo sive Sancto : sic sæpe in *Levitico* et alibi, tabernaculum sumitur pro atrio tabernaculi; hoc enim erat quasi tabernaculum et templum, tam sacerdotum quam laicorum.

OLEUM QUIPPE SANCTÆ UNCTIONIS EST SUPER VOS, — *q. d.* Recenter jam inuncti et consecrati estis sacerdotes, et in reverentiam hujus novæ consecrationis, volo vos abstinere ab omnibus inquinamentis, etiam funerum, item a planctu et pulvere; quia, ut ait Radulphus : « Indignum est ut terrena dispendia immoderatius defleant, quibus cœlestium gratiarum compensatio tanta refusa est. » Unde populo hic permittitur plangere, non autem sacerdotibus necem fratrum suorum. Notent hoc sacerdotes et religiosi novi Testamenti.

Vers. 9. 9. VINUM ET OMNE QUOD INEBRIARE POTEST (Hebr. כל שכר *col sechar, omnem siceram,* id est omne inebriativum) (1), NON BIBETIS TU ET FILII TUI, QUANDO INTRATIS IN TABERNACULUM TESTIMONII, NE MORIAMINI.

Sacerdoti sacrificaturo vetatur vinum, cur? — Sub pœna mortis vetatur hic sacerdoti sacris operaturo vinum et sicera, ut scilicet ipse effugiat pigritiam, oblivionem, somnum, amentiam : hæ enim sunt proles et partus vini et siceræ, inquit Philo, lib. II *De Monarchia;* utque sui compos habeat scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, ut dicitur vers. 10, *q. d.* Ut inter ministrandum non erret, sed secernat sacrum a profano; idque doceat filios Israel. Hinc aliqui suspicantur Nadab et Abiu punitos esse, quod non cavissent sibi a nimio potu, ex eoque pro igne sacro profanum accepissent; cur enim alioqui hæc una lex abstinentiæ a vino, hic mox a morte eorum ingereretur et sanciretur? cur alioqui juberentur secernere sanctum a profano?

Audi Petrum Chrysologum : « Vini odor odorem fugarat incensi, et ebrietatis ignis flammam provocarat altaris. Unde, quia alienati vino, alienum portaverunt ignem, mox divino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium. » Hinc et S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Nunquam vinum redoleas. Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Vetus lex dicit : Qui altari deserviunt, vinum et siceram non bibant. » Et infra : « Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat. Nunquam petentes, raro accedamus rogati. Nescio enim quomodo ipse etiam qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat, et mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. »

Moraliter de abstinentia a vino.

Denique clericus vino et gulæ deditus, sacerdos est non Dei, sed Bacchi; tali enim, ut ait Tertullianus, lib. *De Jejuniis*, « Deus venter est, et pulmo templum, et aqualiculus altare, et sacerdos cocus, et Spiritus Sanctus nidor, et condimenta charismata, et ructus prophetia, etc.; cui agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. »

Audi Gentiles : Apud Trœzenios, qui ad Aridalicarum rem divinam faciebant, et deorum responsa expetebant, per integrum diem cibo, a vino autem per triduum abstinebant, teste Alexandro ab Alexandro, lib. VI, cap. II.

Ampharatus summus vates jussit sacerdotes, qui responsa clara accipere et sincere reddere vellent, integrum diem a cibo, triduum a vino abstinere, inquit Volaterrius, lib. XIII, cap. IV.

Qui volebant sacris Isidis initiari, illis jejunium decem dierum indicebatur, teste Apuleio, lib. XI.

Quin et laici Christiani olim ante et post sumptionem S. Eucharistiæ jejuniis et abstinentiis sese exercebant, teste S. Chrysostomo, in cap. XI *ad Corinth.* Ludovici Pii Imperatoris ægrotantis cibus per quadraginta dies non erat alius, quam Dominicum corpus, testis est Aimonius, lib. V, cap. XXIX.

Zeno Imperator in electione Episcopi Constantinopolitani, toti populo jejunium quadraginta dierum indixit, teste Nicephoro, lib. XVI, cap. XVIII.

Porro de vino exstat Alciati emblema 24, *prudentes vino abstinent* :

> Quid me vexatis rami? sum Palladis arbor,
> Auferte hinc botros, virgo fugat Bromium.

Et Homerus, lib. I *Epigramm.* :

> Vinum et balnea et circa venerem amor,
> Per velociorem viam mittit in infernum.

(1) D. Hieronymus in epist. *ad Nepotianum* : « Sicera hebræo sermone omnis potio quæ inebriare potest : sive illa, quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. »

Et Horatius, lib. I, *epist.* 5 :

> Quid non ebrietas designat? operta recludit,
> Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

Censet S. Augustinus Pontificem veterem nunquam bibisse vinum, verene?

Putat S. Augustinus, *Quæst.* LI, Aaronem, et quemlibet pontificem ei succedentem, nunquam potuisse bibere vinum et siceram, eo quod pontifex, inquit, singulis diebus debebat intrare tabernaculum, ut adoleret incensum. Sed nititur falso fundamento : putavit enim S. Augustinus altare thymiamatis fuisse in Sancto sanctorum, in quod solus pontifex ingredi poterat, ac consequenter putat ipse solum pontificem potuisse adolere thymiama.

Verum *Exodi* cap. ult. demonstravi altare thymiamatis non fuisse in Sancto sanctorum, sed in Sancto, ac consequenter quemlibet sacerdotem potuisse in eo offerre thymiamata, uti expresse dicitur I *Paral.* VI, 49; et II *Paral.* XXVI, 18. Ita Radulphus.

Vers. 11. 11. PER MANUM MOYSI, — per Mosen.

Vers. 12. 12. TOLLITE SACRIFICIUM — farreum. Hebraice enim est *mincha,* quod Aquila, teste Isychio, vertit, *donum de frumento* : vide dicta cap. VI, vers. 16 et 17.

Vers. 13. 13. QUOD DATUM EST TIBI ET FILIIS TUIS DE OBLATIONIBUS. — Hebraice *de ignitionibus,* id est de victimis ignitis, vel igne crematis Domino.

Vers. 14. 14. EDETIS IN LOCO MUNDISSIMO. — Hebraice *mundo,* id est *sancto,* ut vertunt Septuaginta, et sacrificiis dicato, videlicet in atrio tabernaculi juxta altare holocaustorum (1).

TIBI ENIM AC LIBERIS TUIS REPOSITA SUNT (hebraice *data sunt,* scilicet a Deo qui ita sanxit) DE HOSTIIS SALUTARIBUS, — id est de hostiis pacificis, quæ pro pace, id est salute et prosperitate, offeruntur.

Vers. 15. 15. EO QUOD ARMUM ET PECTUS, ET ADIPES QUI CREMANTUR IN ALTARI, ELEVAVERUNT CORAM DOMINO, — *q. d.* Quia ex hostia pacifica sacerdotes speciali cæremonia elevarunt mihi armum, et pectus cum adipibus (hebraice *cum ignitionibus,* id est cum oblationibus adipum, qui igne Deo cremandi sunt), ita ut hæc tria mea sint, cum reliquæ carnes hostiæ cedant ipsis laicis offerentibus : hac de causa volo, ut propter hanc elevationem, et ministerium sacerdotum, hæc tria nobis utrisque cedant, sed ita ut adipes mihi adoleantur, armus vero et pectus cedant sacerdotibus in cibum.

Vers. 16. 16. INTER HÆC, HIRCUM QUI OBLATUS FUERAT PRO PECCATO (populi, cap. IX, vers. 15), CUM QUÆRERET MOYSES, EXUSTUM REPERIT, — eo quod Aaron et filii ejus, recenti suorum clade perculsi et mœsti, hircum hunc pro peccato comedere non possent, uti debebant juxta legem latam, cap. VI, vers. 26, ideoque censerent hircum comburendum esse, uti et carnes alias Deo oblatas ipsis residuas Deus comburi jusserat, cap. VII, 17.

IRATUSQUE CONTRA ELEAZAR ET ITHAMAR. — Aaron parentem omittit, quia magis eum quam fratres tangebat mors filiorum, videbatque eum mœrore absorptum.

Vers. 17. 17. CUR NON COMEDISTIS HOSTIAM PRO PECCATO IN LOCO SANCTO, QUÆ SANCTA SANCTORUM (valde sancta) EST, ET DATA VOBIS UT PORTETIS INIQUITATEM MULTITUDINIS? — ut scilicet cum hostiis populi pro peccato simul etiam populi peccata in vos quasi recipiatis, ut illa expietis, et pro eorum venia Deum deprecemini.

Vers. 18. 18. PRÆSERTIM CUM DE SANGUINE ILLIUS NON SIT ILLATUM INTRA SANCTA. — Vox *præsertim* hic non est exceptiva, sed expositiva et rationalis. Patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta. *q. d.* Omnino oportuit vos, o sacerdotes, comedere hircum pro peccato oblatum : nam de sanguine illius non est illatum intra sanctuarium, nec aspersum altare thymiamatis. Talis enim hostia comedi debebat a sacerdotibus; illa vero cujus sanguis inferebatur intra Sanctum, non comedebatur, sed tota comburebatur extra castra, ut dictum est cap. VI, vers. 30.

Vers. 19. 19. QUOMODO POTUI COMEDERE EAM? — Hebraice, *si comedissem hodie sacrificium pro peccato, an bonum fuisset?* id est an placuisset in oculis Domini? *q. d.* Minime placuisset, si hoc tempore hanc cæremoniam comestionis servassem : nam in tanta meorum strage et ira Dei, potius tempus est mœroris et jejunii, quam lætitiæ et epuli, vel convivii (2); quam excusationem et satisfactionem ut justam probavit et acceptavit Moses. Recte enim Agesilaus, cum subito nocte movens castra cogeretur amicum ægrum a tergo relinquere, dixit : « Tali casu difficile est simul misereri et sapere. »

Principis est in ira facile excusationem admittere.

Moraliter, discamus hic a Mose in ira et injuria facile excusationem admittere, misereri, animumque lenire, et ad indulgentiam componere. Est enim hæc iræ victoria, mansuetudo et clementia animi principis et regii. Ita Seneca, lib. II *De Ira,* cap. XXX, hortatur ut, si quid ab aliquo patimur, excusemus. « Puer, inquit, est? ætati donetur, nescit an peccat. Pater est? aut tantum profuit, ut illius jam injuria jus sit; aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est, quo offendimur. Mulier est? errat. Jussus est? necessitati quis nisi insipiens succenset. Læsus est? non est injuria pati quod prius feceris. Judex est? plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? si nocentem punit, cede justitiæ : si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud, si irasceris. Morbus est, aut calamitas? ergo

(1) « *In loco puro,* domi nempe, non in atrio, in quo cibum non capiebant uxores et filii sacerdotum. Sed conclave nulla immunditie *impuratum* esse debebat. Manifeste indicatur hæc distinctio in hebræo : si enim *Atrium* intelligitur, additur *sanctum,* ut in vers. præced.; si quilibet locus mundus, seu non pollutus aliqua immunditie, טהור, ut hic. » Ita Rosenmullerus ad h. l.

(2) Lugentes et lege Levitica immundi censebantur, neque sacrificiis vesci poterant. Aaron igitur, non quidem habitu externo, animo tamen lugens, noluit interesse epulis sacrificalibus.

levius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis operam, si irasceris, quam cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui injuriam fecit? noli credere : malus? noli mirari. »

Symbolice S. Ambrosius *ad Simplicianum*, explicans hoc Aaronis dictum, docet errati excusationem esse pronam, pœnitentiam vero difficilem. « Nihil, inquit, peccare, solius Dei est : pœnitentiam gerere peccati, sapientis est. Id tamen difficile est; repugnat enim natura, repugnat verecundia. » Et mox : « Præponderant enim futuris præsentia, et violenta moderatis, et plura paucioribus, et jucunda seriis, et asperis mollia, et tristibus læta, illecebrosa rigidioribus, et præpropera tardioribus. Velox enim est iniquitas, quia opere cogitationum antevertit : lenta autem virtus, et diuturna cunctatrix, quia adorienda inspicit, et prius examinat quid decorum et honestum. Pigra igitur et verecunda est pœnitentia : solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit Deus legem de animalibus mundis, quibus vesci licet, et immundis quæ comedi vetat. Primo ergo terrestria munda esse decernit ea tantum, quæ ungulam habent divisam, et simul ruminant. Secundo, vers. 9, *ex piscibus mundos vult haberi eos solos, qui pinnulas habent et squamas. Tertio, vers.* 23, *designat viginti aves immundas; locustas vero, quia saliunt, mundas esse statuit. Quarto, vers.* 29, *reptilia omnia immunda esse, eorumque morticina tangentem contaminare decernit.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 2. Dicite filiis Israel : Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. 3. Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis. 4. Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus et cætera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis. 5. Chœrogryllus qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est. 6. Lepus quoque : nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit. 7. Et sus qui, cum ungulam dividat, non ruminat. 8. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis. 9. Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis. 10. Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis, 11. execrandumque erit : carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitis. 12. Cuncta quæ non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt. 13. Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis : aquilam, et gryphem, et haliætum, 14. et milvum ac vulturem juxta genus suum, 15. et omne corvini generis in similitudinem suam, 16. struthionem, et noctuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum; 17. bubonem, et mergulum, et ibin, 18. et cygnum, et onocrotalum, et porphyrionem, 19. herodionem et charadrion juxta genus suum, upupam quoque et vespertilionem. 20. Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominable erit vobis. 21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, 22. comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum. 23. Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis; 24. et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum; 25. et si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis. 26. Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit; et qui tetigerit illud, contaminabitur. 27. Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, im-

mundum erit : qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum. 28. Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum : quia omnia hæc immunda sunt vobis. 29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, mustella et mus et crocodilus, singula juxta genus suum; 30. mygale, et chamæleon, et stellio, et lacerta, et talpa : 31. omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum; 32. et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia; et in quocumque fit opus, tingentur aqua, et polluta erunt usque ad vesperum, et sic postea mundabuntur. 33. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, et idcirco frangendum est. 34. Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit; et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit. 35. Et quidquid de morticinis hujusmodi ceciderit super illud, immundum erit : sive clibani, sive chytropodes, destruentur, et immundi erunt. 36. Fontes vero et cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. 37. Si ceciderit super sementem, non polluet eam. 38. Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. 39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum; 40. et qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum. 41. Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. 42. Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est. 43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. 44. Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram. 45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. 46. Ista est lex animantium ac volucrum, et omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, et reptat in terra, 47. ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis.

Vers. 2. 2. HÆC SUNT ANIMALIA QUÆ COMEDERE DEBETIS, — quæ comedere licet, patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta.

Cur cibos mundos ab immundis discrevit Deus?

Quæres, cur hanc ciborum observantiam, et animalium mundorum ab immundis discretionem sanxit et præcepit hic Deus?

Prima causa.

Respondeo : *Prima* causa fuit, ut in iis populus iste rudis haberet continuum exercitium, tum temperantiæ, tum obedientiæ, tum religionis et latriæ, mundis vescendo, immundis abstinendo ob honorem et reverentiam Dei ita jubentis, itaque semper Deum coleret : nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Cibis Judaicis*, cap. IV : «Multa a Judæis ciborum genera sublata sunt, non ut illa damnarentur, sed ut isti coercerentur servituri uni Deo; quia ad hoc assumptos frugalitas decebat, et gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, imo (ut ita dixerim) consanguinea potius atque cognata; sanctitati

Secunda.

enim inimica luxuria est.» *Secunda*, ut corporali munditiei populus iste assuescens, ab immunditiis idololatrarum, et immundis eorum sacrificiis

Tertia.

epulisque longius avocaretur. *Tertia*, ut per hæc ad munditiem mentis excitatus assurgeret, et Christo ex se nascituro purissime se compararet.

Quarta.

Quarta, quia hæc immunda tropologice vitiorum, a quibus cavere debemus, erant symbola. Hanc causam Eleazarus pontifex dedit legatis Ptolemæi Philadelphi, petentis sibi mitti septuaginta et duo Interpretes, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum converterent, ut dixi *Can.* 27. Hanc causam passim quoque Patres assignant, ut Tertullianus vel potius Novatianus, lib. *De Cibis Judaicis*, quem ipse adhuc Catholicus existens scripsit, in quo fuse et minutim animalia hic vetita, per vitia eis significata explicat : afferam ejus verba vers. 30; Clemens Alexandrinus, libro II *Pædag.* cap. X; Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum*, ante finem; Origenes hic, *hom.* 7; Eusebius, lib. VIII *De Præp. Evang.*, cap. III, et S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. XV. Cum enim Adimantus, utpote Manichæus, oppugnaret vetus Testamentum, tanquam a deo malo datum, ac nominatim hanc abstinentiæ legem argueret ex illo *Matth.* cap. XV : « Quod intrat in os, non coinquinat hominem, » respondet S. Augustinus hos cibos Ju-

dæis non fuisse vetitos, quod per se mentem coinquinent; sed hæc de eis præcepta populo carnali fuisse posita, ad significationem humanorum morum, et ut futuram disciplinam spiritualis populi Christiani prophetarent. Hinc etiam, ut notat S. Cyrillus, lib. XIV *De Adoratione*, quædam hic vetantur quæ comedi non solent, quæque omnes naturaliter respuimus et abhorremus, ut stellio, mustela, mus, etc.

Animalia immunda hic vetita sunt pravæ complexionis et nutrimenti.

Porro hæc omnia apposite ad naturam sancita et discreta sunt; nam animalia hic immunda censentur, edique vetantur, quæ natura sua vel sunt venenosa, uti sunt omnia reptilia, quæ semper humi repunt, itaque ex terra humiditatem viscosam, fœtidam et noxiam imbibunt, eamque in cute demonstrant; vel quæ immundis cibis vescuntur, ut porci et upupæ, quæ inter stercora vivunt, et ciconiæ, quæ serpentes comedunt: sic et vespertiliones, noctuæ, bubones, quæ omnia immundis aluntur alimentis; vel quæ distemperatæ sunt complexionis, ut pisces hic vetiti, qui omnes mali sunt nutrimenti; vel quæ feræ sunt et rapaces, uti gryphes, milvi, vultures. Sic Pythagoras suis interdixit ne faba vescerentur, eo quod is cibus magnam habeat inflationem, ideoque stomachum ac caput distendat, et tranquillitatem mentis interturbet, ait Cicero, lib. I *De Divin.* (1).

Hæc ergo immunditia horum animalium duplex est: puta formalis jam dicta, qua ipsa animalia in se aliquid immundi et distemperati continent; altera causalis, qua immunditiam similem causant in homine, quia cum in se sint malæ complexionis, malique et noxii alimenti, hinc si comedantur, in homine intemperiem humorum generant, morbos creant, imo aliquando enecant.

Potissima tamen causa fuit symbolica, ut nimirum hæc animalia immunda significarent immunditiam peccatorum et vitiorum, quorum ipsa apposite sunt symbola, ut dixi.

Immunditia hæc erat legalis, non spiritualis.

Nota: Hæc animalium immunditia erat corporalis et legalis, quæ animam non inquinabat (nisi quis per inobedientiam, sciens contra legem ea comedisset), sed tantum arcebat Judæos a ministratione et oblatione sacrificiorum, atque ab introitu Sanctuarii: ab his enim abstinere debebat, qui cibos hic vetitos etiam inscius comedisset, donec se expiasset: perinde ac lepra arcebat leprosos a convictu hominum, totisque castris.

Vers. 3. 3. OMNE QUOD HABET DIVISAM UNGULAM (2), ET RUMINAT IN PECORIBUS, COMEDETIS. — Ut ergo animal sit mundum, quo vesci licuerit Judæis, debebat habere hæc duo: *Primo*, ungulam, eamque divisam et bisulcam; nam quæ non habent ungulam, nimis humidæ sunt complexionis: quæ habent ungulam, sed eam non habent fissam, uti sunt equi, asini, cameli, nimis sicci et duri sunt temperamenti et alimenti, nec corpori humano nutriendo conveniunt: quæ vero ungulam habent, eamque dividunt, uti oves, boves, capræ, homini alendo congruunt, quia temperatæ sunt complexionis: ideoque munda censentur. Ita Abulensis. *Secundo*, debebat ruminare; nam quæ ruminant, melioris sunt digestionis, ideoque et melioris sunt complexionis: quod si alterum horum desit, puta si animal non habeat ungulam fissam, aut non ruminet, censetur immundum. Unde immundorum exempla subjicit, camelum, leporem, suem, etc.

Animalia quæ ruminant et habent ungulam fissam, sunt munda, cur?

Tropologice, ruminant sancta animalia, puta viri sancti, qui verbum Dei quod aure percipiunt, in ventrem memoriæ recondunt, hocque sæpius quasi ad os cordis revocantes, frequenti retractatione comminuunt. Ita S. Gregorius in cap. VII *Cant.* S. Cyrillus vero, lib. IX *Contra Julianum*, docet ruminare esse prudentiæ symbolum. Pedem dividunt, qui in actione bonum a malo secernunt. Utrumque ergo requiritur ad mundiciem et sanctitatem, videlicet et ruminare verba Dei, et ea opere explere. Ita Radulphus, Isychius, Eusebius, lib. VIII *De Præpar.* cap. III, Cyrillus, lib. XIV *De Adoratione*, qui et addit aliam tropologiam: bifidus, ait, unguis perspicua figura est, qua significatur posse nos in utramque partem recte incedere, videlicet quoad nos et quoad alios.

Tropologice.

Ruminare est symbolum prudentiæ.

Ruminare ergo symbolum est prudentiæ: prudens enim est cogitabundus, et singula mente ruminans, videt quid in quaque re expediat, quomodo Deo et hominibus etiam impiis satisfaciat.

Narrat Plutarchus in *Lacon.* de Acrotato viro prudente, quod parentibus postulantibus ejus operam in re injusta, negarit, cumque ii urgerent, dixerit: « Vos me educastis ad justitiam, patriæque legibus tradidistis; conabor ergo his potius, quam vobis obsequi; ac quoniam vultis me optima agere, optimum autem est cum privato tum, multo magis principi, id quod est justum, agam quæ vultis; quæ vero dicitis, detrectabo. » Ita prudenter et suaviter rem illicitam negavit, simulque intentioni et voluntati parentum satisfecit. Ruminatio enim mille modos et media ad quidvis, ac præsertim ad odia declinanda, et gratiam hominum conciliandam, suggerit. Idem narrat, quod Aristo audiens Cleomenis dictum, quo rogatus, quod esset regis boni officium, dixerat: Amicis bene, inimicis male facere; illud ruminans correxerit dicens: « Quanto, mi homo, rectius erat amicis benefacere, inimicos autem amicos efficere! »

(1) Altera causa illarum legum erat, ne Hebræi in consortium aliarum gentium venirent. Nam frequens cum peregrinis commercium facile occasionem dare potuisset, ut Israelitæ cultum et morem peregrinum adsciscerent. Hoc commercium autem valde impediebatur legibus de cibis vetitis. Cf. Michaelis in *Jure Mosaico*, P. IV. § 202, 203, 204.

(2) Addunt hebræa, *et* (omne animal) *findens* (integre, penitus) *fissionem ungularum*, id est, quod habet ungulas *penitus* fissas.

IN PECORIBUS, — in quadrupedibus animalibus.

Vers. 4. 4. SICUT CAMELUS, — camelus immundus est, quia ungulam habet, sed eam non dividit. Moses, inquit Cyrillus, lib. XIV *De Adoratione*, ponit exempla camelum et leporem, id est maximum et minimum, ut media inter hæc non ruminantia, vel non dividentia ungulam, immunda et vetita intelligamus (1).

Vers. 5. Chœrogryllus, quod animal? 5. CHOEROGRYLLUS. — Quod et quale animal est chœrogryllus? *Primo*, Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. X, intelligit hyænam. *Secundo*, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Oleaster et alii recentiores intelligunt cuniculum.

Nota : Hebræa vox שָׁפָן *saphan* tria significat : *primo*, chœrogryllum; *secundo*, leporem; *tertio*, hericium : ita ex Philone S. Hieronymus in *Nominibus Hebraicis*, in *Jerem.* שָׁפָן *saphan* enim par שׁ vel עֲ *tectum, absconditum* et *latitans* significat. Unde *saphan* generale est nomen, et commune multis animalibus fugacibus, et in latebris degentibus : sicut et pleraque alia Hebræa animalium vocabula multis competunt, uti demonstrat Ribera in cap. V *Zachar.*, num. 21. Idque patet ex eo quod idem nomen a variis, puta a Septuaginta, Chaldæo, et Nostro varie, imo et a Nostro aliter hic, aliter ibi vertatur : sic *saphan* hic et *Deut.* XIV, 7, Noster vertit *chœrogryllum*, uti et vertunt Septuaginta; alibi vertit *leporem*, ut *Prov.* XXX, 26; alibi vertit *herinaceum*, ut *Psalm.* CIII, 18 (2).

Chœrogryllus est animal Palæstinæ instar cuniculi. Chœrogryllus ergo, vel herinaceus est animal magnitudine mediocrium cuniculorum, de cavernis petrarum gregatim procedens, pascensque in Palæstina juxta mare Mortuum, ait Eucherius, lib. *De Nomin. Hebraicis*, cap. XII, atque inde forte græce dictus est chœrogryllus a χοῖρος, id est *rupe*, et γρύλλος, id est *porcus*, quasi dicas *porcellus rupium*. Ita fere et S. Hieronymus, vel quisquis est auctor commentariorum *in Proverb.* cap. XXX, nam hæc commentaria non esse S. Hieronymi, ex eo colligitur, quod hoc ipso loco auctor citet S. Hieronymum. Potius videntur esse Venerabilis Bedæ, cui ea attribuit Trithemius. Hic ergo auctor sic ait : « Pro lepusculo antiqua translatio chœrogryllum posuit. Est autem hoc animal non majus hericio, habens similitudinem muris et ursi, cujus in Palæstinæ regionibus magna est abundantia, semperque in cavernis petrarum et terræ foveis habitare consuevit. »

Unde et Origenes hic pro chœrogryllo vertit *herinaceum*. Chœrogryllus ergo distinctum est animal a cuniculo et hericio, licet id neget Petrus Serranus : quorsum enim Septuaginta et Noster vocaret eum chœrogryllum, tam obscura et ignota voce, si esset cuniculus vel hericius? hæc enim nomina et animalia nobis notissima sunt. Unde et Eucherius ac S. Hieronymus distinguit herinaceos sive chœrogryllos ab hericiis sive echinis, qui spinosos undique habent aculeos ut vix contingi possint, quos ad libitum exserunt, vel remittunt et contrahunt, iisque pomis se in hortis onerant, quæ ad latibula sua deferunt.

Vers. 6 Lepus immundus; cur? 6. LEPUS QUOQUE (immundus est), NAM ET IPSE RUMINAT, SED UNGULAM NON DIVIDIT. — Nam lepus non habet ungulam, seu basin pedum osseam et continuam quam dividat, sed loco ejus habet ungues varios et aculeatos. Sub lepore cuniculum intellige : nam cuniculus est lepus parvus, ut ait Plinius, libro VIII, cap. LXXXV; Clemens Alexandrinus leporem vetitum putat ob libidinem, cui valde obnoxium est hoc animal. Unde et tot fœtus simul concipit et parit.

Leporem multi habent utrumque sexum. Hac etiam de causa leporibus multis uterque inest sexus. Audi Gesnerum varia ex variis more suo colligentem tomo *De Quadrupedibus*, in lepore : « Lepus quadrupes hebraice אַרְנֶבֶת *arnebet* vocatur, voce feminini generis, eo quod lepores omnes (uti doctissimi plerique testantur) utrumque sexum habeant. Archelaus de leporibus scribit, utramque vim et utrumque sexum singulis inesse, ac sine mare æque gignere. Quod idem lepus aliquando mas, aliquando femina sit, et naturas transmutet, et quandoque velut masculus generet, quandoque velut femina pariat, manifestum esse Democritus tradit in *Geoponicorum* XIX, 4. Ideoque a physicis, ait Donatus, lepus dicitur incerti sexus, ac esse modo mas, modo femina. De lepore ait Niphus : Illud verum est, quod sit mas et femina, et ad alterum incubus, et ad alterum succubus. Unde tradunt venatores, in genere leporum inveniri eum qui est femina tantum, sed nullum esse marem qui non sit femina, quod sensibus subjacet; nam inventus est lepus testibus atque mentula præditus, qui lepusculos ferebat in utero, nec non et lepus ferens lepusculos, testibus carens et mentula : quæ contra adversariorum objectiones dilutio manifestissima est. Nos vero testamur vidisse leporem solum marem, et leporem tantum feminam, et leporem utriusque sexus, idque apud nostros venatores probatissimum habetur. Hæc Niphus. « Et iisdem pene verbis Ælianus, qui idem se vidisse testatur. Idem docent Patres, quos citabo vers. 30, in fine. Hæc jure et more Judæorum. Nam Gentilibus lepus in deliciis fuit et mensæ decus (3). Audi Martialem, lib. XIII *Epigramm.* :

> Inter aves turdus, si quis me judice certet
> Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Tropologice, hisce quatuor animalibus signifi- Tropolo-

(1) Pes cameli parte tantum anteriore penitus est fissus : pars posterior pedis supra quidem est divisa in duas ungulas, sed infra cohærent pellicula; igitur pes non plane bisulcus est. Cf. Buffon, *Hist. Natur.* P. VI.

(2) שָׁפָן Bochardus vere ostendit esse *murem jaculum* (gall. *rat-sauteur*).

(3) « Cur immundis accenseretur (lepus), rationes etiam physicas habere potuit Moses. Medicorum certe principes, Galenus, Aetius, Rasis et Damir, hos secutus, leporina carne scribunt crassum sanguinem et melancholicum gigni, » Bocharti *Hieroz.*, p. 403.

Mystice camelus est superbia, lepus acedia, sus gula, chœrogryllus injustitia.

cantur quatuor vitia, quatuor virtutibus cardinalibus contraria. *Primo,* camelus gibbosus symbolum est superbi et superbiæ, quæ prudentiæ et sapientiæ est contraria. Vera enim sapientia est humilis; e converso camelus gibbosus est et stolidus. Nota est fabula : camelus petebat a Jove ut cornibus armaretur, cujus ille stolidis precibus irrisis, etiam aures mutilavit, ut non solum inermis, sed etiam deformis de cætero esset. *Secundo,* lepus timidus significat acediam et pusillanimitatem, quæ formidini et constantiæ repugnat. *Tertio,* chœrogryllus, qui vastat et depascitur agros alienos, significat injustitiam justitiæ contrariam. *Quarto,* sus sordida significat gulam et libidinem, quæ temperantiæ adversatur : horum ne morticinis quidem, id est malis actionibus externis, communicare licet. Ita Isychius.

Vers. 7.

7. ET SUS (immundus est), QUI CUM UNGULAM DIVIDAT, NON RUMINAT. — Per suem porcum accipe, tam marem quam feminam; hoc enim est Hebræum חזיר *chasir* : omnis enim porcina caro vetita fuit Judæis, unde etiamnum omni porcina abstinent Judæi. Pari modo *sus* apud Priscianum et Latinos communis est generis, et tam porcum quam porcam significat; hinc illud Virgilii, lib. III *Georgic.* :

Sus immundus tam mas quam femina.

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.

Ridicule nonnulli apud S. Polycarpum, epist. *ad Philippenses,* suis esum hic vetari putarunt, eo quod sus cum comedit ita vorat, ut non agnoscat dominum suum, quodque cum esurit grunnitum edat ad dominum : hæc enim est natura et naturalis musica suis. Veriorem causam dat Cicero, lib. II *De Natura Deorum* : « Sus, ait, quid habet præter escam? cui quidem ne putresceret, animam pro sale datam esse, dicit Chrysippus. » Hinc Sanctus ille Abbas, in *Vitis Patr.,* lib. VI, cap. I, num. 8 : « Sicut, ait, oculi porci semper intendunt in terram, ita anima delapsa in voluptatem et luxuriæ cœnum, vix potest respicere ad cœlum, aut sapere aliquid digum Deo. » Porro errat Plutarchus, lib. V *Sympos.,* Quæst. V, ubi docet Judæos abstinere suilla ex reverentia; eos enim suem revereri, eo quod sus fuerit sationis et arationis magistra, præsertim in Ægypto : sus enim rostro terram effodiens, vestigium arationis impressit, et vomeris opus submonstravit. Similiter errat, dum ait Judæos abstinere lepore, « eo quod æmulatione Ægyptiorum ducti, velocitatem leporis divinam reputant, itemque sensus instrumentorum subtilitatem. Nam leporum oculi adeo sunt indefessi, ut etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem videndi videntur cæteris anteire; cujus admiratione ducti Ægyptii in suis sacris litteris, picto lepore auditum significant. » Probabilior causa est quam subdit : « Suillam abominantur Judæi, quod abhorrent a vitiligine et lepra, quas putant esu harum carnium adscisci. »

Sus animam habet pro sale

Alii porcum immundum putarunt, ex eo quod terram suffodiat, itaque semina et messem subvertat; qua de causa Romani immolabant porcum Cereri mense aprili, cum lampadibus et tædis accensis in vestibus albis. Audi Ovidium :

Prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Et alibi :

Prima Ceres gravidæ gavisa est sanguine porcæ,
Ulta suas merita cæde nocentis opes.

Denique Adrianus Imperator, ut Judæos sua urbe abigeret, porcum insculpsit Hierosolymæ, eamque ex suo nomine Æliam nuncupavit. Audi Eusebium in *Chronolog.* : « Ælia ab Ælio Adriano condita, et in fronte ejus portæ qua Bethlehem egredimur, sus sculptus in marmore, significans Romanæ potestati subjacere Judæos; » ut hoc simulacro quasi titulo significaret, Judæos propria civitate patrioque solo esse interdictos, ac Jerusalem jam non esse Judaicam, sed Gentilitiam et Romanam : Romani enim porcum ob infractum animi robur in vexillis præferebant, teste Festo in verbo *porcus.* Quocirca Judæi Vitellium iturum contra Arabes deprecati sunt, ne castra et signa effigie porci insignita, per Judæam traduceret, teste Josepho, lib. V *Belli,* cap. I. Denique, hac sculptura porci significabat, Judæos esse hominum scelestissimos. Nam, ut ait Horus, et ex eo Pierius, *Hieroglyph.* 9, porcus symbolum est hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorum, et eorum qui a Deo penitus sunt aversi. Ita Baronius anno Christi 137.

Vers. 8.

8. HORUM CARNIBUS NON VESCEMINI, NEC CADAVERA CONTINGETIS. — Unde nec adipem eorum eximere, eove uti poterant : secus erat de animalibus mundis; illa enim mactare, et mactata tangere, ex iisque adipem eximere, eoque uti licebat, nisi essent morticina sponte mortua, vel diu occisa, vel laniata a bestia : tum enim etiam hæc immunda erant et vetita.

Vers. 9.

9. OMNE QUOD HABET PINNULAS ET SQUAMAS, TAM IN MARI QUAM IN FLUMINIBUS ET STAGNIS, COMEDETIS. — Pro *pinnulas,* Biblia Regia legunt *pennulas;* unde et Septuaginta vertunt πτερύγια, id est *alas;* Tertullianus, lib. *De Cibis Judaicis,* legit *remigia;* omnia hæc eodem recidunt : pisces enim qui pinnulas habent, eas gestant quasi pennulas et alas, ut iis natent et librent se in aquis, sicut aves in aere. Ut ergo pisces sint mundi quibus vesci liceat, duo debent habere : *primo* pinnulas, *secundo* squamas, quæ totum pene corpus contegant; quod si alterutrum desit, immundi censentur : pisces enim carentes pinnulis vel squamis, uti anguillæ, nimis humidi, viscosi et insalubres sunt; squamæ enim et pinnulæ siccitatis sunt indices. Unde caro talium densior, albior et sanior est; ideoque tales mundi censentur : pisces enim humiditate abundant, eaque facile nocent stomacho et corpori

Pinnulæ sunt piscibus quod pennulæ avibus.

Pisces habentes pinnulas et squamas sunt siccliores, ideoque mundi.

humano; unde sale conditi vel siccati saniores sunt recentibus.

Tropologice squamæ firmitatem, pinnulæ contemplationem significant.

Tropologice, squamæ gravitatem morum et firmitatem bonæ conversationis in medio sæculi significant; pinnulæ significant sensus superna cogitantes. Pisces namque qui pinnulas habent, saltus dare super aquas solent, ait S. Gregorius. Squamas ergo habent, qui rigore virtutis muniti, sæcularis occupationis appetitum non admittunt; pinnulas vero habent, qui subinde secretum contemplationis petunt, et undis sæcularium curarum supernatant, quique mentis saltibus ad superna conscendere sciunt, ut eos amoris summi, quasi liberi aeris, aura contingat, ait S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. VI, Radulphus, Beda, Cyrillus, lib. IX *Contra Julian.*, ante finem, et Tertullianus, vel potius Novatianus, lib. *De Cibis Judaicis.*

Vers. 10 et 11.

10 et 11. QUIDQUID AUTEM PINNULAS ET SQUAMAS NON HABET, ABOMINABILE VOBIS EXECRANDUMQUE ERIT, — *q. d.* Ab iis abhorrebitis et fugietis, quasi a re immunda et fœtida. Quare peccabant Judæi aliter facientes, non quod animal immundum, sed quod inobedientia mentem pollueret, quæ culpa non expiabatur lustratione æterna : per eam enim tantum immunditia legalis et corporalis eluebatur, sed contritione et pœnitentia. Hinc Machabæi dirissima pati, ac martyrium gravissimum subire maluerunt, quam carnem suillam hic vetitam comedere, II *Machab.* VII. Hinc etiam S. Petrus eadem ita exhorruit, ut diceret, *Act.* X, 10 : « Nunquam manducavi omne commune et immundum. »

Machabæi mori maluerunt quam suillam comedere.

Vers. 13.

13. HÆC SUNT QUÆ DE AVIBUS COMEDERE NON DEBETIS, ET VITANDA SUNT VOBIS : AQUILAM, ET GRYPHEM, ET HALIÆETUM. — Egit Moses *primo*, de mundis et immundis quadrupedibus, vers. 3; *secundo*, de piscibus, vers. 9; *tertio*, de avibus hic agit. Has avium species ex Hebræo aliter et varie vertunt Hebræi; verum nostro Interpreti tum hic, tum *Deut.* XIV, 12, per omnia consentit Chaldæus et Septuaginta, excepto eo quod pro *onocrotalo* Septuaginta substituunt *pelicanum*, de quo vers. 18.

Aquila est immunda, quia in alias aves pugnax et rapax est avis. Unde Cicero, audiens in Pharsalica pugna fugisse Pompeium, cum Nonius diceret septem adhuc adesse aquilas, ideoque bene sperandum : « Recte, inquit, moneres, si adversus graculos esset pugnandum; at jam Cæsar est hostis et victor. » Ita Plutarchus in *Cicerone*. Aquila ergo Judæis vetatur, quia, ut ait Isidorus, « qui aquilam, milvum et accipitrem odit, odit raptores et scelere viventes. » Unde S. Augustinus in *Psal.* CXXIII, docet aquilam esse symbolum dæmonis : hic enim est prædo animarum, qui circuit quærens quem devoret. Rursum aquila vocatur Nabuchodonosor, similesque tyranni, uti dicam *Deuter.* XXVIII, 49.

Gryphes an sint, et quid?

ET GRYPHEM. — Quæres, an et quid sit gryps sive gryphus? Gryphes existere docent e Græcis Herodotus, Pausanias, Ctesias, Ælianus; e Latinis Mela, Solinus, Apuleius et alii, ponuntque eos in Scythia Asiana, vel in montibus Riphæis. Ctesias ait gryphes esse aves quadrupedes lupi magnitudine, cruribus et unguibus leoninis, pennis in pectore rubris, in collo cæruleis, in reliquo corpore nigris, oculis igneis. Addit Leonicenus, equo similem esse avem; Volaterranus, vultu non multum ab humano distare. Abulensis hic et Joannes de Montevilla aiunt gryphem antrorsum aquilæ speciem præ se ferre, leonis retrorsum; magnitudine æquari octo leonibus; tantarum esse virium, ut duos boves, aut equum cum equite in aera asportet. Hæcque vulgo multorum est opinio.

Gryphum idea a veteribus.

E contrario gryphes non existere, sed esse fabulosos contendit Plinius, qui pene phreneticos vocat eos qui aves tales esse asserunt. Item Origenes, qui nimis temerarie Mosen reprehendit, quod gryphes manducari Hebræis vetuerit. Item Matthias Michonius et Perottus Decembrius in *Sarmatia Asiana*, qui nec avem inveniri in septentrione, nec in montibus Riphæis, ait experientia constare.

Gryphes esse negat Plinius.

Dico *primo* : De fide est gryphes esse, esseque aves, patet ex hoc loco Scripturæ; Hebræum enim פרס *peres gryphum* significat, uti vertunt Septuaginta, Chaldæus et Noster. *Peres* enim avem significat curvas et ingentes habentem ungulas (a פרסה *parsa*, id est *ungula*), uti et rostrum. Talis est ergo gryphus, indeque *gryphus* Græcis et Latinis aduncum, curvum, ungulatum significat. Inde Antiochus Gryphus, et alii ab adunco et aquilino naso, dicti sunt *gryphi*.

De fide est gryphes esse, esseque aves

Dico *secundo* : Gryphes uti a veteribus jam dictis describuntur, fabulosi sunt; experientia enim constat avem nullam reperiri, quæ partim sit avis, partim leo vel equus : hinc et veteres gryphes pingendo, eos jungebant sphingi : constat autem sphingem esse fabulam.

Gryphes veterum fabulosi sunt.

Dico *tertio* : Qui sint gryphes certe definiri nequit. Probabilis tamen est sententia Ulyssis Aldrovandi, lib. X, cap. I, et Goropii, Mosen per gryphem hic significare aves, et, ut videtur, àquilæ genus maximum, quod maxime aduncum habet rostrum et ungues, estque fortissimum et rapacissimum, cujus magnitudo, robur et rapacitas occasionem fabulæ veteribus dedisse videntur (1). Probatur id *primo*, quia id significat hebraice פרס *peres;* rursum, quia gryphus hic ponitur post aquilam, ante haliæetum; sicut ergo haliæetus est species aquilæ, ita videtur esse et gryphus. *Secundo*, quia Aristophanes gryphem speciem aquilæ ponit, vocatque γρυπαίετον, quasi dicas *gryphem aquilam;* sicut *haliæetos* vocatur, quasi dicas *aquila marina*. Gryps ergo est grypæetos, hoc est aquila rapacissima, quæ grypho, id est maxime aduncо est rostro et unguibus. *Tertio*,

Gryphes sunt aquilæ maximæ et rapacissimæ.

Probat. Primo.

Secundo.

Tertio.

(1) Juxta Bochartum פרס est *ossifraga*, Gall. *orfraye;* Alexandrini fortasse intellexerunt maximum illum et voracissimum inter *vultures*, quem nos vocamus *condor*.

quia Sigismundus Heberstainius legatus Cæsaris ad Ducem Moscoviæ, scribit apud Moscos aquilis similes aves, sed multo majores esse, quas Mosci *kreutzet* vocant. *Quarto*, quia aquilæ quædam in maximam quantitatem excrescunt. Narrat Georgius Fabricius anno 1550 inter Misniam et Dresdam Germaniæ oppida, inventum esse aquilæ nidum per tres quercus extensum, in eo vitulorum et ovium coria reperta, et hinnulum recens allatum. Pullus unus habebat alas septem ulnis longas, cum per transversum erant expansæ, ungues erant digitis viri magni æquales, crura leoninis majora. Aldrovandus narrat in Æthiopia aquilas esse tam magnas et fortes, ut bovem vel equum integrum pedibus abripiant.

Quarto. Aquilarum magnitudo.

Paulus Venetus scribit se ultra Madagascar de ave *ruc* dicta frequenter ab incolis audiisse, quæ alas tantas habebat, ut pennæ duodecim passus longæ essent; ipsa autem tam fortis, ut elephantem elevet et asportet, aitque se putasse quod gryphus esset : sed audiisse, quod bipes esset, nec ulli bestiæ similis : quanquam gryps revera, si avis est et aquila, bipes est.

Paulus Venetus de avis *ruc* magnitudine mira narrat.

Tropologice, gryphes sunt principes avari, injusti et rapaces. « Remota justitia, ait S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. IV, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi parva regna? hoc malum tantum crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, et evidentius regni nomen assumit. Quod etiam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas. Ideo eleganter et veraciter Alexandro Magno quidam pirata comprehensus respondit, cum ab eo interrogaretur, quid sibi, ut mare haberet infestum? Ille libera voce : Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed ego, quia exiguo navigio facio, vocor latro: quia tu magna classe, imperator. »

Tropologice gryphes sunt principes rapaces. Exempla.

Nero nunquam cuipiam officium delegavit, nisi hæc adjiceret : « Scis quibus mihi est opus, et hoc agamus, ne quis quid habeat. » Vox prædone, quam principe dignior.

Flavius Vespasianus, quoniam rapacissimum quemque promovere solebat, ut mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est officiarios suos habere pro spongiis : quod (veluti spongias) et siccos madefaceret, et humentes exprimeret. Ita Suetonius.

Batto Dalmata, a Tiberio rogatus cur toties cum suis a Romanis defecisset, eisque tantam cladem intulisset, respondit : « Vos in causa estis, qui ad greges vestros custodiendos, non canes dedistis aut pastores, sed lupos. » Ita Dion in *Augusto*.

C. Caligula, cum eum Antonia avia moneret, ut quædam secus ageret : « Memento, ait, mihi omnia in omnes licere. »

Ludovicus XII, rex Franciæ, dicere solebat, ut habent *Annales*, « Plebem et rusticos esse pascua tyrannorum et militum, tyrannos autem et milites esse pascua diabolorum. »

Phalaris dicere solebat : « Ego qui expertus sum utrumque, tyrannidi malim subesse, quam præesse. Subditus enim aliorum malorum securus, unum tyrannum metuit; tyrannus autem et eos qui foris insidiantur, et illos per quos servatur. »

HALIÆETUM, — Græce ἁλιαίετος, idem est quod *aquila marina*, a mari et piscatoribus sic appellata; ἁλς enim est *mare*, et ἁλιεύω est *piscor*, ἀετὸς vero est *aquila* : de qua Plinius, lib. X, cap. III : « Haliæetus, ait, est species aquilæ clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, visoque in mari pisce præceps in eum ruens, et discussis pectore aquis rapiens. »

Haliæetus est aquila marina, qualis?

14. JUXTA GENUS SUUM, — juxta species suas, per species suas : multæ enim sunt vulturum et milvorum species (1). Vers. 14.

15. IN SIMILITUDINEM SUAM, — id est secundum similitudinem suam, *q. d.* Omnes aves similes corvo vel corvinas, quasi immundas habeo et censeo, edique veto. Id patebit versu 19 (2). Vers. 15.

16. LARUM. — Larus sive gavia, ut eam vocat Aristoteles, natat in aquis, et volat in aere, ait Isychius, pisciumque est prædo. Ita Oppianus, lib. *De Aucupio*, puta in *Ixeuticis*, id est in viscatoria, sive in arte capiendi aves visco. Unde proverbium : « larus hians, » pro rapace et furace. Hinc et orta est fabula, laros olim fuisse homines, qui primi venationem et prædam marinam exercuerint; deinde a diis in aves mutatos, juxta urbes et portus volitantes, veteris etiamnum artis et prædationis meminisse. Ita Oppianus. Larus quoque est symbolum gulæ, unde Alciatus in emblemate gulæ, gulosum ita depingit : Vers. 16. Larus avis immunda, cur? Lari fabula.

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur alvo,
Qui larum aut manibus gestet onocrotalum.

Vere Juvenalis, *Satyr.* 1 :

Sunt quibus in solo vivendi causa palato est.

Et Socrates : « Alii, ait, vivunt, ut comedant; ego comedo, ut vivam. » Et Seneca, lib. X *Rhetor.* : Quidquid, ait, avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus : quære nunc cur subito moriamur? quia mortibus vivimus. » Gulosi emblema et gnomæ.

(1) Vers. 14. Primæ avis nomen, quod hic דאה scribitur, in loco parallelo *Deut.* XIV, 13, ראה scriptum reperitur; quorum unum a *volatu*, alterum a *visu* sumptum, litterarum scil. ד et ר permutatione haud infrequenti. Bochartus, qui cum Hieronymo *milvum* reddidit, *daah* vult scribi, quia milvus in volatu hoc habet eximium, quod alis prope immotis in aere omnium avium diutissime libratur; præterea vix ulla est avis, quæ milvo volet altius; volando denique non facile delassatur. Alteram hoc versu memoratam avem idem Bochartus censet esse quamdam *accipitris* speciem, quam Galli dicunt *émérillon*.

(2) Vers. 16. בת היענה multi vertunt *filiam clamoris*, quasi ab acri voce nomen struthioni inditum esset. Sed quum *clamoris* notio voci היענה sine idonea ratione tribui videtur, Rosenmullerus, collato Arab. *wahana, terra dura et sterilis* dictionem hebraicam vertit *filiam deserti*.

Audi S. Hieronymum *Contra Jovinianum* et in *epist.* : « Semper saturitati juncta est lascivia : vicina sunt venter et genitalia, pro membrorum ordine est et ordo vitiorum. » Et rursum : « Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucro. » Et rursum : « Hippocrates in *Aphorismis* docet, crassa et obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleverunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysin et pessima morborum genera erumpere. Non enim in uno statu manere naturam corporum, sed aut crescere aut decrescere; non posse vivere alias, nisi crescendi capax sit. Et Galenus ait, quorum vita et ars sagina est, nec vivere posse diu, nec sanos esse, animasque ita nimio sanguine et adipibus, quasi luto involutas nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare. »

Hugo Victorinus, tract. *De Claustro animæ* : « Superstitiosum nimis, ait, quidam in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum et condimentorum genera excogitantes; modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cymino condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes; ita ut eis desudent cocorum artes, quæstiones et sollicitudo. Isti videntur colere ventrem tanquam Deum. »

Et rursum : « Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: ita Deo ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coci, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum ordo saporum. »

Audi et D. Alanum, tract. *De Complanctu naturæ* : « Hæc, ait, pestilentia non vulgari humilitate contenta, profundius se porrigit in Prælatos, qui salmones, lucios cæterosque pisces variis decoctionum cruciatos martyriis, baptismi adulterantes officium, sacro piperis fonte baptizant, ut ex tali baptismate multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, avis ejusdem viscositate ligatur; dumque tot animalium genera uno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum pedestre aereumque genus in eodem sepulcro intumulari miratur, quibus si detur licentia exeundi, egressis vix portæ sufficiet amplitudo. »

Alius :

Est calicum remex, et navita symposiorum.

Vers 17. Ibis avis quæ? docuit clysterem.

17. IBIN. — Ibis, Ægyptia est avis, serpentibus et scorpiis infesta, iisque vescens, quæ rostri aduncitate salsuginem adhibens, per eam partem se perluit, qua reddi ciborum onera maxime est salubre, quod advertentes Ægyptii clystere sunt imitati : Ibis ergo homines docuit clysterem. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XXVII, et Plutarchus dialogo, *An bestiis aliquid rationis insit?* merito ergo ibis ex lege immunda erat avis.

Corvus et ibis ore generare et concipere fabula est.

Solinus tradit ibin ore generare et concipere. Idem de corvo nonnulli putarunt et putant. Sed hæc est fabella, quam valide refutat Aristoteles, lib. III *De Generat. animal.* VI : unde enim semen ex ore in matricem permearet? deberet enim prius transire stomachum : ibi autem concoqueretur. Fabula inde nata est, quod corvi raro videantur uti venere, sed sæpe rostris jungi.

Vers. 18

18. ONOCROTALUM. — Septuaginta vertunt *pelicanum*. Forte eamdem intelligunt avem. Nam et Oppianus in *Ixeuticis* onocrotalum vocat eumdem quem pelicanum; et Gesnerus, lib. *De Avibus*, in onocrotalo, speciem onocrotali recenset pelicano congenerem; quin et S. Hieronymus, *Psal.* CI, 7, cum Septuaginta. Hebr. קָאַת *kaa* pelicanum vertit, et in commentario ejusdem loci, asserit pelicanum vocari onocrotalum. Porro onocrotalus dicitur ab ὄνος, id est *asinus*, et κρόταλον, id est *crepitaculum*, eo quod absona voce crepitando rudentem asinum referat. Dicitur nonnullis *gutturosa*, ab ingluvie, quæ in gutture ejus, instar strumæ propendet; atque in nonnullis tanta est, ut quinquilibres vivos pisces vorent sorptu uno; imo ex Francisco Sanctio narrat Aldrovandus, *Ornith.* lib. XIX, cap. II, in onocrotalo quodam, cum præ gravedine cecidisset, et captus esset, parvulum puerum Æthiopem inventum esse. Hebraice vocatur קָאַת *kaa*, a vomitu, tum quia aquam quam ingluvie illa continet, revomit, ut prædam ex ea seligat et comedat, teste Plinio, lib. X, cap. XLVII; tum quia conchas devoratas, et calore gurgulionis, vel stomachi sui apertas revomit, ut eis carnem ab ostreis seligat et devoret. Merito ergo hæc Judæis immunda fuit avis : quin et Christiani ea abstinent, quia carnem habet duram, excrementitiam, et vix ferendi odoris, maxime cum annosior est, ait Aldrovandus.

Onocrotalus est avis quæ rudit instar asini.

Hebraice vocatur *kaa*, id est, vomens, cur?

Ob alias tamen ejus proprietates, hæc avis in bonum capitur : nam ob rudem et lugubrem ejus vocem, pœnitentes et gementes assimilantur pelicano, sive onocrotalo, *Psalm.* CI, 7. Sic et aquilæ, herodii, milvi pro diversis earum qualitatibus nunc in bonum, nunc in malum capiuntur. Sic leoni comparatur tam Christus, ob fortitudinem, *Apoc.* V, 5, quam diabolus, ob crudelitatem, I *Petri* cap. V, vers. 8. Ita Radulphus et Isychius.

PORPHYRIONEM. — Porphyrio avis est in capite habens veluti cristam, magnitudine par gallinis, sed crura ei longiora; a colore nomen invenit : rostrum enim habet rubicundum, uti et crura. Hinc græce porphyrio, id est purpureus. Ita Oppianus in *Ixeuticis*, Gesnerus et Aldrovandus. Rapinæ piscium inhiat, ait Procopius, et solus morsu bibit, omnem cibum aqua subinde tingens, deinde pede ad rostrum velut manu afferens. Ita Plinius, lib. X, cap. XLVI, et Aristoteles,

Porphyrio avis morsu bibit, ideo est immunda.

lib. VIII *Histor. animal.* cap. VI. Addit ex Polemone Aldrovandus, porphyrionem indocilem esse, nec unquam mansuescere; et ex Æliano ac Callimacho, eum nullius aspectum pati dum comedit, itaque secedere et in occulto comedere. His de causis immundus habitus est. Alia tamen ex parte mire ejus pudicitia laudatur. Refert ex Polemone Athenæus, lib. IX *De Cœnis sapientum,* cap. XII, porphyrionem in domibus nutritum, mulierum pudicitiæ esse custodem, earumque adulterium sagacissime deprehensum, suo suspendio et nece indicare ac prodere. Sed quomodo per se avis laqueo se suspendat? Quare rectius per abstinentiam a cibo, et per inediam se necando, eum id facere dixit Polemon, et ex eo Aldrovandus, qui et ex Tzetze addit, eum tam esse pudicum, ut viso scorto expiret (1).

Porphyrio adulterium prodit.

Vers. 19. Quæ avis herodius? Prima sententia. Secunda. Tertia. Quarta.

19. HERODIONEM. — Hujus avis Aristoteles, Plinius, Oppianus et alii non meminerunt : quis ergo est herodius vel herodion? *Primo,* S. Augustinus in *Psalm.* CIII, 18, intelligit fulicam. *Secundo,* Albertus Magnus, tract. *De Avibus,* putat esse aquilæ speciem nobilissimam, quæ chrysaetos et stellaris dicitur, quasi herodius sit heros, id est rex et dux, avium, uti vocatur *Psalm.* CIII, 18. *Tertio,* Radulphus, Lyranus, Gesnerus et alii multi putant herodium esse falconem, adeoque præstantissimam ejus speciem, quæ hierofalco, vulgo *girfalco* dicitur. Unde et S. Hieronymus in *Psalm.* CIII, dicit herodium aquilas vincere, eisque dominari : ita et Glossa ibidem. *Quarto,* Theodorus Gaza in lib. IX Aristotelis *De Hist. anim.* cap. I et XVIII, et alii censent esse ardeam. Eadem enim quæ ibi Aristoteles de herodio, Plinius scribit de ardea, lib. X, cap. LX. *Quinto,* probabilius videtur herodium esse ciconiam. Ita Suidas, R. David, et passim Hebræi. Probatur *primo,* nam herodius hebraice vocatur חסידה *chasida,* a pietate : חסד *chesed* enim est *pietas;* ciconiæ autem pietas in parentes ubique celebratur.

Quinta et vera, esse ciconiam. Prob. Primo.

Dices : *Chasida* significat etiam *milvum.* Respondeo : Milvus vocatur *chasida* per antiphrasin, quasi minime pius, sed rapax et vorax.

Secundo. Tertio.

Secundo, quia Suidas herodium dici ait, quasi ἑλώδιον, id est palustrem (ἕλος enim est palus); in paludibus autem versatur ciconia, ibique ranas et serpentes depascitur. *Tertio,* quia *Psalm.* CLXIII, herodius vocatur dux avium, scilicet cicurum : talis autem est ciconia; nam licet aquilæ et falcones superent ciconiam, tamen eorum nidi (de quibus agitur *Psalm.* CIII, 17 (2)), et hominibus, et avibus aliis incogniti sunt.

(1) Pro *porphyrione* hebræa designant speciem quamdam vulturis, hodienum ab Arabibus ipso nomine hebræo vocati, cadaveribus vescentis.

(2) Qui tamen locus obstare videtur, quin de *ciconia* חסידה intelligamus; nam ibi dicitur חסידה habitare in altis abietibus, hoc autem non cadit in *ciconias,* quippe quæ non in Europa solum, sed etiam in Asia in tectis ædium nidulentur.

Charadrius avis immunda, quæ?

CHARADRION. — Charadrius dicitur a *charadris,* id est præruptis et cavernosis riparum locis, in quibus degit. Ita Aristoteles, lib. IX *Hist. animal.* cap. XI. Avis hæc est stupida quæ mures venatur, noctisque est amica instar noctuæ (3). Unde proverbium *Charadrium imitans,* de eo qui latet et lucem fugit; hinc immunda Hebræis est habita : quin et Aristoteles eam vocat pravam avem.

Viginti aves immundæ, cur?

Nota : Viginti avium species hic quasi immundæ nominantur, et comedi vetantur, quia omnes fere sunt rapaces; quædam etiam quia lucifugæ sunt et nocturnæ, uti bubo, charadrius, vespertilio; quædam quia amphibiæ sunt, ut larus et mergulus; quædam quia sordidæ, ut upupa, ibis, noctua; quædam quia bestiæ potius sunt quam aves, ut struthio; quædam quia melancholicæ sunt, ut herodius sive ciconia; multæ etiam ingluviosæ sunt, unde longiore sunt collo, cibumque de profundo aquarum limo exquirunt et expiscantur; quædam denique quia intemperie sunt nimis calida, ut corvus et cygnus, cujus plumæ licet albæ sint et molles, caro tamen est dura, nervosa et nigra : unde et excrementa habet albiora. Aves enim calidæ suum phlegma per album stercus ejiciunt; bilem vero retinent. Contrarium faciunt ea quæ frigidæ sunt. Ex quibus patet has aves parum esui esse aptas, meritoque ex lege censeri immundas.

Tropologice, viginti hæ aves sunt viginti vitia potentium.

Tropologice Radulphus : Viginti hæ aves, inquit, notant viginti vitia potentium, et eorum qui sublimes habent spiritus : *primo,* aquila notat potentium superbiam. Unde *Ezech.* cap. XVII, vers. 7, Nabuchodonosor comparatur aquilæ grandi magnarum alarum; *secundo,* gryphes significant potentium crudelitatem; *tertio,* haliæetus, qui non est tantis viribus, sed tamen prædo, significat violentos in pauperes; *quarto,* milvus significat potentium insidias; *quinto,* vultur castra et cadavera assectans, significat eos qui quasi vultures principum et aularum sunt asseclæ, ad hoc ut eorum ope alios exspolient, quos Alfonsus, rex Aragonum, solebat vocare Harpyas aulæ suæ. Sic et Seneca, *epist.* 96 : « Qui, inquit, amico ægro assidet hæreditatis causa, vultur est, cadaver exspectat. » Rursum vultures sunt voraces et gulosi; nam, ut scribit Epiphanius in *Physiolog.* : « Vultur cunctis avibus voracior est : quadraginta enim diebus cibo abstinet, quem cum invenit, totidem sese ex illo libere ingurgitat; itaque quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluvie compensat. » Vultures ergo sunt, qui, post jejunium quadragesimæ a Paschate ad Pentecosten, se infarciunt et ingurgitant; *sexto,* corvi sunt, qui mortibus pascuntur alienis; *septimo,* struthio, qui herodio similis est pennis, sed non volatu, *Job* XXXIX, 16, notat hypocritas, qui sub religionis specie aliis nocent. Qui intus est Nero, foris

Apophtegma de hypocrisi.

(3) χαραδριὸν est nomen avis cujusdam, quæ in paludibus vivit et insectis vescitur. Gall. *pluvier,* vel *foulque.*

Cato, inquit S. Hieronymus; monstrum est simile illi poetico :

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Tales sunt,

Qui Curios simulant, et bacchanalia vivunt.

Diogenes apud Laertium, lib. VI, cap. II, cuidam sibi placenti, quod leonis exuvio tectus ingrederetur : « Non tu desines, inquit, virtutis stragula pudefacere? » Indecorum enim esse censuit, quod homo mollis Herculis amictum sibi vindicaret.

Alexander nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quod austeram vitam ageret : « Foris, ait, Antipater albus est, intus vero totus est purpureus; » notans fictam illius parcimoniam, cum esset alioqui ambitiosissimus. Ita Plutarchus in *Apophth. Reg.*

Achilles apud Homerum, *Iliad.* I, sic ait :

Is mihi juxta invisus, ut atri limina Ditis,
Qui verbis aliud prodit quam mente volutat.

Trojanus equus a Græcis concinnatus Trojanos fefellit, quia Minervæ formam mentitus est, inquiebat Diogenes : ita facit et hypocrita.

Qui muscum redolentem circumferunt, iis anima fœtet : sic et hypocritæ qui, plurimam pietatis speciem exhibentes, intus fœdissime sordent. Recte ergo comparantur struthioni. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. I : « Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet : sic hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat. »

Octavo, noctua noctu acutum cernens notat sapientes in malo. Unde S. Ambrosius, serm. *in Malachiam prophetam,* in fine tom. II : « Nolo, ait, te imitatorem esse noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit : illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Illud animal hæreticorum figura est atque Gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horrescunt, et grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his ait Dominus, *Psalm.* CXIII : Oculos habent, et non videbunt. Et *Psalm.* LXXXI : In tenebris ambulant : sunt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad divina. »

Nono, larus amphibius significat milites, qui in terra quasi aridi et cælibes, utpote uxore carentes, vagæ tamen luxuriæ aquis et fluxu voluntantur; *decimo,* accipiter rapax, qui, ubi mansuefactus est, possessoribus ad prædas et rapinas servit, significat famulos ad dominorum nutum pauperes deprædantes; *undecimo,* bubo significat eos qui, fœdissimis sceleribus oppleti, lucem et homines fugiunt; *duodecimo,* mergulus significat eos, qui voluptatibus carnis absorbentur; *decimo tertio,* ibis significat eos, qui in se, id est, corpora et animas suas, iniqui et crudeles sunt; *decimo quarto,* cygnus significat eos, qui de solis vestibus et terrena affluentia gloriantur; *decimo quinto,* onocrotalus significat avaritiam inexplebilem; *decimo sexto,* porphyrio significat contumaces, qui nihil nisi tinctum aqua propriæ voluntatis et delectationis suscipiunt; *decimo septimo,* ciconia significat stoliditatem ad capienda cœlestia; *decimo octavo,* charadrius, avis garrula, significat loquacitatem; *decimo nono,* upupa gemitum in cantu inter stercora simulans, significat tristitiam sæculi; in hanc enim, atque in sordes et dolores, sæculi deliciæ et lætitia desinunt; *vigesimo,* vespertilio significat sæcularem scientiam, sola naturalia et terrena sapientem. Ita Radulphus et S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 6, ad 1.

JUXTA GENUS SUUM, — juxta speciem suam, quasi dicat : Omnes species harum avium veto; sunt enim multæ accipitrum species, sicut et aliarum avium. Septuaginta vertunt, *et his similia.* Hebræum enim מִין *min* etiam similitudinem significat, et ita vertit Noster vers. 15; una enim, verbi gratia, accipitrum species alteri speciei accipitrum similis est.

20. OMNE DE VOLUCRIBUS QUOD GRADITUR SUPER QUATUOR PEDES, ABOMINABILE ERIT VOBIS, — quia quatuor pedes signum sunt, illud non tam esse volucre, quam in terrestre animal degenerare : ideoque illud immundum haberi volo (1). Vers. 20

21. HABET LONGIORA RETRO CRURA PER QUÆ SALIT. — Quia tale non omnino terreum est, sed ignei aliquid se habere, per saltum ostendit. Unde mundum censeri volo (2). Vers. 21

Tropologice, hi sunt Sancti, qui in carne et pompa sæculari constituti, non secundum illa militant, sed a sæculi sordibus resiliunt, et in æternitatis cogitationem et desiderium exsiliunt. Ita Isychius et Radulphus.

22. UT EST BRUCHUS IN GENERE SUO (hæc munda sunt quia saliunt), ET ATTACUS, ATQUE OPHIOMACHUS, AC LOCUSTA. — Probabile est hæc quatuor esse locustarum species, uti Rabbini et Catholici plerique consentiunt; Abulensis ita illa distinguit, ut locustam dicat esse et dici bruchum, quando nascitur; attacum, cum incipit habere alas; locustam, cum jam omnino perfecta est. Hinc etiam ophiomachus non est ciconia, aut pelicanus, vel avis alia, cum hic dicatur esse quadrupes; sed est certa locustarum species, uti sunt præcedentes. Hanc enim significare videtur vox Hebræa הַרְגֹּל *hargol.* Ita Vatablus, Oleaster et alii : alioqui lacerta a Græcis vocatur *ophiomachus,* eo quod cum serpentibus pugnet; verum lacerta nominatur et vetatur vers. 30. Porro ophiomachum esse locustæ speciem, æque ac bruchum et attacum (vel attelabum), diserte asserit Suidas et Isy- Vers. 22

(1) Designantur hic *insecta alata et salientia.*

(2) לֹא ex vetusta scriptione esse pro לוֹ keri, ipsa rei natura docet, et לוֹ expresserunt versiones antiquæ omnes, *cui duo sunt crura.*

chius in *Lexicis*, ac Aldrovandus, lib. *De Insectis*, cap. *De locustis*, pag. 408, qui et addit ex Aristotele, Plinio et alio quodam oculato teste, locustas quasdam pugnare cum serpentibus, indeque vocari *ophiomachos*. Sic et Isychius hic, qui et tropologice addit, ophiomachum significare viros strenuos, qui sepes difficultatum transiliunt, mentem attollentes ad cœlestia, pugnantque cum serpente infernali, cogitantes illud Pauli : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. » Hinc Ægyptii, ait Pierius, *hierogl.* 28, per ophiomachum denotabant modestiam, temperantiam et continentiam : quippe quæ virtutes nequitiæ oppositæ sunt. Illæ siquidem serpentem oppugnant, dum voluptatem prorepentem terræ allidunt, per meditationem saliendo ad res divinas, easque degustando per affectum et desiderium.

Locustas comederunt Judæi et aliæ gentes.

Nota : Locustas comederunt Judæi, uti et multæ aliæ gentes, ut Æthiopes, Libyi, Parthi aliique Orientales, qui inde ἀκριδοφάγοι, id est *locustivori*, sunt dicti, teste Diodoro Siculo, lib. III, cap. III, et Plinio, lib. VI, cap. XXX, et Hieronymo, lib. II *Contra Jovinianum*. Ita S. Joannes Baptista locustas comedit. Porro locustas comedebant vel elixas, vel tostas et in pollinem redactas, imo etiam sale et fumo duratas in totum annum servabant. Quomodo et quale homini alimentum sit locusta, docet Hieronymus Mercurialis, lib. II *Variarum lectionum*, cap. XX, ubi inter alia docet locustas cibum esse siccum, qui vitam abbreviet, pediculos gignat, et morbos creet.

Locustæ qualis cibus?

Vers. 23. 23. QUIDQUID AUTEM EX VOLUCRIBUS QUATUOR TANTUM HABET PEDES, EXECRABILE VOBIS ERIT. — Pedes intellige æquales : nam si posteriores habet longiores quibus saliat, mundum erit, ut dictum est vers. 21.

Vers. 24 et 25. 24 et 25. ET QUICUMQUE MORTICINA EORUM TETIGERIT, POLLUETUR, etc.; ET SI NECESSE FUERIT UT PORTET QUIPPIAM HORUM MORTUUM (verbi gratia, ut illud efferre debeat ex urbe aut via, ne aerem inficiat), LAVABIT VESTIMENTA SUA, etc.

Vers. 26. 26. OMNE ANIMAL QUOD HABET QUIDEM UNGULAM.— Est anacephalæosis, et repetitio præcedentium. Unde subdit : « Qui tetigerit illud, » cadaver, vel morticinum illius, uti explicuit vers. 24, 25, 27, « contaminabitur : » nam viva animalia immunda, ut equos, camelos, asinos, tangere, iisque inequitare poterant Hebræi. Ita Vatablus, Abulensis et alii.

Vers. 27. 27. QUOD AMBULAT SUPER MANUS (*q. d.* Animal, cujus pedes anteriores sunt quasi manus, ut simia et ursus), IMMUNDUM ERIT.

Tropologice, notantur hic ii qui, quæstus causa, cito manus aliis, etiam indignis, imponunt. Ita Isychius.

QUI TETIGERIT MORTICINA EORUM, POLLUETUR USQUE AD VESPERAM. — Vespera enim aptissimum est tempus ad discriminandam et obliterandam quasi immunditiem.

Vespera tropologice pœnitentiam significat : « Ad vesperam enim demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. » Ita Isychius.

Allegorice, vespera sive solis occasus significat necem Christi, qua omne peccatum, omnisque immunditia ablata est in mundi vespera, id est in novissima mundi ætate. Ita Abulensis in cap. XXII, *Quæst.* VIII.

Vers. 29 et 30.

29 et 30. HÆC QUOQUE INTER POLLUTA REPUTABUNTUR, MUSTELA, ET MUS, ET CROCODILUS, MYGALE, ET CHAMÆLEON, ET STELLIO, ET LACERTA, ET TALPA (1). — Hæc hic vetantur Judæis, quia gentes nonnullæ et Barbari hisce et similibus vescebantur. Ita Stuckius, lib. II *Convivalium*, cap. IX, docet quod Germani milites olim comederint bombyces frixos, Itali mustelas, Hispani testudines domiportas; quin et hodie multi fungos, ostrea et conchylia, etiam cruda comedunt, quæ tamen ex putredine procreari scimus. Vetatur ergo hic Judæis *mustela*, quia furax est, et naturam habet muris, videturque esse longus mus; mus autem immundus est, quia terreus et fœtidus (2).

Mustela immunda et mus, cur?

Tropologice, mus et mustela significant paupe-

Tropologice, mustelæ sunt pauperes fraudulenti.

rum fraudes, et pauperes fraudulentos. Ita Radulphus; unde et Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum* : « Mustela, ait, et mus designant timida et minus virilia, obstreperaque furum genera. » Quare Brasidas murem in caricis a se deprehensum morsus ab eo dimisit, addens : « Nihil ita est exiguum, quod salvum esse non possit, si se tueri, vel vim inferentes ulcisci audeat; » testis est Plutarchus in *Lacon.*

Crocodilus immundus est, quia amphibius est, durus et rapax (3).

Tropologice, crocodilus latrones publicos significat. Ita Radulphus.

Vers. 30. Mygale est mus araneus.

30. MYGALE (4) — est mus araneus, qui muris est magnitudine, mustelina specie, ore oblongo, cauda gracili, ut ait Aetius. Abundat his insula Britannia; dicitur mygale, quasi μῦς, id est *mus*; et γαλή, id est *mustela* : quia ex utroque animali participat et quasi componitur mygale, ex quibus utrumque pariter trahit vitium edacitatis et furti. Ita Isychius et Radulphus.

Democharem furem ab undecim viris abduci videns : « Vah miser, ait, cur tantula furatus es, et

(1) Nota, שרץ non significare animalia reptilia, ut vermes, serpentes, sed animalia quadrupedia, quæ habent pedes ita breves, ut incedendo venter prope terram contingat (quæque noster La Fontaine vocat, *la gent trotte-menu*). Quædam et volucria minuta שרץ etiam vocantur. Primaria enim notio verbi illius est universum in *movendo, verminando.*

(2) Hebræa vox *talpam* potius videtur designare. Ita Bochartus.

(3) Nominatur hic crocodilus terrestris, seu *scincus lacerta*, etiamnum Arabibus *dabb* dictus.

(4) Videtur esse lacertæ species, אנקה dictæ, quod sonum raucum et gemebundum edit.

non potius magna, ut tute etiam abduxisses alios? » indicans a parvis furtis debere nos absterreri parvitate et vilitate rei, cui tanta conjuncta est infamia; a magnis enim scelus ipsum et furca satis absterrent.

Quæsitum est a Socrate, « cur rideret? » Respondit : « Video magnos latrones ducentes parvum ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, ait, minima puniuntur, sed magna in triumphis feruntur. » Ita Valerius Maximus, lib. VII.

Zeno servum in furto deprehensum cædi jussit; cumque is se excusaret, ut diceret, « sibi fuisse in fatis ut furaretur : Et cædi, ait, in fatis erat. » Ita Laertius, lib. VII, cap. I.

Chamæleon quis, et unde dictus?

CHAMÆLEON. — Græce χαμαιλέων dicitur, quasi *humilis*, sive *parvus leo;* animal est figura et magnitudine lacertæ, colorem sæpe toto corpore mutans : nam ad colores quos videt conversione facillima variatur, præterquam ad rubrum et album. Hinc parœmia : « Chamæleonte mutabilior, » significans versipellem, inconstantem, et pro tempore sese vertentem in omnem habitum. Unde

Tropologice, chamæleon significat parasitos, qui os et verba omni vento accommodant, ait Radulphus.

Julianus chamæleon.

Hinc Gregorius Nazianzenus scribens in Julianum Apostatam, eum comparat chamæleonti; sicut enim chamæleon, ait, facile variatur, omnesque assumit colores præter candidum, ita et ille ex Christiano factus est ethnicus; ineratque ei humanitas, sed inhumana, suadelaque ejus nil aliud erat quam violentia, et immanitatis excusatione probitas, ut videretur jure ad violentiam confugere, cum persuadendo nil proficere posset. Recte Seneca in *Proverb.* : « Maximum, inquit, indicium malæ mentis est fluctuatio, et inter simulationem virtutum et amorem vitiorum assidua jactatio. »

Rursum, chamæleon rostrum habet simile suillo, cauda est prælonga, ungues habet aduncos, motum tardiorem ut testudo, corpus asperum ut crocodilus, ipse celsus, hianti semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento, inquit Plinius, lib. XXVIII, cap. VIII, Aristoteles, lib. II *De Animal.* cap. II, Solinus et alii.

Chamæleon mutat colorem, quomodo?

Ubi nota *primo* : Abulensis in cap. XIV *Deuter.*, censet chamæleontem proprie non mutare colorem, sed speciem; color enim rei objectæ non potest producere in eo colorem, sed sui speciem : itaque chamæleontis colorem ex se speciem emittere, sed debilem et tenuem; eumdem vero in se suscipere fortiorem speciem coloris ex re objecta, eamque reflectere ac si esset speculum, ita ut ejus proprius videatur esse color. Verius alii censent chamæleontem mutare colorem, per contractionem sanguinis et spirituum : unde Aristoteles ait quod inflatus mutet colorem, sicut nos in pudore, metu, vel lætitia, mutamus colorem; cum enim chamæleon colorem objectum videt, illum ita phantasiæ suæ imprimit, ut per dilatationem vel contractionem sanguinis et spirituum jam dictam, eumdem in corpore suo exprimat. Vide Simonem Portium, lib. *De Coloribus*, qui exstat inter opera Aristotelis.

Respondeo, per contractionem sanguinis et spirituum.

An chamæleon sine cibo ex aere vivat?

Nota *secundo*, quod Plinius et alii tradunt, chamæleontem sine cibo ex solo aere vivere; absolute non est verum : nullum enim est animal quod sine cibo ex aere vivat.

Respondeo negative?

Unde Theophrastus docet chamæleontem ex rore vivere, et sæpe deprehensum esse muscas comedere; atque hinc forte orta est illa vulgi opinio, eum ex aere vivere, scilicet ex eo quod chamæleon cum sit tardæ digestionis, diu sine cibo vivat, cumque eum sumit, tenuem et levem sumat, uti rorem, muscas, etc. Ita Augustinus Niphus, Gesnerus et alii. Pari modo quod de salamandra falso jactatum est, eam in igne vivere, eoque non comburi, inde ortum habuit, quod salamandra propter frigiditatem et crassitiem pellis, non tam cito consumatur igne, quin et eum subinde, si parvus sit, extinguat.

Salamandram in igne vivere, fabula est; unde?

Moraliter, chamæleontes sunt qui rebus vanis pascuntur.

Hinc symbolice chamæleontes sunt, qui vento honoris et muscis deliciarum se pascunt. Domitianus imperator, teste Suetonio, solebat quotidie per duas horas oblectare se captando muscas; ut in proverbium abierit : « Ne musca quidem, » quia ipse solus nec muscam reliquam sinebat. Domitiane, totius orbis negotia geris et regis, quid ergo captas muscas? Quam multi Christiani stolidiores sunt Domitiano, qui cum salutem suam et æternitatem procurare debeant, quotidie non duabus, sed omnibus horis captant muscas! Ambis opes, muscam ambis. Ambis sponsam divitem et speciosam, muscam ambis. Ambis vina et delicias, muscas ambis, quæ carnem, quæ palatum titillant, non satiant, quæ brevi in sordes et cadavera versæ, fœtorem et nauseam parient. Ambis præbendam, ambis officium, muscam ambis, rem exilem ambis, quæ brevi a te ad successorem avolabit. Vis honorari, vis præcellere, vis amari, vis coli, muscam ambis; quasi chamæleon populi auram captas, ventum hauris, vento vivis, vento deliciaris. O curas hominum, o quantum est in rebus inane! Miseri, cæci mortales, curritis quasi gallinæ sine capite, sine cerebro ad escam, ad vermes, ad papiliones, ad muscas; curritis ad præbendas, ad dignitates; curritis ad mensas, ad convivia, ad pocula; curritis ad merces et opes, et non semel cogitatis : Et quid tandem? quo hæc omnia? quid post hæc erit? cur hic sum? cur a Deo animam rationalem et immortalem accepi? cur solem cœlumque suspicio? quis locus, quis status animam meam, post hæc omnia brevi finienda, excipiet? Ito nunc, adolescens, salta, lætare, inebriare, ventri et veneri indulge; sed scito quod pro his omnibus adducet te Deus in judicium, quod ibis in domum æternitatis tuæ. Vive ergo, non ut chamæleon muscis, sed ut leo

escis solidis, vive Deo, vive ÆTERNITATI; esto aquila : « Aquila non captat muscas; noli ambire primas inter graculos, cum aquila esse possis. »

Stellio quis, unde dictus?

STELLIO. — Animal est non dissimile lacertæ, multo tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum, vescitur rore et araneis; morsus ejus hominem semistupidum facit, varieque afficit; nullum animal stellione homini fraudulentius invidet : cutem enim quam quotannis exuit, protinus devorat, ut præripiat homini præsentissimum comitialis morbi remedium. Unde stellio significat fraudulentum, et crimen stellionatus vocatur crimen doli et imposturæ. Ita Plinius, lib. XXX, cap. x. Stellionis vox erat illa Lysandri, qui, cum culparetur quod multa per dolum ageret, respondit : « Ubi leonina pellis non sufficit, ibi assuenda est vulpina. » Testis est Plutarchus in *Apophthegmatibus*.

Stellio est schema fraudis.

Numerantur hic septem reptilia, quia licet omnia reptilia sint immunda, ut patet vers. 41, hæc tamen præ reliquis. Ita Isychius.

Immundorum animalium symbola ex Novatiano.

Verum, cur lex hæc comedi vetat? præter litteralem causam datam vers. 29, symbolica est quam assignat Novatianus, lib. *De Cibis Judaicis*, cap. III, ubi sic ait : « Quis mustelæ corpus cibum faciat? sed furta reprehendit; quis lacertam? sed odit vitæ incertam varietatem; quis stellionem? sed maculas execratur prædam de aliena morte quærentes; quis corvum? sed versutas execratur voluntates; quis passerem (ita enim ipse vertit, quod habent Septuaginta στροῦθον, sed male : constat enim ex Hebræo, Chaldæo et Nostro vertendum esse struthionem; nam passer non immundum, sed mundum erat animal, aptumque etiam ad expiationem, ut patet hic, cap. XV, 5)? cum eum interdicit, intemperantiam coarguit; quando noctuam, odit lucifugas veritatis; quando cygnum, cervicis altæ superbos; quando charadrium, garrulam nimis linguæ intemperantiam; quando vespertilionem, quærentes tenebras noctis simul et erroris : sic in camelo vitam damnat enervem et criminibus tortuosam; cum suem, vitam reprehendit bonum suum in sola carne ponentem; cum leporem, accusat reformatos in feminam viros. » Tradunt enim Physici, lepori utrumque inesse sexum, uti et hyænæ. Ita et Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum*, Radulphus et Isychius jam sæpius citati.

Lepus utrumque habet sexum, hinc significat effeminatos.

Potest quoque lepus esse symbolum usurarii; nam, ut ait Plutarchus, lepus simul parit et aliud alit, et rursum superfœtat : ita fœnerator æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dans mutuum, statim petit fœnus, illudque tollens, rursum fœnerat quod pro fœnore accepit.

Peccata ergo et vitia bestiarum sunt, hominemque quasi in bestiam commutant.

Præclare Boetius, lib. IV, prosa 3 : « Quem, ait, transformatum vitiis vides, hominem æstimare non potes; sed fuisse hominem, adhuc ipsa humana corporis relicta species ostentat. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus, linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita homo probitate deserta vertitur in belluam. »

31. OMNIA HÆC (reptilia) IMMUNDA SUNT, — non tantum quoad esum, sed etiam quoad tactum, ita ut ea tangere non liceat, ut patet vers. 41 et 43, et cap. v, 2, ubi reptile æquatur morticino, quia venenosum est utrumque. Vers. 31.

32. CILICIA. — Hebraice est שׂק *sac*, id est *saccus*, per quem Hebræi significant vestes e pilis duras, quales sunt rusticorum, mendicorum, pœnitentium. Vers. 32.

IN QUOCUMQUE FIT OPUS, — *q. d.* Vas quodcumque, quo ad opus aliquod utimur.

ET POSTEA MUNDABUNTUR, — id est erunt munda; non enim alia lotione vel mundatione erat opus, sed adveniente vespera expirabat hæc legalis immunditia, ut rursum censerentur munda. Patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta.

33. VAS AUTEM FICTILE, IN QUOD HORUM QUIDQUAM INTRO CECIDERIT, POLLUETUR. — Hebraice, *omne quod est in eo*, scilicet vase tali, *polluetur, et idcirco frangendum est*, quia scilicet fictile est : nam si foret ligneum aut metallinum, non esset frangendum, sed abluendum, ut dixit vers. præced. Simile audivimus de vase fictili, in quo coquitur caro sacrificii pro peccato, cap. VI, 28. Vers. 33.

34. OMNIS CIBUS, etc., SI FUSA FUERIT SUPER EUM AQUA, IMMUNDUS ERIT. — « Aqua, » intellige immunda vel fluens ex immundo vase; unde Chaldæus vertit, *aqua quæ aliquid horum*, puta pollutorum jam dictorum, *tetigerit*. Vers. 34.

Tropologice, aqua immunda mollitiem animi significat; est enim hæc aqua cupiditatis, quæ inficit illud cui miscetur. Sicut ergo tentatio immunda tali aqua madidos molles et languidos necat, sic aridos et fortes exercet, roborat et coronat. Ita Radulphus.

ET OMNE LIQUENS QUOD BIBITUR DE UNIVERSO VASE, IMMUNDUM ERIT. — « Vase, » intellige immundo. Nota : tantum de liquidis dicitur, quod ea polluantur; unde videtur quod sicca, v. g. panis in tali vase immundo positus, non fuerit pollutus : cujus ratio congrua est, quod sicca non tam facile sordes recipiunt, ut humida.

35. ET QUIDQUID DE MORTICINIS HUJUSCEMODI CECIDERIT SUPER ILLUD (vas), IMMUNDUM ERIT, — scilicet illud vas, in quo aliquid de morticinis cecidit. Vers. 35.

SIVE CLIBANI (quibus panes coquuntur), SIVE CHYTROPODES, — id est ollæ habentes pedes, ut sunt

dipodes, tripodes, etc., quia fictiles sunt et lutei, juxta dicta vers. 33 (1).

Tropologice. Tropologice, clibanus est patientia Martyrum, chytropodes sunt Doctores, in quibus cibi sanæ doctrinæ, supposito igne operationis Spiritus Sancti, coquuntur; quia hæc nihil prosunt, nisi omnia immunda declinent. Ita Isychius et Radulphus.

Vers. 36. 36. FONTES VERO, ET CISTERNÆ, ET OMNIS AQUARUM CONGREGATIO MUNDA ERIT. — Intellige, etiamsi quid immundum in ea ceciderit : ita statuit Deus ob necessitatem aquarum, quibus carere nequit homo (2). Eadem ratio est de semine, ut sequitur vers. 37, nisi illud esset aqua perfusum; tunc enim, quia humidum, facilius sordes contrahebat, ideoque censebatur immundum, dandumque erat bestiis, quia nulla expiationis hic fit mentio.

Tropologice, fonte et semine significatur doctrina veritatis, quæ etiam de morticinis, id est vitiis, disputans aut disserens, non polluitur, neque polluit, nisi animam aqueam et mollem, quæ turpia per consensum attrahit et imbibit. Ita Radulphus.

Vers. 40. 40. QUI COMEDERIT EX EO (morticino) QUIDPIAM, SIVE PORTAVERIT (intellige nesciens), IMMUNDUS ERIT USQUE AD VESPERAM; — nam si sciens comedisset quis, graviter peccasset, et supplicio fuisset dignus.

Vers. 41. 41. OMNE QUOD REPTAT SUPER TERRAM, ABOMINABILE ERIT, — quia terrestre, fœdum et venenosum est, ut dixi vers. 31.

Reptilia sunt homines terreni. Tropologice, reptilia sunt et reptant, qui cœlum et cœlestia negligunt, qui corpus et mentem per terram trahunt; quorum omnia desideria sunt terrena, quorum mens non est in æthere, sed in ære, quorum Deus venter est, aut mammona, aut ambitio. Similis tropologia est sequentium.

Vers. 42. 42. QUIDQUID SUPER PECTUS QUADRUPES GRADITUR (quia pedes habet breves : unde necesse est ut in motu innitatur ventri et terræ, uti serpentes. Tropologice significantur gastrimargiæ sive gulæ dediti : ita Isychius), ET MULTOS HABET PEDES (ut vermes), SIVE PER HUMUM TRAHITUR (uti sunt reptilia), NON COMEDETIS, QUIA ABOMINABILE EST.

Vers. 43. 43. NOLITE CONTAMINARE ANIMAS VESTRAS, — id est vos ipsos, contrahendo immunditiam legalem, per esum animalium hic vetitorum; quanquam poterant contaminare animam etiam peccato, si scilicet scienter contra præceptum hoc ea comedissent.

NEC TANGATIS QUIDQUAM EORUM, — quæ maxime præcesserunt : nam alia saltem tangere licebat, v. g. camelis insidere poterant, uti dixi vers. 26. Hinc patet ex hac lege non licuisse Judæis tangere reptilia, ita ut, si ea scientes tangerent, peccarent.

Judæi non licebat tangere reptilia; si ea tangebant, peccabant. Judæi ergo per reptilium contactum, non tantum incurrebant immunditiam legalem, ut vult Abulensis, sed et spiritalem, puta peccatum.

Violabant enim hoc præceptum Dei : « Nec tangatis quidquam eorum; » et rursum : « Ne polluatis animas vestras in omni reptili. » Jubet enim hic Deus, ea quasi immundissima nec comedi, nec tangi : « Ne, ait, immundi sitis, » scilicet tam legaliter, quam spiritaliter. Ratio est quæ sequitur.

Vers. 44. 44. SANCTI (id est mundi) ESTOTE (sic *sanctus* pro mundo capitur, *Deut.* XXIII, 14, ubi dicitur : « Ut sint castra tua sancta, » id est munda), QUIA EGO SANCTUS (id est mundus) SUM, — qui detestor immunditiem Gentilium in sacrificiis et epulis, de quibus S. Augustinus, lib. VI et VII *De Civitate*, quique volo vos sanctitatem meam spiritalem hac corporali vestra imitari et repræsentare.

Nota : Temperantia et abstinentia a cibis vetitis vocatur hic sanctitas, id est puritas, quia cibi vetiti censebantur immundi, polluti et execrabiles, ac comedentem polluere et contaminare, uti sæpius hic inculcat Deus. Audi S. Bernardum, serm. 22 *in Cant.* : « Usitatum, ait, in Scriptura sanctificationem pro continentia, seu munditia poni. Denique quid illæ apud Mosen tam crebræ sanctificationes aliud erant, quam quædam purificationes hominum temperantium se a cibo, a potu, a concubitu, hisque similibus? Sed audi Apostolum : Hæc est, ait, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et non in passione desiderii. Item : Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Liquet quod sanctificationem pro temperantia ponit. » Notent id hæretici, discantque hic, jejunia et abstinentiam lege Dei et Ecclesiæ sancitam, vocari et esse sanctitatem.

NE POLLUATIS ANIMAS VESTRAS IN OMNI REPTILI. — Audiant hoc et intelligant tropologice Christiani, ut iis qui humi repunt, quæque ima terræ sunt bona, non se polluant, sed animam sanctam Deo et cœlo conservent.

Vers. 45. 45. EGO ENIM SUM DOMINUS (Hebraice *ego sum Jehova*, scilicet in me ipso per essentiam, et *elohim*, scilicet vobis per providentiam, imperium et gubernationem), QUI EDUXI VOS DE TERRA ÆGYPTI, UT ESSEM VOBIS IN DEUM, — *q. d.* Ideo eduxi vos, ut essetis mihi populus separatus ab aliis gentibus, earumque ritibus, et peculiariter cultui meo addictus. Hoc beneficium, quia primum, maximum et fundamentum cæterorum, passim inculcat Deus.

(1) *Chytropodes* sunt, vel loci in focis excavati, infra subjectum ignem habentes, et superne orificia, quibus ollæ imponuntur, Gall. *bouches de fourneau;* vel *ollæ sustentaculum,* quo hodie arabes Scenitæ utuntur, dum ollam imponunt tribus lapidibus fere æqualibus, ut commodius ignis subdi possit, teste Golio, p. 21.

(2) *Qui morticinum eorum*, id est, sed (particula ו hic habet vim adversativam) qui cadavera in iis jacentia tetigerit, etc.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur purificatio, et oblatio; facienda puerperæ 40 die a partu expleto, si masculum; 80 die, si feminam pepererit: videlicet ut offerat agnum in holocaustum, et pullum columbæ vel turturem pro peccato; sin pauper sit, offerat duos pullos columbarum, vel duos turtures.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. 3. Et die octavo circumcidetur infantulus; 4. ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. 5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. 6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, 7. qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui: ista est lex parientis masculum aut feminam. 8. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato; orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.

Vers. 2.

2. MULIER, SI SUSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCULUM, IMMUNDA ERIT SEPTEM DIEBUS. — Pro *suscepto semine*, hebraice est זוריע *tazria*, quod Oleaster, Cajetanus hic, et Jansenius in *Concord. Evangel.* cap. X, vertunt, *si fecerit semen*, id est prolem, hoc est, si generarit. Est enim *tazria* in *hiphil* activum; et *semen* passim in Scriptura capitur pro prole.

Lex purificationis fertur iis tantum, quæ suscepto viri semine concipiunt. Probat. Primo.

Verum melius vertisse nostrum Interpretem, « suscepto semine, » patet *primo*, ex eo quod sequitur, « et pepererit; » inde enim patet זוריע *tazria* quod præcedit, vertendum esse, *si susceperit semen*, sive *conceperit*, formaritque fœtum: alioqui enim idem diceretur, essetque tautologia dicendo: Si generarit, et pepererit.

Secundo.

Secundo, quia cum nostro Interprete consentiunt Septuaginta, qui vertunt ἐὰν σπερματισθῇ, *si susceperit semen*; et Chaldæus, *si conceperit*; et Hebræi, Lyranus ac Vatablus, qui vertit, *si suscepto semine marem pepererit*.

Tertio.

Tertio, quia Hebræum *tazria* proprie significat, si *seminificaverit*, si *semen fecerit et emiserit*, more scilicet naturali et ordinario, hoc est, si suscepto viri semine, suum quoque emittens, conceperit. Mulier enim in conceptu viri semen suscipiens, suum quoque emittit in matricem, « quod mox a virili semine retinetur, coagulatur, atque fortificatur, itaque crescit, et tandem in membra consurgit; sicque concipitur embryo, sive infans, » inquiunt Hebræi et Vatablus, qui ad « Ex virili semine formantur nervi et ossa, ex mulieris vero semine producuntur caro, sanguis et pili infantis. » Sed hoc ultimum negant medici, asseruntque membra omnia mixtim formari ex semine, tam mulieris quam viri (1).

Hinc B. Virgo concipiens Christum ex Spiritu Sancto hac lege non fuit obligata.

Hinc communis Patrum et Doctorum olim, uno excepto Abulensi, fuit sententia, Beatam Virginem parientem Christum hac lege non fuisse comprehensam, eo quod ipsa non ex suscepto viri semine suum emittens, sed ex Spiritu Sancto, Christi corpus ex purissimis ejus sanguinibus efformante, Christum conceperit, quasi singulari Spiritus Sancti providentia, hanc Virginem excipere volentis, factum sit, ut Moses hoc loco non sit usus verbo הרה *hara*, quod absolute concipere; sed *tazria*, quod suscepto viri semine suum emittere, itaque concipere significat. Ita docent Origenes, Rupertus et Radulphus hic, atque Eusebius, Emissenus, S. Ildefonsus, S. Eligius, Laurentius Justinianus, serm. *De Purificatione B. Virginis*; S. Bernardus, de eadem serm. 3; Euthymius, Theophylactus, Anselmus, Beda in *Lucæ* II, Chrysostomus, homil. *De occursu Domini*; gravissime vero S. Cyrillus Alexander, lib. II *De Fide ad Reginas*, sub initium, contra Arianos idipsum confirmat: « Clare patet, ait, in quantam impie-

Ita docent Patres.

(1) Simplicius et rectius: Forma *hiphil* haud raro intransitivam notionem obtinet, ut החזיק, *fortis fuit*. Cf. XI, 32; II *Chron.* XXVI, 8.

tatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam iis sacrificiis, quæ pro puerperis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt. »

Quin et hæretici. Unde et nostri hæretici Melanchthon, Artopœius, Sarcerius et alii, alias in B. Virginem iniqui, idipsum confitentur, uti ostendit Petrus Canisius, lib. IV *Marial.* cap. XII. Simili modo *Exodi* XIII, 2, ex Patribus ostendi lege illa primogenitorum non fuisse comprehensum Christum, eo quod Christus non aperuit vulvam matris, sed ea clausa ex Virgine natus est.

Dices : Hæc lex purificationis statuitur puerperis propter fluxum sanguinis, qui eis naturaliter contingit in puerperio, ut dicitur vers. 4; ob hunc enim immundæ censebantur puerperæ, et purificari debebant; atqui iste fluxus fuit etiam in Beata Virgine : ergo et illa hac lege comprehensa fuit, debuitque purificari. Ita Abulensis.

Partus B. Virginis fuit purissimus sine sorde et fluxu sanguinis. Respondeo minorem esse falsam, esseque contra communem Patrum sententiam, qui asserunt partum B. Virginis fuisse purissimum, omnisque sordis et fluxus sanguinis expertem. Ita diserte Sophronius in VI Synodo, *actione* II : « Partus, ait, Virginis fuit incorruptibilis, quia sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est. » Ita et Epiphanius, lib. III *Contra hæres.* in fine, S. Cyprianus, serm. *De Nativ. Christi,* S. Augustinus, lib. *De Quinque hæres.*, hæres. 5 : « Stulte, inquit, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? » Ita et Synodus Trullana plusquam 200 Patrum, *Can.* 70, partum Virginis absque secundinis (licet alii vertant, *absque dolore*) fuisse definit. Voluit ergo Spiritus Sanctus excellentiam Virginis hic indicare, quo magis eluceat ejus humilitas et obedientia, qua licet legi huic non obnoxia, eam tamen adimplevit, uti una cæterarum puerperarum immundarum. « Esto, ait S. Bernardus, sermone 3 *De Purificatione*, o Virgo, inter mulieres tanquam una earum; nam et filius tuus sic est in numero puerorum. »

Hæc lex purificationis est jam abolita, nec obligat Christianas. Nota : Hæc lex purificationis jam est abolita, uti et reliquæ cæremoniales veteris Testamenti; nostræ ergo puerperæ ea non obligantur, possuntque sine peccato statim a partu gratias acturæ templum ingredi, uti respondit Innocentius III, cap. unic. *De Purificat. post partum* : tamen ob venerationem imitationemque B. Virginis, multæ ab ecclesiæ introitu 40 diebus post partum abstinent, ait Radulphus, lib. VIII, cap. VI, sub initium. Unde et Innocentius addit : « Si tamen ex devotione aliquandiu voluerit abstinere ab ecclesia, devotionem earum non ducimus improbandam. »

Dices : In Missa Æthiopum dicitur in benedictione puerperæ : « Tu, Domine, docuisti Mosen constitutionem mundam, etc. : quæsumus ergo pro ancilla quæ servavit constitutionem tuam : » ergo hæc Mosis constitutio etiam Christianas obligat.

Respondeo : « Quæ servavit constitutionem tuam, » intellige, quoad ipsam cæremoniam purificationis, non autem quoad ipsam rationem et obligationem legis, sive constitutionis; nostræ enim puerperæ huic constitutioni se conformant, non quia illa obligantur, sed sponte et ex devotione sua jam dicta.

Moraliter, purificatio est pœnitentia. Tropologice, hæc purificatio symbolum erat pœnitentiæ, qua puritatem animi recuperamus.

Præclare Nazianzenus, *orat.* 6 : Nihil, ait, Deus purus tanto in pretio habet ac puritatem, aut purgationem. Et Barlaam moriturus discipulo suo Josaphat commendat animi puritatem, quasi ingentis pretii thesaurum, teste Damasceno. Hinc ad purgandas criminum sordes balneum ex sanguine suo nobis Christus præparavit. Nam, ut ait S. Joannes, *Apocalyp.* I : « Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Et Paulus *ad Titum* II : « Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem. » Quare Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, docet statim esse pœnitendum, et animam peccato læsam statim curandam et purificandam esse ostendit exemplo brutorum. « Cervus enim transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam? » Idem habet Pacianus, *Exhort. ad pœnit.*; unde subdit Tertullianus : « Pœnitentiam tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem : hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinæ clementiæ protelabit. »

S. Ephrem, lib. *De Die judicii* : « Compunctio, ait, sanitas animæ est, illuminatio mentis est; compunctio remissionem delictorum nobis acquirit. » S. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ, agens de ejus contritione : « Quæ peccata, ait, fletus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant? » Et infra : « O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos! » S. Ambrosius, lib. II *De Pœnit.* : « Evidentissime, ait, Domini prædicatione mandatum est etiam pravissimi criminis reis, si ex toto corde, et manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cœlestis refundendam gratiam. » S. Chrysostomus, serm. *De Pœnit.* : « O pœnitentia, ait, quæ peccatum miserante Deo remittis, et paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, et tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis? O pœnitentia, quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec

defectio superat, nec desperatio delet! Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, etc. O pœnitentia misericordiæ mater, et magistra virtutum! magna opera tua, quibus reos resolvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te subito rapuit latronem Christus ad regnum, per te David post flagitium, felix iterum recepit Spiritum Sanctum, » etc.

Rursum S. Ambrosius, lib. II *De Pœnit.* : « Facilius, ait, inveni qui innocentiam servarint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. » Si quæras, Quam ergo, Ambrosi, congruam vocas pœnitentiam? respondet ibidem : « Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus : vivendum est ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum sibi homo abneget, et totus mutetur, sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ : quæ ubi non interpellatam se mirata, putaverat non recognitam, rursus occurrens dixerit : Ego sum; responderit ille : Sed ego non sum ego. Unde bene Dominus ait : Qui vult venire post me, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam et sequatur me. » Loquitur Ambrosius de exacta et perfecta pœnitentia, quam pauci agunt : communem enim, quæ præsertim accedente Sacramento pœnitentiæ, sufficit ad remissionem peccatorum et ad salutem, multi amplectuntur et agunt.

IMMUNDA ERIT SEPTEM DIEBUS, — ita ut nemini, ne marito quidem, cum ea versari liceat per septem dies : reliquis deinde 33 diebus, qui supersunt usque ad 40, arceatur quidem sanctuario, sed tamen cum ea loqui, vesci et versari (non tamen copulam habere, ait Abulensis : erat enim instar menstruatæ) liceat : idcirco hisce septem diebus dicebatur separata, erantque hi dies separationis; reliqui vero 33 erant dies purificationis.

JUXTA DIES SEPARATIONIS MENSTRUÆ, — *q. d.* Hisce septem diebus tam immunda erit, quam mulier menstruata, et eodem modo se separatam et immundam gerere debebit, ac menstruata, de qua cap. XV, vers. 19.

Vers. 4. 4. IPSA VERO TRIGINTA TRIBUS DIEBUS MANEBIT IN SANGUINE PURIFICATIONIS SUÆ, — id est, in sanguine quo assidue purgatur, inquit Jansenius in cap. X *Concord. Evang. Secundo*, per hypallagen, *q. d.* Manebit in purificatione sanguinis sui, donec scilicet a fluxu sanguinis purgetur, de quo plura vers. 5. Similis hypallage est *Exodi* XII, 11, *Jerem.* XI, 19, et alibi.

Tropologice. Tropologice, in sanguine purificationis manere, est ærumnam mortalitatis sustinere, in quam peccando lapsi sumus, per quam tamen ab his quæ commisimus emundamur : ut quadragesimo die resurrectionis, Domino in templo cœlesti immortales et gloriosi sistamur. Ita Radulphus.

Moraliter, de puritate et castitate. Rursum symbolice et proprie, sanguis hic et sordes puerperii, effectus, pœna et indices erant libidinis, quam habuit femina in conjugali copula et conceptu. Quod enim concipitur turpi cum amore, hoc paritur cum dolore, purgatur cum fœtore. Ita justa et æterna Dei lege sancitum est. Voluit ergo Deus hac purificatione significare castitatem conjugii non accedere ad cælibatum, sed impuram esse; et conjuges in conjugio egere purificatione. Recte Cassianus, *Collat.* XXI, cap. XXXIII : « In lege, ait, in qua conjugiorum jura servantur, quamvis cohibita luxuriæ evagatio, uni tantum, feminæ tamen mancipatur. Hinc nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, et difficile est ut ignis, cui etiam studiose pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, ut non etiam extravagatus amburat; quidquid attigerit. » Plena ergo puritas est in castitate et continentia, cujus candorem, decus et elogia ita depingit S. Cyprianus, lib. *De Bono pudicitiæ* : « Pudicita, ait, est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia sollicita non est cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo; beata ipsa, et beatos efficiens apud quoscumque habitare dignatur : quam nunquam accusare possunt, nec qui eam non habent : venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non possunt. »

S. Ephrem, serm. *De Castitate* : « O castitas mater dilectionis, et angelicæ vitæ ratio! O castitas quæ mundo es corde, ac dulci gutture hilarique aspectu! O castitas quæ homines angelis similes reddis! O castitas quæ Dei amicum ita exaltasti in patria externa, ut et eos qui emerant ipsum redimeret! O castitas donum Dei, benignitatis, disciplinæ cognitionisque pœna! O castitas, portus tranquillus, in summa pace ac securitate constitutus, » etc. Et auctor libri *De Singul. Clericorum* apud S. Cyprianum (hunc enim librum non esse Cypriani patet ex stylo) : « Castitas, ait, munimen invictum est sanctimoniæ, et expugnatio fortis infamiæ : fortitudinis firmitas, et lasciviæ petulantis infirmitas : probitatis præsidium, et improbitatis excidium : animæ victoria, et corporis præda : ubertas gloriarum, et sterilitas criminum : pronuba sanctitatis, et repudium turpitudinis : sinceritatis indicium, et abolitio scandalorum : exercitium continentiæ, et evacuatio tota luxuriæ : pax secura virtutum, et debellatio inquieta bellorum : puritatis culmen, et libidinis carcer : honestatis portus, et ignominiæ naufra-

galis locus : virginitatis mater, et hostis immunditiæ : lorica pudoris, et spolium probrositatis : corruptionis exitium, murus rigoris, et destructio vulgaritatis : severitatis gladius, triumphator et dissolutionis occisor : armatura virium, et exarmatura fluxorum : integritatis dignitas, et fornicationis addictio : claritatis fastigium, et dedecoris præcipitium : voluntas bonorum operum, et afflictio vitiorum : refrigerium pudicitiæ, et pœna petulantiæ : acquisitio triumphorum, et facinorum detrimentum : requies salutis, et perditionis exilium : vita spiritus, et carnis interitus : status qualitatis angelicæ, et funus humanæ substantiæ. Hujus retinaculis omnis obscenitas frænatur, et compedibus ejus calces furentis libidinis statuuntur. »

S. Ephrem, serm. *De Castitate* : « O castitas oculorum frenum, quæ a tenebris ad lucem totum corpus transfers! O castitas quæ carnem castigas, et in servitutem redigis, et ad cœlestia velocissime penetras! O castitas quæ cor possidentis te lætificas, et animæ ad cœlestia alas adjungis! O castitas quæ spiritale gaudium paris, et mœrorem aufers! O castitas, quæ passiones minuis, et animum a perturbationibus liberas! O castitas, quæ justos illuminas, et diabolo tenebras offundis! O castitas, quæ pigritiam depellis, et patientiam affers! O castitas, currus spiritalis possessorem suum in sublime evehens! O castitas quæ rosæ instar in medio animæ et corporis flores, universamque domum odoris fragrantia reples! O castitas, præcursor atque cohabitator Spiritus Sancti! » Ut hanc puritatem assequerentur conjuges nonnulli illustres, continentiam in conjugio ex mutuo consensu servarunt. Ita fecerunt S. Ammon cum uxore, Euphraxia ex familia Theodosii Imperatoris oriunda cum Antigono marito, Anastasius cum Theognia, Eucharistus cum Maria, Magna cum marito, Olympia cum Nebridio, ut patet ex eorum Vita. Plures citavi I *Cor.* cap. VII, vers. 6.

Quare hoc tantum castitatis donum nemini sine peculiari Dei gratia, et multa oratione obtingit. Testis est S. Augustinus de seipso, lib. X *Confess.* XIX : « Tota spes, ait, mea non nisi in magna valde misericordia tua. O amor qui semper ardes et nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis. » Hinc etiam solet Deus virgines et castos tueri, ut instar amianti sint ab igne inviolabiles. Nec enim ignis in eis invenit viscus aut sordes, quas adurat. Ita S. Cunegundis uxor Henrici Imperatoris, ut suam virginitatem marito probaret, nudis et illæsis pedibus super ferrum candens ambulavit. Ita Theognia jussu S. Basilii excipiens in sinum carbones ignitos, illæso sinu eos gestavit, eo quod in conjugio cum Anastasio marito continentiam servaret : testis est Amphilochius in Vita S. Basilii. Ita et Abbas ille qui Porphyriam meretricem convertit, cum in suspicionem fornicationis cum ea venisset, ab ea se purgavit igne, quem in veste illæsa portavit, ut habetur in Vita S. Joannis Eleemosynarii.

5. SIN AUTEM FEMINAM PEPERERIT, IMMUNDA ERIT DUABUS HEBDOMADIS, JUXTA RITUM FLUXUS MENSTRUI (puta 14 diebus, quod erat duplum dierum separationis, si peperisset masculum, vers. 2), ET SEXAGINTA SEX DIEBUS MANEBIT IN SANGUINE PURIFICATIONIS SUÆ. — Ita ut additis prioribus 14 diebus, quibus omnino fuit separata, fiant 80 dies purificationis, qui sunt duplum purificationis in partu masculi : in eo enim tantum statuti sunt 40 dies, vers. 4. Vers. 5

Quæres, cur in partu masculi tantum 40, in partu vero feminæ statuuntur 80 dies purificationis? Cur in partu masculi 40 dies purificationis in feminæ statuantur?

Respondent Isychius et Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*, et Maldonatus in *Luc.* II, 22, tot dies apposite ad naturalem maris et feminæ formationem, constitutos esse : nam marem formari et perfecte organizari 40 diebus, ideoque 40 die animari. Mox enim ut fœtus perfecte formatus est, animatur, uti docent medici : feminam vero formari et organizari per dies 80, idque ob debilitatem caloris et virtutis seminalis. Jam hanc formationem maris et feminæ fieri ex sanguine menstruo : unde nec tunc mulierem gravidam menstrua pati, ob quæ ex lege *Numer.* cap. XV, 49, immunda fuisset, ideoque post partum tot diebus censeri immundam quot retinuit menstrua, et ex sanguine menstruo fœtum efformavit, eo quod menstrua hæc per partum effuderit. Responsio prima.

Moralem vero causam esse, quia quot diebus prolem efformavit, totidem quasi in eamdem peccatum originale transmisit; unde totidem diebus purificari debere.

Verum huic sententiæ repugnant medici : nam Lævinus Lemnius, lib. *De Occultis naturæ miraculis*, cap. XI, docet maris formationem absolvi aliquando die 30, aliquando 35, aliquando 40, aliquando 45; feminæ vero nunc 35, nunc 40, nunc 45, nunc 50. Hippocrates vero, lib. *De Natura fœtus*, num. 10, docet masculum ut longissime 30 diebus formari; feminam ut longissime 42 diebus : idque probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat 30, post feminæ 42 diebus, ut longissime. Refellitur. Formatur ante dies : mina te 42, Hippocrates.

Hinc *secundo*, alii censent hic spectari tempus non formationis nec animationis fœtus, sed motus quo se fœtus in utero prodit : nam, ut docet Aristoteles, lib. VII *Histor. animal.* cap. III, masculi ut plurimum circa 40 diem in dextero uteri latere movere se incipiunt, feminæ vero circa nonagesimum diem, idque in sinistro matricis latere. Verum nec hoc per omnia huic legi et tempori respondet, neque certum aut usquequaque verum est : nam Hippocrates, lib. *De Alimento*, et alii docent, neque formationis, neque motus, neque partus hominis simplex et commune omnibus statutum esse tempus, sed va- Refellitur. Responsio secunda.

rium et multiplex. Adde hanc purgationem non tam ex formatione vel motu, quam ex immunditia partus spectandam esse.

Responsio tertia et genuina. Unde *tertio*, probabilius respondet Franciscus Valesius, medicus Philippi II regis Hispaniæ, libro *De Sacra Philosophia*, cap. XVIII : « Notandum, inquit, est duplicem ex utero post partum vacuationem fieri : primam sanguinis copiose fluentis, ut singulis mensibus mulieribus fieri solet ; secundam aliorum excrementorum, cum exiguo sanguine fluentium paulatim. Utraque est ei quæ marem peperit brevior ; nam cum feminæ humidiores et excrementosiores sint quam viri, necesse est eorum principia in ortu humidiora esse, quam sint virorum. Unde experientia constat, non mares, sed feminas ab iis mulieribus concipi, quæ aut natura sunt, aut quas ex accidente in conceptu contigerit esse excrementosiores ; indigebunt ergo tales purgatione diuturniori. Et licet Hippocrates, lib. *De Genitura*, longisssimam expurgationem ejus quæ peperit marem, censeat esse 30 dierum ; ejus quæ feminam 42, tamen ex hac S. Scripturæ auctoritate et lege, colligitur priorem vacuationem in maribus posse fieri ad septem dies, in feminis ad quatuordecim ; posteriorem in maribus ad 40 dies, in feminis ad 80, posse extendi. » Hucusque Valesius.

Hoc enim innuunt verba Mosis dicentis : « Sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ, » quanquam hic locus non plane convincit ; nam dici posset cum Vatablo, eam quæ parit feminam, per 80 dies censeri immundam, eique juberi ut maneat in sanguine purificationis suæ, non quod tandiu fluat sanguis post partum, sed quia legaliter ex hac lege tandiu habetur immunda, propter fluxum sanguinis quem passa est per septem dies a partu, ideoque per 33 dies consequentes adhuc censeri esse in sanguinis sui fluxu, ejusque purificatione legali, quam ex hac lege peragere jubetur.

Dico ergo : Propria et genuina causa hujus sanctionis et disparitatis est voluntas et beneplacitum Dei, qui in partu maris statuit 40 dies purificationis, in feminæ 80 ; idque apposite ad naturam, ob majorem scilicet in partu feminæ humorum fluxum, et sanguinis corruptionem, ac parientis majorem languorem : nam, ut docet Theodoretus, gravius laborare solent mulieres dum feminam pariunt, quam dum masculum. Huic junge congruentiam Valesii jam dictam, quod scilicet fluxus sanguinis in partu maris durare possit ad quadragesimum diem, in feminæ ad 80, aut potius quod hos terminos nunquam excedat, ita ut hi termini definiant, non tam maximum sive plurimum quod sic, quam plurimum et maximum quod non, uti loquuntur Physici.

In partu feminæ major est corruptio et languor, quam maris.

Tropologice. Tropologice, mulier pariens masculum est anima perfecta, perfectas excolens virtutes ; hæc una quadragesima, id est pœnitentia hujus vitæ ante mortem purgatur, ut statim post eam evolet ad cœlum ; sed feminam pariens, id est quæ remissior ad virtutum culmina non contendit, hæc post hanc quadragesimam pœnitentiæ, aliam in Purgatorio subibit. Ita Radulphus.

Vers. 6. 6. CUMQUE EXPLETI FUERINT DIES PURIFICATIONIS SUÆ, PRO FILIO SIVE PRO FILIA, DEFERET AGNUM ANNICULUM IN HOLOCAUSTUM, ET PULLUM COLUMBÆ SIVE TURTUREM PRO PECCATO. — Quæstio hic est, quonam referendum sit τὸ *pro filio sive pro filia*, an ad sequens *deferet agnum in holocaustum*, an ad præcedens *dies purificationis*. Alii enim et plures erant dies purificationis pro partu filiæ quam filii. Ex hac quæstione pendet et resolvenda est alia quæstio, an sacrificia hic præscripta oblata sint pro prole, an tantum pro matre pariente, an pro matre et prole simul ? Variæ hic sunt interpretum et Doctorum sententiæ.

Hostiæ purificationis erantne matris an prolis, an utriusque ?

Aliqui putant fuisse utriusque.

Multi censent hæc sacrificia fuisse oblata in holocaustum et pro peccato, tum matris, tum prolis. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XL, Hugo, Rupertus hic, Beda, et Euthymius in *Luc.* II, Barradius, lib. X, cap. IV, V, VI, et S. Eligius, hom. *De Purificatione ;* licet enim per sacramentum circumcisionis fuerit infans purgatus a peccato originali, tamen adhuc cum matre censebatur essè immundus legaliter : erat enim adhuc quasi unum cum matre. Unde cum matre per sacrificium hoc expiabatur et sanctificabatur magis, Deoque hac legali cæremonia consecrabatur. Huic sententiæ favet id quod canit Ecclesia in Respons. 2 et 3 primi nocturni in festo Purificationis : « Obtulerunt pro eo (puero Jesu) par turturum, aut duos pullos columbarum. »

Melius alii censent fuisse solius matris puerperæ.

Verum probabilius Jansenius, cap. X *Concord.*, Toletus et Maldonatus in *Luc.* II, 22, et alii, censent mulierem parientem hæc obtulisse pro purificatione non prolis, sed sui solius ; id enim diserte dicitur vers. 7 : « Offeret (sacerdos) illam coram Domino, et orabit pro ea (non pro eo, scilicet puero), et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. » Rursum, vers. ult. : « Orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur. » Quare quod canitur in festo Purificationis : « Obtulerunt pro eo, » intellige indirecte et concomitanter, *q. d.* Obtulerunt pro partu ejus, sive quia eum Beata Maria peperit. Proles ergo non hoc sacrificio, sed circumcisione purgabatur a peccato originali ; deinde si erat primogenita, sistebatur Domino, et redimebatur quinque siclis, ut patet *Numer.* III, 47, collato cum *Exod.* XIII, 13 ; quæ lex redemptionis prolis primogenitæ alia est ab hac lege purificationis : hæc enim solam matrem puerperam spectat. Unde vers. 7 dicitur : « Ista est lex parientis masculum aut feminam. »

Hinc sequitur τὸ *pro filio sive pro filia* referendum esse, non ad *deferet*, sed ad *dies purificationis*, qui alii erant in partu filiæ, puta 80, alii in partu filii, puta 40 explendi, antequam mater ad templum veniret, ibique se per sacrificia hic præscripta expiaret. Id clarius significant Hebræa et Septuaginta.

DEFERET AGNUM ANNICULUM IN HOLOCAUSTUM, — ut gratias agat Deo, quod pericula partus evaserit, utque prolem cum agno in holocaustum offerat Deo, qui eam benedicat, eique agninam innocentiam tribuat et conservet.

ET PULLUM COLUMBÆ SIVE TURTUREM PRO PECCATO, — puta pro immunditia et irregularitate legali in partu contracta, tollenda. Hæc enim immunditia vocatur *peccatum*, scilicet legale; præsertim quia ipsa ex peccato originali orta vitiatam in Adamo propaginem nostram clare significat, inquit Isychius et S. Augustinus. Sic immunditia legalis contracta ex lepra vel menstruis, vocatur *peccatum*, cap. XIV, 12, et cap. XV, 30. *Secundo*, simul etiam hæc offeret puerpera pro peccatis proprie dictis, si quæ in puerperio vel alias admisit.

Apposite conjugatæ et puerperæ victima purificatoria præscribitur turtur aut columba; nam turtur gemens symbolum est luctus et pœnitentiæ. Nam, ut ait Poeta:

Nec gemere aerea cessabit turtur ab ulmo.

Sic gemere non cesset pœnitens donec purificetur. Vox ergo turturis audita in terra nostra, est vox Magdalenæ gementis.

Rursum: « Physiologi, inquit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, tradunt hanc turturis esse naturam, ut, si parem perdiderit, alteri non jungatur; et intelligamus bigamiam etiam a multis avibus reprobari. » Christus tamen non reprobat secundas nuptias, sed eis præfert viduitatem et continentiam.

Turtur et columba symbolum sunt fidei conjugalis.

Columbæ vero symbolum sunt castimoniæ et fidei conjugalis. Nam, ut ait Plinius, lib. X, cap. XXXIV: « Pudicitia columbis prima est, et neutri nota adulteria; tori fidem non violant, communemque servant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt. » Sic conjugatis pudicitia sit prima ut columbis, neutri nota sint adulteria, conjugii fidem communemque domum servent, filios diligant, et in Dei lege erudiant; uxor viri imperium, etiamsi difficile sit, toleret.

Tales turtures et columbæ etiam apud Gentiles fuerunt. Valeria rogata cur, defuncto Servio marito, nollet denuo nubere? « Quia, inquit, Servius meus licet aliis defunctus sit, apud me vivit, vivetque semper. » Annia florens ætate et forma, monita ab amicis ut, mortuo marito, secundum acciperet, tum ob spem prolis, tum ob amorem mutuum, respondit: « Nullo pacto hoc factura sum. Si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam; sin vero malo, quæ me caperet dementia, ut post optimum talem admitterem? » Martia Catonis filia, rogata cur post mortem mariti nollet alteri nubere, respondit: « Quia non facile invenero virum, qui me magis velit quam meus; » et rursum: « Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit nisi semel. » Eadem cum diutius lugeret maritum, rogata, « quem esset habitura diem luctus ultimum? » respondit: « Quem et vitæ. » Recte Propertius, *Epigram.* 15:

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus et totum femina conjugium.

Denique S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XIX: « Hanc avem, inquit, Dei lex, velut castæ hostiæ munus elegit; quæ cum Dominus præsentaretur, oblata est, quia scriptum est in lege Domini, ut darent par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis et gratia spiritalis: pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia. »

Sed audi miram historiam, ex qua disces quam columba symbolum sit castitatis et pietatis. Rem narrat Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.*, cap. XXXIV, et ex eo Baronius, anno Christi 480.

Fuit Averni puella quædam religiosa, atque devota Deo, quæ in rure commanens, quo ab urbica turba semota, liberius dignas Deo laudum hostias exhiberet, quotidie jejuniis et orationibus insistebat. Factum est igitur, ut migrans ab hoc mundo, ad basilicam oppidi causa sepeliendi portaretur. Verum ubi levato feretro corpus per viam ferri cœpisset, adveniens grex magnus columbarum super eam volare cœpit, atque huc illuc volitando sequi, quo hæc a proximis ferebatur. Qua in basilicam delata, grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedisse; illaque sepulta ad cœlos evolavere columbæ. Unde non immerito Georgia nuncupata est, quæ sic exercuit mentem cultura spiritali, ut adepto virginitatis sexagesimi fructus proventu, egrediens de sæculo cœlestibus honoraretur exequiis, inquit S. Gregorius.

Refert Ado, et ex eo Baronius, anno Christi 440, Juliam sanctam virginem et martyrem a Felice principe excarnificatam, et tandem crucifixam, de cujus ore columba exivit et in cœlum evolavit.

S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. *De Spe*, Abbate moriente ita scribit: « Omnes fratres ex ore ejus exisse columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorii egressa, penetravit cœlum. Cujus idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, ut omnipotens Deus ex hac ipsa specie ostenderet, quam simplici corde ei vir ille servisset. »

7. ET SIC MUNDABITUR A PROFLUVIO SANGUINIS SUI, — puta immunditia legali quam contraxit ob fluxum sanguinis puerperii (est metonymia vel catachresis), ut deinceps sanctuarium adire, sacra tangere, offerre victimas alias, iisque vesci possit. Vers. 7

8. QUOD SI NON INVENERIT MANUS EJUS, NEC POTUERIT OFFERRE AGNUM. — Hebraice, *si non invenerit manus ejus sufficientiam agni*, id est pretium quod sufficit ad emendum agnum (ita Chaldæus et Septuaginta), puta si sit pauperior, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum: unum in holocaustum, et alterum pro peccato. Divites ergo Vers. 8

puerperæ debebant offerre agnum in holocaustum, et turturem vel pullum columbæ pro peccato; pauperes vero tantum duos turtures vel duos pullos columbarum: unum in holocaustum, alterum pro peccato, uti fecit Beata Virgo, et spiritu et censu pauper; licet ipsa id fecerit, non quia spiritu erat pauper, puta quia amans erat paupertatis, ut vult Abulensis, sed quia revera censu erat pauper et indiga: de talibus enim lex hæc loquitur.

Moraliter, disce hic quod ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De S. Baptismo*: « Nihil, inquit, magni æstimatur apud Deum, quod non pauper quoque donare possit. » Deus enim non tam donum quam donantis affectum poscit; et, ut ait S. Gregorius, hom. 5 *in Evang.*, « ante oculos Dei nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate: nihil enim Deo offertur ditius bona voluntate. » Hinc D. Gerson Cancellarius Parisiensis: « Deus, ait, non quærit nomina, sed adverbia, » id est, « non attendit quid facias, sed quomodo, » ut ait S. Bernardus. Hinc Christo præ omnibus aliis magna offerentibus placuit vidua duo tantum offerens minuta. Si ergo multum habes, multa da; si parum, da parum, sed magna et liberali voluntate dandi plura, si haberes; ita liberalitas cordis tui provocabit liberalitatem Dei erga te ut plura accipias: non enim patitur Deus se liberalitate vinci. Narrat Leontius de S. Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandriæ rem miram: « Multas, inquit, benedictiones mittit ei Deus, sed non dimittit quidquam quod non statim det pauperibus. Multoties in exultatione invenerunt eum quidam dicentem Deo: Sic, sic, aut tu mittendo, aut ego dispergendo, videbimus quis vincat. Liquet enim quoniam tu dives, Domine, et vitæ nostræ miserator es. »

Nota: Cum purificatione puerperæ simul offerebatur infans Deo, si erat primogenitus, ut patet *Luc.* II, 22, et redimebatur quinque siclis, ut patet *Numer.* XVIII, 16. Porro verisimile est prius purificatam fuisse matrem, deinde obtulisse suum infantem, uti censet Franciscus Lucas in *Luc.* II. Ubi nota: utriusque hujus cæremoniæ hic erat ritus et ordo.

Primo, puerpera veniebat ad atrium immundorum, ibique consistebat; nec enim atrium mundorum ingredi poterat, utpote immunda, ante purificationem.

Secundo, offerebat turtures vel pullum columbæ pro peccato: verisimile est eam quoque aspersam fuisse aqua cinerea vitulæ rufæ; illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione.

Tertio, offerebat infantem Deo, eumque redimebat.

Quarto, peractis omnibus, in gratiarum actionem offerebat Deo agnum vel turturem, aut pullum columbæ in holocaustum. Sed de his plura *Luc.* II. Hæc duo ultima fiebant puerpera (utpote jam purificata) existente in atrio mundorum. Ibi enim offerebat infantem ad ostium tabernaculi, ibique eminus spectabat holocaustum suum, quod offerebatur in atrio sacerdotum; nam inter atrium sacerdotum et laicorum, tantum intererat murus, sive septum altum tres pedes, ita ut laici ex suo atrio spectare possent victimas et alia quæ fiebant in atrio sacerdotum.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur signa et septem species lepræ: prima est lepra alba et lucens, vers. 3; *secunda est lepra recurrens, vers.* 7; *tertia est lepra inolita, vers.* 10; *quarta est lepra mundissima, vers.* 13; *quinta est lepra capitis et barbæ, vers.* 29; *sexta est lepra in calvitio, vers.* 42; *septima est lepra vestis, vers.* 47. *Denique, vers.* 44, *quinque mandantur leproso: primo, ut habeat vestes dissutas; secundo, caput nudum; tertio, os tectum; quarto clamet se sordidum; quinto, solus habitet extra castra.* Septem species lepræ. Quinque præcepta data leprosis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: 2. Homo, in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. 3. Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliqua, plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur. 4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, 5. et considerabit die septimo; et si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis, 6. et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, et non creverit in

cute, mundabit eum, quia scabies est; lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit. 7. Quod si postquam a sacerdote visus est, et redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum, 8. et immunditiæ condemnabitur. 9. Plaga lepræ, si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, 10. et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit: 11. lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. 12. Sin autem efflоruerit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, 13. considerabit eum sacerdos, et teneri lepra mundissima judicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit. 14. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, 15. tunc sacerdotis judicio polluetur, et inter immundos reputabitur: caro enim viva, si lepra aspergitur, immunda est. 16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit, 17. considerabit eum sacerdos, et mundum esse decernet. 18. Caro autem et cutis in qua ulcus natum est et sanatum, 19. et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem: 20. qui, cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere. 21. Quod si pilus coloris est pristini, et cicatrix subobscura, et vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus; 22. et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ: 23. sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit. 24. Caro autem et cutis quam ignis exusserit, et sanata albam sive rufam habuerit cicatricem, 25. considerabit eam sacerdos, et ecce versa est in alborem, et locus ejus reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. 26. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, et ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, 27. et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum; 28. sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ. 29. Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos, 30. et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, et capillus flavus, solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est. 31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carnis, et capillum nigrum, recludet eum septem diebus, 32. et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est, et locus plagæ carni reliquæ æqualis: 33. radetur homo absque loco maculæ, et includetur septem diebus aliis. 34. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit. 35. Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute, 36. non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immundus est. 37. Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, et confidenter eum pronuntiet mundum. 38. Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit, 39. intuebitur eos sacerdos, si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum. 40. Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus et mundus est; 41. et si a fronte ceciderint pili, recalvaster et mundus est. 42. Sin autem in calvitio, sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus, 43. et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiæ lepræ, quæ orta est in calvitio. 44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis, 45. habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. 46. Omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra. 47. Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit 48. in stamine atque subtegmine, aut certe pellis,

vel quidquid ex pelle confectum est, 49. si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti, 50. qui consideratam recludet septem diebus; 51. et die septimo rursus aspiciens si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est : pollutum judicabit vestimentum, et omne in quo fuerit inventa; 52. et idcirco comburetur flammis. 53. Quod si eam viderit non crevisse, 54. præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis. 55. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra. 56. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido dividet. 57. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga, debet igne comburi; 58. si cessaverit, lavabit aqua ea, quæ pura sunt, secundo, et munda erunt. 59. Ista est lex lepræ vestimenti lanei et linei, staminis atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

Qualis fuit lepra Judæorum? Fuit naturalis morbus, sed sæpe a Deo immissus ob peccata, quæ? Rebellantes sacerdotibus puniebantur lepra.

Quæritur, quænam et qualis fuerit hæc lepra Judæorum (1)?

Dico *primo*, lepram hanc fuisse morbum, sive vitium sæpe naturale, sæpe etiam ex speciali Dei providentia Judæis immissum, maxime ad punienda graviora eorum peccata; vel simoniæ : ob hanc enim Giezi ab Eliseo percussus est lepra, IV *Reg.* v, 27; vel sacrilegii : ob hoc enim Ozias rex usurpans sacerdotium, et volens adolere incensum, lepra tactus est a Deo, II *Paral.* vi, 21; vel homicidii : ob hoc enim David imprecatur Joab occidenti Abner lepram, II *Reg.* iii, 29; vel murmuris et rebellionis, præsertim contra sacerdotes : ita enim Maria soror Mosis, murmurans contra Mosen, correpta est lepra, *Num.* xii, 10. Qua de re illustris est locus *Deuter.* xxiv, 8, ubi Deus diserte comminatur lepram iis, qui sacerdotibus obedire nolunt. « Observa, inquit, diligenter ne incurras plagam lepræ, sed (ut eam evites) facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi iis, et imple sollicite. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ. » Lepra ergo hæc sæpe non tam fuit naturalis morbus, quam plaga divina, uti fusius ostendam vers. 47.

Atque hæc fuit causa, cur Deus lepræ judicium et expiationem detulerit sacerdotibus, curque voluerit leprosos se sacerdotibus sistere et ostendere, ut ab eis lepra vel mundati vel adhuc inquinati pronuntiarentur. Nimirum, ut cogerentur sacerdotibus se humiliare, contra quos superbe se erexerant, itaque superbiæ suæ culpam et pœnam hac humiliatione expiarent. Ita Maria erigens se contra Mosen percussa est lepra, a qua non nisi Mosis ope et precibus sanata est, *Numer.* xii, 11. Fuit et alia causa, nimirum quod leprosi in lege veteri erant quasi irregulares : erant enim immundi non tantum naturaliter, sed et legaliter, ita ut arcerentur non tantum convictu hominum, sed et templo ac sacris. Hanc autem irregularitatem tollere non poterat medicus, sed sacerdos. Ergo ut ea tolleretur, sacerdoti se sistere et supplicare debebant, qui eos expiabat, ac sacris restituebat juxta ritum quem Deus præscribit cap. xiv.

Lepra Judæorum alia fuit a nostra.

Dico *secundo* : Lepra hæc Judæorum dissimilis et alia fuit a lepra nostra, quæ magis est elephantia, quam lepra. Negat hoc Abulensis censetque eamdem esse lepram nostram cum lepra Judæorum, sed nunc esse magis arrosivam, quam fuerit tunc. Verum non fuisse eamdem patet *primo*, quia, ut mox dicam, lepra Judæorum erat fere tantum in cute; nostra vero carnes et ossa depascitur. *Secundo*, lepra Judæorum etiam vestes et muros ac domos invadebat, ut patet vers. 29; nulla autem jam est lepra, quæ vestes aut domos corripiat. *Tertio*, lepra nostra est incurabilis; lepra autem Judæorum erat curabilis, sæpeque curabatur, ut patet hoc cap. et seq. Neque id mirum videri debet : sic enim videmus sæpe quamque regionem, et quodque clima proprias habere, uti qualitates et affectiones, ita et morbos, imo unum eumdemque morbum in alio climate alium esse, aliaque habere symptomata. Atque hæc fuit causa, cur tempore belli sacri tot Belgæ, Franci, Germani ex Judæa domum redeuntes, leprosi inde redierint, ideoque tot ubique erecta fuerint leprosoria, quæ etiamnum extant, sed sine leprosis.

Lepra Judæorum similis fuit lepræ Græcorum.

Dices *tertio* : Lepra Judæorum similis fuit veteri lepræ Græcorum, de qua Hippocrates, lib. *De Affectionibus*, ita ait : « Lepra, et pruritus, et scabies, et impetigines, et vitiligo, et alopecia, a pituita fiunt; sunt autem turpitudo magis quam morbi. » Ratio est : nam vetus Judæorum lepra, ut ait S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* Quæst. XL, sæpe coloris vitium fuit magis, quam valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum, eaque de causa leprosi a Christo non sanati, sed mundati dicuntur. Talis autem fuit lepra Græcorum, sive communis : nam, ut recte Joannes Mainardus medicus insignis, lib. VI *Epist.*, ex Galeno probat, lepra est vitium cutis leviculum, adeo

(1) Cf. Schilling *De Lepra*. Traj. ad Rhen. 1778.

scabiei simile, ut vix ab eo discernatur. Pari modo, ait Cajetanus, lepra hæc Judæorum fuit morbus, aut potius vitium in cute magis quam carne residens, idque multiplex et varium, adeoque ipsa scabies hic vocatur lepra, si gravior sit, et communem simplicemque superet. Quare hanc lepram accurate discutiens Franciscus Valesius medicus illustris, lib. *De Sacra Philosoph.* XIX, censet per lepram hanc varia vitia cutis, et turpitudines externi corporis accipienda esse, quorum unum nascitur ex alio, idque ex redundantia pituitæ vel melancholiæ, per variam alterutrius intentionem aut remissionem. Unde putat ipse hoc cap. vers. 6 et 39, describi vitiliginem; vers. 3 et 7, scabiem cum squamis, quæ lychen, seu impetigo dicitur; vers. 9, elephantiam vel ejus initium; vers. 29, achorem, vers. 38, alopeciam vel ophyasin, uti singulis versiculis fusius ex ipso dicam : hinc

Lepra Judæorum non unus fuit morbus, sed varii.

Dico *quarto*, lepram hic non unum esse morbum, sed varium et multiplicem, non tantum specie, sed et genere differentem, adeoque analogice extendi ad vitia vestium et domorum. Hæ enim lepræ quæ hoc capite describuntur, non tam morbi sunt, quam deformitates seu putrescentiæ quædam cutis, eæque variæ et multiplices. Unde non mirum est, si non tantum animatis, sed et inanimatis conveniant, præcipue ubi a causa aliqua communi gignuntur, et populariter grassantur : aer enim, qui solus communis popularium morborum potest esse causa, tangit undique atque circumstat inanima, æque ut animata; licet diversimode afficiat, non tantum inanimata, sed et ipsa animata. Differentia enim est inter lepram hominis, bovis, ovis et suis. Est tamen omnium lepra eadem analogice : hæque omnes lepræ sibi invicem affines sunt et propinquæ, adeo ut mutuum sit contagium, et animata lepram inanimis affricare possint. Lepra enim hæc, ut dixi, non tam morbus, quam corrosio, corruptio, et putrescentia quædam est; nam putrescere omnia possunt, præter ignem, ægrotare autem sola viventia: hucusque Valesius, cap. XIX et XX. Cui tamen addendum puto, lepram hanc Judæorum non per omnia similem fuisse lepræ Græcorum, quæ vulgo a medicis lepra vocatur, et in cute residet; sed potius eam medium quid fuisse inter lepram et elephantiam, atque non tantum cutem, sed et halitum, ac consequenter interiora vitiasse; ideo enim vers. 45, jubentur leprosi os tegere, ne halitu suo pravo alios inficiant. Licet enim hæc lex cæremonialis sit, tamen ipsa, uti et aliæ, in natura et naturali hac causa fundata est. Rursum, eam sæpe non tam naturalem fuisse, aut ex naturalibus causis ortam, quam a Deo specialiter Judæis instar plagæ fuisse inflictam, ac proinde hujus lepræ physicas et medicas causas, ac symptomata per omnia a medicis jam assignari non posse, paulo ante ostendi, et fusius ostendam vers. 47.

Lepra Judæorum medium quid fuit inter lepram Græcorum et elephantiam.

2. HOMO IN CUJUS CUTE ET CARNE ORTUS FUERIT DIVERSUS COLOR, SIVE PUSTULA, AUT QUASI LUCENS QUIPPIAM, ID EST PLAGA LEPRÆ; — sic et Chaldæus. Verum in Hebræis alius est ordo; sic enim habent, *cum fuerit tumor sive pustula, aut macula carni adhærens* (quod Noster vertit, *diversus color*), *aut candicans quippiam, ut sit in carne ejus in plagam lepræ*, id est, ut videatur esse lepra, vel lepræ suspicionem ingerat. Septuaginta vertunt, οὐλὴ σημασίας ἢ τηλαυγής, *cicatrix significationis, vel lucens. Significationis*, id est significans esse lepram. Ita Isychius. Nota τὸ *lucens*, scilicet, ut videantur esse quasi fulgentes furfures, aut squamæ; nam hæc possunt esse initia vitii abeuntis in malignum, et in aliquod lepræ genus, inquit Valesius. Vers. 2

ADDUCETUR AD AARON SACERDOTEM. — Quia sacerdotis est judicare an quis aptus, id est mundus sit, ut ei liceat ingredi sanctuarium, an immundus et ineptus, ut ab eo arcendus sit : ac consequenter ejus est judicare de lepra, an et qualis sit. *Secundo*, quia sacerdotes veteres judicantes inter lepram et lepram, typus erant sacerdotum legis novæ, quibus communicata est a Christo potestas ligandi et solvendi peccatores. Ita S. Hieronymus in cap. XVI *Matth.*, et Chrysostomus, lib. III *De Sacerd.*

3. QUI CUM VIDERIT LEPRAM IN CUTE, ET PILOS IN ALBUM MUTATOS COLOREM. — Albor enim pilorum carnis, ex qua nascuntur, corruptionem et vitium arguit. « Nam lepra, ait S. Cyrillus, lib. XV *De Adorat.* fol. 309, fit ex eo, quod caro emoriatur : excavatur enim ulcus illico absumpta cute, et in profundum semper serpens; quo fit ut pilus, qui in illis partibus exoritur, languescens exalbescat, ac velut stirps una cum subjecta terra corrumpatur. » Vers. 3

Prima species lepræ est impetigo. Unde oritur? Ejus signa duo.

Est hæc prima lepræ species illa, quæ a medicis, inquit Valesius supra, vocatur lychen, vel impetigo, vel lepra volatilis, quia serpit et quasi volat per partes; ab Arabibus vocatur *barras*, vel *albarras*, album, gigniturque ex pituita salsa vel melancholia. Ejus duo hic dantur signa : primum, pilos qui ex leprosa cute nascuntur, in album colorem mutari; secundum, ipsam lepram humiliorem esse reliqua cute, quorum causam hanc dat Valesius : « Cum enim, ait, lychenes illi maligni a salsa pituita nascantur, vel sola, vel mixta cum atra bile, necesse est, ubi partis temperies admodum labefactata est, et in ipsius excrementi naturam velut mutata, salitam admodum esse cutem, ac proinde siccam et contractam, ac reliqua cute, quæ sana est, humiliorem. » Rursum : « Cum orta consentiant iis ex quibus oriuntur, ubi cutis ob pituitam ita erit facta candida, ut ipsum substantiæ modum mutaverit in candidiorem, pilos quoque ex sese nascentes candidos reddet. »

IPSAMQUE SPECIEM LEPRÆ. — Hebraice *aspectum plagæ*, id est, apparentem speciem lepræ. Vide *Can.* 30.

HUMILIOREM. — Lepra enim et cutem et carnem exedit.

ET AD ARBITRIUM EJUS SEPARABITUR.— Hebraice, *et inspicict eum sacerdos, et pollutum judicabit eum;* ac consequenter separandum et emittendum extra castra. Describuntur hoc cap. notæ quibus discerni possit, qui lepra gravi, qui levi infecti sint; qui facile curari possint, qui sint incurabiles : ut qui simplici tantum scabie deprehenderentur laborare, mundi judicati dimitterentur; quos spes esset fore ut mundarentur, recluderentur; qui vero viderentur desperatæ emundationis, omnino separarentur, et extra castra rejicerentur.

Vers. 4. 4. SIN AUTEM LUCENS CANDOR FUERIT IN CUTE. — « Albor, ait S. Cyrillus, lib. XV, infirmitas est carnis (vel potius cutis) lepræ persimilis, nisi quod malum illud non in profundum agit, sed pullulat in summo corpore, neque mutat pilum in album colorem; neque tam late funditur, ut reprimi nequeat, sed levibus remediis curatur. »

Vers. 5. 5. RECLUDET EUM SEPTEM DIEBUS ALIIS. — Jubet hic Deus leprosum per hebdomadam secundo recludi; qua exacta, si obscurior fuerit lepra, neque creverit in cute profundius vel latius serpendo, hoc est, si non se dilataverint maculæ, et signa lepræ facta sint obscuriora, ita ut albor qui movebat suspicionem lepræ, jam immutatus sit in nigredinem, vel obscuratus esse desierit : scire jubet lepram veram non esse, sed psoram seu scabiem, ac dimitti hominem lotis vestimentis. Mundus enim est, hoc est, non est leprosus, sed scabiosus solum; quod est leve, et solo vestium mundissimarum, linearum et lanearum usu, et probo victu liberabitur, præmissa, si opus sit, aliqua corporis evacuatione. Ita Valesius.

Nota, hic et inferius passim vocari lepram, illam quæ esse videbatur, vel de qua erat suspicio quod esset lepra, etiamsi postea deprehenderetur non esse lepra.

Vers. 6. 6. MUNDABIT EUM, — id est mundum declarabit et pronunciabit : simile est vers. 34, et *Gen.* XLI, 13, ubi dicit pincerna : « Ego redditus officio, ille (pistor) suspensus; » pro quo hebraice est, *me reddidit officio, illum suspendit,* scilicet Joseph vaticinio suo.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. QUOD SI POSTQUAM A SACERDOTE VISUS EST, ET REDDITUS MUNDITIÆ (1), ITERUM LEPRA CREVERIT, ADDUCETUR AD EUM, ET IMMUNDITIÆ CONDEMNABITUR. — Est hæc secunda species lepræ repetitæ, sive recurrentis. Talis enim lepræ condemnabitur, quia apparuerunt in eo signa permanentis et radicatæ lepræ; nam iteratus morbus magnum corporis apparatum, et in eum propensionem significat, subesseque in vitiosa corporis natura morbi velut radicem : morbus vero in quem corpus valde propensum est, facile abit in habitum; itaque ut incrementum macularum, ita et repetitio suspectum et malum signum est, censeturque merito quæ semel repetiit, sæpe repetitura lepra, neque unquam futurus homo tutus ab immunditia : quare immunditiæ condemnabitur. Ita Valesius.

Secunda species lepræ est lepra recurrens.

Tropologice, lepra est quodlibet peccatum, ait Theodoretus, et præsertim hæresis, inquit Rupertus et Beda) quanquam hæresis proprie est lepra capitis, ut dicam vers. 29); cutis colorque ejus est conversationis humanæ visibilis species; caro est conscientia interna; pili sunt cogitationes se prodentes, cum in his apparuerit lepra, puta delectus pristini situs et coloris; aut pustula, id est conscientiæ corruptio; aut lucens quippiam, id est reatus evidenter elucescens; sacerdos separet eum a cœtu fidelium ad septem dies, usque ad plenam lepræ vel cognitionem, vel emendationem : si obscurior appareat, et non creverit, scabies est, id est levior culpa; sin iterum creverit, lepra est, id est vivens et perseverans deliberatio peccandi. Ita Radulphus. Tropologice lepra est peccatum, etc.

Quæsivit aliquando S. Ludovicus Franciæ rex ex Senechalco Campaniæ, malletne lepra infici an peccato? cumque is respondisset : Peccato; acriter eum perstringens : « Toto, inquit, cœlo erras; ecquæ lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque si me amas, eam mentem mutato. » Ita refert Jonvillus in ejus Vita, cap. XCIV.

Ejusdem sensus et sententiæ fuit alter S. Ludovicus, regio stemmate natus, qui ex Franciscano factus est Episcopus Tolosanus; aiebat enim : « Prius mihi pereat, non dico regnum hoc caducum, sed orbis totus, quam in Deum meum semel peccem, cujus honorem omnibus anteponendum novi. » Ita habet ejus Vita, cap. X (2).

Vers. 10 et 11. Tertia species lepræ est lepra inolita.

10 et 11. IPSA QUOQUE CARO VIVA (3) APPARUERIT, LEPRA VETUSTISSIMA JUDICABITUR. — Est hæc tertia species lepræ, scilicet lepra inolita, quæ in viva est carne, cum prior fuerit in cute et capillis : minus enim est grave mutari colorem solius cutis, quam capillorum etiam; gravius vero quam utrumque est, ipsam jam vivam sub cute carnem lepra respersam esse, ita scilicet ut ipsa sit alba, et modum substantiæ carneæ amiserit : id enim lepræ vetustissimæ, et cuti inolitæ esse constat, quia oritur ex pituita salsa, quæ excreta a vi expultrice non solum cutem, sed et subjectam carnem pervasit, eamque in vitiosi succi naturam mutavit. Hoc autem an ita sit, an scilicet subjecta caro sit leprosa, medici explorant fricatione et acu : si enim caro fricata non rubeat, et si puncta acu non sanguinem, sed lacteam aut aquosam

Medic. lepram explorant fricatione et acu.

(1) ל hic notat *postquam :* ita et Rosenmullerus ad h.l. Cf. *Exod.* XIX, 4; *Num.* I, 1; I *Reg.* III, 18. Negat tamen Maurer, qui vertit, *in mundationem suam*, id est, ut mundus declaretur.

(2) Vers. 9. Notent tirones תְּהִיֶה hic positum esse pro יִהְיֶה, ut sæpe apud Hebræos, quando duo junguntur substantiva, verbum respondere solet substantivo posteriori, cum deberet priori. Conf. Glassii *Philolog. sacr.* Tract. III, cap. LI.

(3) Proprie, *signum carnis crudæ in cicatrice.*

humiditatem reddat, signum est eam esse lepra infectam : hæc lepra est elephantia, præsertim si carnem depascatur et exedat. Ita ex Galeno, Avicenna et Paulo Ægineta Valesius.

Tropologice Radulphus : lepra carnis non vivæ est mala deliberatio, quæ licet vivat, cito tamen mortificatur; sed lepra carnis vivæ est illa, quæ pertinax vehementius radicatur, et sacerdotalis admonitionis clausuram non recipit : quare antequam radicetur et serpat, confessione et pœnitentia deleatur. Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 36 *ad Populum*, acer instat diabolus, ingressum aliquem capere volens : qui, si vel brevem arripuerit vacationem et dilationem, magnum inducit torporem. Et Theodoricus rex apud Cassiodorum, epist. 14, lib. III *Variarum* : « Malum, inquit, cum perseverat, augetur; et remediabile bonum in peccatum, est accelerata correctio. »

Vers. 11. 11. CONTAMINABIT ITAQUE EUM SACERDOS. — « Contaminabit, » id est contaminatum judicabit : ita passim accipitur hoc capite τὸ *contaminabit*, vers. 11, 20, 25, 27, 30. Vide *Can.* 11.

Vers. 12 et 13. 12 et 13. SIN AUTEM EFFLORUERIT DISCURRENS LEPRA IN CUTE, ET OPERUERIT OMNEM CARNEM A CAPITE USQUE AD PEDES, QUIDQUID SUB ASPECTUM OCULORUM CADIT (1), CONSIDERABIT EUM SACERDOS, ET TENERI LEPRA MUNDISSIMA JUDICABIT. — Est hæc quarta species lepræ, quæ dicitur mundissima, id est minime contagiosa scabies. Unde Hebræa, Chaldæa et Græca habent (quod et paulo post in Latinis sequitur), judicabit eum mundum a lepra, quia videlicet hæc scabies discurrens per totum corpus, tantum est purgatio naturæ, valide se undequaque purgantis, et vitiosos humores ejicientis : secus est cum in una parte considens, vitium illius partis interius arguit, aut certe debilem vim expultricem. In vitiosis enim corporum dispositionibus, et cacochymiis optimum censent medici, si illa per variolos, scabiem aliaque excrementa abundanter foras erumpant : quod enim non erumpit, interius manet, et cor aliaque vitalia afficit et inficit. Ita ex Hippocrate Valesius.

Quarta species lepræ est lepra mundissima, quæ ?

Tropologice. Tropologice, lepra discurrens in cute, est infamia falsa criminum, qualibus Christus et Sancti, maxime in primitiva Ecclesia aspersi, ideoque afflicti sunt : hæc discurrit, quia nusquam locum invenit ubi vere stabiliatur; in candorem vertitur, id est in laudem cognita rei veritate; ideoque lepra mundissima censetur, quippe per eam homo potius in patientia, meritis et gloria accrescit, cum sine criminis perpetratione criminis laborat suspicione. Ita Radulphus. Hinc dicitur de Christo, *Isaiæ* LIII, 4 : « Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. » Vides quomodo hæc lepra, puta infamia, realiter cutem Christi tetigerit et afflixerit.

Vers. 14 et 15. 14 et 15. QUANDO VERO CARO VIVENS (lepra aspersa) IN EO APPARUERIT (consumpta cute), TUNC SACERDOTIS JUDICIO POLLUETUR, — pollutus declarabitur. Vide vers. 6 et 11.

Vers. 16 et 17. 16 et 17. QUOD SI RURSUM VERSA FUERIT IN ALBOREM, ET TOTUM HOMINEM OPERUERIT, CONSIDERABIT EUM SACERDOS, ET MUNDUM ESSE DECERNET, — quia hoc signum est carnem sanari, et pelle rursum undequaque obduci.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. CARO AUTEM ET CUTIS, IN QUA ULCUS NATUM EST ET SANATUM, ET IN LOCO ULCERIS CICATRIX ALBA APPARUERIT, SIVE SUBRUFA. — Nihil hic aliud dicitur, quam lepram jam dictam vers. 3 et seq. posse innasci ulceribus (sive ea sponte nata sint, sive inusta), sanatis puta cicatricibus; neque id mirum, quia ulcera sponte nascuntur in partibus debilibus, ob pravos succos in eas missos, et quæ semel ulceratæ sunt, licet cicatrice obducantur, manent tamen debiliores; quapropter et ipsa ulcera solent sæpe in ipsis partibus novari, et materia lepræ in eamdem partem emergere. Orta vero lepra hic easdem notas habet, quas in reliquis partibus : nimirum prima ejus nota est, macula serpens; secunda, locus profundior reliqua cute; tertia, pili mutati in candidum : hæ enim veræ ac malignæ lepræ notæ sunt : contraria, mundæ scabiei signa sunt.

Nota, « subrufa, » id est subrubra; quia licet macula lepræ in reliqua cute candida sit, in cicatrice tamen relicta ex ulceribus fit aliquando subrubra, eo quod sanguis quo pars nutritur, male ob ejus debilitatem mutetur, quæ causa macularum est. Ita Valesius.

Vers. 23. 23. SIN AUTEM STETERIT IN LOCO SUO, ULCERIS EST CICATRIX, ET HOMO MUNDUS ERIT, — quia si lepra esset, non sisteret, sed serperet; ergo id quod videtur in tali cicatrice album vel subrufum, est ex ulcere præcedente, non autem est lepra.

Vers. 24. 24. ALBAM SIVE RUFAM, — quia si esset ex combustione, esset nigra; ergo cum sit alba vel subrufa, suspicio est esse lepram (2).

Vers. 28. 28. SIN AUTEM IN LOCO SUO CANDOR STETERIT NON SATIS CLARUS (obscurus, uti paulo ante dixit), PLAGA COMBUSTIONIS EST, — combustione inflicta et relicta.

Tropologice, ulcus significat flagitiorum saniem, per quam honestatis humanæ species violatur; plaga combustionis significat iram et invidiam : hæc si sanata rursum recruduerint, et maculam albam, id est voluptatum blandimenta, aut rufam, id est cruentam speciem discordiarum, ostenderint, considerabit sacerdos ut supra, etc. : utraque enim macula ab alterutro vitio oriri potest. Ita Radulphus.

Vers. 29. 29. VIR SIVE MULIER, IN CUJUS CAPITE AUT BARBA GERMINAVERIT LEPRA, — ita ut lepra cutis et carnis in barba vel capillis se prodat : nam in cute esse hanc lepram, patet ex eo quod sequitur, eam humiliorem esse carne reliqua.

(1) Hebr. est, *per omnem aspectum oculorum sacerdotis*, id est, si sacerdos observavit hoc accurate.

(2) Hebr. est, *si nota*, sive signum *adustionis exoriatur*, scilicet *pustula albo-subrufa aut alba*.

Quinta species lepræ est lepra barbæ et capitis.

Est hæc quinta species, non formalis, sed materialis lepræ : scilicet lepra barbæ et capitis, quæ ejusdem formæ et rationis est cum lepra aliarum partium. Unde hujus signa sunt eadem, quæ aliarum jam dictarum, nimirum lepra quæ humilior est cute reliqua, et capillorum mutat colorem, et sese effundit ac serpit, maligna est; aut etiam quæ cum videretur esse mundata et curata, rursum emergit, redit et proserpit; quæ vero hisce contraria habet, non est maligna. Illud tantum interest, quod in reliquis partibus lepra pilos in albos commutat, in barba vero et capite mutat eos in flavos et tenues; cujus rei causa est, quod capitis lepræ innasci solent achores (quæ vulgo vocatur *tinea*), puta ulcuscula quædam, quæ manant et stillant succum quemdam liquidiori melli similem : quod aperte indicat tali etiam sanie imbutam esse illis capitis cutem. Merito ergo tales inde capilli nascuntur, tenues, inquam, et flavi, uti et reliquis partibus, quæ salsa pituita imbutæ sunt, nascuntur albi. Causa illius saniei est bilis flavæ tenuis cum salsa pituita permixtio. Unde iis mulieribus, quæ tinea laborant, auro similes capilli oriuntur. Ita Valesius.

Tinea capitis, quæ ?

Tropologice, superiores lepræ hucusque morum vitia fuerunt : hæc vero est fidei, estque hæresis, quæ ut lepra et ut cancer serpit, sicut unius pecudis scabies totum commaculat gregem; statim ergo hæc tollenda et separanda est, ut ait S. Hieronymus in cap. v *ad Galat.* : « Scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, et fermentum a massæ vicinia semovendum, secandæ putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum : ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia statim non oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. »

Tropologice lepra capitis est hæresis.

Refert Gregorius Turonensis, lib. I *Miraculorum S. Martini*, cap. XI, et ex eo Baronius, anno Christi 560, quod rex Galliciæ cum subditis Ariana hæresi infectus a Deo punitus sit; nam regio illa lepra percussa est, et filius ejus Charraricus graviter ægrotare cœpit, ut solo spiritu palpitaret. Quare pater misit vota et dona ad S. Martinum, ejusque fidem orthodoxam amplexus est : inde filius ejus sanatus est, et plaga lepræ cessavit : « Nec unquam usque nunc, inquit Gregorius, lepræ morbus super aliquem apparuit. »

Lepra ergo in capite, est error circa divinitatem Christi; lepra in barba, est blasphemia in humanitatem Christi, ejusque Apostolos aut Prophetas : per barbam enim homines perfecti significantur, qui Christo capiti cohærent quasi barba, ejusque influxum proxime suscipiunt; de quo dicitur : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. » Capillus flavus et solito subtilior, est superba cogitatio et sui fiducia : sicut niger, est humilitas et obedientia; humilior carne locus, est erroneus articulus, qui veritate Ecclesiæ longe est inferior. Si cutis et locus æqualis sit, radendus est, id est, ei subtrahenda est facultas disputandi, ne infirmo adhuc ingenio tanta mysteria discutere præsumat, agnita jam veritate Ecclesiæ, in qua conquiescere, et cui suum judicium subdere debet. Locus autem maculæ radi prohibetur, ut erroris sui memoria homini relinquatur. Ita Radulphus et Isychius.

Rursum : Lepra in capite est arrogantia in mente; hæc enim est origo hæresis. « Septempliciter, inquit S. Bernardus, serm. 3 *De Resurrect. Domini*, occupavit nos lepra superbiæ : *primo*, in proprietate possessionum; *secundo*, in gloria vestium; *tertio*, in voluptate corporum : in ore quoque dupliciter, similiter et in corde : in ore, *quarto*, cum in adversis murmuramus; et *quinto*, cum in prosperis arroganter commendamus : in corde, *sexto*, propria voluntas; et *septimo*, proprium consilium » et judicium, quod est pater hæresis. Porro hæc lepra maxime viles et abjectos invadit, cum ad dignitates et fastigia evehuntur, uti experientia docet. « Compertum habeo humillimos quosque, maxime ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc C. Marius patrum memoria, hinc Diocletianus nostra, communem habitum supergressi sunt, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, insatiabilis est, » inquit Aurelius Victor, *De Cæsar.* Præclare S. Augustinus, *De Catechiz. rudib.* : « Magna, inquit, miseria est, superbus homo; sed major misericordia est humilis Deus. » Et lib. XIV *De Civit.* : « Audeo, ait, dicere, superbis utile esse cadere in aliquod apertum et manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Hinc ait Psaltes : Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. » Et S. Bernardus in *epist.* : « Humilitas, ait, homines similes angelis facit, et superbia ex angelis dæmones facit : et, ut evidenter ostendam, ipsa omnium peccatorum initium, finis et causa; quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. »

Viles ei evehantur, fiunt intolerabiles.

33. RADETUR, — ut clarius appareat post septem dies, an serpserit lepra. Vers. 33.

39. VIR SIVE MULIER, IN CUJUS CUTE CANDOR APPARUERIT. — Describitur hic vitiligo, id est macula simplex coloris candidi lucentis in cute, quæ non est lepra. Unde hebraice vocatur בהק *bohac*, id est lentigo, vel vitiligo in cute germinans. Vers. 39.

40 et 41. VIR DE CUJUS CAPITE CAPILLI FLUUNT, CALVUS ET MUNDUS EST : ET SI A FRONTE CECIDERINT PILI, RECALVASTER ET MUNDUS EST. — « Recalvaster » hic dicitur is, cui versus frontem capilli fluunt; « calvus, » cui toto capite, ita ut superne totus depilis fiat. Ita Isychius et Radulphus, et patet vers. 55. Ita etiam hæc distinguunt et vocant Chaldæa et Septuaginta. Vers. 40 et 41.

Vers. 42 et 43

42 et 43. SI AUTEM IN CALVITIO SIVE IN RECALVATIONE, ALBUS VEL RUFUS COLOR FUERIT EXORTUS, ET HOC SACERDOS VIDERIT, CONDEMNABIT EUM HAUD DUBIÆ LEPRÆ. — Hæ enim maculæ albæ vel rufæ, significant malignos succos, qui corrumpunt radices capillorum, et tales subinde sunt in maligna alopecia, sive ophiasi, id est profluvio capillorum, ex abundantia pituitæ, vel melancholiæ. Unde maligna hæc alopecia inter species lepræ numeratur. Ita Valesius.

Sexta species lepræ, quæ est in calvitio.

Est hæc sexta species lepræ, quæ scilicet est in calvitio.

Tropologice, capilli terrenam substantiam significant. Calvus ergo est, qui eam omnino dat pauperibus; recalvaster, qui eam retinet non ad voluptatem, sed ad necessitatem: in his color albus, id est cupido gloriæ; vel rubeus, id est crudelitas rapinarum, oriri possunt: hæc enim lepra oritur ex ipsis virtutibus, sicuti præcedentes ex vitiis. Ita Radulphus.

Vers. 44. Quinque præcepta data leprosis.

44. QUICUMQUE ERGO MACULATUS FUERIT LEPRA. — Quinque res hic præcipiuntur leproso, ut iis quasi signis dignoscatur, aliique eum cavere possint, ne ab eo inficiantur: *primo*, «habebit vestimenta dissuta; *secundo*, caput nudum; *tertio*, os veste contectum; *quarto*, contaminatum ac sordidum se clamabit; *quinto*, solus habitabit extra castra.»

Nota: Quædam horum præcipiuntur propter leprosum, quædam propter alios, quædam propter utrosque. Propter leprosum, ut habeat vestes dissutas, nudum rasumque caput; ut scilicet hac ratione exspirent putidi corporis et capitis vapores. Propter alios, ut habeat os tectum, et clamet se leprosum: nulla enim re magis inficere potest homo immundus, quam anhelitu et exspiratione quæ per os agitur. Propter utrosque, ut habitet extra castra, solus scilicet, ne aliis noceat; atque in libero aere, ut eo recreetur, et sensim curetur.

Vers. 45. An Judæi habuerint vestes undique consutas?

45. HABEBIT VESTIMENTA DISSUTA. — Hinc Abulensis censet Judæorum vestes olim fuisse undique consutas, ita ut eas induerent injecto desuper per caput capitio, eo modo quo hiacinthinam tunicam induebat pontifex, *Exodi* XXVIII, 32; ideo enim leproso assignatur hic vestis dissuta, quia sani habebant consutas. Sed hæc ratio non concludit: poterant enim sani habere vestes consutas a lateribus, sed in pectore apertas, et nodis, uncinis, vel ligulis adstrictas; leprosi vero variis in locis et lateribus eas dissuere debebant.

Judæi tecto capite orabant, Christiani nudo, cur?

CAPUT NUDUM. — Hinc censet Abulensis Judæos tecto capite incessisse etiam in templo, itaque orasse (unde et pontifex in templo caput cidari tegebat), ut capite tecto significarent suum timorem et subjectionem legis, legique quasi pileo se caput subjicere et involvere debere. E contrario in lege nova nudamus capita, in signum libertatis Christianæ. Unde Paulus, I *Corinth.* XI, 4: «Omnis vir, ait, orans velato capite, deturpat caput suum.»

OS VESTE CONTECTUM. — Chadæus vertit, *os ejus involvetur panno sicut lugens*, non quando est solus, sed quando appropinquat aliis, quos halitu inficere possit, tuncque, non alias, faciet id quod sequitur.

SORDIDUM SE CLAMABIT. — Abulensis putat non juberi, ut clamet voce, sed signis quatuor jam datis. Verum hoc non est proprie clamare. Unde Chaldæus diserte vertit, *clamabit: non contaminemini, neque immundi sitis.*

Vers. 46

46. SOLUS HABITABIT EXTRA CASTRA — in deserto, et extra urbes in Judæa; intellige nisi sit persona valde eminens. Nam Ozias lepra percussus, permissus est, utpote rex, habitare in domo libera seorsim, IV *Reg.* XV, 5: erat enim hæc domus ejus plane separata a populo, ut dicitur II *Paral.* XXVI, 21. Unde perinde erat ac si extra urbem habitasset. Quanquam S. Chrysostomus, homil. 4 et 5 *in* VI *Isaiæ*, docet Judæos peccasse, quod reveriti regalem dignitatem, regem Oziam procul extra urbem non expulerint: ideoque Deum illis subtraxisse prophetiam et prophetas usque ad mortem Oziæ; tum enim cœpit prophetare Isaias: nam in anno quo mortuus est Ozias, vidit Isaias illam illustrem visionem quam describit cap. VI, ut patet ibidem vers. 1. Sed de hac re in Isaia dicendum.

Sententia S. Chrysostomi de Ozia lepra.

Hinc patet falsum esse quod scribit Manethon, et alii Gentium historici, teste Josepho, lib. III *Antiq.* et lib. VII *Belli*, Hebræos fuisse colluviem scabiosorum ac leprosorum, quos proinde Ægypto pulsos Moses duxerit in Chanaan, præcipiens eis ut peregrinis non communicarent, ne videlicet eadem de causa Chananæis invisi fierent. Si enim ipsi fuissent tantum colluvies leprosorum, quomodo Deus jussisset eis leprosos a convictu suo separare?

Voluit Deus leprosos extra castra degere, tum ne alios inficerent, tum ut in hac solitudine ab omnibus destituti discerent ad Deum recurrere, eique dicerent: « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Didicit hoc sanctus ille Abbas in eremo, qui, ut legimus in *Vitis Patrum*, cum sexaginta annos fuisset leprosus, atque afferretur ei a quodam pecunia, qua se sustentaret, eam rejecit dicens: « Tu post sexaginta annos venis auferre nutritorem meum? Ecce tantum temporis habens in infirmitate mea nihil indigui, Deo tribuente et pascente me. » Atque hinc forte factum est ut leprosi, etiamsi divites sint, pane non proprio, sed mendicato vivant, tumque minus lepra sua crucientur (si verum est quod ipsimet asserunt). Est enim panis emendicatus, panis Dei et angelorum (ut ait S. Franciscus), instigantium eleemosynarios ad eum dandum, et pauperes ad petendum.

Tropologice Radulphus: Corpus leprosorum discooperitur, cum eorum iniquitas revelatur; caput nudatur, cum perversitatis illorum origo et radix exponitur; contaminatos se clamant,

etsi non sua confessione, utpote pertinaces, certe operum suorum confessione; ora eis clauduntur, dum omnibus confabulationem eorum execrantibus propinandi veneni facultas subtrahitur. Hæc omnibus peccatis, sed maxime hæresi conveniunt. Unus enim Lutherus, unus Calvinus, quia non fuit separatus, nonne multa regna sua lepra et hæresi infecit? Sic fornicator, sic ebriosus, suam lepram et vitium iis quibuscum versatur, affricat. « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam,» inquit Ecclesiasticus, cap. XIII; et: «Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.» Audi insigne Senecæ consilium, *epist.* 104 : « Si vis, inquit, vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est.» Item : « Hærebit tibi tumor, quamdiu cum superbo conversaberis; hærebit avaritia, quamdiu avaro convixeris; incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Cum Catonibus vive, cum Socrate, cum Zenone versare. »

Consortium malorum malum efficit.

Vers. 47. Septima species lepræ est lepra vestis vel domus.

47. VESTIS LANEA SIVE LINEA, QUÆ LEPRAM HABUERIT. — Est hæc septima lepræ species, sed analoga, scilicet lepra vestis vel domus, de qua cap. seq. vers. 35.

Qualis fuit hæc lepra? Sententia Valesii.

Quæres, quænam hæc fuerit lepra, et unde orta? Respondet Valesius, lepram morbum contagiosum esse, non minus quam pestem; sicuti ergo videmus pestis semina solere adhærere vestibus, cubiculis, domibus, poculis, lancibus (per hæc enim omnia accidit fieri infectionem): ita constat et lepram posse adhærere vesti et domui, esseque posse domum et vestem uti pestilentem, ita et leprosam. Rursum, sicut domus aut vestis fit pestilens, ita et fit leprosa altero duorum modorum. *Primo*, ex aeris infectione et corruptione; sicut enim vestes contrahunt tineam ex aere, ubi situ sunt obsitæ et non ventilantur, ita et pestem et lepram. Pari modo videmus vestes, ligna, parietes, flante Austro putrescere, flante vero Aquilone a putredine liberari; eaque de causa mulieres solent ad flantem Aquilonem vestes suspensas distendere, ut incorruptæ serventur. *Secundo*, ex contactu vel contagio leprosi; omnis autem contagio vel fit anhelitu, vel exhalatione et evaporatione vaporum putridorum, quæ fit per poros totius corporis, maxime per sudorem. Sic videmus speculum a muliere menstruata infici sanguineo colore, eo quod ab oculis ejus exeant spiritus quidam, et cum iis humiditates tenues sanguineæ, quæ in speculo condensantur, ut appareat in eo sanguineus color.

Duobus modis fit domus vel pestilens, vel leprosa. Primo. Secundo.

Hisce ergo modis leprosi inficere possunt vestes et domos, eisque lepram afflare. Unde expediet eis et vestes et domos mutare, versarique in aere puro et libero; licet enim res animatæ diversæ sint naturæ et temperiei ab inanimis, tamen ob communem naturam, qua utraque putredini sunt obnoxia, possunt sibi invicem communicare et affricare putrescentias non omnino similes, sed analogas, puta qualitates aliquas corrosivas aut putrefactivas, quæ sicut hominem, ita et vestem ac domum exedant et corrumpant.

Vitia cutis sanantur munditie vestium.

Quare ad omnia cutis vitia sananda optimum remedium est, ait Valesius, uti vestibus novis, mundissimis aut lotis crebro, usque adeo ut sola mundities satis esse soleat ad curationem : hinc capite sequenti iterata lotio præscribitur in purificatione leprosi, vers. 8 et 9. Sicut e contrario qui sordidis et putrescentibus jam vestibus utuntur, raro sunt liberi a scabie, prurigine, pediculis; nimirum potest uti vestis a cute, ita cutis a veste infectionem recipere, et utrumque seorsim putrescere, et ambo sordida cum sunt, computrefaciunt se mutuo.

Vestes ex lana morticinorum pediculos creant.

Denique in vestibus laneis aut pelliceis peculiaris quædam est causa, ob morbos animalium, ex quibus lana aut pelles detractæ sunt; nam scitum est illud, vestes ex lana morticinorum pediculos facere : pari modo et alias morborum infectiones efficiunt.

Secunda sententia Theodoreti, eaque verior.

Secundo, melius alii cum Theodoreto, *Quæst.* XVII, aliter de hac lepra sentiunt, scilicet Deum olim dum peccarent Judæi, lepram hanc infligere solitum vestibus aut domibus eorum, ut per eam possessores ad sanitatem mentis revocaret; itaque lepram hanc non tam naturalem fuisse quam plagam a Deo immissam. Videtur ergo lepra hæc fuisse tinea, vel qualitas quædam corrosiva (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quæ et vestes, et stannum, et ferrum exedunt et perforant), vel corruptiva, eaque proserpens, vestibus et domibus Judæorum a Deo vel per se, vel per causas secundas inflicta, ideoque videtur Judææ et Judæis fuisse pene propria, aliisque gentibus fere incognita. Id ita esse probatur, *primo*, quia jam nullam novimus lepram in domibus aut vestibus; nec enim domus et vestes naturaliter lepra infici solent, adeoque lepræ non sunt capaces. *Secundo*, quia experimur jam lepram quæ est in leproso, non diffundere se in ejus vestes et domum; alioquin enim omnes leprosorum vestes essent lepra infectæ, arrosæ et putrefactæ, cujus contrarium videmus. *Tertio*, pestis non inhæret, nec inficit vestem aut domum, ita ut eam interimat, consumat, uti interimit hominem; sed vesti et domui tantum adhæret, eamque reddit homini pestilentem, ita ut homo ex ea vapores pestilentes, qui ei adhærent, contrahat, pesteque inficiatur et consumatur; ergo pariter lepra non inhæret, sed adhæret tantum vesti aut domui; nec eam facit leprosam, sed homini tantum lepram afflare potest; olim autem lepra inhærebat domui et vesti, eamque vere leprosam faciebat : alia ergo ratione domus dicebatur tunc pestilens, alia leprosa; pestilens enim dicebatur causaliter, leprosa vero formaliter. *Quarto*, quia cap. seq., vers. 34, hæc lepra domorum vocatur *plaga*, scilicet a Deo immissa: hoc enim expresse significant ibi Hebræa, quæ sic habent, *si dedero* (scilicet ego Deus) *pla-*

Lepra hæc fuit tinea, sive qualitas corrosiva vestium.

Prob. Primo.

Secundo.

Tertio.

Alia ratione domus dicitur pestilens, alia leprosa.

Quarto.

Quarto. *gam leprœ.* Denique, licet jam cariem in lignis, calce et lapidibus experiamur, nullam tamen jam in iis lepram agnoscimus talem, quæ etiam novos solidosque lapides invadat, erodat et absumat, uti faciebat hæc lepra Judæorum, ut patet cap. seq. vers. 44, ubi jubentur omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, et novi substitui, qui si postea lepra infecti inveniantur, jubetur domus dirui.

Unde hæc novorum lapidum infectio? Utique non affricatione veterum, qui jam circumcirca sublati sunt; ergo a Deo et a vindicta divina, ergo lepra hæc non tam naturalis fuit, quam opus et plaga Dei: fateor tamen Deum in hac plaga infligenda uti potuisse (more suo) causis secundis, puta aere corrupto, leprosi contactu et similibus, uti explicuit paulo ante Valesius; sed ita ut hæc omnia vim propriam et adæquatam gignendi lepram in vestibus et domibus non habuerint, nisi singulariter concurrente et inoperante Deo. Loquor de lepra propria et perfecta; nam si lepram tantum intelligas tineam aliquam vestium vel cariem lignorum et lapidum, scimus hæc ex solis naturalibus causis provenire posse; atque hæc ipsa lepra hic quoque intelligitur, eratque secundum notas et signa hic præscripta dijudicanda. Magis tamen de lepra perfecta, et a Deo immissa hic loquitur Scriptura, uti dixi (1).

(1) Valesii sententiam refutavit Hebenstreit, in Dissert. altera, quæ *Curæ sanitatis publicæ apud Veteres exempla* proponit, Lips. 1783 : « Non video, inquit, quid peculiari lege tunc opus fuisset, cum eo ipso, quod leprosi homines ex societate civium removerentur, omnis quoque eorum supellex immunda et communi usui inepta evaderet. Præterea vero, quod maximum est, legislator pannorum et linteorum lepram pariter impuram pronuntiat, sive stamen tantum, sive subtegmen, sive utrumque corruperit. Eoque ipso agnoscit, fieri posse, ut in parte tantum panni labes hæreat, pars integra sit. Quod quo pacto in panno lepræ contagione corrupto contingere potuerit, difficulter dixeris. In ipsius certe materiei, panno conficiendo adhibitæ, vitio admittendo magis minusve idoneæ, diversitate, causa quæri non potest. Neque enim licitum erat Judæis, veste ex duplici materie, lana v. g. et lino contexta, uti (*Levit.* XIX, 19; *Deut.* XXII, 11). Vestem autem simplicis texturæ, sive mere lanea, sive linea tantum esset, totum certe occupasset lepræ virulentia, utpote per halitum et ulcerum saniem transfusa. Novimus nostris quoque temporibus morbis variis ægrotantium vestes ita contaminari, ut sanis illas induentibus certissimum periculum afferant. In his tamen morbis nullus est, cujus virus telam, quam attigit, non totam penetret, sed in stamine tantum, vel subtegmine consistat; nullus, qui in veste ab ægroto seposita, perinde ac in ea, qua corpus jam tegitur, latius serpat. Ipsa cancro consumptarum et sideratarum, id est, sphacelo affectarum partium teterrima licet sanies, nunquam tamen ultra linteorum partem eam, quam loco affecto proximam ab initio imbuerat, in illis a corpore demptis diffunditur. Quæ quum ita sint, nescio an morbi contagio recte tribui possit vitium illud vestium, cui lepræ nomen a Mose datum est. Putaverim potius vocabulum istud a corpore vivo ad corpora exanimia translatum fuisse, eadem sermonis licentia, qua nos quoque interdum utimur, dum v. g. arbores et saxa cancro adesa esse dicimus, quando in his aliquid humiditate, putredine, vel aeris intemperie corruptum est. Quod igitur ad illam pannorum laneorum lepram attinet, placet Michaelis (*Mosaisch. Recht.* tom. IV, § 211) sententia, existimantis, leprosam lanam dici eam, quæ ab ovibus morbo enectis vel scabiosis sumpta est. Usu enim constitit, hujusmodi lanam asperam esse et inutilem, ut etiam telæ ex tali materiæ confectæ paulatim hinc inde exedantur, et qui illis vestiuntur, periculum sanitatis addant. Similiter *coriorum* lepram, cujus meminit Moses, illud ipsum vitium fuisse putaverim, quod tum cæterarum animalium senio aut morbo consumptorum exuviis inhæret, tum bovinis præsertim pellibus ex armentaria lue conciliari solet. Illæ enim fragiles sunt, et sæpius semesæ quasi apparent, et sanitati non parum officiunt. »

Tropologice, leprosa vestis, id est liber et scriptura hæretica, est comburenda et exterminanda. Ita Radulphus. *Secundo*, generalius ac pulchrius ait idem Radulphus : Vestis nostra sunt opera justitiæ; de quibus dicitur *Psalm.* CXXXI, 9 : « Sacerdotes tui induantur justitiam, » quibus anima et honestam foris comparat famam, et intus coram Deo fovet conscientiam; estque duplex, linea, id est spiritualis, uti sunt meditatio, oratio, lectio; et lanea, id est corporalis, uti sunt opera misericordiæ. Vestis nostræ stamen (de quo vers. ult. et vers. 55, juxta Septuaginta), est intentio, quæ stat cum ad Deum et cœlestia dirigitur. Subtegmen est operum instantia, quibus sub hac intentione diversis temporibus insudatur: hæc quippe more subtegminis diversa subinde petit latera, nunc in dextram contemplationis, nunc vero in actionis sinistram se transferens. Pellis est carnis mortificatio. In his omnibus potest oriri lepra alba, id est inanis gloria; vel rufa, id est malitiosa invidia.

Tropologice, vestis linea est oratio, lanea est pia operatio, stamen est pia intentio, subtegmen subtilis varia bona opera etc.

Denique lepra carnis est libido et gula : hujus remedium est meditatio mortis et inferni, ut cogitet homo illud S. Augustini, tract. *De honestate mulieris*, cap. III : « Cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. » Lepra vestis est vestium splendor et luxus; nam in vestibus quærendus est calor, non color; necessitas, non pretium; utilitas, non subtilitas : remedium est cogitare ornatum hominis esse mores bonos et modestiam vestitus. Unde Clemens Alexandrinus ex Cæo, lib. II, cap. X, hasce virtutis et vitii pingit imagines : virtutem facit simpliciter stantem, candida veste indutam et pura, sola verecundia ornatam. Improbitatem contra pingit superflua et varia veste indutam, atque alieno colore exultantem. Laudo, ait Clemens, Spartanos, qui solis meretricibus floridas vestes, et aureum mundum gestare permisere, a probis mulieribus ornatus studium auferentes, quod solis meretricibus concederent se ornare. Lepra domus sunt filiorum et famulorum pravi mores : hi a patrefamilias disciplina coercendi sunt, et bona institutione virtus in domum inducenda est; nam, ut ait S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum* : « Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra

Lepra carnis est libido, lepra vestis est luxus vestium, lepra domus est vitiosa familia.

Remedia.

virtutis; hæc facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere. » E contrario, « repressa disciplina sævit impunita nequitia, » inquit S. Augustinus, serm. 15 *De Verbis Domini*.

LEPRA REPUTABITUR, — si manserit, postquam ostensa fuit sacerdoti (1).

Vers. 55. 55. FACIEM PRISTINAM NON REVERSAM. — « Pristinam, » quam scilicet habebat vestis, antequam esset infecta lepra; permanens enim in ea nota, indicat esse lepram, alias enim aliquo modo mutasset colorem. Unde sequitur :

EO QUOD INFUSA SIT IN SUPERFICIE VESTIMENTI, VEL PER TOTUM LEPRA. — Lyranus putat hic corruptam esse nostram versionem : nam pro *in superficie, vel per totum*, hebraice est, *in calvitio vel recalvatione*. Verum dico esse metaphoram Hebræam. Hebræi enim domui tribuunt ea quæ sunt hominis, puta manus, pedes, caput, calvitium ; sicut ergo calvitium vocant, cum tota superficies capitis est depilis; recalvationem vero, cum tantum anterior pars circa frontem est calva, ut patet vers. 41 : ita et in vestibus recalvatio significat superficiem ejus extimam, hæc enim nobis est quasi anterior; calvitium vero significat superficiem ejus intimam, quæ nobis est quasi posterior. Unde Septuaginta vertunt, *in stamine vel subtegmine*, uti et habent Hebræa, Latina et Chaldæa, vers. ult. in anacephalæosi lepræ vestium : hinc et Vatablus vertit, *in parte anteriore vel posteriore vestis;* et Chaldæus, *in vetustate vel novitate sua:* anterior enim pars vestis, quia teritur et tractatur, fit vetustior; interior vero, quia non tangitur nec teritur, manet quasi nova.

Vers. 56. 56. SIN AUTEM OBSCURIOR FUERIT LOCUS LÈPRÆ (si lepra in domo videatur obscurari), ABRUMPET EUM. —Sic tropologice expedit homini, ut eo munere privetur, ob quod lepra superbiæ obscuratur. Unde S. Benedictus in *Regula* jubet ut, si monachus arte aliqua aut officio extollitur, inde avellatur, et alteri mancipetur, inquit Radulphus.

Vers. 57. 57. QUOD SI ULTRA APPARUERIT, etc., LEPRA VOLATILIS ET VAGA (similis illi in homine, de qua vers. 12) DEBET IGNE COMBURI. — Ex hujus loci sensu mystico Tertullianus, libro *De Pudicitia*, cap. XXI, conatur probare mœchos, qui relapsi sunt, non esse recipiendos ad pœnitentiam; hoc enim mystice esse quod hic dicitur, vestem, si rursum in ea apparuerit lepra, esse comburendam, quia indicium est perseverantis lepræ, id est perseverantiæ in peccato mœchiæ : hæc enim est lepra.

Tertullianus hinc probat mœchos relapsos non esse recipiendos; sed perperam.

Verum hinc tantum colligi potest mœchum non esse recipiendum quamdiu apparet in eo lepra, id est mœchia. Si enim hæc per resipiscentiam tollatur, jam amplius in eo non erit lepra comburenda, sed pœnitentiæ puritas ab Ecclesia amplectenda.

59. QUOMODO MUNDARI DEBEAT VEL CONTAMINARI, — id est, quomodo censeri et judicari debeat munda, vel contaminata; sic enim hæc duo verba toto capite accipiuntur. Vers. 59.

Symbolice, lepra hoc capite descripta, fuit typus carnis Christi, flagellis et plagis dilaniatæ et defiguratæ. Christus enim lepram nostram, id est peccatum, in se luendum suscepit, unde in cruce factus est quasi leprosus. Sic enim ait Isaias, cap. LIII, vers. 4 : « Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum, » idque *primo*, quia sicut leprosus toto corpore lepra maculatus, sui horrorem intuentibus incutit : ita Christus toto corpore flagellis et vulneribus lividus, horrorem simul et commiserationem aspicientibus commovebat, ut merito Pilatus eum Judæis proponens, dixerit : « Ecce homo. » Lepra est caro Christi dilacerata, ob octo analogias. Prima.

Secundo, leprosus habebat vestes dissutas : ita milites sciderunt vestes, quin et carnem Christi. Secunda.

Tertio, leprosus habebat caput nudum : ita Christus nudo fuit capite, sed spinea corona coronato. Tertia.

Quarto, leprosus habebat os veste contectum; de Christo ait Isaias : « Quasi absconditus vultus ejus; » rursum : « Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Quarta.

Quinto, leprosus se leprosum et sordidum clamare debebat; Christus totus cruentus quid clamat? nisi : « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus! » Quinta.

Sexto, leprosi caro erat vilissima et abjectissima; Christus ait : « Ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Similis fuit Christus S. Job qui, sedens in sterquilinio, non fuit agnitus ab amicis, quia « non erat ei aspectus, » eratque despectus, et novissimus virorum. Sexta.

Septimo, lepra solebant puniri superbi; et Christus nostræ superbiæ, quasi lepræ speciem gessit, eamque curavit sua hac abjectione : ejus enim livore curata est plaga superbiæ nostræ. Septima.

Octavo, leprosi urbe pellebantur, nemo eos aditu, congressu, sermone dignabatur, omnes illos aspernabantur, et quasi pestem fugiebant : ita Christus, quasi leprosus, extra portam ejectus et crucifixus est, *Hebr.* XIII, 12, et *Psalm.* XXXVII, 12 : « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt (hebraice est, *ex adverso plagæ meæ;* S. Hieronymus vertit, *quasi contra lepram meam steterunt*), et qui juxta me erant, de longe steterunt. » Octava

(1) Vers. 48. Vocibus *stamine* et *subtegmine* non indicantur panni texti, sed fila texenda, ad id parata et destinata. Id patet vers. 52, qui comburi jubet sive stamen, sive subtegmen vitiosæ vestis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur ritus lustrationis, quo legaliter expiandus est leprosus, et lepra jam curata in homine, vers. 2, *et in vestibus ac domibus, vers.* 34.

Ritus lustrationis. *Ritus erat hic : primo, expiandum aspergebat sacerdos sanguine passeris, per alium passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco et hyssopo : mox passerem vivum avolare sinebat, vers.* 5; *secundo, expiandus lavabat vestes suas, radebat pilos corporis, ac lavabat seipsum, vers.* 8; *tertio, die octavo offerebat agnum pro delicto, et agnum pro peccato, et ovem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ, et olei sextario, vers.* 10. *Si mundandus esset pauper, pro hisce jam dictis offerebat agnum pro delicto, et duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum cum tribus decimis similæ, et olei sextario, vers.* 21; *quarto, sanguine agni tingebat sacerdos aurem dextram mundandi, et pollices dextræ manus et pedis; quinto, ex oleo aspergebat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundebat super extremum auriculæ dextræ, et super pollices manus ac pedis dextri, et super caput expiandi.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est : Adducetur ad sacerdotem ; 3. qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, 4. præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum. 5. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes; 6. alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, 7. quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur, et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet. 8. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, et lavabitur aqua, purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus, 9. et die septimo radet capillos capitis, barbamque et supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus et corpore, 10. die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, et seorsum olei sextarium. 11. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, 12. tollet agnum, et offeret eum pro delicto, oleique sextarium, et oblatis ante Dominum omnibus, 13. immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, et holocaustum, id est in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia : Sancta sanctorum est. 14. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis; 15. et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, 16. tingetque digitum dextrum in eo, et asperget coram Domino septies. 17. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri, et super sanguinem qui effusus est pro delicto, 18. et super caput ejus. 19. Rogabitque pro eo coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato; tunc immolabit holocaustum, 20. et ponet illud in altari cum libamentis suis, et homo rite mundabitur. 21. Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos; decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, et olei sextarium, 22. duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum; 23. offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino; 24. qui suscipiens agnum pro delicto et sextarium olei,

levabit simul. 25. Immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, et super pollices manus ejus ac pedis dextri; 26. olei vero partem mittet in manum suam sinistram, 27. in quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino; 28. tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, et pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto; 29. reliquam autem partem olei, quæ est sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum; 30. et turturem sive pullum columbæ offeret, 31. unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis. 32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui. 33. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 34. Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, 35. ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet : Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. 36. At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, et videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea ut consideret lepram domus; 37. et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, 38. egredietur ostium domus, et statim claudet illam septem diebus. 39. Reversusque die septimo, considerabit eam; si invenerit crevisse lepram, 40. jubebit erui lapides in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem in locum immundum; 41. domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum, 42. lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum. 43. Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis erasus, et alia terra lita, 44. ingressus sacerdos viderit reversam lepram, et parietes respersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus, 45. quam statim destruent, et lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum. 46. Qui intraverit domum, quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum; 47. et qui dormierit in ea, et comederit quippiam, lavabit vestimenta sua. 48. Quod si, introiens sacerdos, viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate, 49. et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, et vermiculum atque hyssopum; 50. et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, 51. tollet lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies, 52. purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo. 53. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, et jure mundabitur. 54. Ista est lex omnis lepræ et percussuræ, 55. lepræ vestium et domorum, 56. cicatricis et erumpentium papularum, lucentis maculæ et in varias species, coloribus immutatis, 57. ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

Vers. 2. 2. HIC EST RITUS LEPROSI, QUANDO MUNDANDUS EST, — *q. d.* Hanc cæremoniam adhiberi jubeo, cum leprosus, id est is qui ante judicatus fuerat a sacerdote leprosus; postea apparuerit mundus a lepra, sive quia male judicavit sacerdos, sive quia naturaliter aut miraculose curatus est a lepra, uti multi a Christo curati sunt. Nota *mundandus est,* id est legaliter expiandus est, et restituendus communioni aliorum hominum. Unde hebraice est, *in die purificationis suæ* : nam « lepra præsupponitur jam esse purgatus, ut patet vers. 3. Sacerdos enim Aaronicus lepram curare non poterat, sed tantum curatam esse declarabat, ac deinde eum qui leprosus fuerat legaliter purificabat, ac restituebat convictui hominum et tabernaculo. Major est potestas sacerdotum Christi, qui lepram spiritalem, id est peccatum, in Sacramento pœnitentiæ curare et abolere possunt. Ita S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerd.*

Vers. 4. 4. UT OFFERAT DUOS PASSERES VIVOS PRO SE, QUIBUS VESCI LICITUM EST (1).— Hebraice טְהֹרוֹת *tehorot,*

(1) Cæterum hebræa vox sumenda est significatione primaria, qua in universum *aves* denotat, itaque fit ut vox *tehoroth* non sit inutilis redundantia. Pro *quibus vesci*

id est *mundos;* passeres enim non sunt numerati cap. XI inter immundas aves : erant ergo mundi, « quibus vesci licitum est. »

Passer significat Christum et justum ob quinque analogias.

Symbolice, passer expiatorius est Christus, et quivis justus, idque *primo,* propter prudentiam quoad partem rationalem. Passer enim nidificat in tectis domorum, et non in imo, ne fœtus rapiantur a serpentibus : sic justi mente habitant non in terra, sed in cœlo. *Secundo,* justus dicitur passer ob temperantiam quoad vim concupiscibilem. Passer enim non facile laqueis irretitur, nec per ingluviem ventris escarum ambitione decipitur : sic justi escis non indulgent, sed carnem macerant jejunio. *Tertio,* propter patientiam quoad vim irascibilem : nam ut ait Philosophus, passer non albescit nisi in infirmitate; sic justi in adversis albescunt : nam « virtus in infirmitate perficitur. » *Quarto,* Christus et justus ait cum Davide : « Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. » A vita enim mundi se subducit ad secretum conscientiæ, orationis et compunctionis. *Quinto,* idem cum eodem dicit : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, » scilicet dæmonum et persecutorum. Sic anima Martyris per martyrium e laqueis diaboli eripitur, inquit S. Augustinus in illud *Psal.* CXXIII, 7.

Vers. 5.

5. ET UNUM EX PASSERIBUS IMMOLARI JUBEBIT. — Hebraice est *jugulari :* neque enim erat hic proprie sacrificium quod Deo offerretur, cum fieret extra castra, longe ab altari; sed tantum hæc occisio passeris fiebat ad excipiendum ejus sanguinem, ut eo tingeretur leprosus expiandus. Unde non a sacerdote, sed sacerdotis jussu fiebat hæc occisio, ut patet ex verbo *jubebit.*

Aquæ vivæ sunt fontanæ vel fluviales : cur?

SUPER AQUAS VIVENTES, — id est, fontanas vel fluviales, quæ moventur et fluunt : quia enim in viventibus motus est signum vitæ, hinc per catachresin aquæ quæ moventur et fluunt, vocantur vivæ; e contrario quæ non fluunt, sed stant, vocantur mortuæ, ut paludes et stagna. Jubetur ergo hic passer expiatorius leprosi, immolari super aquas vivas, quæ sunt in vase fictili, quia hæ sunt puriores, ideoque purificationi aptiores.

Vers. 6 et 7.

6 et 7. ALIUM AUTEM (passerem) VIVUM CUM LIGNO CEDRINO ET COCCO, ET HYSSOPO TINGET IN SANGUINE PASSERIS IMMOLATI, QUO ASPERGET ILLUM,

Aspergillum leprosi quale?

QUI MUNDANDUS EST, SEPTIES. — Aspergillum hoc quo expiabatur leprosus, erat tale : virgæ cedrinæ alligabatur in summo passer vivus, ita ut cauda emineret in extremo, caput vero esset aversum, versumque versus manubrium : huic virgæ simul cum passere alligabatur coccus et hyssopus; ita summitas virgæ, id est passeris cauda et alæ cum cocco et hyssopo mergebantur in aquam vivam sanguine passeris occisi infectam; deinde educebatur hæc summitas virgæ, eaque aspergebatur purificandus.

Quæres, quid hæc omnia ad litteram et symbolice significent?

Symbolica expositio aspergilli.

Respondeo *primo,* lignum cedrinum hic adhiberi, quia est incorruptibile : unde apte significabat leprosum a corruptione lepræ mundatum esse; sic *secundo,* et vermiculus, sive coccus bis tinctus (et, ut Septuaginta addunt, *retortus*) qui vivacissimi est coloris rubei, significabat sanguinem et sanitatem carni ejus esse restitutam; idem *tertio,* significabat passer vivus, qui avolare sinebatur, scilicet vitam carni redditam esse, hominemque liberum factum a lepra, ad viventium et mundorum consortium jam admitti. *Quarto,* adhibebatur hyssopus, quia ipsa aptissima est aspersioni sanguinis, quæ hic facienda erat.

Quæres *secundo,* quid hoc aspergillum significet allegorice?

Allegorice lepra est peccatum, cedrus crux, coccus sanguis Christi, hyssopus gratia Spiritus Sancti, passer vivus est deitas, moriens est humanitas Christi; aqua viva est baptismus.

Respondeo : Lepra est peccatum; hæc expiatur *primo,* per lignum cedrinum, quod est fortissimum et imputribile, id est per crucem Christi, quæ omnia vicit et superavit; *secundo,* per coccinum, id est per sanguinem passionis Christi; *tertio,* per hyssopum quæ boni odoris est, id est per gratiam Spiritus Sancti, quæ cooperatrix est emundationis nostræ; *quarto,* per passerem vivum, id est per divinitatem Christi; *quinto,* per passerem morientem, id est per humanitatem Christi immolatam : hujus enim morte vivificatur peccator; *sexto,* per aquas vivas baptismi. Ita Isychius, Radulphus et Theodoretus, *Quæst.* XIX. Unde Jansenius in *Psal.* L, 9, hæc omnia complectens, Christoque crucifixo adaptans : « Christus, inquit, in ligno crucis charitatis vinculo ligatus, vera est hyssopus, ligno cedrino per filum coccineum colligata; Christus enim sua humilitate inflationem cordis nostri sanat, sicut hyssopus herba humilis prodest purgandis et sanandis præcordiis : hæc hyssopus tincta in cruce proprio sanguine, aspergit per fidem credentes in ipsum juxta illud *Isaiæ* LII, 15 : Ipse asperget gentes multas; hinc et David orat : Asperges me hyssopo, et mundabor; cupiens scilicet perfecte mundari : in veteri enim lege purificabantur immundi, vel aspersione, vel ablutione. » Hactenus Jansenius.

Tropologice hyssopus est fides, cedrus spes, coccus charitas, passer vivus est humilitas, moriens est mortificatio, aquæ vivæ sunt lacrymæ pœnitentiæ.

Quæres *tertio,* quid hoc aspergillum significet tropologice?

Respondeo : Hyssopus est fides, cedrus est spes, coccinum est charitas, passer vivus est humilitas, passer moriens est mortificatio, aquæ vivæ sunt lacrymæ pœnitentis; hisce enim a lepra peccati emundamur. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XXXIII *in Num.,* Radulphus et Rupertus. Hyssopus namque herba humilis radicibus hæret in petra : unde apte fidem quæ Deo Deique veritate infallibili nititur, significat; cedrus altissime se erigit : hinc spei est symbolum; coccinus rubet instar ignis : talis est charitas. Porro hæc omnia tinguntur sanguine, quia per passionis Christi vim, efficaciam, memoriam hæ omnes virtutes excitantur. Ita Radulphus. Vere dixit Abbas Pastor in

licitum est, in hebr. est חיות, quod hic significare videtur *bene valentes,* aut aves *nullo morbo affectas.*

Vitis Patrum : « Humilitas est terra, in qua Dominus sacrificium fieri demandavit; » et Abbas Hyperichius : « Arbor vitæ est in excelsum, et ascendit ad eam humilitas; » et Abbas Sisois : « Non est magnum si mens tua sit cum Deo; sed magnum est, si te videas infra omnem creaturam. »

QUO ASPERGET ILLUM, QUI MUNDANDUS EST (qui legaliter expiandus est, ut dixi vers. 2), SEPTIES. — Passim in hisce lustrationibus, septies fiebat aspersio, ut patet cap. IV, vers. 13, et hoc cap. vers. 7, 15, 16, et cap. XVI, vers. 16 et 19, ut per hoc plena significaretur purgatio, expiatio et remissio peccatorum. Unde et septenarius hebdomadum signat et efficit pentecosten, in qua Spiritus Sanctus plenam in Apostolis effecit peccatorum et vitiorum emundationem. Ita Isychius.

UT JURE PURGETUR, — ut rite et legitime, puta juxta legem et ritum hic sancitum, purgetur.

ET DIMITTET PASSEREM VIVUM, UT IN AGRUM AVOLET, — ut hac avis libertate significetur homo liber a lepra, ut dixi vers. 6. Sic allegorice deitas in Christi passione libera fuit. E contrario S. Antonius dæmonem comparat passeri capto et irretito : « Dæmon, ait, sicut passer irretitus, tenetur et constringitur a Christo. Christiani ergo Christo nixi dæmonem non timeant, sed rideant. »

Vers. 8. 8. CUMQUE LAVERIT HOMO VESTIMENTA SUA, RADET OMNES PILOS CORPORIS, ET LAVABITUR AQUA. — Causam physicam et medicam hujus lotionis dedi cap. XIII, vers. 47.

Tropologice. Tropologice, peccator lavat vestimenta, cum exteriorem conversationem sanctificat; pilos radit, cum carnis concupiscentias resecat; lavat corpus, cum operibus illicitis consensum in conscientia non præbet. Ita Radulphus et Rupertus; sic et Isychius : « Pilos, ait, radere, est cogitationes omnes veteres secludere; vestimenta lavare, est actiones suas depurare. »

PURIFICATUSQUE INGREDIETUR CASTRA, ITA DUNTAXAT UT MANEAT EXTRA TABERNACULUM SUUM (domum suam) SEPTEM DIEBUS. — Idque ad hoc, ne, si forte adhuc quid lepræ lateat, illud in alios, et maxime in uxorem per usum matrimonii, aliumve contactum transmittat.

Vers. 9. 9. ET DIE SEPTIMO RADET CAPILLOS. — Secunda est hæc rasio, uti lotio; prima enim facta est vers. 8.

Vers. 10. 10. ASSUMET DUOS AGNOS IMMACULATOS, ET OVEM ANNICULAM ABSQUE MACULA, ET TRES DECIMAS SIMILÆ, etc., ET OLEI SEXTARIUM. — Nota : Leprosus hic jubetur in purificatione offerre tres oviculas, primam pro delicto, secundam pro peccato, tertiam in holocaustum. Hinc et tres decimas, sive tria gomor similæ jubetur offerre; nam cum quoque animali offerenda erat decima una, sive unum gomor similæ in mincha, id est, in sacrificium farreum.

Sextarius Judaicus an Nota : Sextarius, hebraice לוג *log*, erat mensura liquidorum, eratque duodecima pars *hin*, sex ovorum capax, sati pars vicesima quarta. Sextarius enim Hebræorum æqualis erat sextario Attico, ac proinde continebat sesquilibram, id est, 18 uncias, ut vult Robertus Cenalis, aut potius libram cum quarta parte, ut vult Vilalpando *De Apparatu Templi*, part. II, lib. III, cap. VII. Unde gomor, continens 7 sextarios cum quinta parte, continebat 8 libras circiter, ut dixi *Exodi* cap. XVI, vers. 16. Quare sextarius frumenti in Judæa appendebat uncias 20. *Frumenti* dico; nam sextarius farinæ non appendebat tot uncias, eo quod moles farinæ major sit mole frumenti, ex quo facta est; sextarius vero vini appendebat uncias 20, olei autem 16, inquit Vilalpando, lib. III, cap. XXI. Verum verius est sextarium Hebraicum minorem fuisse Romano et Attico, et tantum continuisse uncias 13 cum dimidia aquæ, aut vini, uti ostendam in fine libri.

æqualis erat Attico?

12. OFFERET EUM PRO DELICTO, OLEIQUE SEXTARIUM. — Nota : Τὸ *offeret* hic non est idem quod « sacrificabit; » nec enim olei sextarius Deo sacrificabatur. « Offeret » ergo idem est quod elevabit ea ritu *tenupha*, uti mox dicam, coram Domino; ac deinde, ut dicitur vers. seq., agnum eidem jugulabit et immolabit. Vers. 12.

ET OBLATIS ANTE DOMINUM OMNIBUS. — Hebraice est, *et agitabit ea*, תנופה *tenupha*, *coram Domino*. Erat *tenupha* cæremonia, sive ritus certus offerendi victimam, et mincha ante immolationem, qualis jam est in offertorio Missæ ante consecrationem, de quo dixi *Exodi* cap. XXIX, vers. 24, 26, 27. Ritus *tenupha* quid?

13. IN LOCO SANCTO, — in atrio tabernaculi juxta altare holocaustorum, ante Sanctum. Vers. 13.

SICUT ENIM PRO PECCATO, ITA ET PRO DELICTO AD SACERDOTEM PERTINET HOSTIA, SANCTA SANCTORUM EST. — Est hysterologia, sive inversus ordo; nam τὸ *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet jugulari et immolari debeat hostia pro delicto in loco sancto. Causa hæc est, quia hostia pro delicto Sancta sanctorum est. Hæc ergo sic ordinanda et connectenda sunt, *q. d.* Ideo volo immolari hostiam pro delicto in loco sancto, quia Sancta sanctorum, id est sanctissima, est : unde et eam, uti et hostiam pro peccato, a sacerdote comedi volo, non a laicis, uti fiebat in hostia pacifica. Id ita esse patet ex cap. VI, vers. 25, ubi idem prorsus ordine jam dicto, dicitur de hostia pro peccato : « Ista, ait, est lex hostiæ pro peccato : in loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino, Sanctum sanctorum est : sacerdos qui offert eam, comedet eam in loco sancto. »

14. DE SANGUINE HOSTIÆ PONET SUPER EXTREMUM AURICULÆ DEXTRÆ EJUS QUI MUNDATUR, — ut mystice significet aurem ejus purgandam esse, itaque præparandam ad obedientiam legis Dei. Pari modo unguntur manus et pedes, ad promptam et facilem ejusdem legis Dei executionem. Vers. 14.

16 et 17. ASPERGET CORAM DOMINO (coram ostio tabernaculi) : QUOD AUTEM RELIQUUM EST OLEI, FUN- Vers. 16 et 17.

DET SUPER EXTREMUM AURICULÆ, ET SUPER SANGUINEM, — qui scilicet adhæret, seu quo unctæ sunt aures et pollices mundandi. Id patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta; unde vers. 28 clarius id exprimit, cum ait : « In loco sanguinis qui effusus est pro delicto, » *q. d.* Non in alio loco, vel latere auris, sed directe super eam partem quæ tincta est sanguine, fundet et oleum (1).

Mystice, hac unctione olei quasi orabat sacerdos, ut Deus misereretur sanguinis, id est, vitæ et sanguinis leprosi jam mundati et juxta legem purificandi.

Vers. 18. Unctio olei erat tacita imploratio misericordiæ Dei.

18. ET SUPER CAPUT EJUS; — ut hoc ritu, puta hac effusione olei, tacite imprecaretur misericordiam Dei super caput ejus; oleum enim est symbolum misericordiæ.

Nota : Sicut victimæ pro peccato, et pro delicto cedebant sacerdoti, ut dicitur vers. 13 : ita et eidem cedebat sextarius olei, excepto eo quod aspergebatur coram altari, et quo tingebatur auris et pollices purificandi : sic et sacerdoti cedebat mincha, excepto pugillo ex qualibet decima, qui cremabatur Domino. Secus erat in hostia pacifica; hæc enim maxima ex parte cedebat offerentibus, ut patet ex dictis, cap. II, vers. 3.

Vers. 19. 19. FACIET SACRIFICIUM PRO PECCATO, — *q. d.* Secundum agnum sacrificabit pro peccato, sicut primum sacrificavit pro delicto, uti dixi vers. 10. Quomodo distinguantur delictum et peccatum, dixi cap. VII, vers. 1.

TUNC IMMOLABIT HOLOCAUSTUM, — puta ovem anniculam, de qua dixit vers. 10; prius enim per sacrificium pro peccato et delicto expiari debebat anima, ut deinde purum et gratum Deo offerret holocaustum.

Vers. 20. 20. PONET ILLUD IN ALTARI CUM LIBAMENTIS SUIS, — puta cum oblatione similæ, olei et vini; hæc enim sunt libamenta : similia libamenta intellige in sacrificio pro peccato, et pro delicto. Vide *Numer.* XV, 20.

Allegorice. Allegorice, duo agni et ovis annicula significabant perfectionem sacrificii Christi (animalia enim annicula perfecta sunt, et ad generandum idonea); sed quia mundandus fidem totius SS. Trinitatis profiteri debet, hinc cum tribus oviculis tres decimæ offeruntur, eæque oleo conspersæ, quia sacrificium hoc Filii Dei ob compassionem nostram gestum est. Sextarius, utpote una et æqua mensura, significat integritatem et sinceritatem fidei; sanguine Christi et oleo gratiæ ejus tingitur auris, ut auditum muniat : et manus, ut actiones : et pedes, ut motus et gressus dirigat et corroboret; denique reliquum super caput effunditur, ut sanctificationem toti corpori præstet, Christumque Domini mundatum efficiat. Ita Isychius.

Vers. 21. 21. QUOD SI PAUPER EST. — Pauperi qui mundatur a lepra, præcipit hic Deus, ut pro tribus oviculis offerat agnum pro delicto, et duos turtures aut duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum, eo ritu quem in oviculis præscripsit vers. 13.

Vers. 30 et 31. 30 et 31. ET TURTUREM, SIVE PULLUM COLUMBÆ OFFERET, UNUM PRO DELICTO. — « Delictum » hic noster Interpres confundit et sumit pro peccato; agnus enim proprie pro delicto, turtur vero non pro delicto, sed pro peccato offerebatur, ut patet ex vers. 22, et ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta hic.

Vers. 34. 34. CUM INGRESSI FUERITIS TERRAM CHANAAN, QUAM EGO DABO VOBIS, SI FUERIT PLAGA LEPRÆ IN ÆDIBUS. — Nam in deserto, ubi hoc tempore peregrinabantur Hebræi, non habebant ædes quæ possent infici; sed pelles, vestes et tabernacula, quæ si inficerentur lepra, servandæ erant etiam in deserto hæ leges et cæremoniæ circa lepram præscriptæ. Unde *Numer.* V, 2, in deserto jubentur a castris separari leprosi.

Lepra domorum, qualis.

SI FUERIT PLAGA. — Hebraice, *si dedero plagam lepræ*. Unde patet hanc lepram a Deo fuisse domibus, ob peccata in eis admissa, inflictam; ita Theodoretus, *Quæst.* XVII. Erat hæc lepra domorum non proprie, sed analogice lepra : erat enim qualitas vitiosa in domibus, eas arrodens et depascens, uti lepra in homine; unde eam simili modo et cæremonia, qua hominem, legaliter expiari jubet hic Deus. Vide dicta cap. XIII, 47 (2).

Lepra domus tropologice est corruptio familiæ.

Tropologice, lepra domus est corruptio fidei, vel morum in aliqua congregatione : hinc ex ea sacerdos et Parochus vasa ejicit, quia quoscumque potest ab illius societate disjungit, ideoque et claudere dicitur domum; cætera eadem sunt cum iis, quæ de aliis lepris dicta sunt cap. XIII. Vide Radulphum.

Vers. 37. 37. CUM VIDERIT IN PARIETIBUS ILLIUS QUASI VALLICULAS, PALLORE SIVE RUBORE DEFORMES, ET HUMILIORES SUPERFICIE RELIQUA. — Hæc signa lepræ in domibus eadem sunt quæ in homine, cap. XIII, vers. 3. *Valliculas* vocat fossas, sive cavitates erosas a lepra.

Nota : Pro *pallore*, Hebræa et Septuaginta habent *subvirides*.

Vers. 39 et 40. 39 et 40. REVERSUSQUE DIE SEPTIMO, etc., SI INVENERIT CREVISSE LEPRAM, JUBEBIT ERUI LAPIDES. — Jubetur hic ut domus leprosæ lapides infecti lepra eruantur, et novi pro iis substituantur, utque domus radatur, et nova calce obducatur : hoc facto si postea reversa videatur lepra, jubetur domus tota destrui, et lapides ac ligna projici extra oppidum; sin lepra non revertatur, jubetur vers. 48, purificari domus.

Tropologice, vitiosi ex congregatione sunt ejiciendi, et probi substituendi; si et illi inficiantur, congregatio tota abscindenda et evertenda est.

(1) Alii עַל vertunt hic *præter*, id est, partes illæ non solum sanguine, sed etiam oleo tingendæ erant.

(2) Sunt qui ædium ab efflorescente *nitro* erosionem aut cariem lepræ nomine a Mose insigniri censent.

Vers. 48. 48. QUOD SI INTROIENS SACERDOS, VIDERIT LEPRAM (latentem interius) NON CREVISSE (exterius se non extendisse, ac proinde nec apparere, nec esse vere lepram), PURIFICABIT EAM. — Idem ritus purificationis præscribitur hic in lepra domus, qui præscriptus est in lepra hominis, vers. 4 et seq.

Vers. 52. 52. PURIFICABIT EAM TAM IN PASSERE VIVO, — utendo scilicet passere vivo et aspergillo ad expiationem, uti dictum est vers. 6.

Vers. 53 et 56. 53, 54 et 56. ET JURE (rite, legitime) MUNDABITUR. ISTA EST LEX OMNIS LEPRÆ (de omni lepra) ET PERCUSSURÆ (hebraice נתק *netec*, id est *fractionis*; Septuaginta, θραύσματος, id est *convulsionis*, vel *rupturæ*, *q. d.* Quando in percussuram, vel ex percussura aut convulsione lepra irrepserit), ET CICATRICIS, — quando scilicet in cicatrice ulceris, aut vulneris innata fuerit lepra, uti dictum est cap. XIII, vers. 18: inde enim hæc repetit et supplet noster Interpres, quæ hic Hebræa subticent et subaudiunt (1).

(1) Vers. 57. Litt. *ad docendum* sacerdotem *die immundi et die mundi*, id est, de iis quæ ab eo agenda sunt die, quo declarandum est, sitne impurum aliquid an purum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur immunditia et purificatio: primo, seminiflui; secundo, vers. 16, *concumbentis; tertio, vers.* 19, *menstruatæ; quarto, vers.* 25, *hæmorrhoissæ.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 2. Loquimini filiis Israel, et dicite eis : Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. 3. Et tunc judicabitur huic vitio subjacere, cum per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor. 4. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit. 5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 6. Si sederit ubi ille sederat, et ipse lavabit vestimenta sua; et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 7. Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 8. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua; et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 9. Sagma, super quo sederit, immundum erit; 10. et quidquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 11. Omnis, quem tetigerit, qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua; et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur; vas autem ligneum lavabitur aqua. 13. Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, et lotis vestibus et toto corpore in aquis viventibus, erit mundus. 14. Die autem octavo sumet duos turtures aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti, 15. qui faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum; rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui. 16. Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, et immundus erit usque ad vesperum. 17. Vestem et pellem, quam habuerit, lavabit aqua, et immunda erit usque ad vesperum. 18. Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum. 19. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. 20. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum; 21. et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur. 22. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 23. Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum. 24. Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus

erit septem diebus; et omne stratum, in quo dormierit, polluetur. 25. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo. 26. Omne stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit, pollutum erit : 27. quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 28. Si steterit sanguis, et fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ; 29. et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, ad ostium tabernaculi testimonii : 30. qui unum faciet pro peccato, et alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro fluxu immunditiæ ejus. 31. Docebitis ergo filios Israel ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos. 32. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu, 33. et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis, qui dormierit cum ea.

Vers. 2. 2. VIR QUI PATITUR FLUXUM SEMINIS, IMMUNDUS ERIT. — *Vir*, hebraice *vir vir*, id est *omnis vir* : geminatio enim apud Hebræos significat collectionem universalem, et distribuit pro omni.

Seminiflui immunditia et purificatio. QUI PATITUR FLUXUM SEMINIS, — scilicet perdurantem, per morbum gonorrhææ (uti vocant medici), qui oritur ex debilitate naturæ et potentiæ retentivæ, uti docet Galenus, *De Locis affectis*, lib. VI; sicut eadem de causa accidit pollutio in somnis : illa enim obvenit vel propter imaginationem turpem et seminis abundantiam, vel propter debilitatem jam dictam; præsertim si quis tum biberit aquam, maxime calidam, paulo antequam incumberet : quia ista aqua laxat, dissolvit et debilitat potentiam digestivam et retentivam; quare iis consulendum est, ut paulo ante somnum nihil bibant, vel bibant potius vinum, inquit Abulensis. Abbas Moses in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. I, num. 6, dicebat : « Per has quatuor res pollutionis passio gignitur : *primo*, per abundantiam escæ et potus; *secundo*, per satietatem somni; *tertio*, per otium et jocum; *quarto*, per ornatum vestium; » hic enim gignit mollitiem tum in corpore ipso, tum in imaginatione, quæ pollutionem provocat. Quando pollutio sit peccatum, quando non, vide inter alios nostrum P. Lessium, lib. IV *De Justitia*, cap. XIV, docte enodantem (1).

Vers. 4. 4. OMNE STRATUM, IN QUO DORMIERIT, IMMUNDUM ERIT. — Quisquis, vel quidquid tangebat laborantem fluxu seminis polluebatur, fiebatque immundum.

Nota hic canonem : In lege veteri, qui vel quæ in se immunda erant, immunditiem suam transfundebant in tangentes : tales erant leprosi, seminiflui, menstruatæ, reptilia; quæ vero non in se, sed tantum per contactum rei immundæ immunda fiebant, hæc suam immunditiem non transfundebant in tangentes se : ut qui tetigerat reptile immundus erat, non tamen polluebat alium quem tangebat.

Vers. 8. 8. SI SALIVAM HUJUSCEMODI HOMO FECERIT SUPER EUM QUI MUNDUS EST, LAVABIT VESTIMENTA SUA. — « Lavabit, » non is qui jecit salivam, sed mundus qui eam excepit; hic enim hac saliva seminiflui quasi pollutus lavari et purificari debet.

Vers. 9. 9. SAGMA, SUPER QUO SEDERIT, IMMUNDUM ERIT. — « Sagma, » id est sella vel stratum. Unde Septuaginta vertunt, ἐπίσαγμα ὄνου, id est *stragulum asini*; olim enim asinis, vice equorum in Palæstina utebantur : hinc passim in Scriptura legimus de proficiscentibus : « Stravit asinum. » Chaldæus vertit, *omnis equitatura super quam equitaverit, erit immunda.*

Vers. 13. 13. SI SANATUS FUERIT. — Curatus a gonorrhæa, sive fluxu seminis, jubetur hic ad legalem sui expiationem lavare se et vestes, et die octavo offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, secundum in holocaustum.

Vers. 15. 15. QUI FACIET (immolabit) UNUM PRO PECCATO, — legali scilicet, puta ad legalem immunditiem ex fluxu hoc seminis contractam, expiandam, vide *Can.* 31. Rursum *secundo*, « pro peccato, » etiam vero et proprie dicto, si quod habeat necdum expiatum; hujus enim symbolum erat prius peccatum legale.

ROGABITQUE PRO EO CORAM DOMINO, UT EMUNDETUR A FLUXU SEMINIS SUI. — Hebraice est, *et expiabit eum sacerdos coram Domino a fluxu ejus*, id est, ab immunditia legali contracta ex fluxu seminis, qui jam transierat et desierat, uti hic supponitur. Eadem phrasis est vers. 30.

Vers. 16. 16. VIR DE QUO EGREDITUR SEMEN COITUS (*q. d.* Vir qui polluitur coitu, sive legitimo in matrimonio, sive illegitimo et illicito extra matrimonium), LAVABIT AQUA OMNE CORPUS SUUM. — Aliqui lotionem hic præcipi putant, non absolute, sed conditionate, si videlicet talis ita pollutus vellet ingredi sanctuarium : nam omnes istæ immunditiæ sta-

(1) Vers. 3. Hebr. est, *hæc erit immundities ejus in fluxu suo*, id est, in his, quæ mox nominantur, consistet immundities hominis, qui gonorrhæa laborat : *Si salivaverit*, seu *spuat caro ejus fluxum suum*, id est, si sponte semen fluat; *aut* si *semen fuerit obstructum a fluxu suo*, ita ut non sponte fluere possit.

tutæ sunt in ordine, et per respectum accessus ad sanctuarium aliasque res sacras. Unde Hebræi ita polluti modo non lavant se, quia modo non habent sanctuarium. Verum hoc recte refutat Abulensis, nam pari modo in aliis omnibus quæ hic præcipiuntur, immundi potuissent exspectare et deferre purificationem usque ad diem quo ingressuri erant sanctuarium. Quod falsum esse patet, vel ex eo qui tetigerit mortuum: hic enim certis diebus, puta tertio et septimo, debebat aspergi aqua lustrationis, *Num.* XIX, 19. Itaque hæc expiatio post coitum statim postero mane debebat fieri, scilicet debebant ita polluti totum corpus abluere. Sancit hoc Deus modestiæ et continentiæ causa, ut assiduitatem congrediendi etiam in conjugibus cohiberet sui purificandi molestia et pigritia, inquit Theodoretus.

Utentes conjugio debebant abluere totum corpus. Cur?

Vers. 22. 22. ET IPSE LOTUS AQUA IMMUNDUS ERIT USQUE AD VESPERUM, — non propter peccatum, quod hic nullum est, si usus sit legitime uxore sua, sed propter immunditiem legalem ortam ex actu conjugali, qui immundus est naturaliter, ideoque et legaliter.

Immunditia legalis alia peccatum erat, alia non, quæ?

Ubi nota duplicem fuisse immunditiem Hebræorum : una erat peccatum, quia præcepto Dei vetita; talis erat comedere carnes immundas, sanguinem, adipem: hæc enim vetita sunt, *Levitici* cap. XI. Rursum talis erat comedere morticinum, vel laniatum a bestiis, *Exodi* XXII, 31: hoc enim peccatum fuisse, patet *Levit.* XXII, 9. Talis etiam erat tangere morticina immundorum, et tangere reptilia, uti dixi cap. XI, vers. 43.

Altera immunditia erat quæ non erat vetita, sed solum indicata et statuta; talis erat tangere leprosum, mortuum, seminifluum. Talis etiam erat pati lepram, fluxum seminis, menstrua; nam de his non dicitur : Ne tangatis ea; sed: Qui tetigerit ea, immundus erit. Unde hæc non erant peccata, sed tantum inducebant irregularitatem quamdam legalem talibus, ut non possent ingredi sanctuarium ante sui expiationem, quæ expiatio præcepta eis erat; itaque tales non peccabant in ipso contactu et contaminatione sui, sed in neglectu expiationis præceptæ, si videlicet stato tempore se non expiarent. Hinc patet quas immunditias et expiationes etiamnum observent Judæi, quas non : nam priores adhuc servant, posteriores non : hæ enim tantum irregularitates quædam erant, arcentes eos a sanctuario; jam autem ipsi nullum habent sanctuarium; unde nulla jam eis est irregularitas, ac consequenter nec purificatio ad eam tollendam : itaque Judæi jam in suo errore et conscientia erronea (qua putant se adhuc judaismo et legibus hisce obstringi) permanentes ex hac sua conscientia non obligantur hisce posterioribus, sed tantum prioribus. Atque hæc de seminifluo.

Quas immunditias et expiationes servent adhuc hodie Judæi?

Tropologice. Tropologice : Seminifluus est doctor et concionator impurus, verbosus et importunus. « Semen *enim* est verbum Dei, » *Lucæ* VIII, 12; omnis ergo hæreticus, et pseudopropheta, et quisquis verbo Dei abutitur, seminis profluvium patitur; quia verbis sacris luxuriat ad suam laudem et ad plausum populi; sic Epicurei dicebant de Paulo : « Quid vult seminiverbius (græce ὁ σπερμολόγος) hic dicere? » *Actor.* XVII, 18. Stratum ejus est favor humanus; sedes est voluptas, quam ex eo percipit; saliva est carnis prudentia : quæ omnia coinquinant, tam ipsum, quam ejus discipulos. Semen coitus est sana et legitima doctrina : nam sicut vir et mulier una sunt caro, ita in collatione spiritali, doctor et auditor in uno spiritu copulantur. Vir ergo de quo hoc semen egreditur, lavet corpus suum, id est irreprehensibilem se in omnibus actibus faciat, utpote cujus officii est aliorum vitia corrigere et reprehendere : sic et mulier, id est auditor, debet pro viribus vitiorum sordes abjicere. Ita Radulphus et S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.* cap. XV. *Secundo*, S. Augustinus, lib. *De Bono conjugali*, cap. XX; Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*, et Rupertus generalius hæc accipiunt. « Per seminifluum, inquit S. Augustinus, lex significare voluit animum, suæ disciplinæ forma indecenter fluidum ac dissolutum, quem formari oportere significat, cum talem fluxum corporis jubet purificari. » Et Cyrillus : « Corporis, ait, fluor qui suppeditationem seminis ad nihilum perducit, et partium illarum firmitatem enervat, significat mentem, quæ nullum justitiæ fructum profert, sed assidue ad id quod officit dilabitur, et præcipiti lapsu ad res turpes corruit. » Particularius vero Rupertus : « Quid est, ait, fluxum seminis aut sanguinis pati, nisi detractoriis, aut etiam criminosis fluere verbis? »

Apophtheg. de garrulitate.

Consequenter seminiflui sunt verbosi et garruli. Vere Plutarchus in *Moralib.* : « Sicut semen, ait, quod statim effunditur, inutile est ad geniturum : ita sermo garrulorum ad nihil conducit. »

Zeno audiens adolescentem nimis garrulum : « Aures, inquit, in linguam defluxere. » Ostendit autem adolescentis esse audire multa, pauca loqui. Ita Laertius, lib. VII.

Isocrates, cuidam locuteleio quærenti cur duplicem mercedem ab eo oratoriæ artis studioso postularet, respondit : « Alteram peto ut loqui, alteram vero ut tacere discas. »

« In garrulo verborum flumen est, mentis gutta. Homines enim magnum possident vallum dentium ad coercendos leves sermones, » inquit Stobæus, *serm.* 36.

Zeno rursum multa garrientem ita corripuit : « Ob id binas habemus aures, et os unicum, ut plurima audiamus, loquamur autem paucissima. »

Idem e discipulis suis aliquos dicebat esse φιλολόγους, id est variæ rerum cognitionis studiosos; alios vero λογοφίλους, id est loquendi tantum studiosos.

Idem de frivolis garrienti dixit : « Nisi lingua

in mentem intincta disserueris, adhuc multo amplius dicendo delinques. »

Clearchus dicebat : « Quæ nolis audire, ea etiam ne dicito; quæ nolis dicere, ea ne audito quidem. » Aurium enim et linguæ magnum est periculum.

Apollonius dicebat, « loquacitatem multos habere errores, silentium autem tutum esse. » Idem rogatus : « Qui sunt optimi hominum? Qui, ait, in dicendo sunt brevissimi. »

Demosthenes cuidam in convivio multa loquenti : « Si tam multa, ait, sapuisses, nunquam tam multa locutus esses. »

Idem rogatus, « cur unam habeamus linguam, duas aures? Quia, inquit, duplo plus audiendum est, quam loquendum. »

Lycon aiebat, « sicut hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt, sic garrulos perpetuo obtundentes molestos esse auditoribus; » unde proverbium : « Hirundines (id est garrulos) tecto ne excipe. »

Archelaus tonsori garrulo roganti : « Quomodo te radam, o rex! Silendo, » inquit.

Alius Jurisconsulto loquaci dixit : « Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. »

Ausonius : « Sicut, ait, vascula inania maxime tinniunt, ita quibus minimum inest mentis et crisis, hi sunt loquacissimi. »

Æsopus dixit : « Loquacitatis finis est infortunium. »

Græci tradunt cornicem repulsam esse a Pallade, id est garrulitatem a meditatione et sapientia. Ita Pierius, *hieroglyph.* 20.

Apud Romanos Citeria effigies erat quædam arguta et loquax, quæ ridiculi gratia in pompa vehebatur. Unde M. Cato in Cæcilium : « Quid ergo, ait, dicerem amplius? quem ego denique credo in pompa vectitatum iri in ludis pro Citeria, ac spectatoribus sermocinaturum. »

Scripsit Plutarchus librum *De Garrulitate,* in quo inter alia hæc habet : « Alii sermones continent, garruli autem pleni sunt rimarum et perfluunt; deinde tanquam vasa, mente cassi, sono pleni obambulant. In eo sunt infelices, quod neque audiunt, neque audiuntur. Sermonis finis est, ut fidem faciat audientibus : nemo autem fidem habet loquacibus, etiamsi vera loquantur. Quod in corde sobrii est, id est in lingua ebrii; garrulitas periculosa est, odiosa et ridicula. Dicendi magistros habemus homines, tacendi autem deos, silentium in initiationibus mysteriisque, quasi per manus accipientes. Ægyptiorum rex cum Pittaco victimam misisset, jussissetque optimam ac pessimam carnem eximere, linguam exemptam remisit, quasi lingua tam malorum quam bonorum maximum sit instrumentum. Qui ingenuam regiamque adepti sunt eruditionem, primum silere, deinde loqui didicerunt. Discipuli Pythagoræ quiquennium tacebant. Locutum esse sæpe me pœnituit, ait Simonides, tacuisse nunquam. Silentium non solum sitim non conciliat, ut ait Hippocrates, verum neque tristitiam nec dolorem. » Seminiverbii ergo sunt seminiflui.

19. MULIER QUÆ, REDEUNTE MENSE, PATITUR FLUXUM SANGUINIS (menstrui), SEPTEM DIEBUS SEPARABITUR, — non extra castra; nam ejus rei nulla fit hic mentio, uti fit de polluto in somnis : hic enim jubetur egredi castra, *Deuter.* XXIII, 10; sed separabitur a communicatione hominum, idque per septem dies, non quod omnibus illis diebus sanguis fluat, sed quod non possit fluere ultra. Vers. 19. Mens. truatæ expiatio.

Nota : Menstrua sunt mulierum profluvium, et purgatio frigidi et indigesti humoris, quem natura quasi noxium expellit. Dicta sunt menstrua, quod quolibet mense mulieribus quæ ejus ætatis sunt ut possint concipere, soleant accidere; unde etiam menses appellantur. Menstruorum virus describit Plinius, lib. VII, cap. XV : « Nihil, ait, reperitur mulierum profluvio magis monstrificum; acescunt ejus superventu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, fructus arborum quibus insedere decidunt, speculorum fulgor ipso aspectu hebetatur, acies ferri perstringitur eborisque nitor, alvei apum emoriuntur, æs etiam atque ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aera, et in rabiem aguntur eo gustato canes, atque insanabili veneno morsus infigitur. » Merito ergo hic menstrua, et menstruata immunda censentur. Vide hic quid sit mulier etiam speciosissima, scilicet vas sordium, esca vermium. « Mulier speciosa, inquit Diogenes, est templum ædificatum super cloacam. » Menstruorum virus. Mulier speciosa est vas sordium.

Ita casta illa matrona monachi cujusdam tentationem libidinis sapienter elisit, dicens : « Nunc ego sum in menstruis, et nemo mihi appropinquare potest, neque odorari præ fœtore. » Testis est Joannes Moschus in *Prato Spirituali,* cap. CXV. Mulier ergo pulchra est sepulcrum dealbatum, splendidum exterius, sed interius sanie et sordibus plenum : has enim tegit et continet pellis ejus rosea et rubicunda.

20. OMNIS QUI TETIGERIT EAM, IMMUNDUS ERIT, — si sit grandior et compos rationis; nam infans tangens matrem puerperam, sugensque ejus ubera, non contaminabatur ejus contactu : hic enim excusat necessitas, et naturæ pietas, ætasque infantilis. Vers. 20.

23. OMNE VAS, — omne instrumentum : sic S. Paulus dicitur *vas electionis,* id est instrumentum electum; sic sacramenta dicuntur vasa, id est instrumenta, gratiæ. Vers. 23.

24. SI COIERIT CUM EA VIR TEMPORE SANGUINIS MENSTRUALIS, IMMUNDUS ERIT SEPTEM DIEBUS, — si videlicet res lateat : tunc enim occulte expiari poterit; sin autem res prodatur, ipseque accusetur et convincatur, tunc una cum femina occidendus est, uti præcipitur cap. XX, 18. Vers. 24.

25. MULIER QUÆ PATITUR MULTIS DIEBUS FLUXUM SANGUINIS, — puta hæmorrhoides, qualis fuit Vers. 25.

Hæmorrhoissæ expiatio. Hæmorrhoissa illa sanata a Christo, *Marc.* cap. v, vers. 26, hæc immunda est et naturaliter et legaliter.

Vers. 27. 27. QUICUMQUE TETIGERIT EA, — « ea, » scilicet stratum et vas. Ita Romana, Hebræa, Chaldæa; male ergo Plantiniana legunt *eam*.

Vers. 30. 30. QUI (sacerdos) UNUM (turturem vel pullum columbæ) FACIET (immolabit) PRO PECCATO. — Non quod fluxus ille menstruorum vere peccatum sit, sed quod sit legalis immunditia et legale peccatum: tale peccatum erat et lepra et fluxus seminis. Vide *Can.* 31.

ROGABITQUE PRO EA CORAM DOMINO, ET PRO FLUXU IMMUNDITIÆ EJUS, — ut scilicet liberetur ab immunditia legali quam ex hoc fluxu contraxit. Unde hebraice est, *expiabit eam a fluxu;* passim enim hoc capite et præced. purgatio hæc a peccato, de tali immunditia legali accipienda est. Quare non recte Abulensis hæc hoc versu, et similia vers. 15, sic exponit, *q. d.* Orabit pro fluxu sanguinis et seminis, ut scilicet ille sistatur et non redeat.

Tropologice. Tropologice, fluxus tam menstruorum quam sanguinis significat partim idololatriam, tum quia in ea, anima relicto Deo per innumera deorum portenta dilabitur; tum quia idolis sanguine etiam humano litabatur: ita Isychius; partim eos qui per terrena et carnalia desideria quibus æstuant, diffluunt in varias concupiscentias: hic fluxus enerves nos facit, et ne diabolo præcipitanti resistere possimus, invalidos reddit: hinc de tali anima dicit Jeremias, cap. II, 24: « Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis ejus invenient eam. » Ita Radulphus.

Abulensis in cap. XXI *Levit.*, Quæst. II, aliter hæc adaptat: « Leprosi, ait, fluentes semine, et menstruatæ significant excommunicatos excommunicatione majori; qui vero eos tangunt, significant eos qui minorem excommunicationem cum eis conversando contrahunt. » Unde et lepræ, id est excommunicationis, judicium tantum ad sacerdotes pertinet.

Vers. 31. 31. DOCEBITIS ERGO FILIOS ISRAEL, UT CAVEANT IMMUNDITIAM, ET NON MORIANTUR IN SORDIBUS SUIS, CUM POLLUERINT TABERNACULUM MEUM, — *q. d.* Caveant immundi ingredi tabernaculum meum; alioqui ego eos morte puniam propter sordes suas, quod scilicet, laborante sordido fluxu seminis vel sanguinis, ausi fuerint ingredi meum tabernaculum, illudque hoc ingressu suo suaque immunditia inficere et polluere.

Septuaginta vertunt, εὐλαβεῖς ποιήσατε ἀπὸ τῶν ἀκαθαρσίων αὐτῶν, id est, religiose caventes facietis filios Israel ab immunditiis suis; εὐλαβὴς enim et *religiosum*, et *cautum caventemque* significat (1).

(1) D. Hieronymus vertens *docebitis ut caveant*, confudisse videtur והזרתם cum וזהרתם. Sed recte Onkelos, *separabitis*, sive *facietis ut separent se*, id est, curabitis, vos sacerdotes, ut hoc faciant.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ritus in festo Expiationis. *Præscribitur ritus servandus in festo* כפורים Kippurim, *id est Expiationis. Expiationis hujus ritus et ordo (qui hoc capite satis est intricatus) erat hic: Primo, decima die mensis septimi, Pontifex veniebat ad sanctuarium adducens suum vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum. Secundo, lotis manibus et pedibus induebat vestes minorum sacerdotum, ac præsentabat vitulum et arietem Domino ad ostium tabernaculi. Tertio, aliqui e senioribus populi, nomine totius populi offerebant duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Quarto, Pontifex mittebat sortem super hircos uter offerretur, et uter esset emissarius. Quinto, sorte facta jugulabat Pontifex vitulum suum pro peccato oblatum et hircum populi in quem ceciderat sors, ut esset victima pro peccato. Sexto, hujus vituli et hirci sanguinem commixtum accipiebat, et ingrediens cum thuribulo thurificando Sanctum sanctorum, aspergebat sanguinem septies contra propitiatorium, orabatque pro peccatis tam suis, quam populi; interim carnes, et pelles ac fimus tam vituli, quam hirci ab alio quopiam elata extra castra ibidem comburebantur. Septimo, ex Sancto sanctorum regrediebatur in Sanctum, illudque expiabat tingendo eodem sanguine cornua altaris thymiamatis, et orando pro se et populo. Octavo, ex Sancto rediens ad atrium, sive ad ostium tabernaculi, caprum emissarium offerebat Domino, confitendo et capiti capri imprecando omnia peccata Israelitarum; mox caprum per certum hominem in desertum emittebat. Nono, deponebat vestes, lavabat corpus, induebat vestes pontificales, itaque immolabat arietem suum, et arietem populi in holocaustum Domino: sicque complebat cæremonias festi Expiationis.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt; 2. et præcepit ei, dicens : Loquere ad Aaron

fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) 3. nisi hæc ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret et arietem in holocaustum. 4. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit : accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti : hæc enim vestimenta sunt sancta; quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. 5. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. 6. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, 7. duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii; 8. mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario, 9. cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; 10. cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem. 11. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum; 12. assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta; 13. ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, et non moriatur. 14. Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem. 15. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi, 16. et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. 17. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cœtu Israel, donec egrediatur. 18. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum; 19. aspergensque digito septies, expiet, et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. 20. Postquam emundaverit Sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem; 21. et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum : quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. 22. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, 23. revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi, 24. lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo; 25. et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. 26. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua et corpus aqua, et sic ingredietur in castra. 27. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in Sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, et comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum; 28. et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aqua, et sic ingredietur in castra. 29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum : Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos. 30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris : coram Domino mundabimini; 31. sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua. 32. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et cujus manus initiatæ sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo : indueturque stola linea et vestibus sanctis, 33. et expiabit Sanctuarium et tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque et universum populum. 34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis

pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

Vers. 1. 1. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, POST MORTEM DUORUM FILIORUM AARON, — *q. d.* Mox a morte et strage sacerdotum novellorum, hæc de festo Expiationis sanxit Deus, ut hoc exemplo et vindicta cautiores deinceps redderet sacerdotes in exequendo officio suo, et lege quam hic statuit.

Quando et cur institutum est festum Expiationis? Resp. Hebræor. Quæres, quando et cur institutum sit hoc festum Expiationis?

Hebræi, quos sequitur Lyranus et S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 10, et Ribera, lib. V *De Templo*, cap. XI, putant hoc festum institutum esse in memoriam remissionis idololatriæ, qua Judæi vitulum aureum conflarant, *Exod.* XXXII, 4, ideoque celebrari decima die septembris, eo quod illo die Moses descenderit de Sina, ferens secundas legis tabulas, et denuntians populo peccati remissionem, Deumque eis jam esse placatum: putant enim ipsi Mosen ter fuisse in monte per 40 dies, ita ut universim ibi cum Deo fuerit 120 dies, hæseritque in monte usque ad decimum diem mensis septimi; nam Moses ascendit in montem septima die mensis tertii, uti dixi *Exod.* XXIV, 12, et *Exod.* XXXII, 19: inde numera 120 dies, pervenies ad decimum diem mensis septimi.

Refellitur. Verum hæc sententia falso nititur fundamento: nam *primo*, Mosen non ter, sed bis tantum fuisse in monte per 40 dies, scilicet semel ante primas tabulas, et *secundo* ante secundas, ostendi *Exod.* XXXIV, 28. Idem magis patebit *Deuter.* IX, 25. *Secundo*, quia diu post descensum Mosis de monte, ac promulgatam peccati veniam (quæ contigerunt anno primo egressus ex Ægypto, die 28 mensis quinti, uti ostendi *Exod.* XXXIV, 28), occisi sunt filii Aaron, videlicet fabricato jam tabernaculo, sub initium anni secundi; institutio autem hujus festi contigit post occisionem horum filiorum, uti hic dicitur.

Itaque cum erectum sit tabernaculum, et Aaron filiique ejus consecrati sint sacerdotes die primo mensis primi, anni secundi egressus Hebræorum ex Ægypto, ut patet *Exod.* XL, 12 et 15, inde die octavo occisi sunt filii Aaron, offerentes ignem alienum, ut patet *Levit.* X, 1, collato cum cap. IX, vers. 1; Deus autem hoc festum instituerit mox post cædem horum filiorum, uti hic dicitur: hinc sequitur Deum circiter die nono mensis primi instituisse hoc festum Expiationis, jussisseque illud celebrari die decimo mensis septimi.

Respondeo: Occasio hujus festi fuit peccatum Nadab et Abiu. Respondeo ergo *primo*: Occasio hujus festi instituendi fuit peccatum irreverentiæ, in tabernaculo admissum a filiis Aaron, offerentibus ignem alienum, ut hic insinuatur. Ad illud enim præcavendum, et ad reverentiam tabernaculi et sacrorum sanciendam et inculcandam, jubet hic Deus, ut non nisi semel in anno Pontifex Sancta sanctorum ingrediatur, ad tabernaculum expiandum, idque non nisi cum summa reverentia et præmissis multis ritibus et sacrificiis.

Causa festi fuit generalis expiatio peccatorum. Respondeo *secundo*: Causa festi fuit, ut eo fieret generalis expiatio omnium peccatorum, toto anno tam a sacerdotibus quam a populo admissorum; sicuti apud Christianos in festo Paschæ fit communis omnium expiatio, per confessionem omnibus indictam: cujus rei hoc festum Expiationis apertissimum fuit symbolum et figura, de quo plura vers. 29.

Nota: Judæi hoc festum non celebrarunt toto tempore 40 annorum, quo peregrinati sunt in deserto; nam post dedicationem tabernaculi, nulla amplius ab eis in deserto oblata fuerunt sacrificia, quæ tamen hoc festo hic jubentur offerri.

Vers. 2. 2. NE OMNI TEMPORE INGREDIATUR SANCTUARIUM QUOD EST INTRA VELUM, — puta intra sanctiorem tabernaculi partem, quæ ab interiori dirimitur velo, diciturque Sanctum sanctorum. Ex vers. 2, 19 et 33, et clarius ex epist. *ad Hebr.* IX, 7, colligitur semel tantum in anno, scilicet decima die mensis septimi in festo Expiationis, licuisse Pontifici ingredi Sancta sanctorum, idque non nisi cum incenso et prævis sacrificiis quæ hic præscribuntur; ut hac ratione loci, Deique ibi habitantis, reverentia et religio tam Pontifici quam populo incuteretur.

Opinantur aliqui id quod sancitur hic, ut nemo nisi summus Pontifex intret in Sanctum sanctorum, idque semel in anno in festo Expiationis, limitandum esse ad solemnem ingressum, quo solemniter res divina facienda erat in Sancto sanctorum; nam transacto illo tempore licuisse iis qui sanctitate erant insignes, ingredi Sanctum sanctorum. Sic enim S. Jacobum illud ingressum esse testatur Epiphanius, *hæres.* 78, et Hegesippus, lib. V, et ex eo Eusebius, lib. II *Histor.* cap. XXIII. Ita censet noster Christophorus a Castro in *Hist. Deiparæ*, cap. III, pag. 123, additque B. Virginem præsentatam in templo habitasse, vel certe orasse in Sancto sanctorum. Hoc enim diserte asserit Evodius successor S. Petri in cathedra Antiochiæ, apud Nicephorum, lib. II, cap. XXIII, et Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, orat. *De Oblatione Mariæ*. Accedunt Andreas Cretensis, *De Dormitione Deiparæ*, et Gregorius Archiepiscopus Nicomediæ, orat. *De Oblatione Mariæ*, qui dicunt B. Virginem in adytis seu penetralibus templi habitasse. Verum hæc limitatio videtur esse nimia legis laxatio; lex enim diserte dicit sancitque, ne summus Pontifex (multo minus quilibet alius sacerdos vel Judæus) unquam ingrediatur Sanctum sanctorum, nisi cum sacra peracturus est in eo, ad illud expiandum in die expiationis. Unde Abulensis hoc loco expresse docet nulli omnino nisi Pontifici licuisse ingredi Sanctum sanctorum,

excepto unico Mose, qui erat supra pontificem, utpote legislator et dux populi. Hic enim jussu Dei in dubiis ad consulendum Dei oraculum ingrediebatur Sanctum sanctorum, ibique Deum sibi ad singula ex propitiatorio respondentem audiebat, ut patet *Numer.* VIII, 79. *Secundo,* quia virgines Deo devotæ, inter quas habitavit B. Virgo Deipara, degebant in atrio ad ostium tabernaculi, ut patet *Exod.* XXXVIII, 8, et I *Reg.* II, 22. Quis ergo dicat illas omnes habitasse vel orasse in Sancto sanctorum? Idem videtur dicendum de B. Virgine, præsertim cum illo tempore arcana et incognita esset ejus sanctitas et dignitas, quod scilicet futura esset mater Dei; atque ipsa ex humilitate suam sanctitatem celans cæteris virginibus sese æquabat, imo submittebat, juxta illud: « Respexit humilitatem ancillæ suæ. » De S. Jacobo ingrediente Sanctum sanctorum quid sentiendum sit, dixi in procemio ejus epistolæ. Patres qui dicunt B. Virginem habitasse in adytis vel in Sancto sanctorum, omnes excepto uno Germano, qui nimis clare loquitur de Sancto sanctorum strictim accepto, per adyta et Sanctum sanctorum videntur accipere sanctuarium sive templum; hoc enim vocatur Sanctum sanctorum, id est Hebræa phrasi sanctissimum, comparatione facta cum domibus locisque profanis. Igitur B. Virgo habitavit in Sancto sanctorum, id est in templo, quod erat sanctissimum, puta in atrio: hoc enim erat templum laicorum; in eoque erat penetrale, id est habitaculum intimius et semotius, in quo habitabant virgines Deo et templo addictæ. Aut certe vocatur Sanctum sanctorum, quia illi forinsecus obversum erat aut cohærebat, sicut etiamnum habitacula annexa templo, templi nomine censentur. Orantes enim in templo, præsertim virgines sacræ, spectabant Deum in Sancto sanctorum residentem.

Allegorice. Allegorice, significabatur Christus hic suo sanguine ingressurus in Sanctum sanctorum, et cœlum reseraturus. Ita Apostolus, *Hebr.* IX, 12. Semel in anno illuc ingressus est Christus; nam annus in hoc legali sacrificio omnium temporum exprimit cursum et circuitum. Ita Radulphus.

Tropologice. Tropologice, in persona summi Pontificis, omnis, cum capite suo Christo, electorum Ecclesia designatur; ingredimur enim et nos qui vivimus Sanctum sanctorum, puta cœlum, non adhuc reipsa, sed per spem, meritum, desiderium et contemplationem: nubes humanitatem Christi, vel divinæ visionis profunditatem significat. Ita Radulphus.

Quænam nubes oraculi? QUIA IN NUBE APPAREBO SUPER ORACULUM, — super propitiatorium. Nota: In Sancto sanctorum tam tabernaculi quam templi, nulla erat fenestra, nulla lucerna aut lux, idque ad reverentiam tantorum arcanorum quæ erant in Sancto sanctorum, quæ proinde Deus a nemine, ne a pontifice quidem, conspici volebat. Hinc quia pontifice illud ingrediente, et valvas vel cortinas aperiente, aliquod lumen ex lucernis quæ ardebant in Sancto, vel ex radiis solaribus per has valvas diffundebatur in Sancta sanctorum, hac de causa jussit Deus ad illud offuscandum, pontificem adolere thymiama, et suffitu nubem fumosam toti loco induci, ne quid videre posset, ut aspectum Sanctorum quem pontificis revelarat ingressus, nubes velaret incensi, inquit Origenes; et maxime ne pontifex videret corpus angeli, secum loquentis vice Dei ex propitiatorio sive oraculo. Licet enim non sit certum, tamen satis probabile est angelum ita loquentem, corpus humanum æque ac vocem assumpsisse; idque probatur *primo,* quia hoc significant hæc verba: « In nube apparebo super oraculum, » *q. d.* Ex nube crassa formabo mihi corpus, illudque assumam et collocabo inter Cherubim super arcam, ut ex propitiatorio respondeam et fundam oracula: hac de causa vicissim corpus illud incensi fumo quasi nube contegi volo, ut per illud quasi per velum appaream et loquar. *Secundo,* quia hoc naturalius est, ut scilicet vox humana a corpore humano, quam a puro aere procedat. *Tertio,* quia Ezechiel, cap. I, vidit Deum specie humana insidentem currui Cherubim; simile autem, imo idem fuit in Cherubim arcæ Mosaicæ, uti ibi dixi. *Quarto,* quia ideo volebat Deus pontificem ingredi Sancta sanctorum cum incenso, ut ejus fumo hoc suum corpus tegeret, ne a pontifice conspici posset: ad vocem enim Dei loquentis tegendam, non erat opus fumo; vox enim non videtur, sed auditur, et vocem hanc suam audiri volebat Deus. *Quinto,* quia ob hanc causam dicitur *Daniel.* III, 55, Deus sedere super Cherubim in propitiatorio, indeque loqui (loqui enim est oris et corporis humani; nemo enim sedens loquitur nisi homo), *Exod.* XXV, 22; *Numer.* VII, 89, quia scilicet corpus hoc a Deo, id est ab angelo Dei personam sustinente, assumptum, sedebat in propitiatorio, ita ut arca esset scabellum pedum ejus, *Psalm.* XCVIII, 5. Hæc est sententia Abulensis, Quæst. XXII *in Exod.*, Vilalpando, lib. IV *De Templo,* cap. XXXIV, et aliorum.

Angelus in corpore humano loquebatur ex propitiatorio. Probat. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Contrarium tamen sentit Cajetanus, scilicet Deum hic non assumpsisse corpus, sed apparuisse tantum per nubem et fumum incensi: « Conspici, inquit, Deum in nube super propitiatorium, est eum in nube thymiamatis super propitiatorium repræsentari. »

Vers. 3. 3. NISI HÆC ANTE FECERIT, VITULUM PRO PECCATO OFFERET, ET ARIETEM IN HOLOCAUSTUM. — « Ante, etc. offeret, » partim immolando, ut vitulum pro peccato: hujus enim sanguinem inferre debet in Sanctum sanctorum; partim præsentando Deo, ut arietem: hic enim aries non ante, sed post pontificis in Sanctum sanctorum ingressum, et rursum egressum, immolabatur in holocaustum.

VITULUM PRO PECCATO OFFERET. — Hunc vitulum offerebat pontifex pro suis et suæ familiæ peccatis, toto anno scienter vel ignoranter admissis,

ut patet vers. 6; nam pro peccatis populi non vitulum, sed hircum offerebat, ut patet vers. 7 et 15.

Allegorice, Christus obtulit vitulum, id est seipsum pro peccatis suis, id est nostris, quæ ipse in se luenda transtulit : oravit pro se et domo sua, id est pro Apostolis et omnibus credentibus, *Joan.* XVII, vers. 9. Obtulit et hircum, id est pœnitentiam populi sui. Ita Radulphus.

Vers. 4. 4. TUNICA LINEA VESTIETUR, FEMINALIBUS LINEIS, etc., — puta femoralibus, tegentibus utrumque femen, sive femur.

Pontifex in festo Expiationis vestibus utebatur, non suis, sed minorum sacerdotum. Cur?

Nota : Pontifex hoc festo Expiationis non utebatur vestibus pretiosis sibi propriis, et pontificalibus, uti tiara, tunica hyacinthina, ephod, rationali et balteo; sed tantum communibus minorum sacerdotum : quia supplicabat pro venia peccatorum tam suorum, quam populi, eratque hoc festum non lætitiæ, sed mœroris, pœnitentiæ et afflictionis : unde peracta expiatione oblaturus holocausta, tunc demum assumebat vestes pontificales. Simile jam videmus in die Parasceves, cujus hoc festum erat typus; Ecclesia enim denudatur; sacerdos, imo et Episcopus, solum diaconorum albis induitur, cum peragit officium passionis : quo peracto ad perficiendum Missæ sacrificium proprias et pretiosiores, puta sacerdotales vel pontificales, induit.

Vers. 5. 5. SUSCIPIETQUE AB UNIVERSA MULTITUDINE FILIORUM ISRAEL DUOS HIRCOS PRO PECCATO. — Hæc est hostia pro peccatis totius populi, toto anno scienter vel ignoranter admissis.

Dices: *Hebr.* IX, 7, dicitur pontifex hæc obtulisse tantum pro sua et populi ignorantia; ergo non pro peccatis scienter admissis.

Respondeo : Ignorantia ibi, uti et alibi sæpe significat omne peccatum; nam, ut ait Sapiens, *Proverb.* XIV, 22, et Aristoteles, III *Ethic.* : « Omnis peccans est ignorans, quia imprudens. »

Vers. 6. 6. PRO DOMO SUA, — pro tota familia sacerdotum omnium et Levitarum : nam hi non continentur nomine populi, sed ad pontificis domum pertinent.

Vers. 8 et 9. 8 et 9. MITTENSQUE SUPER UTRUMQUE (super ambos hircos copulatim) SORTEM, UNAM DOMINO, ET ALTERAM CAPRO EMISSARIO : CUJUS EXIERIT SORS DOMINO, OFFERET ILLUM PRO PECCATO. — Super populi hircos talis jubetur hic jaci sors, ut pontifex duas, v. g. chartulas accipiat, uni inscribat nomen Dei, alteri nomen capri emissarii, mox utramque misceat, vel abscondat in urna aut sinu, et inde educat unam, eamque imponat uni hirco, alteram vero alteri; cui imposita fuerit chartula Dei, hic immoletur Deo pro peccato populi; alter vero, cui obtigit chartula capri emissarii, dimittatur liber (1).

Judæi Hinc Judæi fabulantur Deum hoc die expiationis sedere, ut distribuat sortes cuique hominum, utque quæcumque unicuique eventura sunt toto anno, disponat et constituat. Unde aliqui ex eis fundunt sanguinem avis, vel bestiæ super capita eorum quos diligunt, ut eis propitient Deum, ut scilicet Deus, si eo die judicet et decernat eorum sanguinem esse effundendum, pro eo suscipiat sanguinem hujus bestiæ. Refert et refutat hoc Abulensis. Sapit enim superstitionem gentilitiam; nam Gentiles dies habebant fastos et nefastos, faustos et infaustos : hos cavebant, illos ambiebant. Ita Lucullus cum Tigrane dimicaturus pridie nonas octobris, quæ dies nefasta erat, quod illo die Cimbri copias Cæpionis deleverant, dicente tum quodam istam diem abominari Romanos et formidare : « Pugnemus ergo, ait, hodie strenue, ut hanc diem quoque ex nefasta et tristi fastam lætamque Romanis reddamus. » Ita factum est; nam quinque tantum Romanorum amissis, ultra centum hostium millia interemit : testis est Plutarchus in *Lucullo*.

putant Deum hoc festo cuique distribuere suam sortem.

Allegorice, hircus pro peccato significat Christum patientem et morientem in cruce; hircus emissarius significat Christi divinitatem, quæ in passione pati non potuit, et libera mansit : ita Theodoretus, Isychius, et Cyrillus lib. IX *Contra Julianum*, ante medium; aut, ut Procopius, emissarius significat Christi animam et spiritum, qui a morte liber evasit, et tertio die in corpore glorioso resurrexit. *Secundo*, hircus pro peccato significat Christum immolatum; emissarius significat genus humanum, quod per Christi mortem a morte liberatum et manumissum est: ita Cyrillus ibidem. *Tertio*, distinctius et aptius ad tropologiam, Origenes et Beda hic, atque S. Hieronymus (vel quisquis est auctor : videtur enim ipse græce et hebraice fuisse imperitus, ac consequenter non esse Hieronymus) in cap. XV *Marci*, per hircum pro peccato intelligunt Christum morti adjudicatum; per emissarium Barabbam (unde et Rupertus per duos hos hircos accipit Christum, et Antichristum per Barabbam præsignatum), qui dimissus est liber quasi in eremum, peccata secum ferens populi clamantis et dicentis : « Crucifige, crucifige. »

Allegoria triplex.

Hircus immolatus est Christus, emissarius est Barabbas.

Tropologice, hircus pro peccato sunt electi et salvandi; hircus emissarius sunt reprobi et damnandi; sors est divina reprobatio et prædestinatio, qua Deus electos certissimis itineribus ad vitam æternam perducit, de qua dicitur *Psal.* XXX : « In te speravi, Domine, dixi : Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meæ, » *q. d.* Cujus sortis ego sim necdum scio, tuæ tamen potestatis hoc esse scio, ut tibi sors mea exeat, et in electorum tuorum partem me transferat. Hircus enim Dei, non manet hircus, sed Deo occiditur; ita pœnitentes vitia sua trucidant, et vitam commutant, adeoque omnes Sancti et electi propter Deum mortificantur tota die, imo et occiduntur, uti Martyres, ut puri et gloriosi resurgant : alter vero

Tropologice, sors est divina reprobatio et prædestinatio : duo hirci sunt salvandi et damnandi.

(1) Hebr. est, *unam Domino et alteram Azazeli* : de hujus vocis significatione vide infra not. ad vers. 10.

emissarius manet hircus, et ut hircus dimittitur in solitudinem, id est in terram tenebrosam, ubi nullus est ordo, sed summa desolatio, puta in infernum, ut ibi lanietur a feris, id est dæmonibus. Ita Radulphus et Beda.

Fatum quid? Male ergo Gentiles hanc sortem dixerunt esse fatum, quod omnibus rebus et actionibus hominum necessitatem imponeret. « Fatum, inquit Chrysippus apud Gellium, lib. VI, cap. II, est sempiterna quædam et indeclinabilis rerum series, et catena volvens semetipsa sese, et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus aptata connexaque est. » Et Seneca in *Œdip.*:

> Fatis agimur, cedite fatis.
> Non sollicitæ possunt curæ
> Mutare rati stamina fati;
> Quidquid patimur, mortale genus,
> Quidquid facimus, venit ex alto.

Et Solon dicebat, « fatum mortalibus adducere mala simul et bona. » Verum S. Scriptura contrarium docet, scilicet bona quidem ex gratia Dei oriri, sed cooperante libero arbitrio : mala vero, uti sunt peccata, obduratio, etc., ac consequenter ipsa reprobatio et damnatio, oriri ex mala hominis voluntate, quam Deus permittit et ordinat ad justam pœnam.

Vers. 10. 10. CUJUS AUTEM IN CAPRUM EMISSARIUM, STATUET EUM VIVUM CORAM DOMINO, UT FUNDAT PRECES SUPER EO, ET EMITTAT EUM IN SOLITUDINEM. — Alter est hic hircus sive caper, scilicet emissarius, sive emissus in solitudinem, ut eo quasi secum deferat peccata populi, quæ sacerdos illi imprecatus est, et quasi capiti ejus imposuit.

Azazel hircus quis? Prima sententia. Nota : Pro *emissarius*, hebraice est עזאזל *Azazel*, quod *primo*, recentiores Rabbini, et eos secuti Vatablus et Oleaster, putant esse nomen montis, in quem hic hircus ducebatur, et ex quo præcipitabatur. Addunt Judæi filum vel funiculum rubrum ad cornu hujus hirci alligatum, fuisse versum in album, si Deus peccata populi condonaret; sin autem, mansisse rubrum. Unde vir ducens hircum in solitudinem, cum hanc coloris mutationem in filo videbat, mox inflabat cornu : inde alii ordine suo dispositi Jerusalem usque, similiter buccina insonabant, ut omnis populus terræ sciret sibi esse dimissa peccata. Fabellam hanc refert Oleaster.

Secunda. *Secundo*, R. Abraham putat *Azazel* significare dæmonem, quia fortis est. Unde quod nos habemus *in caprum emissarium*, hebraice est לעזאזל *laazazel*, quod R. Abraham vertit, *pro forti, q. d.* Statuet pontifex hunc secundum hircum, sistetque Domino, ut ipse populum liberet a forti, id est a diabolo : sic et Valentiniani apud Irenæum, lib. I, cap. XII, ponunt *Azazel* esse nomen dæmonis. Idem sensit Julianus Apostata, quem refutat Cyrillus, lib. IX *Contra eumdem*. Hinc et Cornelius Agrippa insignis magus, lib. II *De Occulta philosophia*, asserit *Azazel* esse nomen unius dæmonis ex iis qui elementis præsunt, quique suas operas magis et sagis impendunt : eumdem quoque meridiei regem esse, Amaymonque vocari ex Hebræorum Cabala tradit, aut potius nugatur. Sic et Reuchlinus, lib. III *De Arte Cabalist.*, tradit *Azazel* in exercitu Satanæ latissime imperare.

Azazel est dæmon, qui a sagis specie hirci colitur.

Credibile est ex hisce Judæorum et hæreticorum figmentis, dæmonem aliquem postmodum hoc nomen *Azazel* assumpsisse, ut magos et sagas in hoc eorum errore confirmaret : unde et eisdem in hirci specie apparet, et in eadem ab iis adoratur; fierique potest ut hic hircus pariter ab eis vocetur *Azazel*. Nam ab olim dæmones hirci speciem induisse, eo quod animal hoc lascivum sit superbumque, patet ex eo quod ipsi in Scriptura vocantur שעירים *seirim*, id est pilosi et hirsuti instar hirci, uti inter alios annotavit noster Delrio, *De Magia* lib. II, Quæst. XXVII, sect. 3.

Dæmon missus a Juliano Imperatore. Ita legimus in *Vitis Patrum*, lib. VI, tom. II, numer. 12, Julianum Apostatam Imperatorem suum habuisse dæmonem *Azazel*, sive emissarium, quem ipse ex Perside misit in Occidentem, ut ei inde responsum aliquod afferret; cumque pervenisset dæmon ad locum in quo habitabat Publius monachus, stetit ibidem per dies decem immobilis, quia monachus ille continuo orabat, itaque impediebat ejus transitum. Regressus ergo dæmon, et rogatus a Juliano : Quare tardasti? Respondit : Publius monachus transitum meum impedivit, itaque re infecta redeo. Julianus indignans minatus est Publio; verum intra paucos dies Dei nutu interemptus est.

Tertia. *Tertio*, alii *Azazel* vertunt *depulsorium*, scilicet vindictæ divinæ, hoc est expiatorium; talis enim erat hic hircus.

Quarta et genuina, hircus *Azazel* est emissarius, unde? Verum dico caprum *Azazel*, hebraice idem esse quod caprum *abeuntem*, vel *emissarium* : ita enim vertit Noster, et Septuaginta qui eum vocant ἀποπομπαῖον χίμαῤῥον. Unde et Symmachus et Aquila vertunt, *caprum qui emittitur in solitudinem*, teste Theodoreto. Componitur enim *azazel* ex עז *es*, id est *caper*, et אזל *azal*, id est *abiit, ablatus est*; dicitur caper *es*, eo quod obfirmatam frontem cornibus gerat, a radice עזז *azaz*, id est *firmavit, roboravit*; porro *lamed* præfigitur *azazel*, ut significet discretionem et terminum sortis, idemque est quod præpositio *pro*; sors enim unius hirci erat *ladonai*, id est pro Domino, ut scilicet illi immolaretur; alterius vero erat *laazazel*, id est pro capro emissario, ut scilicet emitteretur quasi piaculum populi in desertum.

De hoc ergo capro dicitur : « Statuet (pontifex) eum coram Domino, ut fundat super eo preces, » ut scilicet confiteatur peccata sua et populi, Deumque roget ut illa transferat in hircum. Unde hebraice est *ad expiandum in eo*, hoc est per eum. Hæc per prolepsin dicuntur : nam emissio hirci hujus fiebat peracta expiatione Sancti Sanctorum, postquam pontifex inde rediisset, ut patet vers. 20 et 21.

Hircus emissarius erat anathema et piaculum populi.

Hic ergo hircus emissarius erat quasi anathema, catharma et piaculum populi, cui populus per pontificem omnia sua peccata imponebat, ut ille iis onustus, ea secum extra castra efferret in desertum : perinde ac Romani et Græci tempore communis pestis aut luis homines piaculares seligebant, eosque necando diis devovebant ad cladem avertendam : quale piaculum fuit Curtius, qui in hiatum urbis sese præcipitem dedit. Qua de re plura dixi I *Cor.* IV, 13.

Hinc etiam apud Gentiles erant dii ἀποπομπαῖοι, ἀλεξίκακοι, ἀποτροπαῖοι, λύσιοι, φύξιοι, id est, emissarii, depulsores malorum, avertentes, solventes, fugantes mala ; hinc et *depulsoria sacra* dicta sunt, quæ diis depellentibus et mala averruncantibus fiebant, de quibus Giraldus, *Syntag.* 1 (1).

11. OFFERRET VITULUM. — Non erat hæc vitula rufa de qua *Num.* XIX ; illa enim extra castra, pro peccato populi, hic vero in tabernaculo, pro peccatis sacerdotum immolabatur. Vers. 11.

(1) De sensu vocabuli *Azazel* quatuor sunt sententiæ. *Prima* est Cornelii nostri, quam vide supra. *Secunda*, multorum Judæorum, quam recentius Drach in Dissertatione *De Azazele* suam fecit, et in notis ad Gesenii Lexicon (edit. Migne) ita exponit : « Omnibus serio perpensis, statuimus nomen loci esse ad quem mittebatur hircus peccatis onustus totius domus Israel, quem sors designabat, ut scriptum est : *Et dabit* (scil. jaciet) *Aaron super ambos hircos sortes, sortem unam Jehovæ, et sortem unam Azazeli*, Levit. XVI, 8. *Et portabit hircus* (Azazelis) *super se omnes iniquitates eorum in terram abscissam* (scil. a terra habitata), seu *præruptam* (scil. in locum præruptis scopulis cinctum), *et dimittet hircum in deserto*, vers. 22. Notat Jarchius post veteris synagogæ doctores, *Azazel* montem esse (haud procul a Sinai monte, addit Aben-Esra) asperum, fragosum, angustum et excelsum, et idcirco in textu modo laudato dictum esse *terram divulsam et excisam*. Atque Saadias nonnullique Rabbini putant esse vocem compositam ex עזז, *fortis, durus, asper fuit*, et אל *Deus*, quod nomen quandoque superlativis inservit, ita ut *Azazel* sit *azaz el, mons asper Dei*, hoc est mons asperrimus. Nullam autem, quam obtendunt (v. g. Spencerus), deprehendimus tautologiam : *ad montem Azazelem, qui in deserto.* » Huic sententiæ merito opponitur, quod ex contextu Azazel tanquam *persona* appareat, personæ Jovæ opposita. Hinc, quum distantia et oppositio maxima inter Deum et Dæmonem intercedat, multi censent *tertio*, voce *Azazel* Dæmonem notari : ita Spencerus, Rosenmullerus ad h. l., Hengstenberg (*Moses und Ægypten*, p. 166), etc. Audi Rosenmullerum : « In antiquissimo in Leviticum commentario, qui *Chaskuni* inscribitur, *Azazel* idem esse dicitur, qui et *Samael* nuncupatur, quo nomine *angelus mortis* seu *diabolus* designatur : vid. Ruxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 1495. In fragmento quodam libri, qui Henochi nomine circumfertur, et ante Christi tempora editus traditione perantiqua creditur, servato a G. Syncello in *Chronograph.*, unde excerptum legitur in J.-A. Fabricii *Cod. Pseudepigr. V. T.* P. I, p. 179 seqq., *Azalel*, seu, uti paulo post scribitur, *Azael*, inter angelorum lapsorum principes numeratur. In libro Henochi Æthiopice translato cap. X versionis Anglicæ (cap. VII codicis Paris.) memoratur Azael angelus lapsus, vinctus et in desertum ablegatus. Quocum convenit, quod in Commentario cabbalistico in cap. II *Gen.*, quem e libro *Sohar* excerpsit Lud. Cappellus in *Oper. Posthum.* p. 309, 313, inter angelos e cœlo dejectos comparet Azael. Mercerus in *Comment. in Genes.* p. 88, refert, Cabbalicos tradere, dæmones et malignos spiritus in sepulcris maxime, ubi sunt cadavera, versari, et hujusmodi dæmonem *Azazelem* appellare. Christianos etiam antiquos illo nomine Diabolum intellexisse, haud obscure discitur ex Origenis *Contra Celsum* lib. VI. Nam ut probet, Diabolum ipso Mosis ævo innotuisse, inter alia inquit : *Ille in Levitico*, ἀποπομπαῖος *dictus, quem Scriptura Hebraica Azazel nominat, non alius erat*, nisi Diabolus. Et in antiqui poetæ Christiani in Marium, Valentini discipulum, versibus, quos attulit Epiphanius in *Hæres.* 34, ille mendacia sua miracula peregisse dicitur ope Satanæ et Azazelis. Ex veteribus Pentateuchi interpretibus Onkelosum, Jonathanem et Samaritanum *Azazel* Diaboli nomen proprium habuisse, inde fit credibile, quod illud retinuerunt. Nam si appellativum illud scivissent, vix est verisimile, eos illud ἀνερμήνευτον reliquisse. » Huic sententiæ objicit Drach locum *Levit.* XVII, 7 : « Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus ; » ergo, ait, contra Mosaicæ legis mentem, imo prohibitionem expressam esset, si sacrificium (ambo enim hirci *sacrificium* nominantur *expiatorium* Lev. XVI, 5) offerretur dæmoni muneris *titulo* שוחד. Reponit Hengstenberg loc. cit., Jehovæ quidem *offerri* hircum, sed dæmoni *symbolice demandari* omnes iniquitates, quibus alter oneratus erat, quasi ad ipsarum auctorem relatas. Addit Allioli, Diabolum hic agere non *numen alterum* sacrificiis placandum, sed Dei divinæque vindictæ ministrum (conf. *Job* I, 6-12 ; II, 6 ; I *Cor.* V, 5) ; ideoque hircus Azazeli destinatus dimittebatur *vivus* (vers. 21), ne Jovæ placaminis loco oblatus videretur. *Quartam* sententiam attulit Munk in *Palestine*, p. 190. Loca deserta, ait, et ab hominum commercio remota dæmonibus geniisque maleficis gratiosa, et illorum habitacula maxime familiaria priscis illis gentibus habebantur (conf. *Deut.* XXXII, 17) ; quorum geniorum potentissimus appellabatur *Azazel*, id est *ὁ potens Dei* : hinc proverbialis locutio *ad Azazelem mittere*, pro *morti* aut *exitio devovere*. Moses autem locutionem hanc hoc loco proverbiali, non etymologico aut originali sensu usurpavit. Ita et Winer, *Biblisches Realwörterbuch*, ad v. *Versöhnungstag*, tom. II, p. 659 seq., cui vocis *Azazel* sensus *plena exterminatio* præplacet.

Quod autem vocis *Azazel* etymon attinet, *a*) Bochartum sequutus Winer censet *Azazel* nomen esse plurale, seu collectivum, ejus formæ quam Arabes *fractam* vocant, ab עזל *removit, secessit*, deductum, ut proprius sensus sit *secessiones, separationes*, imo *excidia* et *exitia*. Objicit Rosenmullerus, nullum in V. T. vestigium apparere, ex quo colligi recte possit Hebræis verbum עזל in usu fuisse. *b*) Vide supra etymon a Drach allatum. *c*) Spencerus satis probabiliter *Azazel* esse עז אזל, *fortis* abiens, censet. « Sic enim, inquit, Diabolus non injuria vocatur si ad Deum, angelos bonos, homines, aut ipsos Diaboli mores respectus habeatur. Respectu Dei, a quo defectionem fecit, unde Hebræis מרוד *apostata*, qui a Deo defecit, per eminentiam quamdam appellatur. Deinde, cum angeli boni *fortes stantes* essent, et in statu integro permanerent, dæmones *fortes abeuntes* erant, quippe *dereliquerunt suum domicilium* (*Epist.* S. Judæ, vers. 6). Non minus hominum respectu nomen *Azazel* quadrare censeatur, quod nempe dæmones locos et ædes frequentes plerumque fugiant, et ad locos desertos remotosque abeant. Postremo morum suorum respectu Diabolus *fortis abiens* appellari meruit. Nam in Scriptura describitur tanquam spiritus de loco in locum semper abiens, nec uspiam moram faciens, præsertim si repulsam patiatur. » *d*) Munk, loco supra cit., *Azazel* deducit ab עזז *fortis, potens fuit*, et אל *Deus*, id est *ὁ fortis*, vel *potens Dei*. Recta γραφὴ esset עזזאל ; sed א, utpote quiescens sicut in ישמעאל et דניאל, sublatum fuit ; τὸ vero א

Vers. 12. 12. ASSUMPTOQUE THURIBULO, ET HAURIENS (1) MANU COMPOSITUM THYMIAMA, — « compositum » ex stacte, onycha, galbano et thure, uti præscriptum est *Exodi* XXX, 34 et 35.

Vers. 12 et 13. 12 et 13. INTRABIT IN SANCTA (in Sanctum sanctorum, quod pluraliter vocatur Sancta, ad emphasin : erat enim sanctissimum), UT POSITIS SUPER IGNEM AROMATIBUS, NEBULA EORUM ET VAPOR OPERIAT ORACULUM, QUOD EST SUPRA TESTIMONIUM (id est, supra arcam, in qua est testimonium, id est, lex sive tabulæ legis, ut dixi *Exodi* XXV, 21), ET NON MORIATUR. — Quia si non adoleverit thymiama, quod fumo suo operiat oraculum sive propitiatorium, et corpus illud a me assumptum in eo residens, morietur, eo quod illud videre præsumpsit.

Tropologice, thuribula sunt corda Christi et Sanctorum; ignis est Spiritus Sanctus; thymiama sunt virtutes; suffitus sunt orationes Sanctorum, *Apoc.* VIII, 4. Quod ergo Aaron jubetur thuribulum de igne altaris implere, præsignificat potestatem Christi, qui mentem humanam, quam pro nobis assumpsit, auro justitiæ radiantem, spiritualis amoris facibus inflammavit; pari modo qui Christi sunt, et ipsi thuribulis suis ignem imponunt, et incensum adolent : quia ex amore divino virtutes concipientes, ad cœlestium promissorum beatitudinem desideria sua extendunt, sed adhuc cum mœrore et ænigmate. Unde nebula hic ex iis ascendere dicitur, quam aliquando secutura est flamma, cum videbunt ea facie ad faciem : atque hi vitam inveniunt, et mortem evadunt, inquit Radulphus.

Thuribula sunt corda Christi et Sanctorum charitate et cœlestibus desideriis fumigantia.

Pulchre S. Ambrosius explicans illum vers. *Ps.* CXVIII, *Ignitum eloquium tuum nimis, et servus tuus dilexit illud* : « Quem, ait, Dominus ignem novo sparsit testamento, qui secretos mentium divinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei et devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Jeremias : Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cœlestium vaporati Cleophas et ille alius, qui simul cum Domino ab Jerusalem usque ad castellum confecerant iter, dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas? »

Et rursum : « Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Durus zelus, quem vitæ hujus nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. »

Et S. Chrysostomus, homil. 52 *in Acta* : « Qui igne Christi, ait, captus fuerit, talis fuit, qualis esset homo solus super terram habitans. Adeo nihil curæ est ei gloria et ignominia. Tentationes autem sic contemnit, et flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Quæ autem suavia sunt in hac vita, ita ridet, et non sentit sicut nos ipsi corpora mortua. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita et affectiones ad illos accedere non audent. »

Vers. 14. 14. TOLLET QUOQUE DE SANGUINE VITULI, ET ASPERGET DIGITO SEPTIES CONTRA PROPITIATORIUM, — versus propitiatorium (non enim sanguis hic tangebat vel attingebat ipsum propitiatorium, ut recte advertit Abulensis). Causa erat, non quod propitiatorium peccasset, sed quod ipsum peccatis populi, in cujus medio erat, toto anno commissis quasi pollutum et contaminatum videretur; ut ergo hæc pollutio tolleretur, sacerdos et populus qui causam pollutionis dederat, dabant sanguinem hirci et vituli pro sanguine suo, cujus uti et mortis, rei erant. Expiatio autem hæc fiebat, non in altari holocaustorum, quia illud satis quotidianis sacrificiis expiabatur; sed in altari thymiamatis, et in Sancto sanctorum : quæ duo quasi sanctissima, maxime Deum, qui offensus et placandus erat, repræsentabant.

Expiatio fiebat in altari thymiamatis. Cur?

AD ORIENTEM, — id est, versus anteriorem partem propitiatorii primo sibi ingredienti occurrentem; nam illa respectu posterioris erat ad Orientem, sicut Sanctum sanctorum per consequens erat ad Occidentem. Unde absolute loquendo, sacerdos expiabat eo situ quo Judæi orabant, scilicet conversus ad Occidentem, puta conversus ad Sanctum sanctorum, quod erat ad Occidentem; dicitur tamen hic expiare « ad » vel potius « contra Orientem, » non mundi, sed propitiatorii, id est, contra vel versus anteriorem partem propitiatorii : hæc enim spectabat Orientem, illique obversa erat. Ita Cajetanus, Abulensis, Vatablus.

Allegorice, aspergitur sanguis hic septies contra propitiatorium, ut significetur quod sanguine et morte Christi, intercedente divina propitiatione, septiformis Christi gratia confertur fidelibus, qua cœlum introeant : sic aspergitur versus Orientem, id est Christum, qui lucem justitiæ contulit nobis, ut jam mutati audiamus illud Apostoli, *Ephes.* V : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Ita Radulphus.

Vers. 15. 15. CUMQUE MACTAVERIT HIRCUM PRO PECCATO POPULI, INFERET SANGUINEM EJUS INTRA VELUM, — puta intra Sanctum sanctorum; « inferet, » nimirum simul cum sanguine vituli, de quo vers. 11 et 14 : alioqui enim bis eodem die debuisset pontifex ingredi Sancta sanctorum, cum tantum semel id ei liceret, ut patet *Hebr.* IX, 7.

Allegorice, Christus per sanguinem vituli, id est sui ipsius, et per sanguinem hirci, id est, per mortificationem et pœnitentiam populi, expiat sanctuarium, non quasi illud in se immundum sit, sed ut significetur futuræ vitæ sanctificatio præsenti contritione acquirenda, inquit Radulphus.

Vers. 17. 17. NULLUS HOMINUM SIT IN TABERNACULO, QUANDO

inter duo ז positum, est *aleph prolongationis*, Arabibus frequentissimum, Hebræis haud insolens.

(1) Hebr. est, *et plenitudo pugni utriusque sui*, id est, quantum utraque manus capere poterit.

PONTIFEX SANCTUARIUM INGREDITUR. — « In tabernaculo, » id est, in priore tabernaculi parte, quæ dicitur Sanctum : nam in Sanctum sanctorum, nulli nunquam, nisi pontifici intrare fas erat. Præcipitur hic ergo, ne ullus aliorum sacerdotum sit in Sancto, eo tempore quo pontifex ingreditur Sanctum sanctorum, idque ad reverentiam majestatis Dei, et ne Deum ex Sancto sanctorum loquentem pontifici, alii sacerdotes in Sancto audire possent.

Allegorice, omnes discipuli Christi in ejus passione (per quam ingressus est in Sanctum sanctorum, puta in cœlum) ab eo recesserunt et fugerunt; rursum vix ullus aliorum tunc salutis suæ curam gessit. Ita Isychius et Radulphus.

Tabernaculum quadrupliciter accipitur.

Nota : Tabernaculum significat totum sanctuarium, constans Sancto et Sancto sanctorum; synecdochice tamen nunc unam, nunc alteram partem significat; subinde enim singulæ partes vocantur tabernaculum; hinc tabernaculum quadrupliciter sumitur : *primo*, pro atrio tabernaculi, ipsoque tabernaculo; *secundo*, pro toto tabernaculo, excluso atrio; *tertio*, pro Sancto, uti hic sumitur; *quarto*, pro Sancto sanctorum, uti accipitur vers. 16 præced. Ita Abulensis.

Vers. 18. 18. CUM AUTEM EXIERIT AD ALTARE (thymiamatis) QUOD CORAM DOMINO (propitiatorio, in quo residet Dominus) EST, ORET PRO SE, — et pro toto populo, uti præcessit : erat enim hæc una communis omnium expiatio. Ita Abulensis (1).

Vers. 20. 20. POSTQUAM EMUNDAVERIT SANCTUARIUM (Sanctum sanctorum) ET TABERNACULUM, — id est Sanctum, quod expiatur per hoc, quod expiatur altare thymiamatis quod in eo situm est, per ritum qui jam præscriptus est vers. præcedenti.

Tropologia expiationis atrii, Sancti, et Sancti sanctorum.

Tropologice, Sanctum sanctorum significabat cœlum; Sanctum, viros perfectos hujus vitæ : unde altare thymiamatis, quod erat in Sancto, significabat Sanctos deditos contemplationi et rebus cœlestibus; atrium significabat communem laicorum vitam, ut dixi *Exodi* XXVI, sub initium. Atrium ergo quotidie expiabatur, quia in altare holocaustorum, quod erat in atrio, quotidie sacrificabatur : imperfecti enim ob frequentes lapsus, frequenti et quasi continua indigent pœnitentia. Sanctum vero semel in anno expiabatur, quia viri perfecti, licet inculpate videantur vivere, tamen ex hac vita egredi non debent sine pœnitentia, uti docuit et exemplo suo ostendit S. Augustinus, teste Possidonio in ejus Vita, et S. Fulgentius, cujus in morbo hæc erat vox : « Domine, da mihi hic modo patientiam, et postea indulgentiam. » Sanctum sanctorum denique expiabatur, quia cœlum pœnitentia aperitur. Ita fere Radulphus.

Hoc est quod dicebat Abbas Menas apud Joannem Moschum in *Prato Spirit.*, cap. CLIX : « Omnis ætas pœnitentiam agere debet, juvenes simul ac senes, ut æterna vita frui cum gloria et laude mereantur : juvenes quidem, quia in flore ætatis, cum fervet concupiscentia, cervicem suam sub jugum pudicitiæ miserunt; senes vero, quia inolitam sibi ex multis temporibus malorum anticipationem transferre ad meliora potuerunt. »

(1) Sed minus recte.

Vers. 20 et 21. 20 et 21. TUNC OFFERAT HIRCUM VIVENTEM, ET POSITA UTRAQUE MANU SUPER CAPUT EJUS, CONFITEATUR OMNES INIQUITATES FILIORUM ISRAEL, ET UNIVERSA DELICTA ATQUE PECCATA EORUM : QUÆ IMPRECANS CAPITI EJUS, EMITTET ILLUM PER HOMINEM PARATUM, IN DESERTUM. — Hic est caper emissarius, cui sacerdos imprecabatur peccata populi non ut culpa (hoc enim fieri nequit), sed ut pœna a populo in hircum transiret; pœna, inquam, qua Deus hic temporaliter eum in communi affligere solebat pro peccatis : nam alioqui pœnæ integræ cuilibet peccatori sigillatim luendæ, vel hic, vel in Purgatorio, aut inferno remanebant et restabant, nihilque hæc cæremonia ex illis demebat. Ita Abulensis. Judæi tradunt, aut potius fabulantur, pontificem hoc die alias quoque preces effudisse, petiisseque *primo*, bona et felicia tempora; *secundo*, ne a tribu Juda sceptrum auferretur; *tertio*, ne quis egeret in populo; *quarto*, ne Deus stultas hominum particularium preces exaudiret, quæ bono communi sunt noxiæ, ut qui proficiscuntur serenam auram optant et petunt, cum forte terræ et bono communi magis pluvia conveniat. Refert hæc Oleaster.

Vota quatuor Judæorum.

Vers. 21. 21. PER HOMINEM PARATUM. — Hebraice est, *dimittet eum per manum viri* עתי *itti*, id est *temporis*, puta hoc tempore ad id paratum. Ita Septuaginta, Chaldæus et Noster. Aliter vertit Oleaster, *Per virum temporis*, ait, *id est per virum senem, aut multo tempore in solitudine versatum.*

Caper emissarius quasi piaculum ibat in desertum ut devoraretur a feris.

IN DESERTUM, — ubi hic caper emissarius devoretur a feris, itaque quasi piaculum, luat pœnas peccatis populi debitas, et in ipsum translatas. Sic et Gentiles Pani, deo pastorum qui in desertis agunt, sacrificabant hircum, qui ad specum agebatur, in quo Pan ipse diversari putabatur, uti docet Lucianus.

Tropologice.

Tropologice, confitetur sacerdos peccata populi super caput hirci emissarii, quia confiteri debent electi, quod et ipsi natura fuerint filii iræ, et digni similia pati, ni gratia subvenisset : et sic in æternum cantent misericordias Domini, dicantque : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; » et : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. » Rursum imprecabatur pontifex peccata populi capiti hirci, quia orat Christus, ut ira divinæ indignationis, cui etiam electi fuerunt obnoxii, illis per gratiam absolutis, in caput reproborum tantum retorqueatur, non ut illi aliquid ultra meritum sustineant, sed ut communem reatum soli portent. Homo ducens hunc hircum in eremum pariter est Christus, qui in die judicii reprobis dicet : « Ite, maledicti, in ignem æter-

num.» Ita Radulphus. Misera et horrenda erit horum sors; sicut enim cadaverum omnium caro, cibus est vermium, ita animarum damnatarum vita, erit mortis esca, idque in æternum. Rursum, sicut bos herbam in pratis depascitur, non a radice, ubi illius est vita, eam convellendo, sed carptim tondendo et incidendo: ita anima in pœnis illis infinitis posita, absque suæ substantiæ consumptione, a perpetuo quasi vulture morsu dilaniatur, sed non absumitur.

Vers. 22, 23 et 24. 22, 23 et 24. CUMQUE PORTAVERIT HIRCUS OMNES INIQUITATES EORUM IN TERRAM SOLITARIAM, REVERTETUR AARON IN TABERNACULUM (qui emittens hircum erat extra illud: erat enim ad ostium tabernaculi), ET DEPOSITIS VESTIBUS LAVABIT CARNEM SUAM (totum corpus, ut hæc lotio symbolum sit munditiei, per expiationem jam peractam adeptæ) IN LOCO SANCTO (in atrio tabernaculi, puta in labro æneo juxta ostium tabernaculi, unde egredi debebat ex Sancto; nam in Sancto se hoc festo exuebat et induebat pontifex), INDUETURQUE VESTIBUS SUIS — pontificalibus; nam deinceps hæc solemnitas erat læta, jamque cum expiatione transierant signa luctus. Unde immolanda erant festiva holocausta, et pontifex hic ministrare, eaque immolare debebat; non poterat autem pontifex ministrare, nisi in pontificalibus; induere ergo debebat primo vestes communes sacerdotum, quas exuerat ut se lavaret, et insuper eis superinduere vestes suas, puta pontifici proprias.

Tropologice. Tropologice, Christus, postquam emiserit damnatos in solitudines æternas gehennæ, revertetur in tabernaculum, id est cœlum; deponet vestes, quia non apparebit in corruptione carnis, sed eam lavabit, id est mundam ab omni vulnere et contagione passionis exhibebit; indueturque vestibus suis, id est stola immortalitatis sibi debita se indutum ostendet electis; offeret holocaustum, id est totam redemptionis suæ laudem et gloriam Deo tribuet, omnesque electos Deo offeret, cum in cœlis nil remanebit mortale in carne, nec culpabile in spiritu eorum, sed omnes divinis laudibus occupabuntur; orabit pro se et suis, id est meritum orationis suæ, quantum vel sibi vel amicis profuerit, manifestabit; adipes hostiæ pro peccato adolebit, quia tunc voluntaria mors, in qua animam suam pro electis amicis suis posuit, ipsimet videnti tantum fructum, et tantum populum, tantamque gloriam electorum, gaudium ineffabile pariet. Ita Radulphus.

Vers. 26. 26. ILLE VERO QUI DIMISERIT (mendose Biblia Plantiniana habent *demiserit*) CAPRUM EMISSARIUM, LAVABIT VESTIMENTA SUA ET CORPUS AQUA, ET SIC INGREDIETUR IN CASTRA. — « Lavabit, » scilicet ad abluendam immunditiem legalem, quam contraxit ex contractu hirci tot peccatis onusti, secundum pontificis imprecationem et plebis æstimationem.

Vers. 27 et 28. 27 et 28. VITULUM AUTEM ET HIRCUM, QUI PRO PECCATO FUERANT IMMOLATI, ET QUORUM SANGUIS ILLATUS EST IN SANCTUARIUM, ASPORTABUNT FORAS CASTRA, ET COMBURENT IGNI, TAM PELLES QUAM CARNES EORUM AC FIMUM (ob causam dictam cap. IV, vers. 12); ET QUICUMQUE COMBUSSERIT EA, LAVABIT VESTIMENTA SUA ET CARNEM AQUA. — « Quicumque, » scilicet ex populo; nam sacerdotis tantum erat vitulum et hircum immolare, sanguinem effundere et aspergere: hæ enim erant functiones sacerdotales; quibus peractis aliquis ex populo carnes, pellem et fimum vituli et hirci efferebat extra castra, ibique ea cremabat usque ad pulverem.

Allegorice, fimus et pellis vituli est crucis Christi ignominia; extra castra hæc comburuntur, quia extra urbem passus est Christus, et extra Judæam in Gentes fructum et gloriam suæ crucis extendit: unde et hircus pro peccato ibidem comburitur, ut significetur Christus extra Synagogam in Gentibus, Gentiumque pœnitentia et conversione glorificatus; quicumque ergo combusserit, id est combustum et tostum in cruce crediderit, lavet se, id est sanctificet seipsum, ut castrorum supernorum mereatur ingressum, inquit Radulphus. Allegoria.

Vers. 29. 29. ERITQUE VOBIS HOC LEGITIMUM SEMPITERNUM, — *q. d.* Hæc lex erit vobis perpetua et semper observanda.

Vers. 29 et 30. 29 et 30. MENSE SEPTIMO, DECIMA DIE MENSIS, AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS. IN HAC DIE EXPIATIO ERIT VESTRI. — Hinc et ex vers. 32, patet hoc festum Expiationis, ejusque cæremonias peractas fuisse decima die mensis septimi; quando scilicet Judæi frugibus jam collectis, otium habebant Deo vacandi, se expiandi, Deoque gratias agendi. Unde totus fere mensis septimus erat festus et sacer, ut patet *Levit.* XXIII.

Hinc allegorice, mensis septimus est tempus gratiæ, in quo septem spiritus Dei missi sunt in omnem terram, *Apocal.* V; in quo Christus sanctuarium æternum ingressus est, trahens post se omnia sæcula, inquit Radulphus.

Afflictio in die expiationis præcepta, quæ? Nota: Festum Expiationis incipiebat a vespera diei nonæ, et durabat usque ad vesperam diei decimæ mensis septimi, ut patet *Levit.* XXIII, 32. Judæi enim sua festa celebrabant a vespera in vesperam; expiatio autem hæc fiebat per pontificem, qui non tantum populum, sed et seipsum aliosque sacerdotes, quin et templum adeoque Sanctum sanctorum expiabat, ut patet vers. 33.

Vers. 29. 29. AFFLIGETIS (Hebræum תענו *teannu* verti quoque potest *humiliabitis*) ANIMAS VESTRAS, — tum jejunando, tum aliis modis carnem macerando.

Tradit Josephus, lib. III, cap. X, hoc die expiationis Judæos jejunare solitos usque ad vesperam. *Secundo*, Abulensis in *Levit.* XXIII, Quæst. XXII, ex eo quod hic dicitur: « Affligetis animas vestras, » colligit Judæis hoc die omnem delectationem fuisse vetitam; unde *tertio*, tradunt Judæi, et adhuc servare dicuntur, eodem die abstinendum fuisse a potu, ab uxoribus, a balneis, calceos præterea abjiciendos esse; quin imo hoc die singuli speciatim confitentur peccata sua, et pro eis sibi plagas et verbera infligunt, uti ego ex iis

ipsis audivi. Erat enim hic dies pœnitentiæ ad expiationem promerendam, uti apud nos est Quadragesima et Parasceve.

Festum Expiationum significabat primo, expiationem Christi in cruce; secundo, Christianorum in paschate; tertio, Electorum in die judicii.

Hinc, ut summatim omnes sensus mysticos hujus loci complectar, allegorice hoc festum Expiationis significabat expiationem sacrificii crucis Christi. Tropologice, significabat emundationem animarum, tum quotidianam et particularem, tum annuam omnibus communem in Paschate.

Audi Origenem hic, *homil.* 33 : « O mira festivitas, dies festus vocatur afflictio animæ. Vide ergo si vis diem festum agere : si vis ut lætetur Deus super te, afflige animam tuam et humilia eam; non ei permittas explere desideria sua, nec concedas ei lasciviis evagari; cum enim afflicta fuerit anima, et humiliata in conspectu Domini, tunc repropitiatur ei Deus, et tunc ad eam venit ille quem proposuit Deus propitiatorem, Christus Jesus, Dominus et Redemptor ejus. » Compunctio enim expiat et sanctificat animam; hæc autem acquiritur meditatione novissimorum et duplicis sortis, de qua vers. 8.

Compunctionis commoda et exempla.

Ita Abbas Ammon in *Vitis Patrum*, lib. V, tit. *De compunct.*, rogatus ut diceret verbum ædificationis : « Cogita, ait, quasi reus in carcere, tibique dic : Væ mihi, quomodo habeo astare ante tribunal Christi, et quomodo habeo actuum meorum reddere rationem? si sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. »

Et Abbas Elias : « Ego, ait, tres res timeo : primam, quando egressura est anima mea de corpore; secundam, quando occursurus sum Deo; tertiam, quando adversum me proferenda est sententia. »

Theophilus Archiepiscopus, moriturus dixit : « Beatus es, Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti. »

Abbas Agathon, moriturus, tres dies mansit immobilis oculos apertos tenens; pulsaverunt autem eum fratres, dicentes : Abba, ubi es? et ille respondit : « In conspectu divini judicii assisto. » Dicunt ei : Et tu times? Et ille dixit : « Interim laboravi virtute qua potui, in custodiendis mandatis Dei; sed homo sum, et nescio utrum placuerint opera mea coram Domino. » Dicunt ei fratres : Et non confidis de operibus tuis, quia secundum Deum sint? Et dixit senex : « Non præsumo, nisi venero ante Deum; aliter enim sunt judicia Dei, aliter hominum. » *Ibid.* cap. XI *De Sobrietate.*

Abbas Evagrius dixit : « Memor esto semper exitus tui, et non obliviscaris æterni judicii, et non erit delictum in anima tua. » *Ibid.*

Insignis quidam Abbas in eremo rigide vivens, rogatus : « Quomodo sustines laborem hunc? » respondit : « Totus labor temporis mei, quem hic sustineo, non est idoneus comparari ad unam diem tormentorum quæ peccatoribus in futuro sæculo præparantur. » *Ibid.* cap. VII *De Patientia.*

Alius senex dixit : « In omni re increpet homo animam suam, dicendo ei : Memor esto, quoniam oportet te Deo occurrere. » *Ibid.* lib. VII, cap. XXI.

Anagogice, hoc festum significabat expiationem totius mundi, et discretionem electorum a reprobis in die judicii faciendam.

31. SABBATUM ENIM REQUIETIONIS EST. — Hebraice est, *sabbatum sabbati*, sive *quies quietis est*, *q. d.* Summa quies hoc die vobis colenda et adhibenda est; celeberrima enim festa Judæis erant hæc duo : *primo*, sabbatum; *secundo*, dies hic expiationis. Unde nec in eis licebat cibos parare, quod tamen aliis festis permissum erat, ut patebit cap. XXIII, vers. 27. Vers. 31.

32. SACERDOS QUI UNCTUS FUERIT, — *q. d.* Qui consecratus fuerit pontifex per unctionem capitis et manuum; hac enim unctione initiatur et consecratur ipse. Vers. 32

34. UT ORETIS. — Vos, o pontifices, deinceps securi; soli enim pontifices poterant expiare et solemniter orare hac die. Vers. 34.

FECIT IGITUR (Moses) SICUT PRÆCEPERAT DOMINUS MOYSI. — « Moysi, » id est sibi, est hebraismus. Porro « fecit, » non celebrando festum Expiationis, ut vult Lyranus : hoc enim celebrandum erat mense septimo; hæc autem gesta sunt mense primo, uti ostendi initio capitis : « fecit » ergo, id est promulgavit Moses populo hanc Dei legem de festo Expiationis, suo tempore, puta mense septimo, in Chanaan servando; hoc enim præceperat ei Deus, vers. 2.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præcipit Deus ut Judæi non dæmoni, sed sibi soli sacrificent, idque non in agro, sed tantum in tabernaculo; secundo, vers. 10, *vetat eis esum sanguinis et morticini.*

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere Aaron et filiis ejus, et cunctis filiis Israel, dicens ad eos : Iste est sermo quem mandavit Dominus, dicens : 3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram, in castris vel extra castra,

4. et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit; quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. 5. Ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino. 6. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino; 7. et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis et posteris eorum. 8. Et ad ipsos dices : Homo de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam, 9. et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo. 10. Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo, 11. quia anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit. 12. Idcirco dixi filiis Israel : Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur apud vos. 13. Homo quicumque de filiis Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione, atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra. 14. Anima enim omnis carnis in sanguine est; unde dixi filiis Israel : Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est; et quicumque comederit illum, interibit. 15. Anima quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua, et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum : et hoc ordine mundus fiet. 16. Quod si non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam.

Vers. 3 et 4. 3 et 4. HOMO QUILIBET DE DOMO ISRAEL, SI OCCIDERIT BOVEM, AUT OVEM, SIVE CAPRAM IN CASTRIS VEL EXTRA CASTRA, ET NON OBTULERIT AD OSTIUM TABERNACULI OBLATIONEM DOMINO, SANGUINIS REUS ERIT. — Aliqui hoc accipiunt de quavis occisione, non tantum ad sacrificium, sed etiam ad cibum, quasi hic jubeat Deus, ut laniones et alii privati qui mactant boves, oves et capras ad esum, ea non alibi mactent, quam in tabernaculo, nec mactent nisi ea prius obtulerint Domino. Id videtur velle Theodoretus, dicens pontificem Judæorum ex hac lege immolare adhuc eorum esculenta animalia (1). Verum sic pontifex vere fuisset lanio, et tabernaculum fuisset locus lanienæ. Adde impossible fuisse in tanta Judæorum multitudine, ut omnes oves, boves et capræ, quæ per totam Judæam (nam de iis quæ Hierosolymis ubi erat templum, cædebantur, alia erat ratio, ut dicam *Deut.* XII, 21) mactabantur, adducerentur Hierosolymam, ibique in templo jugularentur, ac postea domum ad alias urbes reveherentur. Quare certum et clarum est hic non agi de occisione ad cibum, sed tantum ad sacrificium; agitur enim hic de immolatione victimarum, ut patet ex versu sequenti. Sensus ergo est, *q. d.* Quicumque immolaverit et sacrificaverit ovem, bovem aut capram extra tabernaculum, reus est mortis.

Dupliciter ergo sic immolans peccabat: *primo,* occidendo victimam si erat laicus: sic enim sacrificando usurpabat munus sacerdotale; *secundo,* idipsum faciendo extra tabernaculum. Uno enim in loco sibi immolari volebat Deus, idque ad arcendum periculum et suspicionem idololatriæ, et ne Judæi deos Gentium in montibus, lucis et cavernis colerent. Quapropter hisce causis cessantibus aliqui viri sancti Deo inspirante extra tabernaculum immolarunt, inquit S. Augustinus, *Quæst.* XVI. Ita fecit Manue pater Samsonis, *Judic.* XIII, 19; sic et Samuel, qui sacrificavit in Masphath, I *Reg.* VII, 9, et in Galgada, I *Reg.* XI, 15, et in Bethlehem, I *Reg.* XVI, 2; sic et David immolavit in area Ornan, II *Reg.* XXIV, 18; et Elias in monte Carmelo, III *Reg.* XVIII, 23.

Uno in loco tantum sacrificari jussit Deus, cur?

Excipe aliquos Sanctos, qui a Deo inspirante, sacrificarunt.

Allegorice, tabernaculum est Ecclesia, extra quam nullum sacrificium, aut etiam martyrium Deo placere potest. Ita Radulphus.

4. SANGUINIS REUS ERIT (*q. d.* Mortis reus crit, morte a judice plectetur, si res constet; sin res lateat, a Deo punietur. Unde sequitur), QUASI SI SANGUINEM FUDERIT, SIC PERIBIT DE MEDIO POPULI SUI, — *q. d.* Occidetur perinde ac homicida occiditur. Ob hanc legem Israelitæ bellum appararunt contra Rubenitas, qui aliud altare erexerant, *Josue* XXII, 12. Vers. 4

5. IDEO (ne rei fiant sanguinis et mortis) SACER- Vers. 5

(1) Ita Allioli et Rosenmullerus. Moses, aiunt, studebat ita impedire idololatriam occultam. Finito tamen per desertum itinere, Israelitæ ab hac lege soluti sunt, eisque esus carnis communis concessus est, *Deuter.* cap. XII, vers. 15.

DOTI OFFERRE DEBENT FILII ISRAEL HOSTIAS (vides hic tantum agi de hostiis et sacrificiis, uti dixi vers. 3) SUAS, QUAS OCCIDENT IN AGRO. — Puta quas more aliarum gentium occidere et immolare solent in agro, idque non Deo, sed dæmonibus, ut dicitur vers. 7; vel quas alias in agro occiderent et immolarent, nisi lex hæc vetaret. Id patet ex eo quod sequitur : « Ut sanctificentur (offerantur et consecrentur) Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent (non ergo jam occisæ aut immolatæ, sed immolari solitæ erant hæ victimæ in agro) eas hostias pacificas Domino. » Sub pacificis et holocausta, et victimas pro peccato intellige. Solas tamen pacificas hic nominat : nam tales fere dæmoniis immolabant, quia pacificæ ad offerendum faciliores erant et crebriores, eo quod magna earum pars offerentibus cederet in epulum. Unde Deus ut Judæos ad se suaque sacrificia invitet, pacificas tantum illis hic proponit et nominat.

Vers. 6. 6. FUNDET SANGUINEM SUPER ALTARE, — per circuitum altaris, ut patet cap. III, 2.

7. ET NEQUAQUAM IMMOLABUNT HOSTIAS SUAS DÆMONIBUS, CUM QUIBUS FORNICATI SUNT. — « Dæmonibus, » puta a Satyris, inquit Vatablus. Hisce enim congruit vox Hebræa שעירם *scirim*, quod a שער *sear*, id est pilo, deducitur. Unde proprie significat eos qui pilosi sunt et hirsuti, instar hircorum; tali enim specie et forma apparebant olim dæmones in sylvis, agris et montibus : et hi sunt Fauni et Satyri, quibus Gentiles ibidem sacrificabant, quod hic Judæis prohibet Deus.

Scirim sunt Satyri, quæ.

CUM QUIBUS FORNICATI SUNT, — id est, quibus adhæserunt et sacrificarunt.

Nota : Idololatria in Scriptura vocatur fornicatio, et idololatræ dicuntur fornicari cum idolis, quia relicto Deo vero sponso suo, dant se amori et cultui alterius, videlicet dæmonis. Hinc patet Judæos ante hæc tempora, cum adhuc in Ægypto agerent, coluisse idola, et dæmonibus sacrificasse; idem patet ex *Ezechielis* cap. XVI, vers. 22 et sequentibus.

Judæi in Ægypto coluerunt idola.

Vers. 10. 10. HOMO DE DOMO ISRAEL (homo Judæus) ET DE ADVENIS (de Gentilibus ad judaismum conversis, sive proselytis; hi enim passim in Pentateucho vocantur advenæ) QUI PEREGRINANTUR (hebraice יגור *iagur*, id est qui morantur) INTER EOS (tanquam advenæ et peregrini), SI COMEDERIT SANGUINEM, OBFIRMABO FACIEM MEAM CONTRA ANIMAM ILLIUS, ET DISPERDAM EAM DE POPULO SUO, — scilicet occidam eum, et celeri morte puniam in hac vita, et reprobabo eum in futura, ut videlicet non censeatur, nec sit in populo patris sui Abrahæ, nec in cœtu sanctorum : sed eum inter præputium habentes et alienigenas, inquit Isychius, ac consequenter inter reprobos et damnatos constituam; sic enim e contrario dicitur Abraham congregatus ad populum suum, *Genes.* XXV, 8; et Isaac, *Genes.* XXXV, 29; et Jacob, *Genes.* XLVI, vers. ultimo. Vetatur hic Judæis esus sanguinis sub pœna mortis et damnationis (ut patet ex vers. 4) ob causam quam Deus subdit dicens :

Vers. 11. Sanguinis esus vetatur Judæis sub pœna mortis ob tres causas. Prima.

11. QUIA ANIMA CARNIS IN SANGUINE EST. — Non quasi sanguis ipse sit animatus, sive informatus anima, itaque in se sit vivus et vivat : hoc enim refutant Philosophi; sed sensus est, *q. d.* Quia anima, et per consequens vita carnis, id est animalis, maxime consistit et conservatur in sanguine, quasi dispositione et vehiculo, eo quod sanguis præ aliis humoribus calorem naturalem, et humidum radicale ministret et foveat, atque spiritus vitales formet et suggerat : sicut enim oleum alit ignem in lampade, ita sanguis alit vitam, ait S. Augustinus, *Quæst.* LVII (1).

Secunda.

Rursum, quia sanguis visibilis significat animam invisibilem : ita idem S. Augustinus mox citandus. Sensus ergo est, *q. d.* Veto vobis sanguinis esum, quia vita animalis est in sanguine : volo autem ut vitam non comedatis, ne vitam alicui adimere discatis, atque ut longius vos arceam a crudelitate.

Tertia.

Tertio, quia, ut sequitur, sanguine victimarum fit expiatio pro animabus vestris : cum ergo sanguis mihi quasi sit sacer, volo vos ob mei reverentiam omni omnino sanguine, etiam non immolatitio abstinere. Vide dicta cap. III, vers. 17. Hac etiam de causa, ait Theodoretus, *Quæst.* XXIII, vetuit Deus Judæis esum morticinorum, eo quod sanguis ab eis non fuerit separatus; quod intellige de morticinis sponte mortuis : nam alioqui alia etiam morticina, imo omnia cadavera Judæis fuere vetita, verbi gratia, quæ jugulata et occisa in agris projecta jacebant, in quibus non habet locum hæc ratio Theodoreti, cum per jugulationem sanguis eorum effusus sit.

Tropologice sanguis est cupiditas, caro est vitium, morticinum est opus externum.

Tropologice, sanguis est cupiditas latens, caro est vitium, quia ex cupiditate omne vitium nascitur et vivit; morticinum est opus externum inde procedens. « Sanguis, ait Radulphus, significat carnalem appetitum : Deus autem non solum quid agam, sed etiam quid appetam discernit; antequam ergo quidquam mali exterius operemur, si sanguinem sorbuimus, si iniquitatem corde concepimus, mente a Deo alienati inimicitias ejus incurrimus, quod est sanguinem comedere. »

Quare prudenter Abbas ille in *Vitis Patrum*, cap. *De Fornicat.* : « Cogitatio fornicationis, ait, fragilis est, velut papyrus. Si ergo jactetur in nobis, et non acquiescentes projiciamus illam a nobis, facile rumpitur; iis ergo qui consentiunt

(1) In aliarum quoque gentium sacrificiis *sanguis* et *anima* confunduntur, ut in illis Virgilii, *Æneid.* I, 116 seq.:

> *Sanguine* placastis ventos, et virgine cæsa,
> Cum primum Iliacas Danai venistis ad aras;
> *Sanguine* quærendi reditus, *animaque* litandum
> Argolica.

Ad quem locum ita Servius : « Videtur sane peritia juris Pontificalis animalis hostiæ mentionem fecisse; nam et *animam* dixit, et *litare* verbo pontificali usus, pro eo quod est : sacrificiis Deos placare. »

ei, non est spes salutis : illis autem qui non consentiunt, reposita est corona. » Optimum ergo remedium concupiscentiæ est, si statim ut advertis, generose eam excutias, et mentem oculosque alio divertas. Hinc vere dixit Abbas Hyperichius : « Sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ. »

Vers. 13. 13. SI VENATIONE ATQUE AUCUPIO CEPERIT FERAM VEL AVEM. — Non videntur Judæi, inquit Abulensis, canibus venati, quia si canes in venatione occidissent aut lacerassent feram, illa non potuisset comedi, juxta legem *Exodi* XXII, vers. ult. : venati ergo sunt retibus, fossis, lanceis, sagittis. Verum hoc de canibus non videtur verum ; nam lex illa *Exodi* XXII non loquitur de canibus, sed de bestiis agri (id est feris), uti habet Chaldæus, Septuaginta et Noster. Captum ergo et laniatum a fera comedere non poterant Judæi ; poterant tamen comedere captum a cane.

An Judæi canibus usi sint in venatione?

Vers. 14. 14. ANIMA ENIM OMNIS CARNIS IN SANGUINE EST. — Hebraice, *anima omnis carnis est sanguis ejus*, non quod proprie anima sit ipse sanguis, uti voluerunt nonnulli Philosophi, teste Aristotele, lib. I *De Anima* ; sed causaliter et concomitanter hoc accipi debet, *q. d.* Vita omnis carnis causatur, sustentatur et declaratur per sanguinem. Unde sequitur in Hebræo, *sanguis est* (reputatur) *pro anima*, ut si illum tollas, tollas et animam et vitam. Audi S. Augustinum, lib. II *Contra adv. legis et Proph.* cap. VI : « Sic, ait, dictum est : Anima omnis carnis est sanguis, quomodo dictum est : Petra erat Christus, scilicet non quia hoc erat, sed quia hoc significabatur : non autem frustra lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet invisibilem, per rem visibilem, quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur : ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat : ita quoque anima, quia omnibus quibus constamus invisibiliter prævalet, illo melius significatur, quod omnibus quibus constamus visibiliter prævalet. » Adde ex sanguine fieri spiritus vitales et animales, ut docent medici. Sanguis ergo spiritui servit, spiritus sensibus, sensus rationi.

Sanguis est anima, quo sensu?

Sanguis in corpore humano est princeps.

Vers. 15. 15. ANIMA QUÆ COMEDERIT MORTICINUM (per se mortuum), VEL CAPTUM A BESTIA — a fera aliqua discerptum et prægustatum : ita enim vertit Noster, Septuaginta et Chaldæa, *Exod.* XXII, 31. Sed quia ordinarie id quod capiunt feræ, hoc discerpunt et comedunt, hinc idem est captum a bestia, quod a bestia discerptum et prægustatum.

LAVABIT VESTIMENTA SUA, — si ignorans tale quid comederit (nam si sciens comedisset, gravius mulctatus fuisset) ; insuper offeret sacrificium præscriptum cap. IV, vers. 27.

ET HOC ORDINE MUNDUS FIET. — Hebraice, *et mundus erit*, factis scilicet hisce cæremoniis quas hic præscripsi.

Vers. 16. 16. QUOD SI NON LAVERIT VESTIMENTA SUA, VEL CORPUS, PORTABIT INIQUITATEM SUAM, — id est, pœnas iniquitatis et inobedientiæ suæ feret, et dabit ; et si quidem omiserit hanc sui expiationem per oblivionem, offeret sacrificium sancitum cap. V, vers. 2 ; atque hinc dicitur Deus peccatum transferre in victimam, cum pœnam peccati condonat offerenti, eamque in victimam transfert : sin sciens omiserit, graviter peccavit, nec sacrificio expiabitur, sed pœnitentia et satisfactione Deo facta.

Tropologice, bestiæ sunt dæmones et homines ferinis moribus, a cultu pietatis extranei. Capti a bestia sunt ii, qui ab illis sunt decepti et impulsi ad peccatum. Tales non sunt comedendi, id est imitandi, sed arguendi ; si comedere, id est imitari, quem contigerit, hic lavet vestes et carnem, id est, per pœnitentiam conversationem purget ab opere, et conscientiam a prava voluntate ; atque immundus erit usque ad vesperam, quia, donec æstus tentationis deferbuerit, plenam sui emundationem obtinere non potest : si non laverit se et correxerit, pœnam, quam promeruit, non evadet. Ita Radulphus.

Tropologice.

Prudenter dixit Abbas ille in *Vitis Patrum*, tractatu *De Sobrietate*, quod tres sint præcursores Satanæ, scilicet oblivio, negligentia et concupiscentia. « Etenim, ait, si oblivio venerit, generat negligentiam ; de negligentia vero concupiscentia nascitur ; de concupiscentia vero corruit homo. Si enim ita est sobria mens, ut oblivionem respuat, ad negligentiam non venit ; et si non neglexerit, concupiscentiam non recipit ; si vero concupiscentiam non recipit, nunquam cadet opitulante gratia Christi. » Et Abbas Achilles rogatus : « Quomodo adversum nos pugnant dæmones ? » Respondit : « Per voluntates nostras : nam ligna sunt animæ ; securis, diabolus ; manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. » Abbas vero Pimenius : « Dæmones, ait, nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus ; sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt, et tribulant nos. » Ibidem lib. VII, cap. XXV.

Tres præcursores Satanæ, oblivio, negligentia et concupiscentia.

Mala voluntas est diaboli manubrium.

Verissimum enim est illud S. Ambrosii, *De Vita beata* : « Non est quod cuiquam nostram ascribamus ærumnam, nisi voluntati. Voluntarium sibi militem eligit Christus : voluntarium sibi servum diabolus auctionatur. Neminem jugo servitutis astrictum possidet, nisi se ei prius peccatorum ære vendiderit. »

Nota : Apte diabolus vocatur bestia et fera ; nam *primo*, ut S. Petrus ait : « Ipse quasi leo rugiens circuit, quærens quem devoret ; » *secundo*, quia, ut ait S. Basilius, sicut pardalis in hominem ita furit, ut, si vel ejus imaginem pictam videat, eam concerpat et dilaceret : ita diabolus, cum Deo, quem odit, nocere non possit, ejus imaginem, scilicet hominem, insectatur. *Tertio*, auctor *De Simplicitate Prælatorum*, apud S. Cyprianum : « Diabolus, ait, dictus est serpens, quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens

occutis accessibus serpit (unde et serpentis nomen accepit), ea est ejus astutia, ea est circumveniendi hominis cæca et laboriosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; ut dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam transfigurat se in angelum lucis.»

Quarto, S. Martinus, teste Sulpitio in ejus Vita, « Cordatensem diœcesim visitaturus profectus, cum discipulis, vidit mergulos in flumine piscari, piscium prædam sequi, et rapacem ingluviem assiduis urgere capturis. Tum dixit : Forma hæc dæmonum est, qui insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturari non queunt devoratis. »

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribuntur gradus consanguinitatis et affinitatis, in quibus matrimonium contrahere non licet. Primo ergo, in gradibus consanguinitatis, vetat matrimonium et copulam cum patre et matre, vers. 7; cum noverca, vers. 8; cum sorore, vers. 9; cum nepte, vers. 10; cum sorore privigna, vers. 11; cum amita et matertera, vers. 12 et 13. Secundo, in gradibus affinitatis vetat matrimonium et copulam cum uxore patrui, vers. 14; cum nuru, vers. 15; cum uxore fratris, vers. 16; cum filia et nepte privigna, vers. 17; cum sorore uxoris, vers. 18. Tertio, vers. 20, vetat adulterium, sodomiam, bestialitatem, et ne semen suum offerant Moloch, uti fecerunt Chananæi, quos proinde Deus terra sua se expulsurum minatur.

Judæis vetita fuit copula, primo, cum matre; secundo, cum noverca; tertio, cum sorore; quarto, cum nepte; quinto, cum sorore privigna; sexto, cum amita. Rursum in affinitate: primo, cum uxore patrui; secundo, cum nuru; tertio, cum fratria; quarto, cum nepte privigna; quinto, cum sorore uxoris.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Ego Dominus Deus vester ; 3. juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis; et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. 4. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester. 5. Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus. 6. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. 7. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. 8. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies : turpitudo enim patris tui est. 9. Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. 10. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis : quia turpitudo tua est. 11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. 12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies : quia caro est patris tui. 13. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ. 14. Turpitudinem patri tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. 15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. 17. Turpitudinem uxoris tuæ, et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus : quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est. 18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente. 19. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. 20. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. 21. De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 22. Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. 23. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. 24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, 25. et quibus polluta est terra : cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores

suos. 26. Custodite legitima mea atque judicia, et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinantur apud vos. 27. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. 28. Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. 29. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. 30. Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

Vers. 3. 3. NEC IN LEGITIMIS EORUM AMBULABITIS. — *Legitima* vocantur leges, maxime cæremoniales; has enim proprie significat Hebræum חקות *chuckot*, *q. d.* Gentium ritus et cæremonias quibus ipsi colunt sua idola et dæmones, aversabimini.

Vers. 4. 4. FACIETIS JUDICIA MEA ET PRÆCEPTA. — « Judicia, » id est præcepta judicialia, quæ justitiam et honestum convictum inter te et proximum statuunt: unde sequentes leges matrimoniales ad hæc judicia pertinent; « et præcepta, » scilicet cæremonialia, quibus rite colatis me. Hæc enim sunt *chuckot*, uti rursum habent Hebræa.

Vers. 5. 5. QUÆ FACIENS HOMO, VIVET IN EIS, — *q. d.* Servans hasce meas leges, a me vita diuturna et prospera donabitur, ut diu « in eis, » id est per ea; vel « in eis, » id est in eorum observatione ad ea rursus complendum, et in eis ambulandum vivat. Ita Abulensis, Oleaster, Vatablus; imo idipsum innuit Apostolus, *Rom.* x, 4, 5 et 13, ubi hoc discrimen Testamenti novi et veteris insinuat, quod vetus promitteret vivere in eis (suis legibus), id est, promitteret vitam temporalem, ad eas rursum continue perficiendas; novum vero absolute promittat vitam et salutem æternam. Judæi tamen qui pii erant et sancti, hasce leges veteres servabant ex charitate: unde per hoc merebantur quoque vitam æternam. Sed de ea hic ad litteram non agitur: nam et alibi passim bona, quæ Judæis promittuntur, et terrena sunt et temporalia, non cœlestia et æterna, ut patet *Exod.* XXIII, 26; *Deuter.* VII, 13; *Isai.* I, 19; *Aggæi* II, 20; *Malach.* cap. III, 10. Idem voluit Chaldæus vertens: *Vivet vita sæculi*, id est diuturna, quanquam Interpres Bibliorum Regiorum verterit: *Vivet vita sempiterna*.

Anagogice: Sancti, inquit Radulphus, per Spiritum edocti, hanc vitam ad terram viventium in cœlis referebant, uti ille qui canebat: « Credo videre bona Domini in terra viventium; » et Tobias, cap. II: « Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. »

Vers. 6. 6. OMNIS HOMO AD PROXIMAM SANGUINIS SUI (non quamlibet, sed eam solam, quam sequens sermo determinabit, inquit Radulphus) NON ACCEDET, UT REVELET TURPITUDINEM EJUS. — *Turpitudo* vocantur membra inhonesta, quæ hebraice vocantur *nuditas*, per antiphrasin, eo quod minime deceat illa esse nuda. Revelare ergo turpitudinem alicujus, est illam cognoscere, et cum ea rem habere, sive in matrimonio, sive extra illud. Est hebraica et verecunda metalepsis.

EGO DOMINUS, — qui amo honestatem et verecundiam, cui illam hic mandanti obtemperandum est, ni eum vindicem experiri velitis.

Vers. 7. 7. TURPITUDINEM PATRIS TUI, ET TURPITUDINEM MATRIS TUÆ NON DISCOOPERIES. — Vetatur hic matrimonium et copula cum patre (1) et matre; nam tanta fuit corruptela Gentilium, ut de Persis Theodoretus, *Quæst.* XXIV, hoc asserat: « Persæ, inquit, in hunc usque diem non sororibus solum, sed etiam matribus et filiabus nuptiarum lege permiscentur. Pari modo apud Ægyptios usitata fuisse conjugia fratris cum sorore, auctor est Diodorus, lib. I, cap. II. Hinc Theocritus celebrat nuptias Ptolemæi Philadelphi cum Arsinoe sorore, tanquam nuptias Junonis et Jovis. Denique hic vers. 3, satis significat Moses, tam Ægyptiorum quam Chananæorum in hisce connubiis et libidinibus corruptissimos fuisse mores. De aliis gentibus barbaris audi Euripidem in *Andromede*:

Persæ nuptias inibant cum matribus et filiabus; Ægyptii cum sororibus.

> Tale est omne barbarum genus,
> Pater cum filia, filius cum matre;
> Miscetur soror cum fratre.

Indos, Æthiopes ac Medos cum matribus et filiabus concumbere solitos, testis est S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.*

Quin et de Romanis audi S. Gregorium ad interrogat. Augustini, cap. VI: « Quædam, ait, terrena lex in Romana republica permittit, ut sive frater, sive soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur; sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non solere succrescere. »

Et Romani.

Vers. 8. 8. TURPITUDINEM UXORIS PATRIS TUI NON DISCOOPERIES, — *q. d.* Non habebis rem cum noverca tua.

TURPITUDO ENIM PATRIS TUI EST. — Hebraice, *nuditas enim patris tui est*, *q. d.* Eam nudavit et cognovit pater tuus: unde omnino indecens et inhonestum est ut tu eam cognoscas.

Vers. 9. 9. TURPITUDINEM SORORIS TUÆ EX PATRE (quæ

(1) Multi *nuditatem patris tui* active capiunt, *q. d.* Eam quam nudavit, aut nudare potestatem habet pater tuus, id est, cum uxore patris tui ne concumbas, sive ea sit mater tua, sive noverca; unde expositionis gratia additum volunt *et* (id est *scilicet*) *nuditatem matris tuæ*. Neque de tali flagitio vetando, quale esse patris pudenda retegere, ad impii Chami exemplum, ullus unquam legislator cogitavit.

eumdem tecum habet patrem, sed aliam matrem), SIVE EX MATRE (quæ eamdem tecum habet matrem, sed alium patrem), QUÆ DOMI VEL FORIS NATA EST, NON REVELABIS. — « Domi nata est, » quæ nata est ex legitimo matrimonio et conjuge; conjux enim sola legitime ad domum viri pertinet : hinc *foris nata* dicitur, quæ nata est ex pellice vel concubina. Ita Radulphus et Abulensis. Verum simplicius verba ut sonant accipies; ne quis enim putaret vetari tantum conjugium sororis quæ domi nata est, lex addidit, « vel foris nata est : » talis est, verbi gratia, illa quam de priori marito mater susceperat, et cum qua in domum venerat, quando secundo huic marito nupsit, *q. d.* Uterinam sororem, etiam foris et extra domum natam nemo ducet. Ita S. Augustinus, cujus et hæc præclara est vox, lib. XVII *De Civit.* : « Commixtio sororum et fratrum quanto est antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente. » Ita Amnon incestum cum Thamar sorore morte luit, II *Reg.* XIII, 32.

Vers. 10. 10. TURPITUDINEM FILIÆ FILII TUI, VEL NEPTIS EX FILIA NON REVELABIS, QUIA TURPITUDO TUA EST, — quia scilicet a te recta linea descendit neptis, ideoque tecum quasi una censetur, ut, si ejus turpitudinem reveles, tam tuam quam ejus turpitudinem reveles; et si ejus partibus inhonestis abutaris, tam indigne agas, quam si tuis abutereris. Ita Abulensis et Oleaster.

Vers. 11. 11. TURPITUDINEM FILIÆ UXORIS PATRIS TUI, QUAM PEPERIT PATRI TUO, ET EST SOROR TUA, NON REVELABIS, — *q. d.* Filiam novercæ tuæ, quæ tibi quasi est soror agnata, non duces, nec cognosces.

Vers. 12. 12. TURPITUDINEM SORORIS PATRIS TUI NON DISCOOPERIES (*q. d.* Non duces, nec cognosces amitam tuam), QUIA CARO EST PATRIS TUI, — quia scilicet est consanguinea patris tui. Hebraice est, *quia reliquiatum est patris tui* : nam pater et amita ab uno parente, et una carne decisi sunt, cujus unam partem habet parens, alteram soror ejus, quæ est amita nepotis, *q. d.* Quia amita proxime contingit patrem tuum, ita ut una videatur esse caro cum eo : hinc non decet ut ejus turpitudinem reveles, sicut non decet ut reveles turpitudinem patris tui. Abulensis putat hic a pari prohiberi matrimonium patrui cum nepte, sicuti prohibetur amitæ cum nepote : est enim idem utrobique gradus consanguinitatis. Verum melius censet Cajetanus illud non prohiberi, quia non exprimitur, uti cætera omnia, quæ tam exacte et minutim hic a Mose describuntur. Unde talis matrimonii exemplum est in Othoniele et Axa, *Judic.* I, 13.

Prohibetur copula amitæ cum nepote, non patrui cum nepte, cur?

Quæres, cur potius vetuit Deus matrimonium cum amita, quam cum patruo?

Respondeo : Causa est, quod cum vir caput sit uxoris, si nepos duceret amitam, oporteret eam subesse nepoti; hoc autem indecens est : in altero autem, patruo subest neptis, quod decentius est

14. TURPITUDINEM PATRUI TUI NON REVELABIS (ut scilicet uxorem ejus ducas aut cognoscas, ipso etiam mortuo. Unde explicando subdit Moses) : NEC ACCEDES AD UXOREM EJUS. — Præcedentes gradus hucusque vetiti fuerunt consanguinitatis; hic incipiunt gradus affinitatis olim vetiti, qui a copula carnali promanant, uti priores consanguinitatis derivantur ab eadem communi origine, puta ab eodem patre, avo, vel abavo. Vers. 14. Gradus affinitatis olim vetiti in conjugio.

15. TURPITUDINEM NURUS TUÆ NON REVELABIS, — non habebis rem, nec jungeris matrimonio cum uxore filii tui, etiam eo mortuo. Vers. 15.

NEC DISCOOPERIES IGNOMINIAM EJUS, — id est turpitudinem, hebraice *nuditatem*, scilicet nurus, non filii, ut vult Abulensis. Patet ex Hebræo.

16. TURPITUDINEM UXORIS FRATRIS TUI NON REVELABIS : QUIA TURPITUDO FRATRIS TUI EST. — Excipe, nisi frater moriatur sine liberis : tum enim non tantum potest, sed et debet eam frater mortui accipere uxorem, ut suscitet semen et liberos fratri suo, uti præcipitur *Deuteron.* XXV, 5. Tantum ergo vetatur hic ne frater fratriam, id est fratris uxorem, ducat, si ex ea supersint liberi, vel si illa per repudium a fratre adhuc vivente discesserit. Ita S. Augustiuus, *Quæst.* LVIII. Hinc patet quam perperam Henricus VIII, Angliæ rex, ex hac lege voluerit repudiare Catharinam uxorem suam, quasi matrimonium cum ea initum esset irritum, ex eo quod ipsa prius nupta fuisset Arcturo fratri Henrici; nam Arcturus ex Catharina prolem non susceperat, itaque juxta legem *Deuter.* XXV, 5, debuisset Henricus ducere Catharinam, ut ex ea suscitaret semen Arcturo fratri suo. Hanc enim legem esse juris naturæ, ac proinde etiamnum Christianos obligare prætendebat Henricus : quod an verum sit disputabo vers. 18. Perperam quoque Tertullianus, lib. *De Monogamia*, cap. VII, per fratrem hic quemvis Judæum, sive non allophylum intelligit, quasi lex hæc vetet, Judæi mortui uxorem ab alio quolibet Judæo duci, præcipiatque ei monogamiam; nam certum est fratrem hic proprie accipi : sic enim proprie capiuntur pater, mater, soror, aliaque cognationum vocabula quæ hic recensentur. Vers. 16. An Henricus VIII, Angliæ rex, ex hac lege potuerit repudiare Catharinam uxorem suam? Tertulliani error.

17. TURPITUDINEM UXORIS TUÆ, ET FILIÆ EJUS NON REVELABIS; — τὸ *et* copulatim accipe, *q. d.* Non contrahes matrimonium cum matre et filia ejus, id est privigna tua, ut vel simul, vel successive utramque habeas uxorem. Vers. 17.

FILIAM FILII EJUS, ET FILIAM FILIÆ ILLIUS NON SUMES, UT REVELES IGNOMINIAM (hebraice *nuditatem*) EJUS, QUIA CARO ILLIUS SUNT (quia scilicet conjunctæ sunt et sanguine proximæ uxori tuæ, ac proinde omnino indecens est, ut tu earum turpitudinem reveles), ET TALIS COITUS INCESTUS EST. — Hebraice, *nefas est*; Septuaginta, *impietas est*; Chaldæus, *consilium peccatorum est*.

Porro incestus est consanguinearum vel affinium abusus, ideoque est distincta species luxuriæ triplici de causa, inquit D. Thomas II II, Incestus turpitudo quadruplex.

Quæst. CLIV, art. 9 : « *Primo*, quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus et cognatis, in tantum quod apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari, nec se invicem nudos conspicere ; *secundo*, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari, sicque continuo haberent occasionem luxuriæ, nimisque emollescerent ; *tertio*, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, ut docet S. Augustinus, lib. XV *De Civitate*, cap. XVI. Addit, *quarto*, Aristoteles in II *Politic.*, quia, cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, et maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat. »

Hinc incestus dicitur quasi non castus : licet alii deducant a cesto, id est cingulo, quo uxor, cum maritalis illi fides dabatur, a marito cingebatur, vel potius discingebatur, dicente Phyllide apud Ovidium in epistola *ad Demophoonta* :

> Cui mea virginitas avibus libata sinistris,
> Castaque fallaci zona recincta manu.

Sic ergo incestus est concubitus illegitimus, cui cingulum legitimarum nuptiarum insigne, ob consanguinitatem, adhiberi nequit.

Denique S. Augustinus, et habetur XXXII *Quæst.* VII, cap. *Adulterii* : « Adulterii, ait, malum vincit fornicationem ; vincitur autem ab incestu. Pejus est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere. »

Vers. 18. 18. SOROREM UXORIS TUÆ IN PELLICATUM ILLIUS NON ACCIPIES. — Hebraice additur, *ad affligendum illam*, si videlicet videat sororem sibi superinduci velut pellicem, itaque oriatur inter eas simultas et æmulatio. Vide *Gen.* XXX, 1.

NEC REVELABIS TURPITUDINEM EJUS ADHUC ILLA VIVENTE, — quia illa mortua potes accipere uxoris tuæ sororem in conjugem : hoc enim lege veteri licuit, sed in nova jam non licet. Jam enim affinitas usque ad quartum gradum dirimit matrimonium, sicut et consanguinitas.

An hi gradus jure naturæ irritent matrimonium, sintque indispensabiles ? Affirmarunt alii. Eorum ratio.

Quæres, an hi gradus omnes, qui hoc capite recensentur, jure naturæ ita absolute sint prohibiti, ut irritent matrimonium, nec Pontifex in iis dispensare possit?

Affirmavit Henricus VIII, qui hanc legem prætendit suo divortio cum Catharina ; affirmarunt idem eodem tempore nonnulli Doctores in variis Universitatibus, sed Angelottis Henrici corrupti. Ratio eorum erat, quod Chananæi contra has leges peccantes, puniti sint a Deo, ut patet vers. 24 ; atqui Chananæi non habebant aliam legem quam naturæ : ergo leges hæ sunt leges naturæ.

Respondeo negative. Prob. primo.

Verum contrarium est de fide : probatur *primo*, ex definitione Concilii Tridentini, *Sess.* XXIV, can. 3 : « Si quis, ait, dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant ; anathema sit. »

Secundo. *Secundo*, Jacob duas sorores Rachel et Liam uxores habuit, quod tamen hic vetatur vers. 18.

Tertio. *Tertio*, si quod hic dicitur, ut nullus fratris sui uxorem ducat, absolute sit præceptum naturale, ergo non licuisset pariter ex lege naturæ, eamdem ducere eo casu, quo frater sine liberis erat mortuus : quod tamen licuit, ut patet *Deuter.* XXV, 5 ; quod enim absolute jure naturæ est vetitum et malum, nullo casu licet. Rursum si hæc lex esset naturæ, debuisset hic tam prohiberi matrimonium patrui cum nepte, quam amitæ cum nepote. Illa enim causa discriminis et disparitatis quam dedi vers. 12, exilis est, neque sufficit ad jus naturæ evertendum, neque tollit consanguinitatis in pari gradu vinculum æquale.

Quarto. *Quarto*, idipsum patet ex communi praxi Ecclesiæ, quæ sæpe in gradibus hic prohibitis dispensavit et dispensat, uti dispensavit Pontifex cum Catharina Arcturi conjuge, ut eo mortuo nuberet Henrico VIII, fratri Arcturi Angliæ regi.

Quinto. Denique communis Doctorum sententia est, solos gradus consanguinitatis lineæ rectæ inter ascendentes et descendentes, et ut summum primum gradum in linea transversa, qui est fratris cum sorore (quanquam hoc ipsum neget Cajetanus), jure naturæ irritum facere matrimonium.

Respondeo ad argumentum primæ sententiæ. Hi ergo gradus vetiti sunt Judæis lege divina positiva, quæ jam abolita est, et Christianos non obligat : Ecclesia tamen hanc legem renovavit, et eosdem gradus in connubiis Christianis vetuit (atque alios insuper addidit) ; idque *primo*, quod natura et naturalis verecundia ab eis abhorreat, cui sine justa causa contraire peccatum est : unde et Gentes Chananæorum contra facientes, hic a Deo punitæ et expulsæ dicuntur vers. 24. Ubi tamen nota Gentes illas magis ob idololatriam, sodomiam aliaque scelera expulsas fuisse, uti dicam vers. 28.

Secundo, quia lex naturæ huc inclinat, ut talia matrimonia irritentur per legem positivam, in quam proinde cadit dispensatio, quando aliunde majus bonum commune id exposcit, et facile rependit tegitque indecentiam, et quidquid naturali pudori alias videretur in hac conjunctione contrarium. Atque hinc patet, quid respondendum sit ad rationem in contrarium allatam. Atque hoc tantum voluit Concilium Toletanum, *Sess.* II, cap. V, cum ad hasce Levitici leges alludens ait : « Sancimus ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari ; quoniam scriptum est : Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat ; nec sine denuntiatione fit sententiæ ; nam infert : Anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui. »

Concilii Toletani explicatio.

Vers. 19. 19. NEC REVELABIS FOEDITATEM (id est, *turpitu-*

dinem) EJUS, — hebraice enim est ערות *eruat*, id est nuditatem, quam Noster interpres passim hic *turpitudinem* vertit.

Vers. 21. 21. DE SEMINE TUO NON DABIS, UT CONSECRETUR (1) IDOLO MOLOCH : NEC POLLUES NOMEN DEI TUI. — Moloch quis? Moloch, Melech, Melchom idem sunt quod rex. Quæres, quodnam fuerit idolum Moloch? Nota, *Moloch* idem esse cum *Molech* (uti jam punctant et pronuntiant Hebræi), et cum *Melech*, id ex rex; et cum *Melchom*, id est rex eorum. Unde S. Hieronymus in *Isaiæ* LVII Moloch vocat regem, et Septuaginta hic Moloch vertunt ἄρχοντα, id est principem. Vocatus est ergo *Moloch*, id est rex et princeps, scilicet hominumque Deumque, ob insignem observantiam cultumque illius idoli, quasi ipse summus esset omnium Deus. Sic et Æthiopes etiamnum Deum vocant אמלך *emlach*, id est regem, ab Hebræo *Melech*, id est rex.

Moloch fuit deus Ammonitarum, cui filios immolabant. Dico *primo* : Moloch fuit Baal, id est deus Ammonitarum, cui Judæi non tantum semen suum per mollitiem et idololatriam, sed et filios suos per parricidium et idololatriam, eos igne comburentes, offerebant. Patet hoc IV *Regum* cap. XXIII, 10, ubi Josias edixit, « ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch. » Et *Jerem.* XXII, 35 : « Ut initiarent filios suos et filias suas Moloch ; » et *Psal.* CV, vers. 37 et 38 : « Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis, » puta Moloch.

Ritus offerendi et cremandi pueros Moloch. Dico *secundo* : Hebræi, et ex iis Lyranus, Abulensis, Adrichomius, A Castro, et passim recentiores tradunt quod idolum Moloch fuerit statua concava manus habens latas, in quibus ponebatur puer immolandus, qui igne statuæ intrinsecus subjecto comburebatur, vel traducebatur per ignem, id est impellebatur per ignem in brachia Moloch, ut ejus quasi amplexu cremaretur, itaque gratum fieret deo Moloch sacrificium, et tunc dicebant puerum a diis ad æthera raptum. Talis enim describitur statua Saturni (qui vel similis, vel idem fuit cum Moloch) a Diodoro, lib. XX; licet alii, sed pauci, putent puerum per os Moloch injectum fuisse in ejus ventrem, ibique combustum. Verum vastum nimis et horrendum fuisset hoc os. Sin autem filias et filios non comburendos, sed sacris Moloch initiandos offerrent, tunc eos per medium duarum pyrarum adigebant ad idolum. Vide Plutarchum, libro *De Superstitione*. Jam ne puerorum vel ita adactorum, vel ardentium et morientium ejulatus audiretur a parentibus, sacerdotes aliique idoli ministri pulsabant תוף *toph*, id est tympanum : inde locus dictus est *tophet*, sicut a possessoribus, puta a filiis Hennom, dictus est *gehennom*, id est, vallis Hennom. Unde a simili crudelitate et incendio, infernus a Christo vocatur gehenna, *Matth.* V, 23. Porro certum est

Tophet dicitur a *toph*, id est tympano, cur? *Gehenna* unde dicta?

(1) Pro *consecretur* hebr. est להעביר *ad traducendum* eos, scil. per ignem, mollius dictum, ut videtur, pro ad eos comburendum. Septuaginta habent οὐ δώσεις λατρεύειν; videlicet legerunt להעביד, quæ lectio est textus Samaritani. Rem in dubio reliquit Vulgatus.

Judæos in deserto coluisse Moloch, ut patet *Actor.* cap. VII, vers. 43. Et sane eos illi valde fuisse addictos conjicitur, ex eo quod studiose tum hic, tum cap. XX, præ cæteris idolis illius cultus eis vetetur. Forte Judæi ad hoc incitati sunt per exemplum Abrahæ parentis sui, qui filium suum Isaac Deo immolavit; sed perperam. Abraham enim id fecit ex peculiari et expresso Dei mandato, atque suum Isaac non idolo, sed Deo vero immolavit. Hac enim ex causa multi censent Moloch Judæorum habuisse caput vituli, eo quod Judæi in deserto Serapim, id est vitulum, coluerint.

Judæi coluerunt Moloch, unde?

Moloch erat capite vitulino.

Dico *tertio* : Œcumenius in *Actor.* VII, et Arias Montanus in *Amos* I, putant Moloch esse Mercurium : hunc enim dictum esse Moloch, a מלאך *malach*, id est nuntius, eo quod ipse haberetur animarum ductor, et deorum nuntius. Cajetanus putat Moloch fuisse Priapum. Alii censent Moloch fuisse Jovem : hic enim est Melech, id est, rex deorum. Alii, inter quos est Christophorus a Castro in *Jeremiæ* XXII, 35, opinantur, et forte verisimilius, Moloch fuisse Saturnum : licet enim Gentiles non tantum Saturno, sed et Jovi, Dianæ, Baccho, Marti, Palladi, Agraulidi, Diomedi humano sanguine litarint, uti testatur Cyrillus, lib. IV *Contra Julianum*, post initium, et fuse Eusebius, lib. IV *De Præparatione*, cap. VII, ex Diodoro, Dionysio Halicarnasseo, Manethone et aliis idipsum docet : tamen Phœnices sive Chananæos (quibus vicini erant Judæi) et ab eis prognatos Carthaginenses, proprio Saturno immolare solere homines amicissimos et pueros suos, præsertim in gravi aliqua calamitate ad eam avertendam, docet Eusebius supra, et Philo, lib. I *Histor. Phœnicum*, Curtius, lib. IV, et Diodorus, lib. XX. Unde Imilce, Annibalis uxor, cum Aspar filius ejus esset mactandus :

Moloch fuit Mercurius vel Priapus, vel Jupiter, vel potius Saturnus.

Phœnices et Carthaginenses filios immolabant Saturno. Saturno immolatus fuit Hannibalis filius.

Me me, *ait*, quæ genui, vestris absumite votis.

Ita Silius Italicus, lib. IV *Punicorum*.

Hinc et Plato, Plutarchus et Dionysius Halicarnasseus docent apud Phœnices, Carthaginenses, Rhodios et Cretenses moris fuisse, ut infantes principali honore insignes, quos sors jacta designasset, in regio ornatu Saturno immolarentur : a quibus sacris cum postea descivissent Carthaginenses, victi ab Agathocle, ac deos propterea subiratos arbitrantes, ducentos nobilium filios mactarunt, diisque immolarunt, ait Festus apud Lactantium, lib. I *De Falsa Religione*, cap. XXI. Atque hac de causa finxerunt Poetæ Saturnum voluisse devorare Rheæ parentis filios, sed sonitum et vocem matris, atque Jovis pueri vagitum eum avertisse et deterruisse. Ita S. Augustinus, lib. VII *De Civit.* IX.

Et alii 200 nobilium filii.

Similis idololatria hoc nostro sæculo viguit apud Indos : Mexicani enim quotannis ad 20 hominum millia immolabant dæmoni; et in Mechoacam urbe dæmon sibi offerri postulabat id

Mexicani quotannis viginti hominum

millia immolabant dæmoni.

quod civibus erat charissimum, uti sponsam, vel infantem speciosum : ea de causa indigenæ tam truculentum Deum perosi, Christi fidem obviis ulnis sunt amplexi, ut P. Antonio Mendozio Provinciali Societatis nostræ, Mechoacani proceres testati sunt. Disce hic crudelitatem dæmonis, qui pro suis exiguis donis quæ suis largitur, tam pretiosas, calamitosas et funestas sibi deposcit victimas. Idem hodie experiuntur sagæ, imo peccatores omnes, qui pro vili voluptate animam suam diabolo vendunt ad æterna tormenta.

Crudelitas dæmonis in suos.

Audi ex adverso pietatem et benignitatem Constantini Imperatoris, qui lepra percussus, cum consilio quorumdam, puerulorum sanguine lavandus esset, audiens matres ejulantes, et causa tanti luctus cognita, illacrymans dixit : « Romani imperii dignitas et amplitudo fontem et radicem habet veram pietatem. Ut igitur ex ea me provenisse ostendam, valetudinem meam innocentium puerorum vitæ posthabeo. » Ita Nicephorus, lib. VII *Historiarum*, cap. XXXIV. Hinc Deus illi rependit sanitatem per baptismum, tantumque imperii decus et gloriam.

Semen suum dant Moloch, qui proles dæmoni devovent vel in hæresi educant.

Tropologice, Moloch semen suum dant, qui boni aliquid operantur vanæ laudis, vel honoris terreni acquirendi gratia, inquit Radulphus.

Longe verius semen suum dant Moloch, qui proles suas dæmoni devovent, qui eas in hæresi, libidinibus, rapinis aliisque peccatis educant.

Sed cui? Moloch, id est, regi crudelissimo, tyranno maximo, scilicet diabolo. « Injustum est, ait S. Gregorius, servire diabolo, qui nullo placatur obsequio. » Et S. Augustinus, *sermone 4* : « Quid, ait, pravius? quid malignius? quidve nostro adversario nequius? qui posuit in cœlo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, et in omni opere nostro zizania seminavit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præsulatu sive dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore locutiones falsas, in membris operationes iniquas : in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos movet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem. Sed ut brevius loquar, omnia mala mundi ejus pravitate sunt commissa. » Hinc est ignis concupiscentiæ, quo suos hic Moloch adurit, ut eos secum igne gehennæ comburat.

NEC POLLUES NOMEN DEI TUI. — Hoc enim mihi meoque nomini esset dedecori, si me relicto, vel in mei injuriam coleres idola, et maxime Moloch tam infami cultu.

Vers. 23. 23. CUM OMNI PECORE NON COIBIS, — *q. d.* Cum nullo pecore coibis. Nota : *omnis non* idem est quod *nullus*, etiam juxta regulas æquipollentiarum apud nostros Dialecticos. Secus est *non omnis* : hoc enim apud Dialecticos idem est quod *aliquis non;* apud Hebræos vero sæpe idem est quod *nullus*. Unde sequitur :

Vers. 24. 24. NEC POLLUAMINI IN OMNIBUS HIS, — id est, in nullo eorum polluamini.

Vers. 25. Scelera polluunt terram.

25. QUIBUS POLLUTA EST TERRA. — Hinc disce vitia, præsertim enormia, esse tam horrenda et putida, ut non tantum ipsos peccatores polluant, sed et terram in qua ipsi habitant, hac infamia aspergant, ut a sceleratissimis incolis scelerata ipsa et polluta vocetur.

CUJUS (scilicet terræ, id est *quorum*, scilicet in terra ista habitantium) EGO SCELERA VISITABO, — id est puniam; est metonymia. Terra enim, quæ immediate ante proprie capiebatur, hic metonymice pro terræ incolis capitur. Ita S. Augustinus, *Quæstione* LVIII.

Vers. 26. 26. TAM INDIGENA QUAM COLONUS. — « Colonus » vocatur hic incola, qui in Hebræorum coloniam et legem transiit et inter eos « peregrinatur, » id est habitat.

Vers. 29. 28. CAVETE ERGO NE ET VOS SIMILITER EVOMAT, CUM PARIA FECERITIS, SICUT EVOMUIT GENTEM QUÆ FUIT ANTE VOS. — Nota τὸ *evomuit, q. d.* Cum Deus Chananæos sua terra per Hebræos expulit, etiam ipsa terra quasi gaudens et probans, neque retinens, sed dimittens eos, quodammodo ejecit ipsos. Loquitur de futuro quasi de præterito prophetice : « evomuit, » id est, certo et brevi evomet. Rursum est hic metaphora Hebræa, qua ad majorem emphasin, vita et actio animalis tribuitur rei inanimæ.

Terra evomuit Chananæos. Quomodo?

Simili tropo dicitur terra gemere, clamare, irasci et expetere vindictam, ut : « Excandescet in illos (reprobos) aqua maris, » *Sapient.* cap. V. « Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, » *Rom.* VIII. Hoc enim tropo vult significare Scriptura enormitatem criminum, quod scilicet ipsæ creaturæ irrationales suo creatori semper obedientes, et pro illo pugnantes detestentur peccatores tales, eosque terra quasi evomat, cum illi expelluntur ab ea : detestentur, inquam, detestatione et appetitu naturali, quo in ordinem suum, totiusque universi, ac Dei voluntatem implendam feruntur, atque aversantur ea quæ sunt his contraria : idem facturæ appetitu rationali, si eum haberent. Scelera ergo Chananæorum causa fuerunt, cur ipsi ab Hebræis possessione sua depulsi sunt.

Ubi nota scelera hæc Chananæorum fuisse adulteria, idololatrias, sodomias, bestialitates, etc., de quibus vers. 20 et seq., potius quam connubia cum neptibus, affinibus et cognatis, superius recensita; quia hæc jure naturæ non erant irrita, sed tantum habebant indecentiam et inverecundiam quamdam, ob quam videntur tantum venialia fuisse peccata : quod enim jam sint mortalia, quodque irritent matrimonium, id habent ex jure positivo humano. Ita Cajetanus, Bellarminus et Sanchez, tom. II *De Matrim.* lib. VII, Quæst. LII.

Hujus expulsionis Chananæorum aliam quoque

Putat S. Augustinus Chananæos expulisse Semitas ex Chanaan, ideoque

causam dant S. Augustinus, serm. 105 *De Temp.*, et Epiphanius, lib. II *Contra Hæres.* cap. LXVI, et Andreas Masius in *Josue* I, scilicet Chananæam in divisione orbis cessisse Sem ejusque posteris; sed Chananæos, posteros Cham, vi nepotes Sem inde expulisse, ac proinde jure a Deo Hebræis, nepotibus Sem, eam restitutam esse, hujus rei argumentum esse, quod Melchisedech, qui vel Sem fuit, vel ex Sem natus, in Chananæa habitarit. Verum Chananæam in sortitione orbis cessisse Chananæis, non Semitis, ostendi cap. IX et X *Genes.* Rursus, Melchisedech non fuisse Sem, vel Semitam, sed potius ex Cham et Chanaan prognatum, ostendi *Genes.* XIV.

ab Hebræis fuisse expulsos. Contrarium videtur verius.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanciuntur promiscue præcepta quædam moralia et cæremonialia, partim ante recensita, partim nova: quale est de non serendo agro diverso semine, de veste ex lana et lino non induenda, vers. 19, *de præputiis arborum circumcidendis, vers.* 23, *de coma in rotundum non attondenda, de non radenda barba, vers.* 27, *de non incidenda carne, vers.* 28.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. 3. Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester. 4. Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. 5. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis: 6. eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero; quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. 7. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit et impietatis reus, 8. portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo. 9. Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges. 10. Neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. 11. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. 12. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. 14. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum; sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. 15. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. 16. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. 19. Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris. 20. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, et non morientur, quia non fuit libera; 21. pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem; 22. orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum. 23. Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. 24. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. 25. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes

poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester. 26. Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia. 27. Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. 28. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus. 29. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. 30. Sabbata mea custodite, et Sanctuarium meum metuite. Ego Dominus. 31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. 32. Coram cano capite consurge, et honora personam senis; et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus. 33. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei; 34. sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. 35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. 36. Statera justa, et æqua sint pondera: justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. 37. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.

Vers. 2. 2. SANCTI ESTOTE. — « Sancti, » id est mundi et puri ab omni immunditia carnis et spiritus, ab omni peccato et irregularitate legali.

Vers. 3. 3. MATREM SUAM TIMEAT, — revereatur.

Vers. 4. Idola vocantur *elilim* quintuplici etymo et causa. 4. NOLITE CONVERTI AD IDOLA. — Pro *idola* hebr. est אֱלִילִם *elilim*, id est vanitates, res vanæ et nihili, qualia sunt idola, quæ vanam et mendacem umbram Divinitatis præ se ferunt; *secundo, elilim* est diminutivum ab אֵל *el*, id est *Deus*, qua fortis, quasi dicas : Deiculi, forticuli; quod Flandrice dicimus *Godekens; tertio, elil* idem est quod אַל אֵל *al el*, id est *non Deus* : idola enim non sunt vere dii; *quarto, elil* idem est quod אֵל לֵיל *el lail*, id est *Deus noctis*, hoc est nocturnus, lucifugus, qui in tenebris ambulat : tales sunt dæmones qui in idolis coluntur; *quinto, elil* alludit ad rad. אָלָה *ala*, id est *exsecratus est* : sunt enim idola res exsecrandæ. Ita Oleaster.

NEC DEOS CONFLATILES FACIETIS VOBIS. — Est synecdoche; ex parte enim totum intelligitur: nam per deos conflatiles accipit omnia idola, sive fusilia sint et conflata, sive ductilia, sive sculptilia. Ita S. Augustinus, et ex eo Radulphus.

Avarorum idolum est æs et aurum conflatile. Tropologice, avari pro diis habent massas auri; hi enim sunt eorum dii conflatiles, hi sunt *elilim* : quam sapiunt qui non *elilim*, id est vanitates et insanias falsas, sed *el*, id est Deum fortem et verum, colunt, qui veras opes tribuit non in ista terra morientium, sed in supera illa terra viventium! Felices, quibus solus, tu Domine, es spes et res, et omne opus eorum oratio, ut dicant : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. »

Vers. 5. 5. UT SIT PLACABILIS. — Hebræum est לִרְצֹנְכֶם *lirtsonechem*, id est secundum voluntatem vel beneplacitum vestrum, quasi dicat : Sponte et voluntarie immolate eam. Ita Chaldæus. Verum Noster, Septuaginta et Vatablus Hebræum רָצוֹן *ratson* accipiunt passive, *q. d.* Ad favorem, gratiam, beneplacitum et benevolentiam vobis conciliandam apud Deum. Vide *Can.* 25.

7. SI QUIS POST BIDUUM COMEDERIT EX EO (hostia pacifica), PROFANUS ERIT ET IMPIETATIS REUS, — quia sacram hanc cæremoniam a Deo sancitam violavit, ideoque abominabilis erit, ut vertit Chaldæus. Septuaginta vertunt ἀθυτόν ἐςι, id est *insacrificabile est, q. d.* Talis caro et hostia, quasi profana et polluta, Deo offerri et sacrificari nequit. Vers. 7.

8. PERIBIT, — sententia judicis, si res constet; sin autem, puniente et vindicante Deo. Vers. 8.

9. NON TONDEBIS USQUE AD SOLUM SUPERFICIEM TERRÆ, — *q. d.* Non demetes omnino agrum tuum, sed aliquas, verbi gratia, humiliores et solo pene incubantes spicas, in agro relinques carpendas pauperibus. Ita Abulensis in cap. XXIII, vers. 22; unde hebraice est : *Non consummabis metere angulum*, vel *extremitatem agri tui, q. d.* Non secabis omnes fruges, sed dimittes aliquid in extremitate vel angulo agri tui, ut pauperes illud colligere possint. Ita Oleaster et alii. Vers. 9.

10. NEQUE IN VINEA TUA RACEMOS (post vindemiam remanentes) CONGREGABIS. — Ita Chaldæus. Hebraice est : *Ne facias iterato racemationem vindemiæ tuæ*; Septuaginta : *Non revindemiabis vinetum tuum*; racematio ergo, uti et spicilegium, hic pauperibus relinquenda præcipitur, uti et fructus anni septimi, de quo cap. XXV, 6. Vers. 10. Racematio et spicilegium relinquenda pauperibus.

11. NON MENTIEMINI. — Hebraice, *non negabitis*, scilicet veritatem, in deposito, credito, aliove quovis contractu et debito. Vers. 11.

12. NON PERJURABIS IN NOMINE MEO, — per nomen meum. Vers. 12.

NEC POLLUES NOMEN DEI TUI, — quantum in te est; nam alioqui nomen Dei in se pollui nequit.

13. NON MORABITUR OPUS MERCENARII TUI APUD TE USQUE MANE. — « Opus, » id est merces operis; est metonymia : simili modo capitur « opus, » *Isai.* XXXII, 17, et cap. XL, 10, LXII, 11; *Job* XXXIV, 11; *Psalm.* CXXVII, 2, *q. d.* Noli differes solutionem mercedis in alteram diem, sed eadem die ante noctem operario sive mercenario persolves, quia Vers. 13.

hi operarii fere pauperes sunt, vivuntque in diem ex diurno pretio (1).

Vers. 14. 14. NON MALEDICES SURDO, — quia hoc valde inhumanum est, ut ei qui se defendere nequit, injuriam irroges.

Tropologice S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admonit. 36 : « Surdo, ait, maledicere, est absenti, et non audienti derogare. »

NEC CORAM CÆCO PONES OFFENDICULUM. — Hebræi censent etiam hic prohiberi ne quis viro simplici male consulat. Sed hic sensus est mysticus.

Tropologice. Tropologice S. Grègorius supra : « Coram cæco ponere offendiculum, est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere. »

Vers. 15. 15. NON CONSIDERES (in judicio, uti præcessit) PERSONAM PAUPERIS, — ut iniqua ejus miseratione commotus, judicium pervertas.

Vers. 16. 16. NON ERIS CRIMINATOR, NEC SUSURRO. — In Hebræo his duobus respondet unum nomen רכיל *rachil*, id est detractor, susurro. Septuaginta vertunt : *Non ambulabis dolo in gente tua* (2).

Ita Vespasianus Imperator fiscales calumnias magna calumnantium pœna repressit, ferebaturque ejus vox : « Princeps qui delatores non castigat, irritat. » Et Antoninus Pius Imperator delatores, si non probarent crimen, capitali pœna affecit; si probarent, oblato præmio dimisit infames. Aristoteles, cum judiciorum metu Athenis profugisset, roganti cuipiam : « Qualis est civitas Atheniensium? » respondit : « Pulcherrima, sed in ea pyrus super pyrum, et ficus super ficum consenescit. » Quo dicterio notavit Atheniensium sycophantas et calumniatores, perniciosissimos bonis viris. Ita Ælianus, lib. III.

Thearidas cum gladium cote acueret, rogatus a quopiam num esset acutus : « Acutior, ait, calumnia, » indicans calumniam rem esse nocentissimam. Demosthenes, orat. 1 *Contra Aristogit.* : « Viperam, ait, ubi conspexeritis, mox interficitis : itidem cum delatorem et crudelem hominem videritis viperinam habere naturam, ne exspectate donec vestrum aliquem mordeat, sed cum primum occurrerit, puniatur. »

Pelopidas, cum fortis quidam miles per calumniam apud ipsum deferretur, ut qui ei conviciatus esset : « Equidem, ait, facta ejus respicio, verba autem non audivi. » Ita Xenophon in *Œconom.*

Denique S. Athanasius, *apolog.* 1 : « Qui lapide, inquit, ictus est, quærit medicum; ictus autem calumniæ gravius quam lapides feriunt. Est enim calumnia clava, et gladius, et jaculum incurabile, ut ait Salomon. »

NON STABIS (Septuaginta, *non conspirabis*) CONTRA SANGUINEM PROXIMI TUI, — ut videlicet contra eum falsum testimonium dicas, vel alias injuste eum occidentes juves. Sanguis hic vitam significat; anima enim et vita est in sanguine, ut dixit Moses, cap. XVII, 14.

17. NON ODERIS FRATREM TUUM IN CORDE TUO. — Vers. 17. Hinc patet Judæis in veteri Testamento non tantum actionem externam, verbi gratia, homicidii aut læsionis, uti Josephus et Rabbini nonnulli (quos proinde corrigit Christus, legemque explicat *Matth.* V, 23) putarunt, sed etiam internam, puta malum voluntatis actum, qualis est odii, vetitam fuisse. Ita Cassianus, lib. VIII *De capital. Vitiis*, cap. XIV.

SED PUBLICE ARGUE EUM. — Hebraice, *arguendo argue, q. d.* Ne foveas odium in corde tuo contra proximum; et ne occulte machineris ei malum; sed ostende publice, id est in manifesto, ei qui te læsit, te offensum esse, et petere satisfactionem pro injuria vel damno tibi illato. Non præcipit ergo eum qui offendit, publice et coram tota multitudine objurgari, sed ne offensus odium servet occultum; ideoque injuriam sibi factam manifestet ei qui illam intulit, petatque satisfactionem. Unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXXV, hunc locum accipit de correptione fraterna, quasi ea Judæis hic fuerit præcepta. Correptio fraterna Judæis præscripta.

NE HABEAS SUPER ILLO PECCATUM, — moliendo occulte ejus læsionem vel perniciem.

18. NON QUÆRAS ULTIONEM, — ut privatim te ulciscaris. *Secundo* et potius, nec privatim nec publice in judicio petes ultionem ex rancore procedentem; omnis enim talis est peccatum in foro animæ et coram Deo. Hæc ergo lex supplet et perficit legem talionis, latam *Numer.* XXXV, 19, et *Deuter.* XIX, 12, quæ permittit ut quis in judiciali foro vindictam expetat, quando illa in re est justa, licet malo animo, et ex vindicta illam accusator petat, v. g. ut propinquus occisi homicidam interficiat; hoc enim licet in se justum sit, tamen si fiat ex vindicta, iniquum et peccatum est. Quare jubet hic Deus ut in talibus non quærant ultionem, sed tantum jus suum, ut justitiæ vel privatæ vel publicæ satisfiat. Vers. 18. Ultio Judæis permissa, qua limitatione?

Præclare Plutarchus : « Cibo, ait, utitur, juxta naturam is, qui esurit; at vindicta debet uti, qui nec sitit eam, nec esurit. Ut pater videns puerum volentem incidere quippiam, arrepto ferro id facit, ita ratio vindictam eripiens iræ, utiliter castigat. » Et Juvenalis, *satyra* 3 :

> Infirmi est animi exiguique voluptas
> Ultio : continuo sic collige, quod vindicta
> Nemo magis gaudet quam femina.

Et Franciscus Petrarcha, *dialog.* 101 : « Nobilissimum, ait, vindictæ genus est parcere. Ultionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Multos vindicasse pœnituit, neminem pepercisse. » Sed quid illustrius hac voce Christi, *Matth.* V, 39 : « Ego dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. » Et Pauli *ad Rom.*

(1) Pro non *calumniabis*, etc., hebr. est, *ne opprimas proximum tuum, et ne rapias*, ne *vi* ab eo quidquam exigas.

(2) Hebr. est, *noli obtrectando circumire.*

cap. XII : « Nulli malum pro malo reddentes. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. »

NEC MEMOR ERIS INJURIÆ. — Chaldæus : *Non servabitis inimicitias.*

Judæi putabant solos amicos diligendos esse, unde? Refelluntur.

DILIGES AMICUM TUUM SICUT TEIPSUM. — Hinc Judæi a contrario sensu colligebant : ergo inimici odio habendi sunt, uti refert Christus, *Matth.* V, 43. Verum illud argumentum omnino est invalidum; nec enim consequentia valet, nec antecedens est verum, prout ipsi intelligebant : nam amicus non significat hic eum qui nobis benevolus est, sed omnem proximum. Id patet ex Septuaginta, qui vertunt τὸν πλησίον, id est *proximum,* et ex Chaldæo, qui vertit חבֵרך *chabrach,* id est *socium tuum,* et ex Hebræo רע *rea,* quod non tantum amicum significat, sed et per metaphoram Hebræis usitatam transfertur ad eum qui nobiscum quavis ratione conjunctus est, sive cui nobiscum quippiam intercedit negotii : talis autem est omnis homo; nam ut minimum omnis homo alteri amicus, et cum alio conjunctus est communi ex primo parente origine, communi creatione et similitudine Dei, communi redemptione, communi Ecclesia et Sacramentis, communi gratia, charitate, ordinatione et cursu ad vitam æternam. Ita S. Augustinus, Hieronymus, Theophylactus in *Matth.* V; nam dilectionem inimicorum præceptam fuisse Judæis, patet *Exod.* XXIII, *4.*

Amicus hic vocatur omnis proximus.

Qualis et quanta debeat esse hæc dilectio, suo exemplo docuit nos Christus, de quo S. Bernardus, serm. 20 *in Cant.* : « Dilexit, ait, me simul Deus fortiter, sapienter, et dulciter. Dulciter, quia carnem induit; sapienter, quia culpam vitavit; fortiter, quia mortem sustinuit. »

Rursum S. Gregorius, libro X *Moral.* cap. VI : « Proximi, ait, dilectio ad duo præcepta derivatur, cum et per quemdam justum (Tobiam, cap. IV, vers. 16) dicitur : Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsum Veritas dicit : Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, » scilicet in rebus licitis et salutaribus : hæc enim tantum quisque proximo æque ac sibi, secundum rectam rationem velle et optare debet, uti pluribus et particularibus exemplis declarat ibidem S. Gregorius.

Exempla charitatis proximi.

Ita proximum, Agrippam regem, amavit S. Paulus. Cum enim rex diceret : « In modico suades me Christianum fieri, » subjecit : « Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed et omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego, exceptis his vinculis, » *Actor.* XXVI, 29.

Et S. Joannes, qui senex in Collectis non aliud dicebat, quam : « Filioli, diligite alterutrum. » Rogatus cur idem semper ingeminaret, respondit : « Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit; » testis est S. Hieronymus in epist. *ad Galat.*

Et S. Dominicus, cujus hæc erat vox : « Plus in charitatis codice didici, quam in universa sancta Scriptura. » Ex hoc codice prædicabat, multosque convertebat, et suos ex eodem prædicare volebat.

Et S. P. N. Ignatius, qui ut obscœnum euntem ad amasiam corrigeret, aquis se immergens dixit : « Perge, miser, ad fœdissimas tuas voluptates; impendentem capiti tuo ruinam non vides? ego hic me tui causa tamdiu macerabo, donec justissimum Dei furorem in te paratum avertam. » Testis est Ribadeneira in ejus Vita.

Et S. Xaverius, qui amicis Chinam ob pericula dissuadentibus ait : « Non aliud mihi in votis est, quam ut vel morte mea Sinarum salutem repræsentem. » Testis est Tursellius, lib. III Vitæ ejus, cap. XV.

SICUT TEIPSUM. — Vox *sicut* non æqualitatem, sed similitudinem significat : nam ordinata charitate magis diligit se homo quam proximum : similia tamen dilectionis signa exhibere debet proximo atque sibi ipsi. Sic accipitur τὸ *sicut* *Deut.* XVIII, 15, *Joannis* XVII, 21 et 22, *Isaiæ* I, 26, *Malach.* III, *4,* ubi Malachias copiam bonorum spiritualium in lege nova confert cum ubertate legis veteris et priorum temporum, cum tamen in lege nova multo sit major.

EGO DOMINUS, — qui scilicet idipsum licet arduum, jure meo exigo et præcipio.

Vers. 19.

19. JUMENTUM TUUM NON FACIES COIRE CUM ALTERIUS GENERIS ANIMANTIBUS. — Hebræi et Cajetanus hanc legem et duas sequentes putant non litteraliter, uti sonant, sed symbolice accipiendas esse, ut scilicet tantum prohibeant studium novitatis, et novæ curiositatis, inquit Cajetanus, atque perturbationem et confusionem, ut inter Hebræos nulla sit mala lingua et simultas, sed unitas perfecta et charitas, inquiunt Hebræi : rationem afferunt, quod constet Judæos habuisse mulos, qui ex diversis speciebus, puta ex equa et asino, generantur. Mulo enim insedit David, Salomon, Absalom aliique filii Davidis, II *Reg.* XIII, 29; et I *Esdræ* II, 66, dicitur Judæos Babylone redeuntes habuisse mulos ducentos. Verum alii passim ad litteram, uti sonant, hæc accipiunt : hoc enim plane et simpliciter verba ipsa significant. Itaque hac lege vetabantur Judæi procurare congressum asini cum equa ad generandum mulos. Muli ergo quos habuerunt Judæi, vel casu geniti sunt, sponte sua commixtis asino et equa; vel ab aliis gentibus, commixtionem hanc et mulorum procreationem procurantibus, eosdem emerunt.

Sensus symbolicus.

Muli Judæis vetiti, quia.

Causa hujus legis. Prima. Secunda. Tertia.

Causa, *prima,* quia Deus volebat honestissime juxta naturam institui Hebræos : congressus autem iste animalium diversæ speciei est contra naturam; *secunda,* quia nolebat Deus species animalium ab Hebræis permisceri et confundi, sed quamque simplicem et integram in sua essentia permanere; *tertia,* ne ipsi Hebræi curantes ideoque spectantes hunc animalium congressum, similia discerent et imitarentur. Ita Theodoretus, *Quæst.* XXVII. Unde in Traditionibus Hebræorum præceptum invenitur

(ut R. Moses dicit), ut homines avertant oculos ab animalibus coeuntibus : facile enim in hoc conspectu excitatur in homine motus concupiscentiæ, inquit D. Thomas mox citandus.

Tropologice. Tropologice Radulphus : Cum alterius generis animantibus, dominorum impulsu coeunt jumenta, cum humanæ mentes ad vitia pronæ, pastorum suorum exemplo seductæ, mundi amatoribus conformantur.

Allegorice. Allegorice, Isychius sic explicat, *q. d.* Non permittes fideles sectari circumcisionem et baptisma.

Agrum non seres diverso semine, cur? Causa prima. Secunda. AGRUM TUUM NON SERES DIVERSO SEMINE. — Hujus et sequentis legis causa literalis fuit, *prima*, ut per eas Deus Hebræis novitatis et confusionis ansam præcideret, eosque admoneret simplicitatis et ordinis.

Secunda, quia voluit Deus hac cæremonia, videlicet simplicitate seminis et vestis, coli potius, quam duplicitate : quia ita placuit ei instituere, ut simplicitatem hominibus commendaret in victu, vestitu, omnique alia re. Deus enim cum in se sit simplicissimus, sitque ipsa simplicitas, ideoque unitas, primitas et causalitas rerum omnium, amat simplicia, et adulterinas mixtiones sive carnis, sive spiritus in suo cultu odit et vetat, inquit Theodoretus.

Deus simplicissimus commendat hominibus simplicitatem. Simplicitatis elogia. Unde symbolice, S. Cyrillus, lib. VIII *De Adoratione*, ait hac lege biformes mores vetari. « Omnibus nobis in conversionis initio nulla virtus magis necessaria est quam simplicitas verecunda, » ait S. Bernardus. Ita S. Job laudatur quod fuerit vir simplex et rectus : « simplex, quia nullum lædere, imo prodesse desiderabat; rectus, quia se a nullo corrumpi permittebat, ait Beda, lib. I *De Templo Salomonis*. Hinc Sapiens, *Prov.* XI, 20 : « Abominabile, ait, est cor pravum, et voluntas ejus in his qui simpliciter ambulant. » Et cap. XX, 7 : « Justus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. » « Simplex, ait S. Augustinus, homil. 2 *in Joan.*, eris explicando te a mundo; implicando, duplex eris. » « Quid, ait S. Hieronymus, simplicitate divinius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta, non quærit alienum : nec abrodit, sed se de cæteris fingit : nec se in varias partes commutat, sicut astutia, quæ ut sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit : versat ipsa suas sententias; simplicitas autem timere nil novit. » Et rursum : « Prudentia absque simplicitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. » Hinc Christus ait : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. »

Audi et Gentiles. Cicero, libro I *De Officiis* : « Compendiaria, ait, via ad gloriam est, ut qualis quisque haberi vult, talis sit. » Et libro *De Amicitia* : « Aperte odisse vel amare est magis ingenui, quam fronte occultare sententiam. » Seneca, *epist.* 10 : « Virtutem, ait, bona sequitur fide, qui se non exornat et pingit; sed idem est sive ex denuntiato videatur, sive imparatus et subito; veritas in omnem partem sui semper eadem est. » Idem *ad Neronem* : « Nemo, ait, potest personam fictam diu ferre, ficta in naturam suam cito recidunt. » Idem in *Prov.* : « Malus, ait, ubi se bonum simulat, tunc est pessimus. »

Tertia. *Tertia*, vetuit Deus hanc seminum commixtionem in agricultura, « ad detestationem idololatriæ, qua Ægytii in venerationem stellarum diversas commixtiones faciebant, et in seminibus, et in animalibus, et in vestibus repræsentantes diversas conjunctiones stellarum. Rursum, omnes hujusmodi commixtiones prohibentur ad detestationem coitus contra naturam, » inquit D. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 6, ad 9.

Tropologice. Tropologice, agrum non seres diverso semine, id est, non docebis contraria divinis doctrinis in Ecclesia, inquit Isychius. *Secundo*, Radulphus : Diversum, inquit, semen seminat ecclesiastes, qui bona loquitur, et mala operatur; qui verbo triticum spargit, sed exemplo peccati sementem discipulorum cordibus injicit.

Vestis ex lana et lino Judæis vetita; cur? VESTE QUÆ EX DUOBUS TEXTA EST, NON INDUERIS. — Non ait, veste quæ ex duobus pannis consuta est : hæc enim non fuit vetita Judæis, inquit Abulensis, sed quæ ex duobus, puta lana et lino, contexta est. Ita Chaldæus, et ita explicatur hæc lex *Deuteron.* XXII, 11. Excipe ab hac lege vestes pontificis : hæ enim erant variegatæ, contextæ ex lino sive bysso, cocco, purpura et hyacintho. Imo Josephus asserit ea de causa laicis hic vetari vestem bilicem, puta ex lino lanaque contextam, ne scilicet ipsi vestirentur ut pontifex, sed veste, uti et statu, ab eo discriminarentur.

Tropologice. Tropologice Radulphus : Lana, quia crassior est, opus visibile; linum, quia subtilius est, occultam malitiam significat; vestem ergo ex lana et lino contextam induunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, *Psalm.* XXVII. Sic et S. Cyrillus, lib. VII *De Adoratione*, pag. 144 : Figurate, ait, lex vetat duplicitatem, videlicet hominibus placendi cupiditatem, quæ ex duobus componitur studiis et voluntatibus, scilicet ex velle esse malum, et velle hominibus videri bonum. Similia habet Rupertus, lib. I *in Deuter.* cap. XVIII, et Procopius in *Deuter.* XXII, 11.

Vers. 20. 20. ETIAM NUBILIS. — Ita legendum cum Romanis, non *nobilis*, uti habent Plantiniana. Hebraice enim est נחרפת *necherephet*, hoc est *desponsata*, id est desponsabilis viro : participia enim passiva apud Hebræos sæpe capiuntur pro nominibus verbalibus (1).

VAPULABUNT AMBO. — Hebraice, *vapulatio eis erit*

(1) Sensus hujus vocis proprius est *empta*, vel *vendita*, scil. viro, hinc *desponsata* : solent enim Orientales a *vendendo emendoque* desponsationem dicere. Cf. *Exod.* XXI, 15. sequitur, *et redimendo* (infinit. absol. hophal) *non est redempta* (quæ non prorsus est redempta), *aut cui libertas non est data* (dato scil. libertatis libello, gratis.)

loris bubulis : hoc enim significat בקורת *biccoret*, a בקר *bacar*, id est *bos*, deductum. Ita Vatablus (1).

Vers. 22. 22. ET REPROPITIABITUR EI, — ne eum puniat in hac vita, uti dixi cap. I, vers. 4. Et rursum « repropitiabitur ei, » per gratiam et infusionem charitatis, si vere contritus hoc sacrificium obtulerit.

Vers. 23. Fructus primi arborum per quatuor annos Judæis fuerunt vetiti. Præputia arborum vetita, quæ?

23. AUFERETIS PRÆPUTIA EORUM. — Jubet hic Deus ut arborum fructus qui primis tribus annis ex iis nascuntur, quasi immundi abjiciantur, fructus vero quarto anno nati, Deo consecrentur, itaque demum fructus quinti anni censeantur mundi, quibus vesci liceat. *Præputia* ergo vocat primos trium annorum fructus, uti explicant Hebræa; vocantur hi præputium, allusione ad circumcisionem pueri. Sicut enim puer immundus erat, donec in circumcisione auferretur ab eo præputium, et abjiceretur : ita et arbores censebantur immundæ, donec fructus trium primorum annorum circumcisi et abjecti essent : hinc hebraice hi fructus vocantur incircumcisi, id est immundi. Et S. Chrysostomus, serm. *De Ascensione Domini*, ubi ex hoc loco docet primitias, quæ a Deo expetuntur, esse fructum non imperfectum et imbecillem, sed validum et fortem. Ait enim : « Vide legislatoris prudentiam : fructum primum nec manducari permittit, ne ante Deum quisquam eum percepisse videatur; nec offerri concessit, ne Deo immaturus offeratur; sed, Dimitte, ait, quia primus est, nec offeras, quia oblatione necdum dignus est. »

Cur? Voluit Deus hac cæremonia coli, perinde ac circumcisione puerorum, congrue tamen ad arborum naturam; nam earum fructus primi magis aquosi et indigesti, ideoque insalubres sunt posterioribus. Ita Abulensis (2).

Allegorice. Allegorice, tres primi anni fuerunt tria tempora prima, quibus adhuc lex impura, utpote historiæ crassitudine prægravata, et umbram tanquam inutilem corticem circumpositum habens. Hæc tria tempora fuerunt, quo Moses, quo Josue, quo Judices præfuerunt; deinde secutum est quartum, quo illustris Prophetarum chorus exortus est : tum fructus legis factus est sanctus et laudabilis, quia Christi adventus cœptus est prædicari. Demum quinto tempore, puta Christi, facta est lex esui apta, utilissima et purissima per Christi Evangelium. Ita Cyrillus, lib. VIII, pag. 167.

Tropologice. Tropologice, S. Gregorius, lib. VIII *Moralium* cap. XXXV : « Ligna, inquit, pomifera sunt opera virtutibus fecunda : præputia earum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus, ne, dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur, » idque usque ad quartum annum quo Deo consecrentur, id est, dum mens in quadro posita et solidata, non sibi sed Deo bona omnia adscribere discat. Ita Radulphus.

POMA QUÆ GERMINANT, — quæ producunt, scilicet ipsæ arbores.

Vers. 24. 24. QUARTO AUTEM ANNO OMNIS FRUCTUS SANCTIFICABITUR LAUDABILIS DOMINO. — Hebraice, *quarto anno omnis fructus sanctitas laudum erit Domino*, id est, quarto anno fructus consecrabitur Domino in laudem ejus, ut videlicet offeratur sacerdotibus, sicut primitiæ et decimæ, et in eorum jus cedat; quarto ergo anno hosce fructus comedere poterant sacerdotes, non laici (3).

Vers. 26. 26. NON AUGURABIMINI, — non exercebitis magiam, aut magicam divinationem (4).

Nota : Augurium dicitur quasi avium garritus, eratque ex avibus divinatio, eaque triplex. Nam avium aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicere putabantur : et illæ quidem præpetes, istæ oscines dicebantur. Erat et tertium genus ex illarum pastu, cum pullis gallinaceis e cavea depromptis esca porrigebatur; de quibus fuse Alexander ab Alexandro. Verum noster Interpres passim accipit augurium generatim, pro quavis divinatione. Sic Joseph dicitur augurari solitus in suo scypho, *Genes.* cap. XLIV, vers. 5. Sic Latini subinde capiunt augurium. Hebræum enim נחש *nachas* absolute significat divinare : cui affine est לחש *lachas*, id est mussitavit, susurravit. Susurris enim et mussitationibus utuntur divini. Vanitatem hujus artis agnovit M. Cato, qui aiebat se demirari quod non rideret aruspex, quoties aspiceret aruspicem, sentiens totum hoc divinationum genus imposturam esse, qua populo fiebat fucus : solent enim inter se impostores ridere multitudinis stultitiam. Testis est Cicero, libro II *De Divinatione*.

(1) Proprie, *castigatio*, seu inquisitio *fiat*. Statuerunt Hebræi, ubi nulla certa pœna est expressa, ibi flagellationem innui. Sequitur, *quia non fuit manumissa*, eo quod necdum plenam nacta esset libertatem, et nuptiarum solemnia nondum celebrata essent. Ubi ergo nullum matrimonium verum, ibi nec adulterio locus, adeoque nec legi capitali in adulteros et adulteras latæ, *Deuter.* cap. XXII, vers. 23, 24.

(2) Michaelis (Jus Mosaic. P. V, § 221) observat de hac lege, prudentiam œconomicam in ea cerni. Nam quum fructus priorum annorum non colligere licuisset, neminem floribus pepercisse, sed quemquam eos decerpsisse verisimile esse; hoc ipsum autem meliorem fertilitatem arboribus afferre, melioresque fructus in sequentes annos spondere. Cf. vers. 25, ubi hebr. est, *ad addendum*, seu augendum *vobis proventum suum*,

(3) *Laudes Domini* sunt hic dies festi, et convivia sacrificalia, quia cum laudibus et gratiarum actione celebrabantur. Cf. *Jud.* IX, 27.

(4) *Non comedetis cum sanguine.* Hebr. pro *cum* est על, quæ vox multis videtur *accessionem* significare, ut in locis similibus *Ex.* XII, 8; *Num.* IX, 11; *Deut.* XVI, 3, hoc sensu, *ne* carnem *cum sanguine* (proprie *ad sanguinem*) *comedatis*. Sed quum verba ita intellecta non omni careant offensione, Maurer mavult interpretari, *ne comedatis super, in sanguine*, hoc est, carnem in sanguine, seu cruentam. Septuaginta legisse videntur על הרים *in montibus*, habent enim ἐπὶ τῶν ὀρέων : qui sensus non est ineptus. Mos enim sacrificandi ac simul victimas edendi in locis excelsis et cœlo propioribus antiquissimus est.

Onen Hebraice quid?

NEC OBSERVABITIS SOMNIA. — Hebraice est עונן *onen*, quod Noster alibi, et Septuaginta hic vertunt: Οὐκ ὀρνιθοσκοπήσεσθε, id est, *non augurabimini ex avibus; secundo*, Rabbini et Oleaster vertunt, *non eritis præstigiatores*, ut *onen* alludat ad עין *ain*, id est oculus, et ad ענן *anan*, id est nubes, *q. d.* « Oculos non nubilabitis præstigiis; » *tertio*, melius Noster hic et *Deut.* XVIII, 10, vertit: *Non observabitis somnia;* Hebræum enim עונן *onen* varium est et generale: significat enim oculis aliquid observare. Unde *meonenim* vocantur observatores, sive temporum, sive astrorum, sive somniorum, sive avium. Jam quia augurium, quod proprie fit ex avibus, hic immediate præcessit, temporum vero et astrorum observatio sæpe est licita: hinc noster Interpres prudenter censuit taxari hic somniorum observatores et divinatores (quæ superstitio tunc erat frequens et familiaris multis): *onen* enim recte somniis convenit, sive radicem עין *ain*, id est oculum, spectes; somnia enim sunt visa nocturna, quæ oculis animæ videntur, quæque somnians sibi videtur oculis corporeis cernere: sive spectes radicem ענן *anan*, id est nubes; quod enim nubes sunt in aere, hoc somnia et phantasmata sunt in anima (1).

Somnia sunt vi- sa, et quasi nubes.

Porro Gentiles multum tribuisse somniis docet Chrysippus, qui somnium sic definit: « Somnium est vis cernens, et explanans quæ a diis hominibus significantur in somnis. » Quin et Cicero in lib. I *De Divinat.*: « Cum, ait, somno sevocatus est animus a societate et contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet; jacet enim corpus dormientis ut mortui: viget autem et vivit animus; quod multo magis faciet post mortem, cum omnino e corpore excesserit. »

Somnio- rum va- nitas.

Vanitatem vero hujus superstitionis irridebat Diogenes dicens: « Quæ vigilantes agitis, ea non curatis; quæ vero dormientes somniatis, sollicite perquiritis. Ad felicitatem enim vel infelicitatem hominis non tam refert quid patiatur in somniis, quam quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit, oportebat metuere deorum iram, ac tristem eventum; non, si quid dormientibus sit visum. » Testis est Laertius, lib. VI.

Heraclitus dixit, « vigilantibus unum communem esse mundum, sopitos in suum quemque discedere; at superstitiosus ne vigilans quidem communi cum aliis mundo fruitur, semper somniante cogitatione, » inquit Plutarchus in *Moral.*

Comicus dixit: « Cum dii nobis somnum dederint curarum et laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinam. »

Recte ergo Ecclesiasticus, cap. XXXIV, vers. 2: « Quasi qui apprehendit umbram, et qui persequitur ventos: sic et qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundum hoc visio somniorum; » et vers. 5: « Somnia malefacientium vanitas est; » et vers. 7: « Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. »

Vers. 27. Rotunda coma Gentilium, unde?

27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM. — Quia hoc, uti et sequentia, faciebant Gentiles, ut patet *Jeremiæ*, IX, 26, et XXV, 23, et cap. XLIX, 32, præsertim Ægyptii, inter quos hactenus vixerant Hebræi. Unde Vatablus sic exponit: Non attondebitis in rotundum comam vestram, Ægyptiorum sacerdotum more. Quin et Radulphus asserit Gentiles, cum se dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum totundisse: censebant enim deos gaudere figura rotunda et orbiculari, utpote omnium capacissima et perfectissima. Hinc Empedocles, rogatus quid esset Deus, respondit: « Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam, » quia scilicet nusquam terminantur Dei majestas et immensitas. Hanc sui rotunditatem Deus in mundo, quasi in sui imagine expressit: cœlos enim et elementa creavit sphærica et rotunda.

Dii gaudebant figura rotunda.

Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.

Hac de causa veteres diis suis templa rotunda ædificabant: sic rotundam ædem Numa Pompilius Romæ consecrasse fertur Vestæ, quod eamdem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crederet, ut hac ratione dea sui simili templo coleretur: terra enim est rotunda. Sic Augustus Cæsar, Agrippæ nomine, omnibus diis templum rotundo ambitu dedicavit, eaque de causa Pantheon appellavit, idque nunc B. Virgini dedicatum a rotunda forma quam retinet, nomen habet. Aristoteles testatur veteres gavisos esse diis templa rotunda dedicare, cujusmodi Romæ adhuc multa, vel magna ex parte diruta, vel a Christianis in honorem Sanctorum instaurata visuntur. Hac eadem de causa cum diis suis se devovebant, cæsariem in rotundum attondebant: Gentiles enim capillos suos diis, id est dæmonibus, dedicasse tradit Lucianus in dea Syria in fine, Theodoretus hic *Quæst.* XXVIII, Cyrillus, lib. XVI *De Adoratione*, et Athanasius vel potius Anastasius in *Quæst. S. Script.* Quæst. LXIV. Merito ergo idipsum Judæis hic vetat Deus, *q. d.* Nolo vos, o Judæi, sequi Gentiles et dæmones, sed naturam potius et dispositionem vultus, in capitis vestri attonsione, voloque vos docere omnem, etiam in vestibus et capillitio, munditiem et decentiam. Hinc et apud Græcos nonnullos, circumtondere comam, in proverbio erat, pro eo quod est ludibrio habere. Nam ita stupidis et fatuis non sentientibus circumtonderi solet cæsaries, ludibrii causa. Unde Lucianus in *Misanthropo*: « Sedebas, ait, cum tibi cæsaries ab illis circumtonderetur. » Hoc præceptum fuit cæremoniale, ideoque jam aboli-

Vestæ templum rotundum, cur? Pantheon rotundum.

(1) נחש proprie significat *omina ex serpentibus captare*, quod divinandi genus apud populos antiquos non insolitum fuisse, ostendit Bochartus *Hieroz.* P. I, lib. I, cap. III. Deinde vero et de aliis divinationibus per omina et casus quosque fortuitos usurpatur. לא תעוננו Aben-Esra interpretatur, *ne ex nubium aspectu omina capietis*, in quam opinionem propendet Rosenmullerus. Gesenius, qui hujus vocis primarium sensum censet esse *texit*, vertit, *tectis*, seu *magicis artibus ne utamini.*

tum est : quare inepte illud torquent hæretici contra tonsuram monachorum, uti ostendit Bellarminus, libro II *De Monachis*, cap. XL. Septuaginta vertunt : Οὐδὲ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης, non facietis *sisoèn* ex coma vestra. Videntur Septuaginta vocem *sisoen* accepisse ab Hebræo ציצת *tsitsit*, id est cincinnus, uti patet *Ezech.* VIII, 3; nam Suidas sisoen interpretatur πλεξείδιον, id est capillum plicatum; et Cyprianus, lib. III *Testimon.* Testimon. 83, *sisoen* vertit *cirrum*. S. Petrus, *epist.* I, cap. III, vers. 3, *sisoen* videtur vocare τριχῶν πλοκήν, id est, capillorum plicationem, quod noster Interpres vertit *capillaturam;* S. Paulus, I *Timoth.* II, 9, vocat πλέγματα, id est intortos crines; Latini vocant capillitium calamistratum, sive calamistris in cincinnos reflexum.

Sisoe quid ?

Censent ergo Septuaginta cincinnos hic vetari, et de iis accipi possunt Hebræa, quæ sic ad verbum sonant : Non circulabitis, non facietis rotundam, vel « non concinnabitis extremitatem capitis vestri. » Ratio est, quia cincinnati et calamistrati capilli signum sunt mollis et effeminati animi, ideoque viros dedecent.

Cincinni Judæis vetiti, cur ?

Sint procul a nobis juvenes ut femina compti.

Hinc illa gravis Archesilai sententia apud Plutarchum, qui, cum videret juvenem castum, sed cinnatum, vocem fractam, et oculos ludibundos, dixit : « Nihil interest, ait, quibus membris cinædi sitis, posterioribus, an prioribus ; » et Plautus in *Asinar.* : « Quisnam istuc tibi credat, cinæde calamistrate? » et Synesius apud Cælium, lib. XV *Antiquit.* VIII : « Nullus comatus, qui idem non sit cinædus ; » et S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.* « Cincinni, ait, non ornamenta, sed crimina sunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis. » Cincinnos fuisse quasi titulum meretricium docet Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. III. Merito ergo Tiburtius in Vita S. Sebastiani, Torquatum cincinnatum, se Christiano nomine censentem increpat; cumque ambo religionis causa judici sisterentur, ac quæsitus de fide Torquatus respondisset se esse Christianum : « Credisne, ait Tiburtius, vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit, etc.: nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos. » Adeo sibi dæmon in cincinnis placet, ut Cincinnatuli nomen aliquando usurparit. Cælius, lib. VIII, cap. X, eum se, et totam fere Italiam audivisse de mulieris utero loquentem, memoriæ prodidit. « Cincinnatulus dæmoni nomen erat; hac ille appellatione gestiens inclamanti repondebat : si de præteritis aut præsentibus sciscitareris quæ reconditissima forent, responsa dabat mirifica; si de futuris, semper mendacissimus. » Ite nunc, adolescentes, ite, nobiles, capillos religate, inungite, crispate, ite, nova gloria dæmonum, inferorumque deliciæ : vos ille amat, ad vestrum nomen exultat ac gestit ; prostituite pudorem ac formam.

Sunt cinædorum et meretricium.

Dæmon cincinnatus.

« Decalvabit aliquando Dominus verticem filiarum Sion, et erit pro crispanti crine calvitium. » *Isaiæ* III.

Facessant ergo isthæc virorum opprobria, masculæ virtutis dedecora, nobilissimi sexus maculæ, libidinis testes, infamiæ nota, atque ab equis et armis ad colum et pensa trudantur.

Audiant virgines illud S. Hieronymi *ad Demetriadem* : « Cincinnatulos pueros et calamistratos, et peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam pestes et venena pudicitiæ virgo devitet. »

NEC RADETIS BARBAM. — Barbam tondere non erat vetitum Judæis, sed radere, superducta, verbi gratia, novacula, ut fit in coronis quam sacerdotes gestant in vertice; hebraice est : *Non destrues extremitatem barbæ tuæ;* voluit enim Deus in populo suo barbam, quasi virilitatis insigne apparere; barba enim virum significat. Unde Diogenes barbam se ideo gestare respondebat, ut se virum esse subinde recordaretur; et Artemidorus filios tantum ornamenti patribus afferre dixit, quantum ori barba decoris addit. Cynicus quoque apud Lucianum, tam deforme putat esse ornatum barbæ auferre viris, quam leoni jubas attondere (1).

Barba quasi virilitatis insigne Judæis fuit præceptum.

Barba virum decet, uti jubæ leonem.

Laco quidam, interrogatus cur tam prolixam aleret barbam, respondit : « Ut canos videns nihil iis indignum in me admittam. » Testis est Plutarchus in *Laconic.*, qui et ibidem addit Lacones comam alere solitos, Lycurgi memorantes dictum, qui comam formosis pulchritudinem augere, deformes terribiliores reddere pronuntiasset.

Theseum denique perhibent tondere barbam nunquam voluisse, ut virtutem ipse suam eo profiteretur indicio. Barba ergo *primo*, est insigne viri; *secundo*, virtutis; *tertio*, perfectionis, ait Isychius; *quarto*, fortitudinis, inquit Eucherius; *quinto*, sapientiæ, inquit Radulphus. Barbam ergo reservare jubentur Hebræi, ut etiam in vultus habitu, virtutis et sapientiæ formam ferre videantur. Excipiuntur ab hac lege leprosi jam mundati; hi enim in legali sua purificatione omnes corporis pilos radere debebant, juxta legem *Levit.* XIV, 9. Porro apud Christianos clerici non radunt, sed tondent barbam, ex veteri ritu; monachi vero, quasi mundo mortui, radunt, licet in diversis Ecclesiis hujusce rei diversus fuerit mos. Vide Baronium, anno Christi 58.

Barba symbolum est primo viri, secundo virtutis, tertio perfectionis, quarto fortitudinis, quinto sapientiæ.

Fallitur ergo, fallitque Martinus Polonus in *Chronico*, et Petrus de Natalibus lib. IV, cap. LVII, qui Anicetum Pontificem barbam æque ac comam Clericis vetuisse scribunt. Nam in decretis Aniceti, 23 distinct. cap. *Clericis*, nulla barbæ fit mentio. Ex traditione enim Apostolorum est, ut Clerici barbam alant, uti docent Clemens Alexan-

(1) Hebr. est, *nec delebis*, id est rades, *angulum*, id est extremam partem, *barbæ tuæ*. Fortasse etiam hic erat mos superstitiosus alicujus vicini populi.

drinus, lib. III *Pædag.* cap. III, Cyprianus, lib. III *ad Quirinum*, Epiphanius, *hæres.* 80, præterquam quod Apostolorum icones omnem dubitationem abstergunt. Clerici ergo uti comam tondebant, ita barbam alebant. Hinc illa sanctio Concilii Carthaginensis IV, *can.* 44 : « Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat; » sic enim legit Codex Vaticanus M. S. Perperam ergo aliquis misopogon, ut barbam sacerdotibus eraderet, τὸ *radat* erasit, uti erasum est in decreto Burchardi, lib. II, cap. CLXXIV, et cap. V *Extrav. De vita et honest. Cleric.* Sane Sidonius Apollinaris, lib. IV, epist. 24 *ad Turnum Maximum*, olim palatinum, nunc sacerdotem, ita pingit et celebrat : « Habitus viro, gradus, pudor, color, sermo religiosus; tum coma brevis, barba prolixa.

Vers. 28. 28. ET SUPER MORTUO NON INCIDETIS CARNEM VESTRAM. — *Deuter.* cap. XIV, 1, etiam vetatur depilatio capillorum : idque *primo*, ne nimio luctu Judæi prosequantur mortuos, sed potius spe resurrectionis luctui modum ponant. Pulchre et vere S. Hieronymus *ad Paulam* super obitu Blæsillæ : « Cur, ait, dolemus quemquam mortuum? an ad hoc nati sumus, ut maneamus æterni? Abraham, Moses, Isaias, Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus, electionis vas, et super omnia Filius Dei moritur; et nos indignamur aliquem exire de corpore, qui ad hoc forsan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus? lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat. Nos quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus; quia quamdiu hic moramur, peregrinamur a Domino, » etc.

Secundo, quia idololatræ, maxime Syri Judæis vicini, indeque ipsi Judæi, hæc faciebant in luctu, carnemque incidebant, ut patet III *Reg.* XVIII, 28 (1). Idem de sacrificiis matris deorum testatur S. Augustinus, lib. II *De Civit.* XXVII, et lib. VII, XXVI, ubi sic ait : « Credita est mater magna vires Romanorum adjuvare, exsecando virilia virorum; unde et sacerdotes ejus festo profundebant se sanguine, incidentes carnes brachiorum : summus autem sacerdos amputabat sibi virilia, in honorem primi sacerdotis istius deæ, dicti Atis. »

Audi et de Scythis Herodotum, lib. IV : « Scythæ, ait, in funere regum aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, sinistram manum sagittis trajiciunt. » Lucianus quoque de suis Syris (fuit enim ipse Syrus) ita ait lib. *De Dea Syria* : « Certis notis compunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii in cervice; et inde est quod cuncti Assyrii notas inustas habent. » Idem libro *De Luctu*, meminit dilaniationis comæ, et cruentationis genarum in luctu. Sic et Virgilius, IV *Æneid.*, loquens de Anna Didonis mortem deplorante : Idololatræ in luctu incidebant carnes suas.

Unguibus ora soror fœdans et pectora pugnis.

Et Ovidius, lib. III *Trist.* eleg. 3 :

Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos;
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.

Et Servius in III *Æneid.* sic ait : « Varro dicit mulieres in exequiis et luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant. » Quocirca id vetitum fuit *Leg.* XII *tabul.*, ubi, teste Cicerone, lib. II *De Legibus*, hæc erat sanctio : « Muliebres genas ne radunto. » Insuper capillos in luctu solvisse et laniasse, docet Ovidius, lib. VI *Metamorph.* fabula 7 *De Philomela* :

Mox ubi mens rediit, passos laniata capillos.

Et Tibullus, lib. I, *eleg.* I :

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.

Clare vero Cicero, *Tuscul.* III : « Ex hac, ait, opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi, pædores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, capitis percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, et idem Accianus, scindens dolore identidem intonsam comam. In quo facetum illud Bionis : Perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mœror levaretur, » cum potius vulsionis dolore augeatur. Audi et Plutarchum in *Consolatoria ad Apollonium* : « Barbarorum, inquit, nonnulli corporis partes abscindunt, nares scilicet et aures, reliquum quoque corpus plectentes. »

30. SABBATA MEA CUSTODITE. — Sabbatum hic quodlibet festum significat per synecdochen : erat enim sabbatum omnium festorum maximum. Vers. 30.

ET SANCTUARIUM MEUM METUITE, — *q. d.* Tabernaculum et templum meum reveremini, tum ne immundi irreverenter eo accedatis, tum ne curiose illud scrutemini, neve ulterius illud ingrediamini quam a me præscriptum est : non enim poterant laici ingredi Sanctum, imo nec atrium sacerdotum. Est hæc alia lex a præcedenti de sabbatis.

31. NON DECLINETIS AD MAGOS. — Hebraice *ad pythones*, qui dæmonem habent familiarem, maxime ventriloquum. Hi enim vocantur אובות *obot*, ab אוב *ob*, id est utre, eo quod ex eorum ventre, quasi ex utre voce confusa loqueretur Vers. 31.

(1) *Neque figuras*, etc. Quas egregie descripsit Prudentius, Hymn. 10 περὶ στεφανῶν :

Quid cum sacrandus accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmavit, hanc sic consecratam prædicant.

Nimirum hisce characteribus se quasi servos Numinis profitebantur, cujus singularem characterem gerebant. Sic referente scriptore tertii Machabæorum libri, non procul ab initio, Ptolomæus Philopator jussit Judæos, qui ad idola defecerant, *descriptos signari igne in corpore, insigni Bacchi hederæ folio.*

dæmon (1); quos Græci vocant ἐνγαστριμύθους, id est, *ex intestinis vaticinantes*, inquit Theodoretus, *Quæst.* XXIX; unde et Septuaginta hic et alibi eos vocant ἐγγαστριμύθους, id est *ventriloquos*.

NEC AB ARIOLIS ALIQUID SCISCITEMINI. — *Arioli* proprie vocantur, qui ex victimis immolatis divinant. Ars hæc primo inventa est a quodam qui Teges vocatus, quem ferunt inter arandum de terra prosiliisse, teste Lucano, lib. I *De Bello civili*, et Boccacio, lib. I *De Geneal. deorum*. Hujus rei etiam meminit Jus Canonicum 24, *Quæst.* V, cap. *Episcopi*. Pro *ariolis* hebraice est ידענים *iidonim*, id est *divinis*.

Vers. 32. 32. HONORA PERSONAM SENIS, ET TIME DOMINUM,— *q. d.* Si senes non times, time saltem Deum, et propter timorem Domini senes honora : jubet enim hic Deus eos honorari. Idque *primo*, quia juvenes gerere se debent cum senioribus, tanquam discipuli cum magistris ; at magistrorum est sedere, discipulorum eis adstare et auscultare. Unde Theodosius Imperator jussit filios suos adstare coram Arsenio, magistro suo.

Moraliter senes sunt honorandi, ob sex causas. Prima.

Secunda. *Secundo*, quia, ut ait Aristoteles, lib. IX *Ethic.* cap. II : « Omni seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo, et sessione cedendo, » etc. Idem docet Plato, dialog. IX *De Legibus*, et Cicero, lib. I *De Offic.* : « Est, inquit, adolescentis majores natu vereri. »

Tertia. *Tertio*, quia in senibus præter excellentiam ætatis, est excellentia experientiæ, et prudentiæ ex ætate longiore. Hinc senes olim regebant rempublicam et a senibus nomen accepit senatus, perinde ac ἀπὸ τῶν γερόντων apud Spartanos γερουσία, qui erat magistratus regi assidens. Unde S. Thomas ait senectutem esse signum virtutis, ideoque honorandam, licet quandoque virtus deficiat. Hinc Chaldæus,pro eo quod nos habemus, *coram cano capite consurge*, vertit, *coram eo qui doctus est in lege consurge*.

Quarta. *Quarto*, quia omnes pene nationes instinctu naturæ senes honorarunt. Spartani, teste Plutarcho, in theatro venientibus senibus consurgebant omnes, et eos sessum recipiebant. Romani adolescentes in curiam deducebant seniores, extra curiam eos præstolabantur, ut domum reducerent. Audi Juvenalem, *satyr.* 13 :

> Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
> Si juvenis vetulo non assurrexerat.

Hispanis hæc vox *senior*, nonnihil detorta in *señor*, et Italis in *signore*, significat *dominum*. De Essenis ait Philo : « Reverentia erga seniores et cura talis est, qualis esse potest germanorum liberorum erga parentes. »

Quinta. *Quinto*, quia senes sunt instar parentum, Deumque parentem omnium repræsentant. Unde Teleclus, rogatus quare Spartani juniores senioribus assurgerent, respondit : « Eo id fieri, ut assueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis venerentur parentes. » Testis est Plutarchus in *Lacon.*

Sexta. *Sexto*, quia, ut ait S. Basilius, lib. *De Abdic. rerum*, si honores senes, « ob istam animi tui submissionem, gloria te afficiet Deus; » atque, ut ait Isychius hic, faciet, cum senueris, ut eadem reverentia tibi a junioribus rependatur : si negligas senes, pœna talionis te senem puniet, ut a junioribus quasi delirus contemnaris.

Vers. 33. 33. SI HABITAVERIT ADVENA, — puta circumcisus proselytus, de quo cap. sequenti vers. 2.

Vers. 35. 35. NOLITE FACERE INIQUUM ALIQUID IN JUDICIO, IN REGULA, — qua scilicet aliquid mensuratis, qualis est ulna, *q. d.* Justa mensura utimini in mensurando (2).

Vers. 36. 36. ÆQUA SINT PONDERA. — Hebraice *æqui sint lapides;* olim enim lapidibus utebantur pro ponderibus : unde *Prov.* XVI, 11, hæc pondera vocantur *lapides sacculi*, non sæculi, uti quidam perperam legunt.

JUSTUS MODIUS.—Hebraice, *justum sit epha*. Epha continebat tres modios : verum noster Interpres pro *epha*, usitatum et commune apud Græcos et Latinos mensuræ nomen, puta *modium*, substituit; pari modo pro « æquusque sextarius, » scilicet sit, hebraice est, *æquum sit hin*. Hin autem Judæorum erat mensura continens 12 sextarios. Verum quia apud nos non est mensura una, quæ illi Hebræorum respondeat, hinc apposite Interpres pro *hin* supposuit sextarium. Hæc enim mensura nobis est notissima : tantum enim vult dicere et præcipere hic Deus, ut justa mensura utantur Hebræi tam in liquidis, quam in aridis; sicut enim hin et sextarius liquidorum, ita et epha et modius aridorum erat mensura.

Scribunt Hebræi eum qui injustis utitur mensuris et ponderibus, quinque scelerum et malorum causam esse. *Primo*, polluit terram. *Secundo*, violat sive profanat nomen Dei. *Tertio*, facit recedere majestatem, gloriam et præsentiam Divinitatis. *Quarto*, in gladium cadere facit Israel. *Quinto*, efficit ut in exilium ejiciatur ex terra ipsorum.

(1) Aliter Drach : Quod incantator dæmone fatidico obsessus, quasi *uter*, seu vas et vagina hujus Pythonis esse videbatur.

(2) *Mensura*, cava scilicet, qua sicca, ut legumina, et liquores, ut vinum, oleum, metiri solent.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Decernitur pœna mortis, puta lapidationis, idololatris, consulentibus magos, maledicis in parentes, incestæ et præposteræ libidini; hæ ergo leges sunt judiciales et capitales.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Hæc loqueris filiis Israel : Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur ; populus terræ lapidabit eum. 3. Et ego ponam faciem meam contra illum ; succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum. 4. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere : 5. ponam faciem meam super hominem illum, et super cognationem ejus, succidamque et ipsum, et omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui. 6. Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. 7. Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. 8. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. 9. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur : patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. 10. Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. 11. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos. 12. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt : sanguis eorum sit super eos. 13. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos. 14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. 15. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur : pecus quoque occidite. 16. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo : sanguis eorum sit super eos. 17. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati : occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt iniquitatem suam. 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. 19. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies : qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam. 20. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum ; absque liberis morientur. 21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit ; absque liberis erunt. 22. Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea, ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habitaturi. 23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas. 24. Vobis autem loquor : Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte et melle ; ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis. 25. Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda ; ne polluatis animas vestras in pecore, et avibus, et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis

ostendi esse polluta. 26. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum; ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. 27. Vir, sive mulier in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos.

Vers. 2. 2. HOMO DE FILIIS ISRAEL ET DE ADVENIS, — puta de Gentilibus conversis ad judaismum et circumcisis : hi enim per circumcisionem transierant in legem et Ecclesiam Judæorum, ac consequenter omnibus præceptis cæremonialibus et judicialibus Judæorum obligabantur. Ita Abulensis.

POPULUS TERRÆ (plebs) (1) LAPIDABIT EUM.

Vers. 3. 3. SUCCIDAMQUE EUM DE MEDIO POPULI SUI. — Si videlicet judices eum plectere et lapidare neglexerint (ut sequitur), tunc ego quasi vigil ultor casuali morte eum plectam et succidam. Vide dicta cap. XVII, 10.

EÒ QUOD DEDERIT DE SEMINE SUO MOLOCH, ET CONTAMINAVERIT SANCTUARIUM MEUM (talis enim tabernaculum et templum meum habuit ut contaminatum, illudque vilipendit, et gravem injuriam et ignominiam illi irrogavit, dum ab eo ejusque cultu ad Moloch et Topheth se convertit), AC POLLUERIT NOMEN SANCTUM MEUM, — nomen Dei dando ipsi idolo Moloch. Quantum peccatum sit profanare nomen Dei, docent Hebræi hisce duobus axiomatibus : *Primum* : « Quicumque violat nomen Dei in occulto, de illo pœna sumetur in propatulo. » *Secundum* : « Alia peccata eorumque punitio suspenduntur per pœnitentiam et diem expiationis; in quocumque vero inventa fuerit violatio nominis divini, pœnitentia, dies expiationis et castigationis suspendunt, mors vero expurgat. »

Vers. 4. 4. QUOD SI NEGLIGENS POPULUS TERRÆ. — Repetit, explicat et inculcat id quod dixit vers. præced., *q. d.* Quod dixi, « succidam eum, » intellige si populus eum punire neglexerit : tunc enim ego id non negligam, sed succidam eum. Ita Vatablus.

Vers. 6. 6. ANIMA (homo) QUÆ DECLINAVERIT AD MAGOS ET ARIOLOS, — Hebraice, *ad pythones et divinos*. Vide dicta cap. XIX, 31.

ET FORNICATA FUERIT CUM EIS, — eis adhæserit, et per consequens dæmoni, me vero Deo et animæ sponso relicto.

Vers. 8. 8. EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO VOS, — qui jubeo et volo vos esse sanctos : ponitur enim hic verbum reale pro mentali, juxta *Can.* 11.

Vers. 9. 9. QUI MALEDIXERIT PATRI, SANGUIS EJUS SIT SUPER EUM. — « Sanguis, » id est reatus et pœna sanguinis, hoc est mortis quam meruit, *q. d.* Sua culpa pereat, et morte puniatur per judicis sententiam.

Vers. 10. Pœna lapidationis lege veteri statuta 10. MORTE MORIANTUR ET MOECHUS ET ADULTERA. — Statuitur hic in adulteros pœna mortis, nimirum lapidationis, uti exprimitur *Deuter.* XXII, 23 et 24. Pœna enim lapidationis quæ in dantes semen Moloch sancitur, vers. 2, utpote primo loco posita, ad alios sequentes casus, et consequenter ad adulteros hos referenda videtur, eo quod alia deinceps non apponatur nec exprimatur, uti clarius ostendam vers. ult. Et hoc est quod Judæi de adultera dicunt Christo, *Joan.* VIII, 5 : « In lege Moses mandavit nobis hujuscemodi lapidare. » Idem patet *Ezech.* XVI, 38, juncto cum vers. 40. Idque diserte docet Hieronymus Prado ibidem (2).

Fuit in adulteros, ubi?

Vers. 11. 11. QUI DORMIERIT CUM NOVERCA SUA, ET REVELAVERIT IGNOMINIAM PATRIS SUI. — Turpitudo enim novercæ est turpitudo patris; per matrimonium enim facti sunt quasi una caro. Vide dicta cap. XVIII, 8.

SANGUIS, — pœna sanguinis, id est mortis, uti dixi vers. 9.

Vers. 14. 14. QUI SUPRA UXOREM FILIAM, DUXERIT MATREM EJUS, SCELUS OPERATUS EST, VIVUS (3) ARDEBIT CUM EIS, — puta cum filia et matre quas duxit, si videlicet utraque consenserit ut altera superinduceretur, vel si simul illi nupserint : nam si una prius nupta repugnasset secundo matrimonio, cum matre vel filia ineundo, insons erat, nec puniri poterat. Incendii pœna statuitur huic incestui, cum aliis etiam gravioribus criminibus statuatur tantum pœna lapidationis, quia magis ad hunc incestum proclives erant Judæi : unde ille eis graviori pœna interdicendus erat.

Incestui statuitur pœna ignis.

Audi Gentiles virgines, quæ incestum vindicarunt per parricidium : tragœdiam narrat ex Aristide Plutarchus in *Parallelis* : « Romæ, ait, cum celebrarentur Liberalia, Aruntius, qui ab ortu fuerat abstemius, vim Liberi despicatui habuit. A quo in ebrietatem conjectus, filiæ suæ Medullinæ virginitatem per vim eripuit. Ea ex annulo violatorem agnoscens, majus ætate sua facinus meditata, patrem inebriavit ac coronavit; adductumque ad aram Fulminis, illacrymans interfecit eum qui suæ virginitati insidias struxerat. » Addit Plutarchus similem, imo duplicem tragœdiam : « Cyanippus, ait, Syracusanus ebrius filiam Cyanem compressit. Peste oborta, cum Apollo Pythius respondisset incestum hominem esse diis averruncatoribus malorum immolandum, Cyane sensum oraculi alios fallentem percipiens, crinibus

Incestus vindicatus per parricidium.

(1) Populares ejus, sive populus ejus regionis, in qua habitaverit.

(2) Priori hujus vers. parte Moses hoc velle videtur : Omne adulterium supplicio mortis dignum est, non solum illud, quod cum uxore hominis non cognati committitur, sed hoc etiam, quod cum uxore cognati patratur. Non enim sentiendum est, inter cognatos exceptionem locum habere, quia amicorum omnia sint communia, et injuriam ejusmodi nullam esse, animoque æquo ferendam.

(3) Vox *vivus* neque in hebræo, neque in antiquis versionibus reperitur. Itaque Allioli censet istiusmodi facinoris reum prius lapidatum fuisse, deinde ad infamiam flammis traditum. Cf. *Joseph.* VII, 15, 25.

arreptum patrem protraxit, ac eum seque insuper jugulavit. » Addit tertiam de Valerio, qui cum filia, aliam putans, congressus, re cognita, se præ mœrore de præcipitio dejecit. Item quartam: « Papirius, ait, Romanus Canuliam sororem amore victus gravidam fecit. Papirius Tolucer pater, re cognita, gladium filiæ misit; ea se confodit, idemque fecit Romanus. » Pari modo : « Macareus, ait, cum sorore corpus miscuit; ea, cum puerulum peperisset, pater misit ei ensem ad necandum prolem : illa hoc impium rata, interfecit seipsam. »

Vers. 17. 17. QUI ACCEPERIT SOROREM SUAM (etiam ex altero tantum parente; hoc enim est quod sequitur) FILIAM PATRIS SUI, VEL FILIAM MATRIS SUÆ, ET VIDERIT TURPITUDINEM EJUS, etc., OCCIDENTUR, — quia ista demonstratio membrorum horum inhonestissima est, et præludium ac incitamentum ad copulam. *Secundo*, recte S. Augustinus, *Quæst.* LXXII, τὸ *viderit* explicat per tetigerit et concubuerit. Præcedit enim : « Qui acceperit; » et sequitur : « Eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint; » quæ phrasis passim hic et cap. XVIII, non solum aspectum, sed et congressum significat. Vide dicta *Exod.* XX, 18.

PORTABUNT INIQUITATEM SUAM, — iniquitatis suæ pœnam, scilicet lapidationem et mortem.

Vers. 18. 18. QUI COIERIT CUM MULIERE IN FLUXU MENSTRUO, IPSAQUE APERUERIT FONTEM SANGUINIS SUI (id est membrum genitale, per quod sanguis menstruus fluit), INTERFICIENTUR AMBO, — quia hic congressus est inhonestus et proli noxius. Nota : Congredi cum menstruata, non videtur ex solo jure naturæ tam grave esse malum et peccatum, nec proli generandæ ita noxium, ut morte plectendum sit. Unde Theologi graviores (licet aliqui contrarium sentiant) docent jam in lege nova non esse mortale peccatum, si maritus congrediatur cum uxore in menstruis constituta. Ita docet Navarrus, cap. XVI *Enchirid.*, num. 32; idem docent D. Antoninus, Paludanus, Abulensis, Soto, Cajetanus et alii quos citat et sequitur Thomas Sanchez, lib. IX *De Matrimonio*, disput. 21. Unde sequitur congressum cum mestruata Judæis hic vetari tam severe, lege non tam naturali quam positiva et cæremoniali, perinde ac eadem vetitus fuit eis esus adipis et sanguinis sub pœna mortis, cap. VII, 25 et 27. Pari ergo modo menstruatæ et congredienti cum ea intentatur hic pœna mortis, non tam ob prævaricationem legis naturalis, quam cæremonialis ita rigide hanc immunditiem vetantis, eo quod Deus vellet Judæos corpore esse purissimos.

Congredi cum menstruata mortale erat, ex lege non naturæ, sed positiva veteri.

Dices : Si hæc lex est cæremonialis, cur ergo ponitur hic inter alia naturalia præcepta?

Respondeo : Quia hæc omnia congressum et libidinem spectant, et quia congressus hic cum menstruata jure naturæ malus est et vetitus, ac peccatum saltem veniale; accedente vero hoc præcepto Dei positivo, erat peccatum mortale; nec mirum naturale præceptum cum positivo permisceri : sic enim hæc præcepta permiscentur cap. præced., *Exod.* vers. 20, et alibi.

19. QUI HOC FECERIT, IGNOMINIAM CARNIS SUÆ (consanguineæ suæ, puta materteræ vel amitæ, ut patet ex Hebræo et Chaldæo) NUDAVIT. Vers. 19.

20. COGNATIONIS SUÆ, — patrui scilicet vel avunculi, uti præcessit. Vers. 20.

ABSQUE LIBERIS MORIENTUR. — Hebraice est, *orbi morientur*, *q. d.* Hi incestuosi non sinentur in hoc scelere permanere, donec liberos habere possint, sed statim ut scitum fuerit, per judicis sententiam occidentur. Hoc enim significat τὸ *portabunt iniquitatem suam*, id est pœnam iniquitatis suæ, scilicet mortem; quod versu et casu sequenti, ubi pariter dicitur : « Absque liberis erunt, » pari modo repetendum est; tam enim illi incestui quam huic decernitur pœna mortis, idque statim, ita ut proles quam quærunt ex eo, non sinatur concipi. Ita Abulensis. Cui adde videri hic Deum peculiariter incestuosis pœnam orbitatis intentare, quasi ipse peculiari sua providentia facturus sit, ne ex tali incestu proles succrescat. Sic enim et hodie tales illiberos manere sæpe experimur, idemque se expertum esse asserit S. Gregorius, ad interrogationem S. Augustini Anglorum Episcopi, cap. VI.

Incestum Deus sæpe punit orbitate.

Aliter S. Augustinus, Radulphus et Cajetanus explicant τὸ *absque liberis erunt*, *q. d.* Si qui eis nati fuerint filii, spurii reputentur, non filii, et nullo jure parenti succedant.

21. REM FACIT ILLICITAM. — Hebraice נדה *nidda*, id est fugiendam, aversandam, abominandam. Vers. 21.

23. NOLITE AMBULARE IN LEGITIMIS NATIONUM (in ritu vivendi Gentium) QUAS EGO EXPULSURUS SUM ANTE VOS, — coram vobis, in terram eorum, puta Chananæam, subintrantibus. Vers. 23.

24. TERRAM FLUENTEM LACTE ET MELLE, — terram fertilissimam; est hyperbole. Vers. 24.

25. SEPARATE ERGO ET VOS JUMENTUM (animal vel pecus. Ita Hebræa et Chaldæa) MUNDUM AB IMMUNDO. — Vide de hac animalium distinctione dicta cap. XI. Vers. 25.

NE POLLUATIS (partim per inobedientiam, partim per irregularitatem legalem) ANIMAS VESTRAS, — id est vos ipsos.

26. ERITIS MIHI SANCTI, QUIA SANCTUS SUM EGO DOMINUS. — Loquitur hic Deus omnibus Israelitis, non solum sacerdotibus, sed et laicis. Pie hanc sententiam pertractat Adamus Sasbout, *homil.* 1 et 2, eamque in prima laicis, in secunda sacerdotibus adaptat. Vers. 26.

Nota : Sanctus hebraice vocatur קדוש *cados*, id est segregatus ab usibus profanis, et Dei cultui destinatus et quasi consecratus, qui proinde purus a vitiis, castus, incontaminatus et purus a sordibus esse debet. *Secundo*, sanctus græce dicitur ἅγιος, vel ὅσιος. Origenes ἅγιος dici putat quasi ἀγῆ, id est *sine terra*. Verum α privativum, id est *sine*, caret aspiratione quæ est in ἅγιος. Quare melius alii ἅγιος et ὅσιος deducunt ab ἄζομαι, id est

Hebr. *cados*, ἅγιος et *sanctus*, quid?

colo, veneror, quasi dicas : Ob virtutem et puritatem colendus et venerandus. *Tertio,* Latini *sanctus* deducunt a sancio, quod a sanguine dicitur, eo quod mactatæ hostiæ sanguine fœdera solerent sanciri, id est confirmari. Unde Servius explicans illud *Æneid.* XII :

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit :

« Sanctum, ait, dicitur, quasi sanguine sancitum et consecratum. » Unde et *sanctio* vocatur lex, qua violantibus pœna præscribitur. Hinc sanctum dicitur quod religiosum est, ita ut violari non liceat. Sanctum ergo *primo* dicitur, quod purum est et impollutum. Unde Virgilius, lib. XII *Æneid.* : « Sancta, ait, ad vos anima, atque istius nescia culpæ descendam. » Et : « Tuque, o sanctissima (id est purissima) conjux. » *Secundo,* quod religiosum est et divinum, ideoque inviolabile. *Tertio,* quod firmum est et perpetuum. Inde enim fœdera sanguine sancita habebantur sancta, quod ea usque ad sanguinem et mortem rata et firma, sancte et inviolabiliter essent conservanda.

Sanctorum exempla.

Sic ergo Judæi, et multo magis Christiani, coram Deo sancti in omnibus actibus et moribus esse debent; sancti, inquam, juxta omnia etyma omnesque modos jam dictos. Tam enim Judæis a Mose dicitur *Exod.* XIX, 6, quam Christianis a S. Petro, *epist.* I, cap. II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » Sic Christus est Sanctus Sanctorum, *Daniel.* IX, 14. Sic sanctissima, id est purissima fuit B. Virgo Deipara. Sic ait David, *Psalm.* LXXXV, 2 : « Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. » Sic *Jerem.* I, 5, dicitur : « Antequam exires de vulva, sanctificavi te. » Sic S. Joannes Baptista sanctificatus fuit in utero, qui ut hanc sanctitatem illibatam tueretur, secessit in eremum, « ne levi saltem maculare vitam famine posset. » Sic virgo est sancta, id est pura, corpore et spiritu, I *Cor.* VII, 34. Sic sanctæ, id est castæ fuerunt S. Agnes, Lucia, Agatha aliæque sanctæ virgines. *Secundo,* sancti, id est a mundo separati, Deoque devoti et consecrati fuerunt S. Eremitæ, Religiosi, Sacerdotes. *Tertio,* sancti, id est ob pietatem et virtutem venerabiles, fuerunt S. Patriarchæ, Prophetæ, Episcopi et Doctores. *Quarto,* sancti, id est Deo fideles usque ad mortem, fuerunt Apostoli et Martyres.

Vers. 27 Pœna lapidationis ad omnes casus hujus capitis extendenda est.

27. LAPIDIBUS OBRUENT EOS. — Probabiliter censet Abulensis pœnam hanc lapidationis ad omnes casus et crimina hujus capitis (excepto illo incestus vers. 14, ubi pœna alia, scilicet ignis, assignatur) pertinere, eo quod lapidatio hic ponatur et exprimatur, tam initio capitis, quam in fine. Unde videtur omnes cæteros casus medios (in quibus proinde certum supplicii genus non exprimitur) quasi compendio complecti; idque confirmatur ex vers. 10, collato cum *Joannis* VIII, 5, ubi adulteræ juxta legem Mosis dicuntur esse lapidandæ. Nec id mirum; omnes enim hi casus, et crimina enormia sunt, ita ut duram lapidationis pœnam mereantur.

Nam in minoribus criminibus commune supplicii genus, ubi aliud non exprimitur, fuisse suspendium, sive crucem censet Abulensis, idque innuitur *Deuter.* XXI, 22. Verum hæc sententia parum est probabilis : crux enim enormium tantum criminum pœna apud Judæos fuisse videtur; nam *Deuter.* XXI, 23, dicitur maledictus a Deo suspensus. Unde Judæis summe execrabilis erat crux, et crucifixi; ideoque eodem die terra conteĝi debebant et sepeliri. Hinc et Christus est crucifixus, ob summum crucis tormentum, pariter et infamiam; hoc enim est quod Judæi dicunt *Sapient.* II : « Morte turpissima condemnemus eum. » Vide Jansenium in cap. CXLIII *Concordiæ Evangelicæ.*

Ordinarium supplicium apud Judæos non fuit crux.

Verius ergo est minorum criminum commune supplicium fuisse gladii aut securis, licet id nusquam in lege veteri expressum et decretum inveniamus; hoc enim mortis genus levissimum est, et plurimis gentibus usu receptum : et sic Joannes Baptista ab Herode decollatus est. Denique notat Carolus Sigonius, lib. VI *De Republica Hebr.*, cap. ult., lege veteri hæc supplicia decreta inveniri, mulctam, talionem, verberationem, exilium, venditionem et mortem; mortis autem tria tantum genera, scilicet lapidationem hic, combustionem vers. 14, et crucifixionem *Deuter.* XXI. Sic apud Romanos octo pœnarum genera in legibus contineri Tullius scripsit, scilicet damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem et mortem, inquit Isidorus, lib. II *Etym.*

Ordinarium Judæis supplicium gladius aut securis.

Supplicia apud Judæos quæ et quot ?

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit Deus ut sacerdotes abstineant funeribus et planctu, imo ut pontifex nec patrem nec matrem plangat; secundo, ut pontifex non ducat uxorem, nisi virginem et nobilem, vers. 13; *tertio, ut sacerdotes careant maculis, id est vitiis corporis, vers.* 17.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, 2. nisi tantum in consanguineis ac propinquis, id est, super patre et matre, et filio et filia, fratre quoque, 3. et sorore virgine quæ non est nupta viro, 4. sed nec in principe populi sui contaminabitur. 5. Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. 6. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. 7. Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito, quia consecrati sunt Deo suo, 8. et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. 9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. 10. Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet; 11. et ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo et matre non contaminabitur. 12. Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. 13. Virginem ducet uxorem; 14. viduam autem et repudiatam, et sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo; 15. ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ, quia ego Dominus qui sanctifico eum. 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 17. Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, 18. nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, 19. si fracto pede, si manu, 20. si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. 21. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo; 22. vescetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario, 23. ita duntaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos. 24. Locutus est ergo Moyses ad Aaron, et ad filios ejus, et ad omnem Israel, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

Vers. 1. 1. LOQUERE AD SACERDOTES FILIOS AARON; — loquere ad minores sacerdotes : nam pontifex neminem omnino, ne patrem quidem poterat plangere, uti dicitur vers. 10, quod tamen hic permittitur minoribus sacerdotibus.

NE CONTAMINETUR SACERDOS IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM, — *q. d.* Caveat sacerdos ne immunditiam legalem contrahat tangendo cadaver, aut curando funus, aut illud sequendo, aut luctum faciendo, aut domum mortui ingrediendo.

IN MORTIBUS. — Hebraice, *super anima*, id est super cadavere; Chaldæus, *super mortuum* : anima enim hic per antiphrasin vocatur cadaver inanime. Aliam hujus nomenclaturæ rationem dat S. Augustinus, *Quæst.* LXXVIII : « Nomen, ait, rectricis animæ etiam corpus accepit anima destitutum, quoniam reddendum illi est in resurrectione; sicut ædificium quod appellatur ecclesia, etiam cum inde exierit ecclesia, qui homines sunt, nihilominus ecclesia dicitur, » per metonymiam.

Cadaver vocatur anima per antiphrasin et per metonymiam.

CIVIUM SUORUM. — Cives suos hic plangere veta-

Funera sacerdotibus olim vetita, cur? Causa prima.

tur sacerdos; ergo multo magis alienigenas et extraneos plangere ei non licebat. Ratio hujus legis est, *primo*, quia sacerdotum erat tractare divina, et ministeria sanctuarii obire, ac proinde eos longissime abesse decebat ab omni funerum et mortuorum communicatione, impuritate ac irregularitate: illorum enim vetus sanctitas et puritas corporalis erat; jam inter corpora impurissima sunt cadavera, utpote quæ in putredinem abeant, fiantque esca vermium, bufonum et serpentum : ergo ab iis remotissimi debebant esse

Secunda. sacerdotes veteres. *Secundo*, quia sacerdos populo debebat esse exemplar vitæ cœlestis, et fidem spemque resurrectionis, non lugendo mor-

Tertia. tuos reipsa ostendere. *Tertio*, quia sacerdos typus erat Christi, qui mortem dissolvit sui immolatione : Christi ergo unius immolationem, per sua sacrificia adumbrare debebat sacerdos. Ita Cyrillus, lib. XII *De Adoratione*, pag. 248.

Vers. 2. 2. NISI TANTUM IN CONSANGUINEIS. — Excipiuntur hic a lege jam lata pater, mater, filius, filia, frater et soror, si sit virgo : hos ergo defunctos lugere poterat sacerdos, non autem uxorem, nepotem et neptem, quia illi hic non excipiuntur (1).

Dices : Capite X, versu 6, vetantur Ithamar et Eleazar sacerdotes, lugere Nadab et Abiu fratres suos jam mortuos.

Respondeo : Peculiaris fuit illa prohibitio eis facta, eo quod ipsi recenter tum erant consecrati sacerdotes; unde nolebat Deus ut ipsi lugerent fratres suos, a se jure meritoque occisos; alioqui secundum hanc legem lugere potuissent.

Vers. 4. 4. SED NEC IN PRINCIPE POPULI SUI CONTAMINABITUR. — Vatablus et alii ex Hebræo vertunt : *Non contaminetur princeps in populo suo, ut profanet se.* Verum non agitur hic de contaminatione principis, sed sacerdotum. Melius ergo Noster Interpres vertit, *in principe* : recte enim in Hebræo intelligitur præpositio ב, id est *in*, uti sæpe solet, maxime quia hic aliud ב proxime sequitur (2).

Tropologice cadavera sunt peccata.

Tropologice, cadavera sunt peccata; tactus cadaverum est communicatio peccatorum : sacerdos ergo cavere debet ne criminum civium suorum particeps efficiatur, et vitam agat popularem, imo neque principi peccanti consentire potest : sed tantum contaminatur in patre et matre, id est offensa primorum parentum, Adæ et Evæ, et filio ac filia, fratre ac sorore, quia post peccatum originis in multis offendimus omnes : et in his necesse est ut etiam justi excusationem accipiant, sine quibus vivere non possunt, nec ipsi, nec illi qui eis in religione succedunt, ut filii, nec qui cum eis tanquam fratres, viam sanctitatis incedunt. E contrario de summo sacerdote, id est Christo, dicitur, quod in nullo omnino, ne patre quidem et matre contaminabitur, quia nullam Christus vitiatæ originis contagionem aut labem aliam sensit. Ita Radulphus.

cata, quæ maxime fugere debet sacerdos.

5. NON RADENT CAPUT, NEC BARBAM, NEQUE IN CARNIBUS SUIS FACIENT INCISURAS. — Hæc in luctu faciebant Gentiles, ideoque ea vetita sunt Judæis, etiam laicis, uti dixi cap. XIX, vers. 27; hic tamen peculiariter eadem vetantur sacerdotibus, quia magis hæc eos dedecent. Vers. 5

Tropologice, sacerdotes non debent caput radere, sed tondere tantum, quia cogitationes carnis de vita subditorum et cognatorum (quæ capillis significantur), nec a se funditus amputare, nec rursum ad crescendum nimis, ut oculos mentis claudant, relaxare debent, sic ut barbam, id est virtutis speciem, in vultu præferant; pari modo non facient incisuras in carne, ne ipsi fidem resurrectionis videantur evacuare, si mortuorum suorum luctum non studeant temperare, inquit Radulphus. Tropologice.

Morale, de moderando luctu in morte consanguineorum.

Quid jam facient fideles in suorum funeribus? Docebunt te viragines et heroinæ. Audi S. Ambrosium, lib. I *Officiorum*, cap. LI : « Quid de matre Machabæorum loquar? quæ spectabat læta filiorum quot funera, tot trophæa, et morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, et pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem. » Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice martyrii septem filiorum, de qua S. Gregorius, homil. 3 *in Evangel.*; et de S. Symphorosa item septem filiorum Martyrum matre, de qua in Vita S. Getulii Martyris ejus mariti; item de S. Melania juniore, de qua S. Hieronymus, epistola *ad Paulam* super obitu Blesillæ : « Præsentia, ait, exempla sectare. S. Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, et necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa lacerum pectus invadere? Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, et ad pedes involuta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditius, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto onere me liberasti. Sed forsitan superatur in cæ-

(1) Allioli tamen ad h. l. excipit uxorem : res, ait, patet tum per se, tum collato loco *Ezech.* XXIV, 16-18.

(2) Alexandrini sic verterunt, οὐ μιανθήσεται ἐξαπίνα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, non subito polluatur in populo suo. Legerunt, uti Capellus observat, בעגל pro בעל, quod Syriace est *subito*, hoc sensu, non temere et levi de causa sacerdotem se polluere debere alicujus funere, sed certis duntaxat casibus, qui vers. 2, 3 enumerantur, ut ἐξαπίνα idem sit quod οὐ τυχόντως. Rosenmullerus autem censet בעל hic *maritum* significare, ut *Gen.* XX, 3, *Joel.* I, 8, etc., eo sensu, *neque vero, tanquam maritus, in familia sua se immundum reddat* (tangenda uxore mortua) *ita ut polluatur.* Cf. *Ezech.* XLIV, 25. Nec apud Romanos sacerdotibus uxoris funere pollui licuisse, auctor est Plutarchus in *Sulla*. Juxta Maurer בעל idem significat quod איש, אדם, ut hic sensus prodeat, *ne immundum sese reddat quisquam inter populares suos* (ut vers. 1), *ita ut polluatur.* חחלו infin. neutr. cum suff. a חלל.

teris? Quinimo, qua illos mente contempserit, in uno postea filio probavit, cui omni quam habebat possessione concessa, ingruente jam hyeme Hierosolymam navigavit. »

Vis exempla Gentilium? audi S. Hieronymum, epistola 3 *ad Heliodorum* in epitaphio Nepotiani : « Ubi, ait, Anaxagoræ ac Telamonis semper laudata sententia : Sciebam me genuisse mortalem ; » ita responderunt nuntiata morte filii. « Cicero, Plato, Diogenes, Clitomachus, Carneades, Possidonius, proponunt innumerabiles viros, et maxime Periclem et Xenophontem Socraticum, quorum alter amissis duobus filiis coronatus in concione disseruit ; alter, cum sacrificans filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, et eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse. Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum, ut nuntiabatur, subito filium se jussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Martios, Crassos, Marcellos atque Aufidos, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit, et quorum orbitates in *Consolationis* libro Tullius explicavit, ne videar potius aliena, quam nostra quæsisse. Quanquam et hæc in flagellationem nostri breviter dicta sint, si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas. »

Vers. 6. 6. SANCTI ERUNT DEO SUO, — puta remoti ab omni contaminatione, immunditia, ritu, et cæremoniis turpibus et profanis, quas Gentiles in funeribus adhibent.

ET NON POLLUENT NOMEN EJUS, — *q. d.* Itaque non polluent nomen, famam et dignitatem sacerdotalem ; ac proinde nec famam Dei, cujus ipsi sunt ministri et sacerdotes.

Sacerdotes sint sanctissimi et quasi ipsa sanctitas.

INCENSUM (hebraice est *ignitiones*, quod Septuaginta vertunt *sacrificia*, Noster vero *incensum*, quod igne adoletur) ET PANES (propositionis (1)) DEI SUI OFFERUNT, ET IDEO SANCTI ERUNT. — Hebraice, *ideo sanctitas erunt*, *q. d.* Ideo sanctissimi erunt et purissimi, ut videantur esse ipsa sanctitas.

Tropologice, incensum est oratio ; panes Dei sunt Sancti, qui fide et bonis operibus Deum pascunt, ac seipsos in Christi corpus trajiciunt : hos sacerdotes Deo offerunt, quia doctrina sua ad credulitatem illos perducunt. Justum ergo est ut ipsi sancti sint, qui alios ad sanctitatem invitant. Ita Radulphus.

Vers. 7. *Prostibulum* vocatur meretrix quæ se prostituit.

7. SCORTUM ET VILE PROSTIBULUM NON DUCENT (sacerdotes) UXOREM. — « Prostibulum » tam hic, quam *Deuter.* XXIII, 18, et *Joelis* III, 3, est meretrix, quæ corpus et pudicitiam suam prostituit. Septuaginta vertunt βεβηλωμένην, *profanatam*, id est violatam et pollutam : hoc enim significat Hebraice חללה *chalala*. Sic apud Plautum et alios Latinos scriptores, *prostibulum* non tantum locum turpitudinis, puta lupanar, sed et ipsam meretricem, vilissimam et abjectissimam significat.

Tropologice, uxor est vivendi forma ; accipit eam generis sui, qui Deum creatorem, et Patres sanctos respicit, atque ex illorum forma vivit. Scortum vero, vile prostibulum, et repudiatam ducit, qui mundi hujus amatoribus conformatur. Ita Radulphus. Tropologice.

8. SINT ERGO SANCTI, QUIA ET EGO SANCTUS SUM, DOMINUS, QUI SANCTIFICO VOS, — qui sanctitatem meam vobis communico, designando et consecrando vos mihi sacerdotes. *Secundo*, « sanctifico, » id est, jubeo vos esse sanctos. Vers. 8.

9. SACERDOTIS FILIA, SI DEPREHENSA FUERIT IN STUPRO, ET VIOLAVERIT NOMEN PATRIS SUI, FLAMMIS EXURETUR. — Propter dignitatem patris sacerdotis, punitur fornicatio simplex filiæ ejus, morte ignis ; non vero punitur fornicatio aliarum : nam filias civium fornicantes non fuisse punitas colligitur *Exodi* XXII, 16, nisi se venditassent postea ut virgines, et hac ratione sponsum decepissent ; tum enim re comperta lapidabantur, sicut adulteræ, ut patet *Deut.* XXII, 20. Hoc discrimen verba legis hujus significant, cum causam afferunt, eo quod « violaverit nomen patris sui, » quasi dicant : Quia fornicatione sua gravem inussit notam et ignominiam patri sacerdoti, ideo comburetur. Sic et Gentiles Romani Vestales virgines in fornicatione deprehensas vivas defodiebant : adulteras autem feminas licet aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. « Usque adeo gravius putabant adyta divina, quam humana cubilia esse vindicanda, » ait S. Augustinus, lib. III *De Civit.* cap. V. Vers. 9. Exuri jubetur filia sacerdotis, non laici, si fornicetur. Sic et Romani Vestales fornicantes defodiebant, adulteris vero vitam condonabant.

10. PONTIFEX, SUPER CUJUS CAPUT FUSUM EST UNCTIONIS OLEUM, CAPUT SUUM NON DISCOOPERIET. — Septuaginta τὴν κεφαλὴν οὐκ ἀποκιδαρώσει, *caput suum non decidarabit*, id est, cidari sua non nudabit, scilicet ad plangendum mortuum, ut hac ratione allegorice significet imperturbabile, immobile et æternum Christi sacerdotium, quod nunquam auferetur, inquit Cyrillus, lib. XII *De Adoratione*, pag. 249. Vers. 10.

Nota : Solus pontifex ungebatur in capite, et ideo non lugebat ullos mortuos, ne quidem parentes. Minores sacerdotes ungebantur tantum in pollicibus manuum et pedum, et super aures, vestesque eorum aspergebantur sanguine arietis immolati, mixto cum oleo sacræ unctionis ; et ideo poterant quidem lugere consanguineos designatos, vers. 2, non tamen alios. Reges vero nec in capite, nec in manibus, nec in vestibus ungebantur oleo sacro, sed tantum oleo simplici et vulgari ; et ideo poterant lugere omnes mortuos quos volebant. Unctio pontificis, sacerdotum, et regis erat dispar.

11. AD OMNEM MORTUUM NON INGREDIETUR. — « Ad omnem non, » id est *ad nullum*, *q. d.* Non ingre- Vers. 11.

(1) Quia ante לחם deest particula ו, Rosenmullerus vertit, *quia offerunt sacrificia Jovæ*, *cibum Dei tui*, animadvertitque alias quoque gentes sacrificia appellasse *cibos Deorum*. Cf. *Iliad.* IV, 48 ; *Levit.* cap. III, 11 ; cap. XXII, 25.

dietur domum in qua est cadaver quodcumque. Ita Vatablus (1).

Pontifex non poterat lugere parentes, cur?

SUPER PATRE QUOQUE SUO ET MATRE NON CONTAMINABITUR, — *q. d.* Si moriatur pater aut mater, non planget eos pontifex exteriori ritu et signo, nec funus eorum comitabitur. « Postulat enim, ait Philo, libro II *De Monarchia*, lex in eo viro præstantiorem homine indolem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam divinæ humanæque naturæ confinio, ut hoc mediatore Deus propitietur hominibus. » Id imitati sunt Gentiles. Unde apud Romanos flamini Diali non licebat, « locum in quo bustum erat ingredi vel mortuum attingere, » teste A. Gellio, lib. X; cap. XV; imo « nec tibias funebres audire, » teste Festo. Quid? quod Flaminicæ non licebat habere soleas aut calceos morticinos, id est, factos ex pecudibus sponte mortuis, teste Servio in IV *Æneid.* : « Quoniam, ait, sua morte exstincta omnia funesta sunt. » Hinc etiam pontifex si quando funebrem haberet orationem, velum ante mortuum expandebatur, quod oculos ipsius a funere arceret. Audi Senecam, *Consolat. ad Martiam*, cap. XV : « Tiberius Cæsar et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit; ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantum velamento, quod pontificis oculos a funere arceret. »

Idem fecit Augustus Cæsar in funere Agrippæ, teste Dione, lib. LIV; nam ipsi Cæsares erant et pontifices usque ad Constantinum imperatorem, qui se pontificatu hoc gentilitio jam Christianus abdicavit. Idem Dio loquens de Tiberio in funere Augusti : « Tiberio, ait, impunitas data, quod cadaver (prohibitum enim hoc erat) tetigisset, ac comitatus fuisset. »

Allegorice.

Allegorice S. Bernardus, serm. 1 *De Circumcisione*, initio : « Christus, ait, est summus sacerdos, quem nec super patre, nec super matre contaminandum, prophetatum est potius, quam mandatum; est enim illi Pater ab æterno, sed Deus, in quem peccatum non cadit : est et mater, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. »

Vers. 12.

12. NEC EGREDIETUR DE SANCTIS, — de sanctuario, si, quando ibi constitutus est, contingat mori etiam patrem aut matrem. Nec enim pontifex domi existens debebat ire ad sanctuarium, si quis suorum moreretur; sed si existeret in sanctuario, non licebat ei ob mortem patris aut matris illud, ejusque sacra munia relinquere, et exire ad funus; ratio subditur :

NE POLLUAT SANCTUARIUM DOMINI, — *q. d.* Ne injuriam et ignominiam inferat sanctuario, illud deserendo, ut super mortuo indecenter plangat. Rursum « ne polluat, » quia si ipse pollutus super mortuo rediret ad sanctuarium, pollueret illud.

Cæremonialia an et quæ servarint Hebræi in deserto?

Notat hic Abulensis ab Hebræis peregrinantibus in deserto per 40 annos non fuisse sacrificatum, nisi in monte Sinai, ac proinde eos deinceps in deserto non fuisse obligatos ullis præceptis cæremonialibus, sed tantum moralibus et judicialibus. Ratio est, quia cæremonialia præcepta tantum sancita erant in ordine ad sacrificia; cessantibus ergo sacrificiis cessabant et alia cæremonialia. Excipe ea quæ Deus specialiter excepit *Num.* V, 2, videlicet leprosum, seminifluum et immundum super mortuo : hi enim immundi erant, et separandi juxta ritum et cæremoniam præscriptam cap. XIII. Quare ut hi expiarentur, opus erat cinere vitulæ rufæ, de qua *Num.* XIX; hanc ergo in deserto crematam fuisse dicere necesse est : nam polluti super mortuo hoc cinere expiabantur. Hinc sequitur sacerdotes etiam in deserto debuisse servare legem hic præscriptam, ut scilicet non plangerent mortuos. Pari modo in deserto non servarunt Hebræi festa, nisi sabbatum; nam sabbatum violans lapidatus est in deserto, *Num.* cap. XV, vers. 55.

Servarunt expiationes et sabbatum.

Vers. 13.

13. VIRGINEM DUCET (pontifex) UXOREM. — Jussit id Deus, ob honestatem et dignitatem summi sacerdotii : idque *primo*, quia non decuisset summum pontificem ab alio vitiatam et cognitam ducere; *secundo*, « ut sacrum semen intacta puraque virginis alvo caperetur, nec ullo modo miscerentur hujus natales cum aliis familiis, » inquit Philo, libro II *De Monarchia; tertio*, ut inita cum nondum depravatis animis consuetudine, facilius eas suis moribus pontifices accommodarent. Sequaces enim et flexiles ad virtutem sunt mentes virginum, et ad disciplinam promptissimæ.

Pontifex debebat ducere virginem, cur? Causa prima. Secunda. Tertia.

Tropologice.

Tropologice S. Cyrillus, lib. XII *De Adoratione* : « Significabatur, ait, per hoc conjugium pontificis cum virgine, quod Christus non cum impiis et corruptis animis, sed cum castissimis et purissimis, tanquam virginibus spiritualiter versaretur, easque fecundas redderet ac sibi genere junctas appellaret. »

Allegorice.

Allegorice : Christus, inquit Radulphus, desponsdit sibi, non Synagogam corruptam, et a se repudiatam, sed Ecclesiam ex Gentibus; quam, cum esset meretrix, adamavit, et ut digne eam sibi conjungeret, virginem fecit; et nobilem, nunc moribus, postea mansionibus.

Vers. 14.

14. SORDIDAM. — Chald. *profanatam*, id est, vitiatam et pollutam. Ita Septuaginta; puram enim plane decebat esse uxorem pontificis. Ita Julius Cæsar dimisit Pompeiam uxorem, quam corruptam esse a Clodio rumor ferebat, quo nomine cum Clodio esset dictus dies, citatus ipse testis nihil de ea sinistri dixit; et interroganti actori : Cur ergo eam dimisisti? respondit : « Quia Cæsaris uxorem ab omni sinistra suspicione liberam

(1) Sic apud Romanos Flamen Dialis locum, in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur, mortuum nunquam attingebat, Gellius X, 15. Servius ad *Æneid.* III : « Moris Romani fuerat, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. »

planeque puram esse oportet.» Idem dicendum erat hic pontifici. Tertullianus, lib. *De Monogamia*, hic addit : « Sacerdotes mei non plus nubent; » quasi secundæ nuptiæ eis hic interdictæ fuerint, debuerintque ipsi esse monogami. Forte editio Theodotionis, aut Symmachi aliquid tale habuerit, ut suspicatur Pamelius. Nam nec Septuaginta nec Hebræa id habent : quanquam hic vacillet fides Tertulliani; scripsit enim ipse hunc librum in hæresi : contendit enim ipse hoc libro secundas nuptias Christianis esse illicitas; qui est error exploratus.

Pontifex non tenebatur uxorem ducere ex tribu sacerdotali.

SED PUELLAM DE POPULO SUO. — Addit Philo pontificem non potuisse ducere uxorem nisi sacerdotalis generis; sed hoc non liquet ex lege divina, imo contrarium potius insinuant historiæ : ex iis enim constat solere pontifices ducere filias principum et regum, qui non erant ex Levi, sed ex Juda. Sic Joiadas duxit Josabet filiam Joram regis Juda, ut testatur Josephus, lib. IX *Antiquit.* VII.

Vers. 15. Pontifex uxor debebat esse nobilis, cur?

15. NE COMMISCEAT STIRPEM GENERIS SUI VULGO GENTIS SUÆ, — *q. d.* Non accipiat uxorem de vulgo, sed nobilem. Septuaginta vertunt : *Non profanabit semen suum in populo suo*, idque *primo*, ob dignitatem sacerdotii; *secundo*, ut pontifex reges et principes quibuscum affinitate jungitur, tanto liberius et melius cultum Dei, et veram religionem edoceat.

Sanctifico, id est jubeo esse sanctum.

EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO EUM, — qui jubeo eum esse sanctum, et abstinere a contaminatione vulgaris et plebeiæ uxoris; ita accipitur « sanctifico, » vers. 8 et 23, et cap. præced. vers. 8.

Vers. 17 et 18.

17. HOMO DE SEMINE TUO QUI HABUERIT MACULAM (deformitatem talem quales sequuntur), NON OFFERET PANES (propositionis, quos minores etiam sacerdotes per singula sabbata offerunt recentes, ablatis prioribus) DEO SUO, NEC ACCEDET AD MINISTERIUM EJUS. — Hæc verba non sunt in Hebræo, sed intelliguntur : habentes enim maculam arcebantur tam ab altari holocaustorum, thymiamatis et candelabro, quam a mensa panum propositionis (1).

Vers. 18. Maculæ facientes hominem irregularem ad sacerdotium.

18. SI CÆCUS FUERIT (ecce hæ sunt maculæ quæ faciunt irregularem, ut habens aliquam ex eis, sacerdos Aaronicus esse nequeat), SI CLAUDUS, SI PARVO, VEL GRANDI, VEL TORTO NASO. — Pro *si parvo* hebraice est חרום *charum*, quod Hebræi *simum* vertunt, licet, si originem et radicem spectes, proprie non nasum nec simum, sed excisum significet. Sic pro *grandi vel torto naso*, hebraice est שרוע *sarva*, quod proprie significat excrescentem, qualis est grandis vel retortus nasus, cui proinde hoc nomen appropriarunt Hebræi. Hebræi præter has maculas, assignant alias centum et quadraginta, quæ hominem inhabilem faciunt ad sacerdotium : vide libellum Præceptorum præcepto negativo 308.

(1) Pro *per familias* hebr. est לדרתם, quam vocem alii vertunt, *quibuscumque sæculis* vixerint; Allioli, *ex inter generationes eorum.*

Vers. 19, 20 et 21.

19, 20 et 21. SI FRACTO PEDE, SI MANU, SI GIBBUS (gibbosus), SI LIPPUS (ita et Septuaginta et Chaldæa. Hebraice est דק *dac*, id est qui tenuibus vel tenerioribus est oculis, uti sunt lippi), SI ALBUGINEM HABENS IN OCULO, SI JUGEM SCABIEM; SI IMPETIGINEM IN CORPORE (impetigo genus est scabiei siccæ, per cutem pruritu proserpens), VEL HERNIOSUS. OMNIS QUI HABUERIT MACULAM (aliquam ex jam dictis), NON ACCEDET OFFERRE HOSTIAS DOMINO, NEC PANES DEO SUO. — Repetit id quod præcessit; panes ergo hic idem sunt quod hostiæ et sacrificia, quæ sunt quasi panis, id est cibus Dei. Ita Chaldæus et Septuaginta. Unde sequitur : « Vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario, » id est, comedet de carnibus et sacrificiis Deo oblatis. Ita Abulensis et alii. Itaque a pari ex phrasi Hebræa, recte caro Christi in Eucharistia Deo oblata vocatur *panis* a S. Joanne, cap. VI, et a S. Paulo, I *Corinth.* XI, maxime quia sub speciebus panis delitescit; non autem e contrario, recte ipse panis vocatur corpus et caro, ut de pane dicas : « Hoc est corpus meum, » id est, hic panis est corpus meum. Sic quoque accipitur *panis* pro victimis, cap. seq. vers. ult. (2).

Victima vocatur panis, id est cibus Dei.

Sic caro Christi in Eucharistia vocatur panis.

Vers. 23.

23. ITA DUNTAXAT UT INTRA VELUM (intra tabernaculum vel sanctum) NON INGREDIATUR (ut adoleat thymiama, accendat lucernas, et ponat in mensa panes propositionis), NEC ACCEDAT AD ALTARE — holocaustorum, ut offerat victimas.

EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO EOS, — qui jubeo eos esse sanctos et puros ab omni indecentia et macula. Hæc omnia, ait Philo, referenda figurate sunt ad perfectionem animæ; nam si mortale corpus sacerdotis inspici oportet, ne quo contactum sit vitio, quanto magis immortalem animam formatam ad Dei imaginem? Ita ipse, lib. II *De Monarchia.*

Symbolicus sensus Philonis.

Tropologice, S. Gregorius, I part. *Pastor.* cap. ult., et ex eo Radulphus : « Cæcus est, qui tenebris præsentis vitæ pressus, quo gressum operis porrigat, nescit; claudus, qui videt quidem, sed per infirmitatem mentis, quæ videt, perfecte implere non valet; naso est parvo, cui parva est discretio. » Unde *Cantic.* VII, dicitur : « Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano; quia S. Ecclesia, quæ ex singulis causis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto deprehendit; nasus grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Est fracto pede vel manu, qui bonorum operum exsors vacat; » vel, ut S. Cyrillus, lib. XII *De Adoratione*, qui non integre ad probas actiones graditur, sed opus Dei facit

Tropologia macularum sacerdotis.

(2) Vers. 22. Hebr. est, *vescetur ex oblationibus sanctissimis et sanctis. Oblationes sanctissimæ* dicebantur partes victimarum, panes sacri, donaria farrea, quæ sacerdotes tantum in loco sancto comedebant; *sanctæ* vero vocabantur decimæ et primitiæ, quibus et alii præter sacerdotes vesci poterant.

imperfecte et negligenter. « Gibbosus est, quem terrena sollicitudo deprimit, ne unquam superna respiciat; lippus est, cujus sensum et mentem natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit; albuginem habet, qui candorem justitiæ vel sapientiæ sibi tribuens, a luce supernæ cognitionis se per arrogantiam excludit; jugem habet scabiem, cui carnis petulantia dominatur; impetiginem, cui avaritia; herniosus est, qui in abditis, id est in mente, pondus turpitudinis gestat. » Ita et Theodoretus, *Quæst.* XXX, et Cyrillus supra.

Jam, si tantam munditiem exegit Deus a Judæis bestias immolantibus, quantam exigit a sacerdotibus et Christianis corpus Domini offerentibus et manducantibus? Narrat Joannes Moschus in *Prato Spirituali,* cap. CL, Episcopum Rumeliæ celebrantem coram Agapito Papa, cum sisteret, eo quod de more non videret Spiritum Sanctum in hostiam visibiliter descendere, rogatum ab Agapito moræ causam, respondisse : Diaconum qui flabellum tenet, removete ab altari. Eo remoto solita signa apparuerunt, ipseque sacrificium perfecit. Ecce diaconi improbitas retardavit sacrificium tam sancti Episcopi. Idem S. Chrysostomo contigisse, ob diaconum conjicientem oculos in mulierem, narrat Metaphrastes in *Vita S. Chrysostomi.* Hanc ergo herniam fugiant Christiani.

Narrat Palladius in *Lausiaca,* cap. XX, presbyterum quemdam in fornicationis statu celebrantem, a Deo fuisse percussum cancro, qui caput ejus ita exederat, ut ipsum os totum appareret in vertice; hunc B. Macarius manus impositione curavit, cum ante spopondisset se non amplius peccaturum, neque altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum.

E contrario, puris et sanctis Christus et angeli in sacrificio assistunt et ministrant, quin et subinde sacram hostiam deferunt. Angeli dant Synaxin Sanctis.

Ita S. Catharinæ Senensi virgini sanctissimæ, concupiscenti communionem, nec ob quorumdam murmurationes sumere valenti, Christus ipse particulam hostiæ consecratæ detulit ex altari, uti testatur Raymundus Capuanus, e cujus manibus sacra hostia erepta est, lib. II *Vitæ* ejus, cap. XXXII.

Ita S. Barbaræ, inter duos angelos cubiculum intrantis, ductu, Eucharistiam ex ipsorum manibus lætissimus accepit (quod in periculoso morbo maxime concupierat) S. Stanislaus Kostka, novitius nostri Ordinis, uti refert noster Sacchinus in ejus *Vita,* et P. Ribadeneira, lib. III *Vitæ Francisci Borgiæ,* cap. VI.

B. Macarius narravit Palladio, ut ipse ait in *Lausiaca,* cap. XX, « se observasse tempore communionis, se Marco exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed ei angelum dedisse ex ara; solum autem se vidisse digitum manus ejus qui dabat. »

S. Onuphrius in eremo singulis septimanis Eucharistiam ex manibus angelorum percipiebat, indeque tam cœlestis et angelicus evasit, ut patet ex ejus Vita. Plura afferam *Numer.* IV, in fine.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur ut immundi et alienigenæ ab esu victimarum abstineant. Secundo, vers. 18, *describuntur maculæ quibus victima carere debet.*

1. Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt; ego Dominus. 3. Dic ad eos, et ad posteros eorum : Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino; ego sum Dominus. 4. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, et ex quo egreditur semen quasi coitus, 5. et qui tangit reptile, et quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus, 6. immundus erit usque ad vesperum, et non vescetur his quæ sanctificata sunt; sed cum laverit carnem suam aqua, 7 et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. 8. Morticinum et captum a bestia non comedent nec polluentur in eis; ego sum Dominus. 9. Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, et moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud; ego Dominus qui sanctifico eos. 10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis et

mercenarius non vescentur ex eis. 11. Quem autem sacerdos emerit, et qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis. 12. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis non vescetur; 13. sin autem vidua, vel repudiata, et absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. 14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, et dabit sacerdoti in Sanctuarium. 15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino; 16. ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint; ego Dominus qui sanctifico eos. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: 18. Loquere ad Aaron et filios ejus, et ad omnes filios Israel, dicesque ad eos: Homo de domo Israel, et de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, 19. ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, et ovibus, et ex capris; 20. si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. 21. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. 22. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini. 23. Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes; votum autem ex eis solvi non potest. 24. Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. 25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit; quia corrupta et maculata sunt omnia: non suscipietis ea. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 27. Bos, ovis et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ; die autem octavo, et deinceps offerri poterunt Domino. 28. Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum fœtibus suis. 29. Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, 30. eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei; ego Dominus. 31. Custodite mandata mea, et facite ea; ego Dominus. 32. Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel; ego Dominus qui sanctifico vos, 33. et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum; ego Dominus.

Vers. 2. 2. LOQUERE AD AARON ET AD FILIOS EJUS, UT CAVEANT (ut abstineant; hebraice, *ut separentur*, quando videlicet ipsi sunt immundi) AB HIS QUÆ CONSECRATA SUNT, — quæ Deo quomodolibet oblata sunt. Secus erat de iis quæ nude offerebantur, non Deo in sacrificium, sed Levitis et sacerdotibus in alimoniam, uti erant decimæ et primitiæ: hæc enim Deo solemni ritu non erant oblata, nec eorum pars erat Deo sacrificata; unde iis poterant vesci Levitæ etiam immundi, imo poterant ea vendere laicis, et commutare rebus aliis.

ET NON CONTAMINENT NOMEN SANCTIFICATORUM MIHI, — *q. d.* Ne contaminent sacra mea, ne mihi sanctificatis et oblatis notam impuritatis aspergant: noster Interpres in Hebræo legit קדשי *kadascai*, id est sanctificatorum mihi; jam aliis punctis legunt *kodsci*, id est sanctitatis meæ, *q. d.* Nomen sanctum meum.

Verum melius Noster legit *kadascai*, quia sequitur, *quæ mihi offerunt;* hæc enim sunt sanctificata Deo.

3. DIC AD EOS ET AD POSTEROS EORUM, — manda ut hæc lex servetur apud posteros, maxime quia illi soli eam reipsa implebunt et exsequentur: nam præsentes tantum eam audiunt et recipiunt, non vero eam implebunt. Ratio est, quia cæremoniales hæ leges non sunt observatæ in deserto, tum quia in eo non erat stabile tabernaculum nec domicilium; tum quia in eo non habebant commercia cum Gentibus, ut emerent thus, vinum, mel, animalia aliaque quæ Deus sibi offerri et sacrificari jussit: unde et ex solo manna ibidem vixerunt per quadraginta annos. Vide dicta cap. præced. vers. 12. Vers. 3.

OMNIS HOMO QUI ACCESSERIT (comedendi causa) AD EA QUÆ CONSECRATA SUNT, IN QUO EST IMMUNDITIA (quæ explicatur vers. 4, scilicet si sit leprosus, semine pollutus, si tetigerit mortuum vel reptile, si comederit morticinum), PERIBIT CORAM DOMINO. — Hebraice, *exscindetur anima illa a facie mea*, id est a me, ut vertunt Septuaginta.

Nota: Deus hic tam graviter et severe sancit,

Immundi arcebantur carnibus sacris, quia hæ erant typus Eucharistiæ.

ne immundi ad res sacras et sacrificiorum carnes comedendas accederent, partim ob reverentiam sacrorum et sui cultus, partim allegorice ad præsignandum, quam stricte exacturus esset puritatem animæ, in sumentibus communionem corporis et sanguinis Domini, quod unicum est sacrificium legis novæ, veteribus hisce omnibus adumbratum. Ita Abulensis, de quo vide S. Basilium, serm. 2 *De Baptism.* cap. II et III.

Merito ergo in impuros sacerdotes et clericos vindicta Dei desævit. Audi exempla.

Sacerdotes impuros punit Deus.

Gregorius Turonensis, lib. V *Hist. Francorum*, cap. V: Cum per mortem, inquit, Sylvestri sedes Ecclesiæ Lingonicæ vacaret, Lingonici Episcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam Archidiaconus Augustodunensis fuerat, accipiunt: qui multa, ut asserunt, egit iniqua, quæ a nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur: tamen qualem habuerit exitum non omittam. Anno octavo Episcopatus sui, dum diœceses ac villas Ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit illi B. Tetricus vultu minaci, cui ita: « Quid tu, inquit, hic Pappole, ut quid sedem meam polluis? ut quid Ecclesiam pervadis? ut quid oves mihi creditas sic dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longius a regione. » Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit. In quo ille evigilans, dum cogitat quid hoc esset, fixe in loco illo defigitur ac dolore maximo cruciatur. Abhorret cibum potumque, et mortem jam sibi proximam præstolatur. Quid plura? tertia die cum sanguinem ore projiceret, expiravit. Exinde elatus Lingonas est sepultus.

Exempla.

Audi Petrum Damianum Ostiensem Episcopum, in epist. *ad Hildebrandum Papam*, tom. III *Biblioth. SS. Patrum*: « Istud nunc, ait, ad memoriam redit, quod in Beneventana olim urbe constitutum me audire contigit. Princeps ejusdem civitatis presbyterum sanctæ conversationis virum, et in divinis officiis ac præcipue in solemnitate Missarum indesinenter assiduum excolebat; qui cum quotidie sacris mysteriis reverenter insisteret, angelus Domini ex consuetudine veniebat, et vidente principe sacramentum Dominici corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed, o criminalis vitæ hujus lubrica et incerta conditio! Nam qui angelicis fruebatur obsequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repente prolapsus est. Quid plura? Peragendi mysterii sacri tempus advenit: consuetudine foris exigente presbyter compellitur, sed graviter intus conscientia remordente torquetur; ornatur, accedit, trepidat, palpitat, tamen offerre præsumit. Jam ecce angelus, ut assuetus fuerat, venit, et inspectante principe spongiam infectam aqua super caput illius expressit, omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfudit. Hoc viso princeps admiratus obstupuit, presbyterumque semotis omnibus secrete convenit. Inquisitus itaque presbyter si noviter aliquid criminis admisisset, primo quidem perhorrescens, facinus abnegat; deinde male sibi conscius, ac principis auctoritate compulsus, tandem corruisse se nocte præterita in quamdam ejusdem principis cubiculariam confitetur. »

Audi eumdem in epist. *ad Taurinensem Episcopum*, et ex eo Baronium, tom. XI, anno Christi 1057 : « Cum Stephanus Papa, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes clericos Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes exstiterant, de conventu clericorum et choro Ecclesiæ præcepisset exire, ut quanquam relictis feminis per pœnitentiæ lamenta se corrigerent, tamen quia sancto viro inobedientes fuerant, et de sacrario ad tempus exirent, et celebrandæ Missæ licentiam de cætero non sperarent. Juxta Canonicam B. Cæciliæ trans Tiberim constitutam presbyter habitabat, qui nec feminam ullo modo acquiescebat abjicere, nec unquam poterat hæc statuta nisi vana prorsus et frivola judicare. Quadam itaque die dum incolumis, vegetus ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit, sed repentina divinæ ultionis animadversione percussus. Mane repertum est cadaver exanime. Illico præfatæ Canonicæ religiosi duos ad me clericos direxerunt, quid tali deberent mortuo consulentes. Nos, si rem recte tenemus, consilium dedimus, ut eum quidem, quia presbyter fuerat, penes ecclesiam sepelirent, sed nullum ei vel hymnorum vel psalmodiæ officium redderent, quatenus et incestis terror accresceret, et castitatis gloria germinantius pullularet, et certe dignus videretur ut mortuus (juxta Prophetam) sepulturam possideat asini, qui dum viveret, humana contempsit lege constringi. »

S. Epiphanius (ut ex Metaphraste refert Surius in *Vita* ejus, cap. XVIII, die 12 maii) « Constantiæ Episcopus hoc tempore oblationis servabat: nunquam eam perficiebat, donec vidisset visionem. Consueveratque præfari verba quædam, et ei statim revelabatur. Cum itaque aliquando ter dixisset sermonem, nulla ei sese obtulit visio. Cum is autem lugeret, et oraret ut sibi causa significaretur, primus observat diaconum, qui a sinistris tenebat ventilabrum ministratorium. Quem cum observaret, considerat Epiphanius in ejus fronte apparere lepram. Nulli autem erat manifestum diaconum eo morbo laborare; Epiphanius itaque manum extendit, et instrumentum levavit ministratorium, ei benigne dicens: Vade, fili, in domum tuam, et ne modo sumas divina mysteria. Ipse autem statim egressus est, et ivit in domum suam, datque Epiphanius officium alii diacono. Deinde ex priore sciscitatur causam; cumque is diceret quod illa nocte dormierat cum uxore, accersito toto ordine sacrato, eis benigne dixit Epiphanius: Quicumque, o filii, clero digni estis habiti, solvite calceamenta vestra, ut non in iis ingrediamini, et ut colatis virum sanctum, qui

in Ecclesia prædicat et dicit: Et habentes uxores tanquam non habentes. Ex hinc ergo non amplius ordinabat Epiphanius eos qui habent uxorem, sed viros sanctos, qui vitam exercebant monasticam, et viduos viros probatos; licebat tunc vere videre Ecclesiam, tanquam pulchram sponsam ornatam sacerdotio. »

Ausculta Willelmum Malmesbur., *De Gestis Anglorum*, lib. II: « Henricus Imperator habebat clericum in curia sua, qui et litterarum peritiam, et vocis elegantiam vitio corporis deformabat, quod meretriculam villæ vehementer ardebat; cum qua nocte solemni volutatus mane ad Missam Imperatoris aperta fronte adstabat. Dissimulata scientia, mandat ei Cæsar ut se paret ad Evangelium quod ejus melodia delectaretur; erat enim diaconus. Ille pro peccati conscientia, multis præstigiis subterfugere; Imperator contra nuntiis urgere, ut probaret ejus constantiam; ad extremum prorsus abnuenti: Ego, inquit Cæsar, quia non vis parere mihi in tam facili obsequio, extorrem te totius terræ meæ præcipio. Clericus amplexus sententiam abscessit continuo; missi pedissequi qui eum persequerentur, ut, si perseverandum putaret, jam urbem egressum revocarent. Ita cunctanter compilatis omnibus suis, et in sarcinulas compositis, jam profectum magnaque violentia retractum Henrici præsentia sustinuit. Qui lætus subridens: Probe, ait, fecisti, et gratulor probitati tuæ, quod pluris penderis Dei timorem quam patriam, respectum cœlestis iræ quam minas meas: quapropter habeto Episcopatum, qui primus in imperio meo vacaverit; tantum indecenti amori renunties. »

Denique nota est tragœdia infelix et terribilis Udonis Marpurgensis Episcopi, quam fuse refert S. Antoninus, Nauclerus et Fulgosius: « Cum Udo Episcopus, inquiunt, ne signis quidem ac divinis vocibus commonitus, ab impudicitia sibi temperaret, viri religiosi Deum ut Episcopum aut corrigeret, aut tolleret, rogaverunt. Inter eos cum noctu in ecclesia S. Mauritii Fredericus Canonicus ejusmodi precibus operam daret, vehementioris venti afflatu omnia quæ in templo erant lumina extingui perspexit; nec multo post, duos juvenes venire duo candelabra accensis cereis ferentes, et Christum cum parente ejus atque Apostolis subsequi. A quibus cum essent vocati sancti homines, quorum corpora in templo quiescebant, visus est inter eos Mauritius venire, qui longa atque gravi oratione Udonem Episcopum accusavit; quem haud multo post Christus nudum adferri a duobus jussit atque damnavit. Is autem pugno ab ipsorum altero, qui eum portarunt, graviter in mediis renibus ictus, christianam hostiam quam in communione ejus diei pridie sumpserat, revomuit in calicem, qui altari impositus fuit, atque securi percusso Udone, rerum illarum omnium visio evanuit. Quare vehementer territus Fredericus, cum ad altare accessisset, calicemque in eo esse cum christiana hostia inspexisset, et simul Episcopum mortuum humi jacentem, alios religiosos viros excitavit, qui ablatum inde Episcopi corpus in agro sepeliverunt. »

4. QUI TETIGERIT IMMUNDUM SUPER MORTUO, — *q. d.* Immundus erit, qui tetigerit immundum propter mortuum, vel qui mortuum, puta cadaver aliquod, tetigit, curavit, sepelivit, aut funeri ejus interfuit. Hic enim immundus erat, et qui sic immundum tetigisset, pariter fiebat immundus, ut carnibus Deo immolatis vesci ei non liceret. Vers. 4.

Septuaginta vertunt: *Qui tetigerit immunditiam animæ*, id est cadaveris, hoc est, qui tetigerit cadaver; unde aliqui censent solos tangentes cadaver hic arceri ab esu sacrarum carnium, non autem eos qui vicissim hos tangentes tetigissent: nec enim eos suam immunditiam in alios transfudisse. Sed priorem sensum postulat versio nostra, et eodem inclinant Hebræa et Chaldæa, uti fatetur Vatablus; huic etiam favet id quod sequitur:

5. QUI TANGIT REPTILE ET QUODLIBET IMMUNDUM (Hebraice, *qui tangit reptile, et hominem qui contaminare potest*, uti est leprosus, menstruata, seminifluus), CUJUS TACTUS EST SORDIDUS, — quia eum quem tangit, polluit et immundum reddit, ita ut non liceat ei de carnibus sacris comedere. Vers. 5.

7. QUIA CIBUS ILLIUS EST, — id est, quia pertinet ad eum comedere de cibis Deo oblatis. Vers. 7.

8. MORTICINUM ET CAPTUM A BESTIA NON COMEDENT. — Morticinum, ait S. Hieronymus, est corpus in quo moritur sanguis, id est anima, puta quod moritur sine effusione sanguinis; nam sanguis vocatur anima, quia est animæ vehiculum et sustentaculum: hac ergo de causa, morticina hac lege censentur immunda, uti et lacerata a bestia. Vers. 8.

9. CUSTODIANT PRÆCEPTA MEA, UT NON SUBJACEANT PECCATO, ET MORIANTUR IN SANCTUARIO (ne occidantur a me in sanctuario, uti occisi sunt Nadab et Abiu), CUM POLLUERINT ILLUD. — Hoc enim ipso quo contra hasce leges comedunt carnes in sanctuario Deo oblatas, cum sunt immundi, et carnes ipsas, et consequenter sanctuarium ipsum in quo illæ oblatæ sunt, polluunt et contaminant. Vers. 9.

EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO EOS, — qui volo et jubeo eos esse sanctos.

10. OMNIS ALIENIGENA NON COMEDET DE SANCTIFICATIS. — Pro *alienigena*, hebraice est *extraneus*, id est, qui non est de genere sacerdotali; nam solis iis qui erant de stirpe Aaron, puta filiis et filiabus, atque eorum servis et vernaculis, licebat comedere carnes Deo oblatas, illas scilicet, quæ cedebant in jus sacerdotum: nam ex hostia pacifica quæ magna ex parte cedebat offerenti, laici quilibet cum eo comedere poterant. Vers. 10.

Alienigena dicitur tripliciter.

Nota: Alienigena tripliciter sumitur. *Primo*, alienigena dicitur is, qui non est de genere Judæorum. *Secundo*, qui non est de stirpe Levi; *Numer.* XVIII, 4. *Tertio*, qui non est de stirpe Aaron. Ita capitur hic.

INQUILINUS SACERDOTIS ET MERCENARIUS NON VESCENTUR EX EIS. — « Inquilinus, » hebraice תושב *toscab*, vocatur is, qui moratur cum sacerdote, sed non est de stirpe ejus; moratur, inquam, quasi hospes, mercenarius vel peregrinus : hic ergo non poterat edere de sanctificatis, quia non pertinebat ad stirpem sacerdotis vel familiam, uti pertinebant servus et vernaculus, id est servus domi natus, qui cum toti sint sui domini et heri, possunt vesci sanctificatis, uti dominus ipse cum suis filiis.

Vers. 12. 12. SI FILIA SACERDOTIS CUILIBET (1) DE POPULO NUPTA FUERIT, DE HIS QUÆ SANCTIFICATA SUNT, ET DE PRIMITIIS NON VESCETUR, — quia per nuptias jam in aliam familiam popularem commigravit; uxor vero sacerdotis iis vesci poterat, quia una caro et una persona censetur cum marito sacerdote. Nota, *primitiæ* hic vocantur prima et electa, quæ Deo offeruntur et sanctificantur, ut patet ex Hebræo; sic etiam capitur hæc vox *Exodi* XXV, 1.

Vers. 13. 13. SIN AUTEM VIDUA, VEL REPUDIATA, ET ABSQUE LIBERIS REVERSA FUERIT AD DOMUM PATRIS SUI, SICUT PUELLA CONSUEVERAT, ALETUR CIBIS PATRIS SUI. — Talis enim repudiata licet liberos habeat, illi tamen sequuntur patrem : nam matres in lege veteri non succedebant in bona et hæreditates parentum : unde nec filii habebant bona materna, utpote quæ nulla erant; sed tantum paterna : patri enim soli succedebant; unde et patri incumbebat eorum alimentatio : itaque cum mater repudiata redit ad domum patris, redit sine liberis, et alenda est a patre, perinde uti alita fuit existens puella ante nuptias.

Tropologice S. Cyrillus, lib. XII *De Adorat.* pag. 245. Si anima, ait, ut damnabilis repudiata fuerit, et destituta viro, id est spirituali sponso, fructumque ex virtute nullum habeat, illico ad priorem statum redeat, celeriterque ad domum patris sui revertatur per pœnitentiam, repetatque priorem illam cum Deo cognationem, tum denique vescetur panibus illius.

Vers. 14. 14. QUI COMEDERIT DE SANCTIFICATIS PER IGNORANTIAM : ADDET QUINTAM PARTEM (pro injuria irrogata tabernaculo vel sacerdoti : debebat etiam dare arietem Deo in sacrificium, uti dictum est cap. V, vers. 15) CUM EO QUOD COMEDIT, ET DABIT SACERDOTI IN SANCTUARIUM, — ut scilicet inferatur in sanctuarium, ad usus vel sacerdotis, vel sanctuarii : si enim sanctificata quæ comederat offerens, erant ex partibus quæ Deo cedebant, ut si sanguinem, caput, caudam, in hostia pro delicto comedisset, restitutio facienda erat ipsi sanctuario, id est sacerdoti ad usus sanctuarii : sin autem comederat ex iis quæ sacerdoti cedebant, restitutio facienda erat ipsi sacerdoti ad ejus usus. Ita Abulensis.

Vers. 15. 15. NEC CONTAMINABUNT SANCTIFICATA, — comedendo illa, cum non sint de genere sacerdotali (2).

Vers. 16. 16. HOMO DE DOMO ISRAEL, — de stirpe et posteris Jacob. Vide dicta *Exodi* II, 1.

DE ADVENIS QUI HABITANT APUD VOS, — de proselytis, qui ex Gentibus ad vos commigrarunt, ut Deum verum vobiscum colant, ideoque circumcisi sunt et facti Judæi.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. QUIDQUID ILLUD OBTULERIT IN HOLOCAUSTUM DOMINI, MASCULUS ERIT. — Poterat enim offerre aliam victimam non in holocaustum, sed pro peccato, vel pacificam, etiam feminam; sed qui offerebat victimam in holocaustum, debebat offerre masculum. Si quis ergo vovisset feminam in holocaustum, debuisset pro ea dare masculum, si quidem habuisset intentionem absolute vovendi holocaustum : tunc enim debebat in voto suo sequi determinationem legis, quæ jubet offerri masculum, non feminam; sin autem tantum certum hoc animal, puta feminam, ex ignorantia vovisset in holocaustum, nec voluisset aliud vovere, tunc ut summum fuisset obligatus vendere eam, et ex pretio emere masculum in holocaustum. Dico *ut summum* : nam si vovisset feminam in holocaustum, ex affectu tali, ut feminam determinate, quia bellam, vel pinguem, offerri vellet in holocaustum, ita ut absolute nollet aliud, tunc ad nihil tenebatur : quia hoc ejus votum circa materiam omnino illicitam versabatur, et ipse noluit vovere licitam (3).

Victima holocausti debebat esse masculum.

Quid si quis vovisset feminam?

Vers. 21. 21. HOMO QUI OBTULERIT VICTIMAM PACIFICORUM. — Describitur hic qualis debeat esse victima pacifica, sicut vers. 18 descripta fuit victima holocausti; omittitur hic victima pro peccato, quia de ea actum est fuse cap. V, præscriptumque quid quisque offerre debeat.

OMNIS MACULA NON ERIT IN EO, — id est, nulla erit.

Tropologia harum macularum eadem est quæ in maculis sacerdotum cap. XXI, vers. 18. Ita Radulphus.

SI FRACTUM, — si fractos habeat pedes, vel lumbos, vel oculum.

Vers. 22. 22. SI CICATRICEM HABENS. — Hebr. *si incisum*, id est, si incisuram cicatrice ostendat. Septuaginta εἰ γλωσσότμητον, *si lingua truncatum sit.* Recentiores vertunt : *Si membrum resectum habeat;* sed hoc satis vetitum est præcedenti particula : si enim fractum vetitum est, ergo et resectum.

SI PAPULAS, — id est, si verrucas habeat. Ita Vatablus.

Vers. 23. 23. BOVEM ET OVEM AURE ET CAUDA AMPUTATIS VOLUNTARIE OFFERRE POTES. — Pro *aure et cauda amputatis*, Chaldæus et recentiores vertunt, *super-*

(1) Clarius ex hebr., *alteno*, ei scil. qui non fuerit de genere sacerdotali.

(2) Versum 16 cum vers. 15 Maurer ita copulat, *ne profanent res sacras filiorum Israelis, quas Jovæ obtulerint, atque ita*, seu *ita ut faciant sustinere illos culpam delicti.*

(3) Pro *ut offeratur per vos*, hebr. est, *ad gratiam vestram*, ad favorem vobis conciliandum, id est, si quis velit Deo id esse acceptum, quod offerre voluerit, offerat masculum integrum, etc.

fluum et diminutum, id est, qui enormibus et contractis est membris (1). Verum Septuaginta tam hic quam *Levit.* XXI, 18, vertunt ut Noster, ὠτότμητος, ἢ κολοβόκερκος, id est, aure vel cauda truncatus. Generalia enim nominum Hebræorum significata, sæpe ex usu ad aliquid particulare determinantur, uti vidimus cap. XXI, vers. 18, ubi פסח *pisseach,* id est saltitans, claudum significat; דק *dac,* id est *tener,* lippum; חרום *charum,* id est *succisum,* significat simum, cui quasi incisus est nasus; sic *excrescens* (si id radix Hebræa, quæ alibi non reperitur, significat) significare potest auribus truncum, cui caput eminet et quasi excrescens apparet, vel cui nasus excrescit, quique magno aut retorto est naso, uti Noster vertit cap. XXI, vers. 18; sic *diminutus* est, qui cauda minutus est : sic enim explicant Septuaginta et Noster. Bos ergo et ovis, aure et cauda amputatis, poterant esse victimæ voluntariæ sive spontaneæ, non autem votivæ, ac consequenter nec pro peccato; quia sacrificium pro peccato non erat voluntarium, sed obligatorium, æque ac votivum : idem dico de aliis ad quæ Hebræi stato tempore obligabantur; hæc enim non spontanea erant, sed necessaria et lege præscripta. Ratio est, quia major est obligatio in votivis et præceptis sacrificiis, quam in spontaneis. Unde in his permittitur major libertas, quam in illis; illis etiam major inerat dignitas : unde purior, et magis integra victima in iis merito exigitur.

Auris symbolum est obedientiæ, caudæ perseverantiæ.

Tropologice, in aure obedientia, in cauda signatur perseverantia : sine his opus liberum et supererogationis, puta opus illius, qui non vovit statum perfectionis, placere potest, non autem opus ejus qui vovit. Unde in votis sicut major est reatus, nisi opere consummentur; ita major erit corona, si compleantur, ut utrimque qui voverunt ad profectum constringantur : inquit Radulphus. Præclare S. Bernardus, homil. *De duobus discipulis euntibus in Emmaus* : « Patiens, inquit, in tribulatione, et gaudens ad laborem obedientiæ, potest dici potens in opere. Videat aliquem frequenter in oratione devotum, cujus oculi sunt sicut piscinæ in Hesebon, præ multitudine lacrymarum, sed recusat ferre jugum obedientiæ : votum suum offerre se æstimat, offerendo hostiam amputata aure; suam plangit in oratione superbiam, sed hora compunctionis transacta, ita superbus est, sicut ante, etc. Tales potentes videntur in sermone, sed non in opere. In opere et sermone sunt potentes, qui habent in moribus honestatem, in operibus virtutem, in sermone scientiam, devotionem in orationis assiduitate, gravitatem in conversatione, perseverantiam in amore.»

Moraliter, nil

Recte dicebat Chilon tarde quidem esse aggrediendas res magnas; sed cum semel inceperis, constantissime in agendo perseverandum esse. Nihil enim est tam arduum et insolitum, quod non evincat perseverantia. « Perseverantia vi est efficacior, teste Sertorio, multaque quæ uno impetu confici non possunt, paulatim absolvuntur. Est enim assiduitatis vis invicta, quæ omnem superat exscinditque potentiam; et tempus, quod plurimum auxilii fert iis, qui prudenter occasionem captant, idem infestissimum est iis, qui importuna festinatione utuntur,» inquit Plutarchus in *Sertorio.* est quod non vincat perseverantia.

« Turpe, inquit Seneca, est cedere oneri, et luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate. »

Idem, *epist.* 1 : « Nihil, ait, est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura. » Et *epist.* 16 : « Perseverandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. » Et *epist.* 65 : « In excelso est vita beata, sed perseverantia penetrabilis. »

Vers. 24. 24. OMNE ANIMAL, QUOD VEL CONTRITIS, VEL TUSIS (ita legendum cum Romanis; non *tunsis,* uti legunt Plantiniana), VEL SECTIS ABLATISQUE TESTICULIS EST, NON OFFERETIS.

Tropologice, testiculis significatur facultas generandi et producendi bona opera, quorum pater est ratio, mater voluntas; quæ si effecta sit sterilis aut infecunda, inepta est ad Dominicam oblationem. Ita Radulphus et Cyrillus, lib. XV *De Adoratione.*

Vers. 25. 25. DE MANU ALIENIGENÆ (Gentilis manentis in sua superstitione; hic enim hebr. vocatur בן נכר *ben nechar,* id est, *filius alieni*) NON OFFERETIS PANES DEO VESTRO. — « Panes, » id est, sacrificia quæ sunt quasi panis, id est, cibus Dei. Unde Septuaginta vertunt δῶρα, id est *dona* : vide dicta cap. XII, vers. 22; neque enim possunt hic intelligi panes propositionis, quia eos conficiebant sacerdotes, non laici, multo minus alienigenæ, ut patet cap. XXIV, vers. 5.

ET QUIDQUID ALIUD DARE VOLUERIT, — alienigena scilicet, ut offeratur immediate et adoleatur Domino, uti thus, oleum, vinum; hæc enim ab eo accipi non poterant, cætera vero accipi poterant. Unde non vetatur hic ne sacerdotes a Gentilibus accipiant pecuniam ad emendas victimas : eas enim tum ab aliis acceperunt, tum a Seleuco rege Asiæ, II *Machab.* II, 3.

QUIA CORRUPTA ET MACULATA SUNT OMNIA, — puta munera et victimæ Gentilium, eo quod ipsi offerentes corrupti, id est idololatræ, sunt. Rursum, quia ipsi apud Judæos immundi censebantur; unde arcebantur a sacris, et non poterant ingredi Sanctuarium, quia hæc erant propria status Judaici, ad quem ipsi non pertinebant : sicuti nunc illi qui non sunt baptizati, non admittuntur ad sanctam communionem, ad templa et sacrificia Christianorum. Ita Abulensis.

(1) Uti שרוע est animal, cui e partibus, quæ geminæ sunt, una est altera longior et extensior : ita קלוט contra animal dicitur, cum una pars justo brevior est et contractior.

Vers 27. 27. BOS, OVIS ET CAPRA, CUM GENITA FUERINT, SEPTEM DIEBUS ERUNT SUB UBERE MATRIS SUÆ; DIE AUTEM OCTAVO ET DEINCEPS OFFERRI POTERUNT DOMINO,—quia septem primis diebus fœtus est nimis tener. Vide dicta *Exodi* XXII, 30, ubi idem dicitur de primogenitis.

Tropologice. Tropologice Radulphus: Septem diebus, id est, quamdiu quis non aliud nisi res hujus mundi, et temporalia cogitare potest, tamdiu doctrina simplici nutriatur; die vero octava, id est, cum fuerit spiritualis effectus et spiritu renovatus, Domino poterit præsentari.

Allegorice, septem diebus hujus vitæ sub Ecclesia matre sumus; octava vero die resurrectionis sistemur Domino in gloria. Ita Radulphus.

Vers 28. 28. SIVE ILLA BOS, SIVE OVIS, NON IMMOLABUNTUR UNA DIE CUM FOETIBUS SUIS, — quia hoc crudele videtur. Voluit Deus hac lege Judæos docere humanitatem, ut scilicet in bestias præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur, inquit Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* XVII. Eadem de causa *Deut.* XXII, 7, vetatur is qui nidum invenit, accipere matrem cum pullis.

Tropologice. Tropologice Radulphus : « Mater, ait, est voluntas, quæ fœtus suos Deo immolat, cum in exterioribus actibus quidquid legi Dei contrarium est, pro posse suo trucidat; sed tunc circa seipsam gravis ei labor est, quia voluptatum memoriam quibus sponte se subdidit cum ad Deum tendere nititur, etiam invita gemensque molestam sentit : non ergo terreatur, quia fieri nequit, ut una die mater cum fœtibus immoletur, id est, ut præscindatur actus simul et affectus, incitans et tentans ad actum. »

Moraliter, habitus virtutis parandus est exercitio. Hoc enim sensim fit per exercitium. Hinc ait Apostolus, I *Timoth.* IV, 7 : « Exerce teipsum ad pietatem. » Huic exercitio vacantes monachi dicti sunt Ascetæ, id est exercitantes; unde S. Basilius suas constitutiones monasticas vocavit Ascetica, id est, exercitamenta. « Omnis enim res, inquit S. Ambrosius, lib. I *De Officiis*, propriis ac domesticis exercitiis augetur. Quomodo sine exercitio doctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis, et tanquam in procinctu positus præludit prælium. Et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt; quotidiano usu palæstræ durantes membra, nutrientes patientiam, labori assuescunt. » Aristoteles dicebat, « ad sapientiam parandam tria requiri, naturam, doctrinam, exercitationem. » Idem est de virtute, quæ est sapientia practica. Plato monebat, « ut neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore; ut pariter utriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. » Ita Laertius, lib. III. Hercules ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmabat, sentes omnes, qui pullularent eo in loco, vellere ac eradere solitus. Ita Pausanias, lib. VI.

Lycurgus, quærenti cur corpora virginum cursu, lucta, jaculatione fatigaret : Ut, inquit, assuescant pati dolores partus aliosque, et pugnare pro patria, si opus sit.

Cato aiebat, « hominis ingenium esse simile ferro quod ex usu splendescit, in otio rubigine obducitur; exercendum autem esse eruditione et virtute. »

Sic et Plutarchus : « Uti æs, ait, usu fulgescit, sic exercendis negotiis enitescit animi vigor, qui otio hebetatur et obscuratur. »

S. Chrysostomus, homil. 3 *in Matth.* : « Sicut, ait, omne artificium corporea usitatione servatur et augetur : sic et gratia omnis per exercitationem augetur, et per desidiam minoratur. »

Pius Pontifex in *epist.* : « Cæca, inquit, est sine disciplina natura; utraque parum habet momenti, si subtraxeris exercitium; sed hisce tribus absolutio comparatur. »

Vers. 32. 32. NE POLLUATIS NOMEN MEUM, — ne per inobedientiam et infamem vitam faciatis, ut Gentes blasphement nomen meum.

EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO VOS, — qui jubeo vos esse sanctos.

Moral. quam sanctus debeat esse sacerdos. Primo. Vide hic ut Deus sacerdotibus inculcet sanctitatem, jubeatque eos esse sanctos. Idque *primo*, quia ipsi in terris Dei personam repræsentant. Dei ergo sanctitatem in se exprimere et referre debent : hoc est enim quod ait Deus, *Levit.* XX : « Sancti estote, quia ego sanctus sum. » Hac de causa summus sacerdos in tiara inscriptum gestabat : « Sanctum Domino. » Hinc et Deus ipse ait *Psalm.* CXXXI, 16 : « Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exultatione exultabunt. »

Secundo. *Secundo*, quia sacerdotes comparantur angelis, imo officio eos superant; nec enim angelus potest peccata condonare, aut consecrare corpus Christi, uti possunt sacerdotes novæ legis. « Labia sacerdotis, ait Malachias cap. II, custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est. »

Tertio. *Tertio*, quia ipsi alios omnes sanctificare debent. « Vos estis sal terræ, et lux mundi, » ait Christus. Unde S. Dionysius docet sacerdotes debere esse instar crystalli pellucidi et radiantis, in quod radii solis incidentes, in cætera quæ vicina sunt refunduntur; et S. Chrysostomus ait sacerdotem cæteris tanta virtute præstare debere, ut sit quasi homo inter bruta, quasi vir inter pueros, imo quasi angelus inter homines. S. Hilarius et Gregorius asserunt sacerdotes debere esse satores æternitatis.

Quarto. *Quarto*, quia ipsi mediatores sunt inter Deum et homines, ideoque populi peccata comedunt et consumunt. Hinc olim sacerdos acturus cum Deo, nomina duodecim tribuum inscripta rationali gestabat in pectore, cum urim et tummim, id est, doctrina et veritate. Merito ergo eis dicitur : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. »

Quinto. *Quinto*, quia eorum munia sunt sanctissima, scilicet baptizare, a peccatis absolvere, sacrificare, consecrare, inungere, etc. « Quadripartitum, ait S. Bernardus in *Sentent.*, est officium sacerdotale : *primo*, vivam carnem immolare, quod Leviticum est; *secundo*, virtutum chrismata Deo offerre, quod est incendere aromata, et filiorum Aaron est; *tertio*, cum fervore martyrii cœlum intrare, quod est introire cum sanguine Sancta sanctorum; *quarto*, gratiæ et precum vota cœlo transmittere, quod est panem et vinum Deo offerre. »

Sanctissima est caro et humanitas Christi, quam sacerdotes ore consecrant, manibus tangunt, oculis aspiciunt, licet velatam speciebus panis et vini. Unde S. Chrysostomus, hom. 60 *ad Populum*, sic infert : « Quo igitur non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur? linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? »

Hinc viri sancti sacerdotium, quasi eo indigni, tantopere refugerunt. S. Franciscus nunquam sustinuit fieri sacerdos, dicebatque : Si hinc angelus, inde sacerdos mihi occurreret, relicto angelo ad sacerdotem accederem, ejusque manus osculare : ille enim et panem, et verba vitæ mihi ministrat. Idem scribens ad sacerdotes sui Ordinis (quæ epistola exstat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*, in fine) : « Videte, ait, dignitatem vestram, sacerdotes, et estote sancti, quia ipse sanctus est. Magna miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo, o stupenda dignatio, o sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Videte, fratres, humilitatem Dei, et effundite coram illa corda vestra, et humiliamini, ut et vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum. » S. Marcus, non Evangelista, sed Anachoreta, pollicem sibi abscidit, ne fieret sacerdos; ita sacerdotium detrectavit S. Antonius, S. Hilarion, et plurima monachorum millia, adeo ut in multis Ægypti cœnobiis ne unus quidem monachus inveniretur qui esset sacerdos, ut patet ex *Vitis Patrum*.

Sexto. *Sexto*, quia propria sacerdotis dos est sanctitas : inde enim dicitur sacerdos, quasi sacer et sanctus; *secundo*, quia sancta consecratione Deo consecratus et sanctificatus est; *tertio*, quia cæteri laici et profani sunt, ipse vero sanctus est, et quasi divinus, quem tangere et violare non licet : hinc rursum sanctus, id est, integer et illibatus ab omni vitio, præsertim libidinis et gulæ, sit oportet. Sanctitas enim, ait S. Dionysius, est ab omni inquinatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas. Et Origenes : ἅγιος, ait, id est sanctus, dicitur quasi ἀγῆ, id est sine terra, qui scilicet a terrenis fœcibus est secretus, purus, cœlestis, ac Deo cohærens et addictus : talis sit sacerdos, ut ejus conversatio sit in cœlis, cum Angelis et Sanctis. Hac de causa pene quotidie in Horis canonicis, Martyris alicujus, aut Sancti illo die occurrentis sancta et heroica facta perlegit Ecclesia, ut eadem imitetur, etiam usque ad mortem et martyrium.

Dicat ergo sacerdos cum S. Augustino : Da, Domine, ut illic tenear mente, ubi vera haberi gaudia certissimum est; tene cor meum apud te, quia sine te ad altiora non rapitur. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : suscipe propitius meum populique, imo Christi tui juge sacrificium. Da ut in præsenti vita nullam recipiam consolationem, donec ad tuum regnum perveniam, ubi exultans dicam : Illi sum junctus in cœlis, quem in terra tota virtute dilexi.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit Deus festa Hebræis : primo, Sabbatum, vers. 3; *secundo, Pascha et festum Azymorum, vers.* 5; *tertio, Pentecosten, vers.* 15; *quarto, festum Tubarum, vers.* 24; *quinto, Expiationis, vers.* 27; *sexto, Tabernaculorum, vers.* 34; *septimo, Cœtus sive Collectæ, vers.* 36.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. 3. Sex diebus facietis opus : dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus; omne opus non facietis in eo. Sabbatum Domini est, in cunctis habitationibus vestris. 4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. 5. Mense primo, quarta decima die mensis ad vespe-

rum, pnase Domini est; 6. et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, 7. dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo : 8. sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus : dies autem septimus erit celebrior et sanctior, nullumque servile opus facietis in eo. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem; 11. qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die sabbati, et sanctificabit illum. 12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum : liba quoque vini quarta pars hin. 14. Panem, et polentam, et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus cunctisque habitaculis vestris. 15. Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16. usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies; et sic offeretis sacrificium novum Domino, 17. ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. 18. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. 19. Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. 20. Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris.22. Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum : nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 24. Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum; 25. omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 27. Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. 28. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus, quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis; 30. et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. 31. Nihil ergo operis facietis in eo; legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, et habitationibus vestris: 32. sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. 33. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 34. Loquere filiis Israel : A quinto decimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus : omne opus servile non facietis in eo. 36. Et septem diebus offeretis holocausta Domino; dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim cœtus atque collectæ : omne opus servile non facietis in eo. 37. Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta juxta ritum uniuscujusque diei, 38. exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, et quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino. 39. A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias

Domini septem diebus : die primo et die octavo erit sabbatum, id est requies. 40. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro; 41. celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum : legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, 42. et habitabitis in umbraculis septem diebus : omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, 43. ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. 44. Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel.

Vers. 2. 2. HÆ SUNT FERIÆ DOMINI, — hæc sunt festa, quibus vacandum est ab omni opere servili, et insistendum cultui divino. Hebraice est, *hæc stata festa, quæ vocabitis* מקראי קדש *micrae kodes* (Septuaginta κλητὰς ἁγίας), id est, *convocationes sanctas;* hisce enim festis convocabatur populus ad audiendam legem, et ad sacrificia ac preces (1). Unde de his dixerunt Hebræorum sapientes : « Qui contemnit solemnitates, seu publicos Ecclesiæ conventus, is non habebit partem futuri sæculi. »

Ecclesia dies omnes vocat ferias, ob quas causas? Hinc Ecclesia ex institutione S. Sylvestri Pontificis omnes dies vocat ferias : *primo,* quia Christiano omni die a vitiis feriandum et cessandum est; *secundo,* quia quantum ad officia Ecclesiastica et Ecclesiæ ministros, omnes dies feriæ, id est, festa sunt; illis enim non alteri rei, quam divino cultui vacandum est. Ita Abulensis. Sicut ergo Gentiles dies nuncuparunt a planetis septem, quasi unus ex iis cuilibet diei dominaretur, ut dicant dies Solis, Lunæ, Martis; Judæi vero hosce dies indigitarunt a sabbato, ut dicant primam, secundam, tertiam, quartam sabbati, pro prima, secunda, tertia, quarta die hebdomadæ : ita Christiani suos dies vocant ferias, ut dicant feria prima, secunda, tertia, quarta.

Simili modo Diogenes, videns hospitem se tanto studio parantem ad quoddam festum : « Annon, inquit, vir probus quemvis diem festum censet? et quidem, si sobrie vivimus admodum illustrem. Est enim sanctissimum templum ac divinissimum hic mundus; in hunc inducitur homo cum nascitur, ut jugiter spectet, non muta simulacra, sed vivas et mobiles effigies, puta solem, lunam, sidera, fluvios, plantas, animalia, » etc. Testis est Plutarchus, lib. *De Animi tranquillitate.*

Quam ergo a scopo festorum aberrant Christiani, qui Gentilium more in festis a labore feriantur, et luxui vacant! Vidit hoc sapiens Epaminondas, Gentilis licet, qui, civitate festum agente, omnibusque vino et conviviis deditis, occurrit cuidam, squalidus et cogitabundus; rogatus cur : « Ut vobis, inquit, liceat otio et sympo-siis vacare. » Testis est Plutarchus in ejus Vita.

Præclare S. Nazianzenus, *orat.* 44 : « Feriari, inquit, nostrum, non est aliud quam animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma et stabilia sunt. » Et S. Hieronymus, epist. *ad Eustochium* : « Nobis, ait, sollicitius providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus; quia valde absurdum est, nimia satietate velle honorare Martyrem, quem scias Deo placuisse jejuniis. » Vide S. Bernardum, serm. 3 *De Adventu.* Denique audi Isaiam, cap. LVIII, vers. 13 : « Si averteris, inquit, a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, » etc. « dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, » etc. Ethnici ergo festa colunt ventre, Christiani mente, colentes Deum in spiritu et veritate. Merito Ethnicus Antisthenes rogatus, « Quid est festum? Est, inquit, gulæ irritamentum, et luxuriæ occasio; » testis est Maximus *serm.* 27.

Nota : Feriæ sive festa Judæorum fuerunt duplicia : alia enim instituta sunt a Deo, alia ab ipsis Judæis. A Deo instituta sunt septem festa : *primo,* sabbatum; *secundo,* pascha; *tertio,* pentecoste; *quarto,* festum tubarum; *quinto,* festum propitiationis, sive expiationis; *sexto,* festum tabernaculorum; *septimo,* festum cœtus sive collectæ. Omittitur hic octavum festum Neomeniæ, de quo *Num.* XXVIII, 11. A Judæis instituta sunt quatuor festa : *primo,* festum sortium, 15 Adar, sive februarii, in memoriam liberationis Judæorum per Esther, *Esther* IX, 17, 26, 28, 29; *secundo,* festum encæniorum, seu purgationis templi, quæ facta est sub Juda Machabæo, I *Machab.* IV, 49; *tertio,* festum recepti e cœlo ignis sacri, II *Machab.* I, 18; *quarto,* festum ob cæsum Nicanorem, I *Machab.* VII, 49, et II *Machab.* ult. vers. 37 : de quibus vide Riberam, lib. V *De Templo,* cap. XVII et seq. et Genebrardum in *Calendario Hebraico.*

Deus instituit septem festa.

Judæi instituerunt quatuor festa.

Nota : Festa a Deo instituta habebant hæc tria : *primo,* vacationem a laboribus; *secundo,* oblationem sacrificiorum festis singulis propriam, et ab aliis diversam, atque a Deo præscriptam, ut patet *Numer.* XXVIII et XXIX; *tertio,* cæremonias

Tria habebant in festo.

(1) Aliter Rosenmullerus hebræum vertit, quod *attinet ad festa Jovæ,* quæ celebrabitis, *convocationes sanctæ,* per appositionem dictum.

Cæremoniæ propriæ cuilibet festo.

cuique festo peculiares, ut in festo paschæ sive azymorum fiebat oblatio manipuli spicarum : in pentecoste fiebat oblatio novorum panum : in festo tubarum, erat clangor tubarum : in die expiationis, indicebatur afflictio et jejunium : in festo tabernaculorum, habitabant in tabernaculis, ibique exultabant cum ramis et fructibus.

Vers. 3. Primum festum erat Sabbatum.

3. DIES SEPTIMUS SABBATI REQUIES EST.— Hebraice, *dies septimus est sabbat sabbati*, id est, *requies quietis*, *q. d.* Summa quies et cessatio ab opere erit die septimo, indeque hic dies vocabitur sabbatum, id est requies. Ita Plato dicebat Deos, miseratos labores hominum, instituisse festa, ut iis a laboribus quietem et relaxationem aliquam obtinerent. Hoc primum et summum fuit festum Judæorum, cujus causas et significationes afferam *Deut.* v, 12.

VOCABITUR SANCTUS, — id est, erit sanctus hic dies sabbati, ita ut jure sanctus, id est meo cultui dicatus, vocari possit. Sic sæpe *vocari*, pro *esse* sumitur, ut *Isaiæ* IX, 6 : « Vocabitur (id est erit) admirabilis. » *Rom.* IX, 25 et 26 : « Vocabo non plebem, plebem meam, » *q. d.* Gentiles qui antehac non fuerunt plebs mea, erunt deinceps plebs mea, quia erunt Christiani : unde eos habebo et fovebo ut plebem meam.

Sabbato non licebat coquere, nec accendere ignem.

OMNE OPUS NON FACIETIS IN EO, — id est, nullum omnino. Unde sabbato non licebat accendere ignem, nec coquere cibos, nec aliud quidquam operis facere, uti nec in die expiationis, uti dicitur vers. 31; in aliis autem festis omnibus ista licebant. Unde de iis hic dicitur : « Omne opus servile non facietis in eis; » de sabbato autem et de festo expiationis absolute et generatim dicitur : « Omne opus non facietis in eo. » Poterant tamen Judæi in sabbato edere, bibere, adaquare jumenta, uti asserit Christus *Lucæ* XIII, 15, facere medicinas, et in necessitate colligere et parare cibum : quia ista necessaria sunt.

SABBATUM DOMINI EST. — « Domini, » id est domino dicatum; vel *secundo*, « Domini, » id est quo Dominus requievit in prima rerum omnium creatione; *tertio*, « Domini, » quo scilicet quiescendum est in honorem et ad cultum Domini Dei; idque in cunctis habitationibus vestris, quia in tabernaculo sive templo die sabbati non erat quies; tunc enim sacerdotes ibidem sacrificabant, id est victimas mactabant, excoriabant, secabant, coquebant, et hoc est quod Christus Judæis objicit *Matth.* XII, 5 : « Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant (materialiter), et sine crimine sunt ? »

Vers. 5. Secundum festum erat Pascha.

5. MENSE PRIMO (Nisan, qui partim martio, partim aprili nostro respondet), QUARTA DECIMA DIE MENSIS AD VESPERUM, PHASE DOMINI EST. — Pro *ad vesperum*, hebraice est *inter duas vesperas*, id est inter occasum solis et noctem, puta in crepusculo vespertino, antequam oriatur stella, quæ Vesper, sive hesperus dicitur; nam ab ortu hujus stellæ incipit nox, et dies 15; agnus autem paschalis debebat immolari ante 15 diem, in fine 14 diei : ergo 14 dies non erat festa, sed tantum ejus vespera, in qua phase immolabatur. Hoc secundum est festum, puta Paschæ et Azymorum, quod ob sui celebritatem celebrabatur per septem dies, idque in memoriam magni illius beneficii, quo Deus Hebræos ex Ægypto liberarat et eduxerat.

PHASE DOMINI EST. — Paschæ festum est Domino dicatum. Phase enim hebraice transitum vel potius transcensum significat : inde *secundo*, phase significat agnum paschalem, qui pro transitu angeli percutientis immolabatur. Denique *tertio*, phase significat ipsum festum quo agnus hic immolabatur. Vide dicta *Exodi* XII, 11.

Hoc ergo Paschæ festum celebre fuit apud Judæos; celebrius est apud Christianos, qui in eo non a servitute Pharaonis, sed diaboli et mortis per Christum resurgentem liberati sunt. Hinc Deus illud magnis illustravit miraculis. Refertur in Vita S. Marcellini Ebredunensis Episcopi, cujus meminit Ado in *Martyrol.* 12 kalend. maii, baptisterium quod ipse juxta Ebredunum condidit, in sanctis paschæ vigiliis, Dei virtute singulis annis aquis subitis inundari, idque per septem ejusdem solemnitatis dies continuari solitum. Atque ex hoc miraculo collegerunt pascha non esse celebrandum ipsa 14 luna cum Judæis, uti volebant Quartodecimani, sed in Dominica sequente. Tunc enim contingebat hoc miraculum. Miracula Paschæ.

Pari modo anno Domini 417, cum erratum fuisset in die Paschatis celebrando, error hic a Deo per miraculum declaratus est; nam nocte vera paschali, ipsa baptizandi hora, baptisterium ecclesiæ per miraculum aqua repletum est, uti testatur Paschasius Episcopus Lilybæi, apud S. Leonem post epist. 63, et ex eo Baronius, anno Christi 417, qui et in alio fonte Lucaniæ idem miraculum fieri solitum ex Cassiodoro docet. Et in alio fonte Lusitaniæ idem fieri solere testatur Gregorius Turonensis, lib. I *De Gloria Martyr.* cap. XXIV et XXV. Idem in fonte Lyciæ fieri, aquamque in eo usque ad pentecosten perseverare tuncque evanescere docet Sophronius in *Prato Spirituali* cap. CCXIV.

Sic et Brittonum error de die paschatis, per miraculum, quo S. Augustinus Anglorum Episcopus cæcum illuminavit, confutatus est, ut refert Venerabilis Beda, lib. II *Historiæ Anglorum*, cap. II.

In Vita S. Maurilii Andegavensium Episcopi (qui fuit discipulus S. Martini) 5 septembris narratur de quodam, cui nomen erat Belgicus : hic die paschæ mandaverat servis, ut segetes mundarent; replicant illi esse diem paschæ; ipse urget, et invitos cogit; sed cum illi segetes sarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus, clamavit ut cessarent. Cum autem tres annos in ea cæcitate permansisset, tandem tangens S. Maurilii pertranseuntis vestes, sanatus est.

In Vita S. Mauritii narratur, ipsa nocte resur-

rectionis, tres servos ex ejus monasterio piscationi vacasse, atque cepisse quidem piscium copiam, sed duos ex ipsis manuum et pedum officio privatos, toto corpore contritos fuisse : tertium vero et claudum et surdum effectum esse, qui tandem in nocte resurrectionis visitans monasterium S. Bertini, eumque cum lacrymis invocans, per ejus merita sanitati restitutus est.

Hinc et imperatores diem paschæ magnis privilegiis celebrarunt, et reos libertate donarunt. Anno Christi 367, Valentinianus, Valens et Gratianus Augusti sanxerunt, et ad Lampadium urbis præfectum ita rescripserunt : « Ob diem paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus astringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus; ubi primum dies paschalis exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvantur.» Exstat hoc rescriptum lib. VIII *De Indulg. crimin. C. Theodosii.* Eamdem indulgentiam reis eodem festo dedit in Oriente Theodosius Imperator, uti testatur S. Chrysostomus, orat. *De Flaviano Episcopo.*

In Paschate vincti solvebantur.

Vers. 6. 6. ET QUINTA DECIMA DIE MENSIS HUJUS (primi et paschalis, puta Nisan) SOLEMNITAS AZYMORUM DOMINI EST. — Nota : Dies azymorum incipiebant cum paschate, videlicet 14 die mensis primi ad vesperam secundam, id est, initio 15 diei : durabant autem per 7 dies, qui proinde paschales dicebantur, quibus pane, non fermentato, sed azymo vescebantur. Unde finiebantur hi dies vigesima prima die mensis primi ad vesperam secundam; quæque enim dies festa duplicem habebat vesperam, scilicet primam et secundam, sive inchoantem et finientem, excepto festo paschæ : hoc enim unam tantum habebat vesperam, scilicet secundam 14 diei. Itaque 14 die ad vesperam immolabatur phase, sive agnus paschalis, quem nocte comedebant cum azymis : postero mane, quod erat mane 15 diei, erat solemnitas azymorum, quia illo die azymorum esus incipiebat; nam nox præcedens ad hanc 15 diem, non autem ad 14 pertinebat. Eadem 15 die immolabant victimas alias paschales, quæ proinde etiam pascha dicebantur, *Joan.* XVIII, 28 : ideo solemnis erat hic dies.

Quatuor observantiæ servatæ in diebus azymorum. Prima. Secunda. Tertia.

Nota : Horum 7 dierum azymorum quatuor erant observantiæ. *Primo* enim per omnes hos septem dies comedebant azyma. *Secundo*, cessabant ab omni opere servili, sed primo tantum et septimo die; reliquis enim quinque intermediis operari et laborare poterant. Unde sequitur ex dictis vers. 1, solum primum diem et ultimum proprie fuisse festa, non autem quinque medios. *Tertio*, singulis diebus offerebantur sacrificia, holocausta videlicet, ut vertunt Septuaginta, quæ noster Interpres vocat *sacrificia in igne* : Hebraice enim vocantur *ignitiones*, id est, sacrificia quæ tota per ignem in honorem Dei consumuntur. Victimæ ergo quotidianæ hisce diebus erant duo vituli, unus aries, agni anniculi septem, et unus hircus pro peccato, ut patet *Numer.* VIII, 19; quibus adde agnum alium, qui die secundo cum spicis immolabatur, ut patet vers. 12. *Quarto*, offerebantur spicæ hordei maturescentes, idque tantum fiebat secundo die, non aliis. Ita Abulensis, Ribera et alii. Quarta.

Victimæ paschales, quæ et quot ?

7. DIES PRIMUS ERIT VOBIS CELEBERRIMUS. — Ex his 7 diebus azymorum, celebriores erant prima et septima, erantque hæ duæ æque celebres. Nam quod noster Interpres diem primum vocat celeberrimum, septimum vero celebriorem, eodem recidit : sicut et quod septimum vocat sanctiorem, primum vero sanctum. Tantum enim vult dicere primum diem et septimum celebres et valde sanctos præ cæteris fuisse. Unde in Hebræo utrobique est eadem vox, videlicet מקרא קדש *micra kodes*, id est, convocatio sancta. Sic apud Latinos comparativus subinde non habet vim comparationis, sed pro positivo, vel superlativo ponitur, ut : Vers. 7.

> Tristior, et lacrymis oculos suffusa nitentes (1).

10 et 11. CUM INGRESSI FUERITIS TERRAM QUAM EGO DABO VOBIS (Chanaan : hinc patet hasce leges cæremoniales, et hæc festa non obligasse Judæos, nec ab eis servata fuisse in deserto), ET MESSUERITIS SEGETEM, FERETIS MANIPULOS SPICARUM, PRIMITIAS MESSIS VESTRÆ, AD SACERDOTEM : QUI ELEVABIT FASCICULUM CORAM DOMINO. — « Spicarum, » scilicet hordei, quod illo tempore, puta in martio vel aprili, sub pascha maturescit in Palæstina. Vers. 10 et 11.

Nota : Non erant istæ spicarum primitiæ universales, ita ut omnes obligarentur earum manipulum offerre, sed offerebant quotquot volebant offerre sponte sua, et ex devotione. Ex quibus omnibus sacerdos accipiebat unum, quem Deo offerebat, oblatum torrebat et siccabat, siccatum excutiebat, granaque excussa comminuebat, atque ex farina comminuta, imposito simul thure et oleo, pugillum accipiebat, quem cremabat et adolebat Domino; reliqui vero manipuli spicarum, earumque grana et farina, cedebant in jus et usum sacerdotum.

Tropologice, manipulus spicarum significat Christi resurrectionem : unde et altero sabbati, puta post immolatum phase offertur, quia duo hi fuere Christi dies, unus passionis, alter resurrectionis. Unde et Christus, qui fasciculus est myrrhæ propter passionis amaritudinem, ipse idem et botrus Cypri dicitur, propter resurrectionis dulcedinem, ait Rupertus. Dum ergo Christum resurrexisse credimus, in fide et spe nostra quasi spicas recentes Domino offerimus. Ita Isychius et Radulphus. Tropologice.

11. ALTERO DIE SABBATI, — *q. d.* Altero, sive secundo die azymorum, offeretur hic manipulus Vers. 11.

(1) Vers. 8. *In igne.* Ita vocatur quodcumque Deo oblatum igne absumebatur; erant enim aliæ oblationes, quæ non comburebantur. Græci similiter victimas ἐμπυρα vocabant.

spicarum; sabbatum enim hic non significat sabbatum proprie dictum, uti putavit Isychius et Rupertus: nec rursum significat omnes dies azymorum et festa paschalia, uti aliqui opinati sunt; sed tantum significat ipsum festum primi diei azymorum, quia in eo indicta erat plena quies (hæc enim hebraice vocatur *sabbatum*) ob solemnitatem festi; hoc ergo festum, quia tam solemne erat, hinc vocatur sabbatum : sabbatum enim primum et summum erat festorum. Censet Abulensis non primo, sed secundo die oblatum fuisse hunc manipulum spicarum, eo quod primo die, utpote solemni, non liceret eas metere, ne quidem ad sacrum hunc usum oblationis : potius dixerim primam diem sua solemnitate, et sacrificiis paschalibus ita impeditam fuisse, ut non vacaret, nec deceret eo spicas has torrere.

ET SANCTIFICABIT ILLUM,— manipulum spicarum consecrabit Domino, eo ritu, qui præscriptus et explicatus est cap. II, vers. penult.

Vers. 12 et 13. 12 et 13. ATQUE IN EODEM DIE QUO MANIPULUS CONSECRATUR, CÆDETUR AGNUS, ET LIBAMENTA (Hebraice *mincha*, id est, sacrificium farreum) OFFERENTUR.

Vers. 13. 13. LIBA (id est, libamina) QUOQUE VINI QUARTA PARS HIN, — id est, tres sextarii. Nam hin continebat duos congios, sive duodecim sextarios, ut dixi cap. XIV, vers. 10. Quod hic de vino dicitur, tantumdem de oleo intellige, scilicet quartam partem hin ex oleo ad mincha hoc additum fuisse. Nam oleum in omni mincha addi debuisse patet cap. II, vers. 1; unde et *Num.* XV semper eadem mensura olei et vini sacrificiis quibusque adjungitur. Porro liba, puta vina ipsa, effundebantur in honorem Domini, uti hic dicitur; oleum vero cum farina mixtum per ignem Deo adolebatur, quod intellige de pugillo, qui ex farina hac oleata Deo cremabatur : reliqua enim farinæ vel minchæ pars cedebat sacerdoti, uti dictum est cap. XXIII, et cap. VI, vers. 16. Ita Abulensis.

Vers. 14. 14. PANEM ET POLENTAM ET PULTES NON COMEDETIS EX SEGETE USQUE AD DIEM QUA OFFERETIS EX EA DEO VESTRO — manipulum spicarum jam dictum; eum enim quasi primitias frugum sibi deposcit Deus.

Nota : « Polentam, » id est, tostum far sive hordeum. Ita Septuaginta et Hebræi. Pro *pultes*, hebraice est *spicas;* sed certum est spicas non puras et crudas hic intelligi : illæ enim comedi non solent; nec etiam spicas tostas, sive far tostum aut tusum et formatum in panem, quia panis hic præcessit. Apte ergo noster Interpres spicas hic accepit tusas, puta farinam in pultes diductam et coctam : agitur enim hic de farina non cruda, sed cocta; hæc enim sola comedi solet, coquitur autem farina vel in panem, vel in polentam, vel in pultes.

Vers. 15 et 16. 15 et 16. NUMERABITIS ERGO AB ALTERO DIE SABBATI, IN QUO OBTULISTIS MANIPULUM PRIMITIARUM (spicarum) SEPTEM HEBDOMADAS PLENAS, USQUE AD ALTERAM DIEM EXPLETIONIS HEBDOMADÆ SEPTIMÆ, ID EST QUINQUAGINTA DIES, ET SIC OFFERETIS SACRIFICIUM NOVUM DOMINO.— Describitur hic tertium festum, scilicet Pentecoste, quod celebrabatur quinquagesimo die a paschate. Itaque ab altero sabbati, non proprie dicti, sed sabbati, id est paschatis, et solemnitatis azymorum, hoc est, a secundo die azymorum (uti paulo ante dixi), quo obtulerant manipulum spicarum, numerabant Hebræi septem hebdomades, id est 49 dies, ita ut sequens, puta quinquagesimus, dies esset pentecoste. Id ita esse patet *primo*, ex Josepho, qui id clare docet, libro III *Antiq.* cap. X, cum ait : ἑβδόμης, ἑβδομάδος διαγεγενημένης, μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, αὗται δέ εἰσιν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα, τῇ πεντηκοστῇ προσάγουσιν ἄρτον; quæ verba Josephi Interpres obscure et confuse sic vertit : *Post paschale sacrum, elapsis septem septimanis est pentecoste;* clare enim et distincte sic vertenda sunt : *Post hoc sacrificium* (spicarum virentium et agni) *septima septimana elapsa* (*hi enim septem septimanarum dies sunt quadraginta novem*) *est pentecoste, sive quinquagesima dies, qua offerunt panem. Secundo*, idem patet ex praxi Judæorum, et ex prima pentecoste, quam celebrarunt Hebræi die sexto tertii mensis, uti ostendi *Exodi* XIX, 11. Nam a secundo die azymorum, qui erat dies secundus ab egressu ex Ægypto, eratque decimus sextus mensis primi, usque ad diem sextum mensis tertii, qui fuit dies pentecostes, numerantur 50 dies. Unde et in Judæorum Calendariis adhuc hodie consignatur pentecoste die sexto mensis tertii. Ita Abulensis, Cajetanus, Oleaster, Ribera, libro V *De Templo*, cap. VII, et Genebrardus in *Calendario Hebræorum*, quod Psalmis præfixit.

Tertium, festum erat Pentecoste.

Ubi nota Judæos habere statum pascha et pentecosten : nam cum utantur mensibus lunaribus, celebrentque pascha 15 die mensis primi lunaris, puta in plenilunio, hinc numerando 50 dies, necessario celebrant pentecosten sexto die mensis tertii. Christiani vero, quia non lunares, sed solares habent menses, hinc uti pascha habent mobile, ita et pentecosten, ut eam jam celebrent decima maii, jam vigesima, jam trigesima, jam decima junii, jam duodecima.

Judæi semper celebrant pentecosten die sexto mensis tertii : Christiani vero alio et alio die, unde?

Ex dictis patet hosce dies 50 pentecostes numerandos esse a secundo die azymorum, non exclusive, ut vult Radulphus et Ribera, lib. V *De Templo*, cap. VII : sic enim non 50, sed 49 essent dies, sed inclusive. Si enim a 16 die mensis primi inclusive, numeres reliquos 15 dies ejusdem mensis, mensis vero secundi numeres dies 29 (Hebræorum enim menses, utpote lunares, alternatim erant 29 et 30 dierum), his denique addas sex dies mensis tertii (sexto enim die erat pentecoste), præcise reperies dies 50.

Quinquaginta dies pentecostes numerandi sunt a die secundo azymorum inclusive.

Nota : Nos Christiani, uti non celebramus pascha eo die quo Judæi, scilicet 14 die mensis Nisan, sed Dominica eam sequente, idque in memoriam resurrectionis Christi, quæ in Dominica facta est : ita consequenter non celebramus pen-

tecosten eo die quo Judæi, sed quinquagesimo die a Dominica paschatis, sive resurrectionis Christi, qui necessario pariter incidit in Dominicam : die enim Dominica, quæ fuit pentecoste, sive quinquagesima dies a paschate, descendit Spiritus Sanctus in Apostolos, et lex nova promulgata est in Sion, *Actor.* II, uti lex vetus olim in Sina, eadem die quinquagesima a paschate promulgata fuit. Hinc S. Augustinus, serm. 154 *De Tempore;* Clemens Romanus, lib. V *Constitut.* cap. ultim.; Isidorus, Albinus et alii qui scribunt de officiis Ecclesiæ, atque S. Leo, serm. 1 *De Pentecoste,* numerant dies 50 pentecostes, non a paschate Judæorum, nec a die passionis Christi (sic enim non 50, sed 52 essent dies); sed ab ipsa Dominica resurrectionis Christi. Ulterius, ne coincideret pentecoste Christianorum cum pentecoste Judæorum, ne scilicet videremur nos Christiani antiquam servare Judæorum pentecosten, hac de causa prima pentecoste Christiana, qua descendit Spiritus Sanctus in Apostolos, non videtur coincidisse cum pentecoste Judæorum. Quod probatur : nam eo anno quo Christus est passus et resurrexit, pascha Judæorum incidebat in diem Jovis, et prima azymorum in diem Veneris, qua passus est Christus; ac consequenter secunda azymorum incidebat in diem sabbati : jam numera ab hac die sabbati 50 dies, et invenies diem 50, sive pentecosten Judæorum tunc pariter in sabbatum incidisse, quod proxime præcedebat Dominicam pentecostes Christianæ, qua Spiritus Sanctus descendit. Tunc ergo pentecosten celebrarunt Judæi in sabbato, Apostoli vero et Christiani in Dominica. Ita Hugo, Lyranus, Abulensis, Cajetanus vel hic, vel *Actor.* II, Josephus, lib. III *Antiq.* cap. XIII, et Franciscus Suarez, III *part., Quæst.* LIII, disp. 46, sect. 1; idem docent Rabbini.

Spiritus Sanctus descendit in Apostolos in pentecoste non Judæorum, sed Christianorum.

Prima pentecoste Christianorum incidit in Dominicam, Judæorum vero in sabbatum.

Dices: *Actor.* II, 1, dicitur : « Dum complerentur, » vel ut Græce est, « dum compleretur, dies pentecostes, factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis. » Atqui S. Lucas ibi omnino videtur loqui de pentecoste tunc communi, puta Judæorum; necdum enim eousque Christiana pentecoste instituta aut celebrata fuerat : ergo Spiritus Sanctus descendit in pentecoste Judæorum, ac consequenter prima pentecoste Judæorum et Christianorum fuit eadem, puta Dominica. Ob hoc argumentum, revera eamdem tunc fuisse utrorumque pentecosten censent nonnulli. Unde putant eo anno quo passus est Christus, primum diem azymorum incidisse quidem in diem Veneris, sed translatum fuisse ex 15 die mensis in 16, puta in sabbatum, idque ne duo festa, puta primus azymorum et sabbatum, quibus operari non licebat, simul concurrerent, ac consequenter putant secundam azymorum eo anno incidisse in Dominicam paschæ, a qua usque ad Dominicam pentecostes præcise sunt quinquaginta dies.

Objectio ex *Actor.* II.

Responsio prima.

Verum hæc translatio festorum solide ex Scriptura aut Patribus probari nequit; imo repugnat Evangelistis, qui asserunt Christum cum Judæis celebrasse pascha secundum legem, puta quarta decima luna ad vesperam, ita ut quinta decima, quæ fuit prima azymorum, puta die Veneris, passus sit Christus, ac consequenter secunda azymorum, a qua numerandi sunt dies 50 pentecostes, inciderit in sabbatum.

Refellitur.

Alii censent quod, eo anno quo passus est Christus, oblatio hæc spicarum, a qua numerandi erant dies 50 pentecostes, translata sit a secunda die azymorum in tertiam, idque ea de causa, quod secunda azymorum incideret in sabbatum, quo spicas metere non licebat : messes ergo et oblatas eas fuisse die tertia, puta Dominica paschatis, a qua usque ad Dominicam pentecostes præcise sunt 50 dies.

Responsio secunda.

Verum idem huic sententiæ objici potest quod priori. Adde fundamentum ejus, scilicet sabbato non licuisse metere has spicas, non videri verum; nam sabbato licebat mactare, excoriare, secare, cremare agnum mane et vespere, aliasque victimas : ergo multo magis licebat metere aliquot spicas, ad oblationem et sacrificium. *Secundo*, si non licuit eas metere sabbato, poterant et debebant eas metere uno vel altero die ante, potius quam transferrent festum et sacrificium hoc a die ex lege præscripto, puta a sabbato, in alium, puta Dominicum. *Tertio*, obstat quod Judæi celebrarint suam pentecosten, adinstar primæ illius qua legem acceperunt in Sina, *Exod.* XIX, 11; illa enim prima fuit norma et exemplar sequentium omnium, quæ ad primæ hujus memoriam et formam institutæ et conformatæ sunt. Atqui prima illa celebrata est die 50 a secunda azymorum, quæ tunc incidebat in sabbatum; nam prima azymorum, qua egressi sunt ex Ægypto, incidebat in diem Veneris, uti ostendi *Exod.* XII, 41 : ergo secunda azymorum tunc incidebat in sabbatum. Si enim ab hac secunda azymorum, sive a decimo sexto die primi mensis, quæ tunc incidebat in sabbatum, numeres 50 dies, incides in sextam diem tertii mensis, qua celebrarunt pentecosten. Jam si tunc a sabbato numerare potuerunt 50 dies primæ pentecostes, ergo et deinceps aliis annis idipsum facere potuerunt.

Refellitur Primo.

Secundo.

Tertio.

Respondeo ergo et dico S. Lucam loqui de pentecoste Christiana, non Judaica. Christiana enim a Christianis colebatur, et vigebat, non tantum cum S. Lucas hæc scribebat, sed etiam a sui initio, puta mox a prima pentecoste, quæ fuit quinquagesima die a resurrectione Christi. Id ita esse probatur : *Primo*, quia S. Lucas Christianus scribit Christianis, non Judæis (unde scribit græce, non hebraice), originem Christianismi, ejusque sacrorum et festorum : ergo agit de pentecoste Christiana, non Judaica. *Secundo*, quia cap. I, plane ostendit se tractare de mysteriis et gestis Christi, quæ Christiani in paschate, pentecoste aliisque

Responsio tertia et vera, S. Lucas loquitur de pentecoste Christiana.

festis recolunt et celebrant. Legatur attente cap. I, et ita esse deprehendetur : ergo sicut cap. I a resurrectione Christi usque ad ejus ascensionem numerat 40 dies, ita mox, cap. II, ab eadem resurrectione, non autem a paschate Judæorum, numerat 50 dies pentecostes. *Tertio*, quia Christiani suam pentecosten celebrant ad imitationem primæ, quam describit Lucas *Act.* II; ergo ea fuit Christiana. *Quarto*, quod S. Lucas describat hic originem Christianæ pentecostes, sentit Ecclesia, quæ hanc ejus de pentecoste narrationem quotannis in festo pentecostes legit et recolit. Sensus ergo ejus est : *Dum complerentur dies pentecostes*, id est, dum compleretur dies quinquagesima, qua a Christo Christianis instituenda et sancienda erat pentecoste Christiana, per missionem Spiritus Sancti, quem ipse promiserat, *Act.* I, et per promulgationem legis novæ. Alludit enim S. Lucas ad figuram, puta ad institutionem pentecostes Mosaicæ, *Exod.* XIX, 16, ubi de ea dicitur : « Jamque advenerat dies tertius (qui erat quinquagesimus a paschate, puta pentecoste), et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat. » Pari enim modo de antitypo, puta de pentecoste Christiana, ait S. Lucas : « Dum (advenirent, sive) complerentur dies pentecostes, etc., factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, etc. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. » Sicut ergo Moyses, *Exod.* XIX, loquitur de pentecoste Judaica, ejusque institutione, ita S. Lucas loquitur hic de Christiana ejusque institutione. *Quinto*, quia mox ab hac ejus institutione cœpit coli a Christianis Christiana pentecoste, uti mox ostendam : ergo de ea agit Lucas, non de Judaica.

Fundamentum horum omnium est, quod Christus per legem novam voluerit legem veterem cum suis sacris et festis abolere, ac pro eis nova et christiana surrogare. Unde et voluit ut pentecoste prima Christiana postero die succederet Judaicæ, ut significaretur quod, ea exclusa et abolita, ex tunc ipse novam institueret et sanciret. In prima enim pentecoste, puta quinquagesima die a Christi resurrectione, misit Spiritum Sanctum in Apostolos, ac per eos eodem die promulgavit legem suam evangelicam, quod nimirum abolita jam lege Mosis, lex evangelica ab omnibus ex tunc acceptanda et servanda foret. Quare tunc pariter abolito paschate, pentecoste aliisque festis Judæorum, tacite suum pascha, pentecosten et festa instituit, ac mox per Apostolos particulatim et expresse, eadem ubique terrarum sanciri et instituti voluit.

Pentecoste Christiana mox post Christum coli cœpta.

Porro Christianos jam inde ab initio, puta a prima hac pentecoste Christiana, cœpisse quotannis eam, non Judaicam, colere et nominare, uti eam hic nominat Lucas, dicens : « Dum complerentur dies pentecostes, » probatur *primo*, quia in prima hac pentecoste facta est abrogatio legis veteris, omniumque ejus sacrorum et festorum, et facta est publica promulgatio legis novæ ejusque sacrorum, consequenter et festorum : ergo Apostoli et Christiani huic promulgationi obedientes, deinceps coluerunt pascha et pentecosten Christianam, non Judaicam; alioqui enim peccassent in legem Evangelicam. Simili modo, eodem anno quo in die quinquagesima a paschate primo data est Hebræis a Deo lex in Sina, ex præcepto Dei hoc loco Levitici edito, sancita et deinceps a Judæis culta fuit pentecoste. Hoc enim hujus capitis præceptum editum est eodem anno quo data est lex, ut patet ex dictis *Exod.* XIX, initio capitis et procœmio in Leviticum. *Secundo*, quia Apostoli euntes prædicatum Gentibus, mox iis conversis instituebant et tradebant sacra et festa Christi (nec enim religio christiana, ut nec quævis alia, potest esse sine festis et sacris); non enim poterant eis tradere pascha et pentecosten Judaicam. Sic enim Gentes coegissent judaizare, et pro christianismo tradidissent eis judaismum; quod fuisset grande peccatum, pugnans ex diametro cum eorum officio, ad quod a Christo missi et legati erant. Rursum, quis dubitet Apostolos et primos Christianos amore Christi fervidos, quotannis diem ejus resurrectionis, ascensionis et missionis Spiritus Sancti, tantaque ejus in Ecclesiam merita et beneficia, anniversaria memoria recoluisse? Colebant ergo pascha et pentecosten Christianam, non Judaicam. *Tertio*, quia Apostoli mox post Christi ascensionem mutarunt sabbatum in diem Dominicum, eumque colere cœperunt in honorem resurrectionis Christi (Christus enim in Dominica resurrexit) : ergo multo magis pascha Moysis statim in pascha Christi, id est in diem Dominicum transtulerunt; pascha enim Christianum proprie est dies resurrectionis Christi, magis quam Dominicus : si pascha transtulerunt, ergo et pentecosten; hæc enim illud sequitur, et ab illo supputandum est. Antecedens probatur *primo*, ex *Apocal.* I, 10, ubi Joannes ait : « Fui in spiritu in Dominica die; » ergo tunc a Christianis colebatur Dominica dies, non sabbatum. *Secundo*, Apostolus, I *Cor.* XVI, 2, jubet fieri collectas eleemosynarum « per unam sabbati, » id est prima die septimanæ, puta die Dominica : ergo tunc fiebant conventus Ecclesiastici in Dominica. Porro Apostolus loquitur de hac die, non quasi nova, aut a se recenter instituta, sed quasi de usitata, et apud Christianos celebri : ergo jam diu ante cœperat a Christianis pro sabbato coli Dominica; epistola autem I *ad Corinthios* scripta est anno Christi 57, puta 23 annis post mortem Christi. Ergo mox post Christum Christiani pro sabbato celebrarunt Dominicum. Sic et *Act.* XX, 7, dicitur quod una sabbati, id est Dominico, Paulus magnum egerit Christianorum conventum, in quo protrahens concionem, obdormiscentem et corruentem juvenem ac exanimatum in vitam revocavit. Denique

S. Paulus insectatur neomeniam, sabbatum aliaque festa judaica, *Galat.* IV, 9, dicens : « Convertimini demum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis ? dies (judaicos) observatis, et menses, et tempora, et annos. » Et *Coloss.* II, 16 : « Nemo vos judicet in cibo et potu (a quo ex lege abstinent Judæi), aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. » Ergo non judaica, sed christiana festa a Christianis celebrari voluit jam inde a Christianismi initio.

Denique pascha ab initio per Apostolos translatum esse in Dominicum, ac consequenter et pentecosten, patet ex hæresi Quartodecimanorum, qui volebant pascha cum Judæis servari quarta decima luna, sive die primi mensis, non autem in Dominico. Hos enim damnavit Ecclesia, et Victor Pontifex, definiens ex traditione apostolica pascha Christianis celebrandum esse, non quarta decima lunæ, sed Dominica eam sequente, uti illud primitus celebrarunt Christiani et Apostoli, teste Eusebio, lib. V *Histor.* cap. XXII. Sic et pascha die Dominico celebrandum esse S. Petrum Romæ docuisse, et idem ab eo acceptum S. Marcum Ægyptiis tradidisse, testatur Protherius apud Bedam, lib. *De Ratione temporis,* cap. XLII; et S. Ignatius, qui vixit tempore Apostolorum, epist. *ad Magnesianos*, ait, « colendum diem Dominicum, ut dierum principem, et resurrectioni Domini consecratum. » Et epist. *ad Philip.* : « Si quis, ait, cum Judæis celebrat pascha, particeps est eorum qui Dominum occiderunt et Apostolos ejus. » Cum ergo constet ab initio a Christianis cultam fuisse pentecosten Christianam, quis dubitet S. Lucam de ea loqui, non de Judaica? Itaque S. Lucas nominans pentecosten, non tantum respicit ad tempus quo ipse hæc scribebat (non enim dubium est quin tunc culta et nominata fuerit pentecoste Christiana, non Judaica), sed etiam proprie respicit tempus ipsum, quo hæc ipsa quæ scribit et enarrat contigerunt, quasi dicat : « Dum compleretur dies pentecostes, » id est dies quinquagesima a resurrectione Christi et primo paschate Christiano, qua pro veteri nova a Christo instituenda et sancienda, æque ac nominanda erat pentecoste, cujus originem et institutionem hic enarro, quæ cæterarum sequentium foret exordium, exemplar et causa, eisque nomen suum inderet, ut ab ea pariter vocaretur pentecoste, id est dies quinquagesima a resurrectionis die Christi.

Denique, si quis omnino velit S. Lucam respexisse quoque ad pentecosten Judæorum, quæ tunc vigebat et erat in communi usu; respondeo idipsum hoc sensu admitti posse, quasi dicat S. Lucas : « Dum compleretur, » id est, dum pridie completa esset et transacta pentecoste Judæorum, ita ut compleretur, id est, compleri inciperet ei succedens pentecoste Christianorum. Vox enim *compleretur,* quatenus respicit pentecosten Judæorum, in actu perfecto accipienda est; quatenus vero respicit, terminatur et desinit in pentecosten Christianorum, in actu inchoato sumenda est. Utrumque enim innuit et obiter perstringit, ideoque uno verbo complectitur et convolvit S. Lucas; atque hic sensus videtur plenior, quasi dicat : « Cum complerentur dies pentecostes, » tam veteris quam novæ, ut veteri pridie completa et transacta, postridie compleri inciperet nova. Fuit enim vetus et nova quasi una eademque pentecoste; illa enim in hanc desiit et transiit, sicut typus in antitypum desinit et transit, ac proinde cum eo unum idemque esse censetur. Hæc mea est de pentecoste sententia salva meliori; non enim video quid probabilius solide dici possit. Nam quod Gabriel Vasquez, III part. tom. III, disput. 172, cap. XII, cum Radulpho et Ribera, τὸ *ab altero die Sabbati* exclusive accipit, non inclusive, plane repugnat computui Mosis et omnium Hebræorum, uti paulo ante ostendi; idque satis insinuat τὸ *ab altero die.* Cum enim tempus exclusive describere volumus, non solemus dicere : *Ab altero die* (hoc ipsum enim præcedentis diei exclusio est), sed, *a tali die,* v. g. primo, secundo, tertio, etc. Res ergo ipsa docet non a primo die paschatis exclusive, sed a secundo die inclusive, inchoandos fuisse quinquaginta dies pentecostes.

Vers. 16 et 17.

16 et 17. ET SIC OFFERETIS (in pentecoste) SACRIFICIUM NOVUM DOMINO, EX OMNIBUS HABITACULIS VESTRIS, PANES PRIMITIARUM DUOS. — Pro *sacrificium,* hebraice est מִנְחָה *mincha,* id est *oblationem,* a radice נָחָה *nacha,* id est, *adduxit, obtulit;* neque enim hæc panum oblatio proprie erat sacrificium. Nam hi panes fiebant ex simila fermentata, quæ sacrificari non poterat, ut patet capite II, vers. 11, unde nec ulla libamina cum hisce panibus offerebantur. Erant ergo hi panes tantum primitiæ messis triticeæ, quæ dabantur sacerdotibus, et in eorum esum et usum cedebant.

Primitiæ panum offerendæ erant in pentecoste.

Nota : Singulæ familiæ hasce panum primitias in pentecoste offerre debebant, uti hic dicitur : secus erat de manipulo spicarum in paschate, et licet Abulensis id ita intelligat, non quod singuli ex proprio agro, vel domo hosce panes afferrent Hierosolymam, sed quod singuli Hierosolymæ duos panes tales emerent, eosque in templo offerrent, sicut et columbas et victimas alias (unde horum omnium erant venditores Hierosolymæ, quos Christus ejecit e templo), tamen Scriptura Hebræa hic contrarium docet; sic enim habet : *Ex omnibus habitaculis vestris adducetis panes elevationis duos;* quæ verba satis significant quemque proprios panes ex sua domo adducere debuisse ad templum, ut videlicet singuli suarum frugum primitias, in gratiarum actionem Deo dependerent. Hæc enim una fuit causa cur festum pentecostes sit institutum, scilicet ut in eo primitias panum Deo offerrent. Ita Josephus, libro III *Antiq.* cap. X. Altera causa fuit, ut Hebræi recordarentur legis datæ in pentecoste, pro eaque Deo

Eosque singuli e domo sua afferre debebant.

Duplici de causa instituta fuit pentecoste. Prima.

Secunda. gratias agerent, legemque illam recolerent, ut exactius eam observarent. Ita S. Hieronymus *ad Fabiolam*, de 42 mansionibus, in 12 : « Dedicatio, inquit, legis est Pentecoste. » Idem docet S. Augustinus, Quæst. XCV in *Quæst. ex Novo Testamento*.

Moraliter, quantum beneficium Dei sit lex. Ingens enim Dei beneficium est lex, festoque celebrandum : est enim ipsa radius legis æternæ manans a rationibus ideisque æternis, quæ vivunt in mente Dei, quibus ipse omnia regit et moderatur. « Duo sunt, inquit Nazianzenus, quibus regimur, natura et lex ; » et S. Augustinus, lib. IX *De Civitate* : « Omnium legum, inquit, inanis est censura, nisi divinæ legis imaginem gerat. » Plato dicebat, « necesse esse leges hominibus ponere, ut secundum eas vivant, alioqui nihil a feris discreparent. Causam esse, quod nullius hominis ingenium ita a natura institutum est, ut quæ ad publicum humanæ vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat ; et si cognovit, ut optimum id quod novit, semper agere possit ac velit. » Ita ipse, lib. IV *De Legibus*.

Demosthenes aiebat, « civitatis animam esse leges. » Heraclitus dicebat, « cives non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus, quod absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque mœnibus possit. » Ita Laertius, lib. IX, cap. I. Archidamus, roganti « quinam essent Spartanæ urbis præfecti : Leges, inquit, ac legitimi magistratus. » Graviter censuit in republica bene instituta auctoritatem supremam legibus esse deferendam ; nec ulli magistratui fas esse quidquam contra leges publicas tentare. Ita Plutarchus in *Lacon*.

Agesilaus, roganti « quid Spartæ contulissent Lycurgi leges : Voluptatum, ait, contemptum. » Plutarchus ibidem.

Cyrus, rogatus « quosnam putaret esse injustos : Lege, inquit, non utentes. » Ita Maximus, *serm.* 50.

Barbari Brasilii in sua lingua carent tribus litteris, scilicet F, L, R, idque apposite ; nam carent fide, lege, rege. Testis est Osorius et Maffeius in *Historia Indica*.

Philo, lib. *De Josepho* : « Quod medicus, ait, est ægro, hoc lex est civitati. » Corona priscis fuit hieroglyphicum legis, quia certis est vinculis complicata, quibus vita nostra velut religata coercetur. Ita Pierius, *hierogl.* 41.

Denique, « lex est lux vitæ. » « Lucerna, inquit Psaltes, pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis, » *Psalm.* CXVIII ; qui psalmus non est aliud quam legis elogium. Rursum : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, » *Psalm.* XI, vers. 7.

Porro, « lex non est aliud, nisi recta, et a numine deorum ratio, imperans honesta, prohibensque contraria, » inquit Cicero, *Philip.* I ; et *pro Cluent.* : « Fundamentum, ait, libertatis, fons æquitatis, mens, et animus, et consilium, sententiaque civitatis, posita sunt in legibus. » Peculiare vero fuit Dei erga Hebræos beneficium, quod eis ipsemet legem dederit, idque primo, et ante leges aliarum gentium. Primus enim in orbe legislator fuit Moyses, id est, Deus per Mosen. Eum secuti, leges dedere Indis Gymnosophistæ, Ægyptiis sacerdotes, Babyloniis Chaldæi, Persis Magi, Gallis Druidæ, Locrensibus Zaleucus, Atheniensibus Solon, Lacedæmoniis Lycurgus, Cretensibus Minos, Corinthiis Philo, Getis Zamolxis, Rheginis Androdamus, Milesiis Hippodamus, Thuriis Charondas, Thebanis Philolaus, Carthaginensibus Phaleas. Apud Romanos primus P. Papirius regias leges in unum contulit. Deinde Appius Claudius decemvir duodecim tabularum leges conscripsit. Hunc secuti sunt Appius Claudius Cæcus, Sempronius Sophus, Scipio Nasica, Q. Fabius, M. Cato et alii.

17. PANES PRIMITIARUM DUOS DE DUABUS DECIMIS. — Ex dictis cap. XIV, vers. 10, et dicendis cap. seq. vers 5, patebit duas decimas similæ, et duos panes inde confectos, fuisse quasi tredecim librarum cum dimidia. Vers. 17. Panes duo oblati debebant esse librarum tredecim et mediæ.

18. OFFERETIS CUM PANIBUS SEPTEM AGNOS IMMACULATOS, — scilicet in holocaustum, quia hoc, quasi præcipuum, semper intelligitur, cum nominatur sacrificium, nisi alia ejus species exprimatur. Ita Abulensis. Vers. 18.

Nota : *Numer.* XXVIII, 27, adduntur et aliæ victimæ, hoc festo pentecostes offerri solitæ, ob festi solemnitatem : videlicet vituli duo, aries unus, agni septem, hircus unus pro peccato. Nam diversas esse illas ab hisce quas hic præscribit, tum aliunde patet, tum ex eo quod ibi duo vituli, hic tantum unus præcipiatur : quia illæ victimæ præscriptæ erant propter ipsum festum præcise, hæ vero hic præscribuntur tantum propter oblationem primitiarum cohonestandam, ut simul cum primitiarum oblatione Deo hæ victimæ in sacrificium darentur. Ipsius ergo festi pentecostes æque ac cæterorum festorum, victimæ, non hoc capite, sed *Num.* cap. XXVIII et XXIX (ut patet intuenti), recensentur. Ita Abulensis. Unde Josephus, lib. III, cap. X, omnes pentecostes victimas enumerans sic ait : « Holocausta faciunt e tribus vitulis, arietibus duobus (S. Scriptura tres arietes numerat : videtur ergo in Josephi numerum irrepsisse error, ut pro duobus reponendi sint tres), agnis quatuordecim, hædisque pro peccato duobus. » Omittit Josephus duos agnos oblatos in hostias pacificas. Radulphus tamen censet easdem esse victimas, quæ hic, et quæ *Numer.* XXVIII præscribuntur : antilogiam vero jam allatam ipse per mysterium solvere conatur. « Non interest, inquit, an duo vituli cum uno ariete, an unus vitulus cum duobus arietibus in holocaustis esse dicatur, cum tam pastores, quam doctores (qui mystice sunt arietes et vituli) unum sint propter fidei pacisque concordiam, et duo intelligantur, si duorum populorum, quibus præ-

Victimæ hic præscriptæ aliæ sunt ab iis *Numer.* c. XXVIII.

lati sunt, respiciamus distantiam. » Verum hæc litteræ non satisfaciunt, neque sensui litterali, quem Radulphus sæpe, quasi judaicum, tollere et impugnare videtur instar Origenis, et aliorum qui toti sunt in tropologiis. Porro hæc sacrificia et victimæ non erant privati cujuspiam, uti panes primitiarum : sed erant communes toti populo, et pro eo toto offerebantur ex ærario, et sumptu communi.

ET ERUNT IN HOLOCAUSTUM CUM LIBAMENTIS SUIS.— Hebraice, *cum suo mincha et libamine;* libamenta ergo hic vocat Noster quidquid cum victima offerebatur, ut oleum, vinum, farina, thus, sal.

Vers. 19. 19. FACIETIS ET HIRCUM PRO PECCATO. — « Facietis, » id est sacrificabitis. Pro *hircum,* hebraice est *hircum caprarum,* id est hircum novellum, vel hædum. Vide dicta cap. IV, vers. 23.

Vers. 20. 20. CUM ELEVAVERIT EOS SACERDOS CUM PANIBUS, etc., CEDENT IN USUM EJUS, — *q. d.* Cum hostiæ pacificæ (de his enim solis hic agit, non de holocaustis; hæc enim tota Deo cremabantur) immolatæ et consecratæ fuerint Domino, cedent sacerdoti; licet enim hæ hostiæ alias magna ex parte cederent offerentibus, quia tamen totus populus eas hic offerebat, nec potuissent eæ in totum populum distribui, hinc dantur hic sacerdotibus.

Nota, quod hic dicitur, panes primitiarum in pentecoste oblatos cedere sacerdoti, non ita intelligendum esse, quasi sacerdos ministrans tabernaculo in pentecoste, solus per se reciperet omnes hosce panes: hi enim cum a singulis offerrentur, erant innumeri; sed tantum quod ipse reciperet eos, quos elevasset et obtulisset Domino, puta tres aut quatuor : reliqui enim cedebant in jus omnium, et æqualiter per omnes sacerdotes dividebantur, uti et aliæ primitiæ.

Vers. 21. 21. ET VOCABITIS HUNC DIEM (pentecostes) CELEBERRIMUM ATQUE SANCTISSIMUM. — « Celeberrimum,» id est valde celebrem et festum, ut ab omni opere servili in eo cessetis; « sanctissimum,» quia mihi, meis sacrificiis et cultui dicatus est. Hebraice est, *vocabitis os* (id est substantiam) *hujus diei,* id est diem hanc, *convocationem sanctitatis,* id est festam et solemnem; nam, ut docet Josephus, lib. III, cap. X, nullum festum apud Judæos agebatur sine holocautomate, et laborum vacatione : et hoc respectu noster Interpres hoc festum vocat celeberrimum et sanctissimum, uti jam explicui.

Allegoria pentecostes. Allegorice, pentecoste Hebræorum significabat pentecosten Apostolorum, qua Spiritus Sanctus in eos per linguas igneas descendit, legemque novam promulgavit in Sion, quo recepto statim metere cœperunt regiones albas ad messem, ut inquit S. Chrysostomus, homil. 2 *in Acta,* et offerre Domino duos panes primitiarum, de duobus populis Judæorum et Gentium, tumque Deo immolati sunt multi Martyres, partim agni, id est innocentes; partim arietes, id est Doctores et principes Ecclesiæ; partim vituli, qui scilicet olim superbi fuerant in sæculo; partim hædi, qui vidélicet prius in sordibus et fœtore peccatorum vixerant.

Tropologia pentecostes Tropologice, quinquagenarius numerus pentecostes index est et symbolum perfectæ pœnitentiæ, ac remissionis peccatorum, uti fuse docet S. Hieronymus sub initium libri II *in Isaiam.* Unde et psalmus L maxime est pœnitentialis. Idem patet in anno 50 sive jubilei, qui est annus plenæ remissionis : tunc ergo offerimus duos panes, id est, amorem Dei et proximi. Jam ergo pascha, pentecosten aliaque festa celebramus, non judaice, sed christiane, id est non tantum littera, sed et spiritu. Audi Nazianzenum, orat. *4 in Julianum* : « Festa, inquit, celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione ac magnificentia, non comessationibus et ebrietatibus, quorum fructum cubilia et impudicitias esse didicistis, etc., sed animi puritate, et mentis hilaritate, et lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, divinis contemplationibus, quæ super sanctum candelabrum excitentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant. » Et S. Gregorius, hom. 33 *in Evang.* : « Quid prodest, ait, interesse festis hominum, si contingat deesse festis angelorum? » Idem in *Registro* : « Dominico, ait, die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut, si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur. » Et Origenes, homil. 69 *in Exod.* : « Si desinas, ait, ab omnibus sæcularibus operibus, et nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia et visibilia, sed ad invisibilia et futura : hæc est observatio sabbati Christiani. » B. Thomas Morus tanta religione colebat festa, ut iis etiam, dum in carcere solus degeret, vestibus melioribus sibi allatis indueretur; mirantibus vero cur, solus cum esset, id faceret, respondit : « Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colo, et honeste induor. » Idem accepta mortis sententia, cum diutius quam vellet, ejus executio differretur, tandem instante festo Translationis S. Thomæ Cantuariensis : « Cras, aiebat in vigilia festi, vehementer gestio ad Deum migrare; esset enim ille dies mihi admodum conveniens; » eumque quem optabat diem, Martyri suo congrue concessit Deus, in quo et patroni, cujus nomen gerebat, simili de causa martyrio laureati; et S. Apostoli (incidit enim illud festum in octavam SS. Petri et Pauli), pro cujus primatu sanguinem fundebat, celebris memoria fit in Ecclesia. Ita Stapletonius in ejus Vita.

Anagoge ejusdem. Anagogice, pentecoste, sive hebdomada et sabbatum (id est festum) hebdomadarum, significabat universalem requiem sanctorum omnium in cœlo, ut sicut secundo die azymorum præcessit

oblatio manipuli spicarum, id est Christi resurrectio, ita septima exinde hebdomada, et die quinquagesima, omnes qui per fidem et dilectionem Christo adhæserunt, ad eum quasi ad caput suum congregentur, æternam cum illo requiem habituri, tuncque offerent duos panes primitiarum, gloriam scilicet animæ et corporis, eaque Deo Deique laudibus æternis consecrabunt. Ita Radulphus.

Vers. 22. 22. NEC SECABITIS EAM (terram) USQUE AD SOLUM, — non omnino eam demetetis, ut aliquid pauperibus colligendum relinquatis. Vide dicta cap. XIX, vers. 9.

Vers. 24. 24. MENSE SEPTIMO PRIMA DIE MENSIS ERIT VOBIS SABBATUM (id est festum solemne) MEMORIALE, CLANGENTIBUS TUBIS. — Quartum est hoc festum, scilicet Tubarum, prima die mensis Tisri, id est septembris.

Quartum festum erat Tubarum.

Septimus dies, mensis et annus erant festi apud Judæos.

Nota : Septenarius erat sacer apud Hebræos. Nam *primo*, septimus dies erat festus, eratque sabbatum; *secundo*, septima hebdomada dierum erat pentecoste; *tertio*, septimus mensis magna ex parte erat sacer, et, ut inquit Origenes, hom. 23 *in Numer.*, erat quasi sabbatum mensium, sicut septimus dies erat sabbatum dierum : mense enim septimo quatuor, imo quinque celebrabantur festa, scilicet Neomeniæ, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, idque per septem dies; et Cœtus sive Collectæ. *Quarto*, septimus annus erat annus sacer libertatis et remissionis, ac quietis terræ. *Quinto*, septima hebdomada annorum, puta annus quinquagesimus totus erat festus, eratque jubilæum.

PRIMA DIE MENSIS, — erat ergo illo die duplex festum, *primo*, neomeniæ sive novilunii, a quo ipsi mensem inchoabant : primus enim dies mensis erat novilunium; *secundo*, tubarum. Unde et duplicia illo die offerebant sacrificia, scilicet tam neomeniæ quam tubarum, ut patet *Numer.* XXIX, 1 et seq.

Festum Tubarum fuit memoriale Isaac ab immolatione liberati.

MEMORIALE CLANGENTIBUS TUBIS. — Hebraice, *memoriale clangoris*, vel, ut Septuaginta, *tubarum*. Tradunt Hebræi et Latini festum tubarum institutum fuisse in memoriam Isaac patriarchæ, ab immolatione et gladio patris sui Abrahæ liberati, ac pro eo surrogati arietis, *Genes.* XXII, 11, ideoque eo die cornibus arietinis clangere solitos, licet insuper et tubis argenteis eodem die clangerent ob neomeniam et sacrificia, uti præcipitur *Numer.* X, 10. Imo tradunt Hebræi Isaac eodem die, videlicet primo mensis septimi, ab hac immolatione fuisse liberatum. Clangor ergo hic memoriale erat liberationis Isaac, simulque erat oratio tacita, ut Deus eorum etiam recordaretur, atque sicut liberaverat Isaac, ita et posteros ejus a mortis periculis liberaret.

Mystice. Mystice, septimus mensis est tempus gratiæ, puta legis novæ, in quo septem spiritus Dei missi sunt in omnem terram, *Apocal.* V, quoque septiformem Spiritus Sancti gratiam et spiritum recipimus : prima ejus festivitas est lætitia clangoris et tubarum, id est prædicationis Apostolorum (hi enim quasi cœlestes quædam tubæ toto orbe insonuerunt) et conversionis Gentium. Ita Origenes, Radulphus et Isychius. Hos enim Christus ex hoc mundo ad Patrem iturus, in totum orbem buccinatum misit, dicens : « Ite in mundum universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, » *Matth.* cap. ult. Hujus præcepti memores S. Petrus et Joannes, dum jubentur silere, respondent : « Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui, » *Act.* IV.

Moraliter de concionatoribus.

Benjamin diaconus in carcere biennium detentus, dum ea lege solutus esset, ne amplius Dei Evangelium prædicaret, memor suæ vocationis dicebat : « Neque possum, neque debeo talentum fidei meæ commissum in terram abscondere; » testis est Theodoretus, lib. V, cap. XXVIII.

S. Franciscus suos rogavit : « Quid vobis consultius videtur, an quod orationi, an vero quod prædicationi vacem? » Enumeratis utrinque commodis, conclusit tandem : « Attamen prædicationis officium suis potissimum commendare voluit Redemptor noster, dum ipse cum peccatoribus conversatus est; cujus vestigio cum nobis insistendum sit, utilius Deoque gratius erit, si intermissa quiete foras egrediamur ad laborem; » quod et præstitit. Ita Bonaventura in *Vita* ejus, lib. I, cap. XII.

Hinc S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXVII, art. 1 : « Prædicare, inquit, est principalissimus actus, et proprius Episcopi, et dignior quam baptizare. »

Idem in I *ad Corinth.* cap. IX : Prædicator, ait, in Scriptura habet octo nomina, scilicet Miles, Vinitor, Pastor, Bos, Arator, Triturator, Seminator et Architectus templi.

Hinc et Isaias, cap. LII, ait : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » S. Augustinus prædicatorem vocat Angelum. S. Gregorius, homil. 3 *in Ezech.* : « Vita, inquit, prædicantium et sonat et ardet. Ardet desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa; sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte ergo verba prædicatorum appellata sunt scintillæ, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. » Idem, lib. XXX *Moral.*, explicans illud *Job.* XXXIX, 1 : *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris?* « Oportet, ait, ut prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes infirmis, terribiles in minis, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi. » S. Clemens, lib. VIII *Recognit.*, prædicatores comparat radiis solaribus, qui orbem illuminant, omnesque videre faciunt.

Porro qualis debeat esse hæc tuba et concio docet ipse Ecclesiastes, cap. XII, 11 : « Verba, ait,

sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi; » ubi Olympiodorus : « Sicut stimuli, inquit, boves pungunt, urgentque aratro sulcum proscindere : ita et Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem, ut, cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clavis ignitis atque candentibus, qui altius ac facilius lignis infiguntur : ita enim et sapientum verba in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. » Et S. Hieronymus : « Verba, ait, sapientum pungere dicuntur, non palpare, nec molli manu attrahere lacrymam; sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infligere. Si cujus ergo sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens. » Idem *ad Nepotianum* : « Docente te, inquit, in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : lacryma auditorum laudes tuæ sint. » Et alibi : « Ille est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet; qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem. »

Quisquis ergo prædicator es, quisquis es tuba, imo os Dei, « clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum, » *Isai.* LVIII, vers. 1.

Vers. 27. Quintum festum erat expiationis.

27. DECIMO DIE MENSIS HUJUS SEPTIMI DIES EXPIATIONUM ERIT. — Quintum est hoc festum, כִּפֻּרִים *kippurim*, id est expiationis sive propitiationis, quo fiebat expiatio peccatorum populi toto anno commissorum, per jejunium et sacrificia, ideoque pontifex non tantum populum expiabat, sed et ipsum Sanctum, et Sanctum sanctorum, iis cæremoniis quæ præscriptæ fuerunt cap. XVI. Vide ibi dicta. Erat hic dies sanctissimus : unde nec cibos in eo, sicut nec in sabbato, coquere licebat, ut colligitur ex vers. 30.

AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS, — per jejunia aliaque dicta cap. XVI, 29.

Vers. 32.

32. SABBATUM REQUIETIONIS EST, — *q. d.* Festum est, et requies omnimoda, quo omnino ab omni opere, etiam non servili, uti est coquere cibos, cessandum est.

AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS DIE NONO MENSIS. — Scilicet a vespere, sive ab occasu solis diei noni, usque ad vesperam diei decimi; nam, ut sequitur :

Vers. 33. Ab hespero Hebræi ordiebantur sua festa : ab eo enim incipit et dicitur vespera.

33. A VESPERA USQUE AD VESPERAM CELEBRABITIS SABBATA (festa) VESTRA, — puta ab uno solis occasu usque ad alterum, cum scilicet apparere incipit stella Veneris (uti Hebræi tradunt), quæ vesper, vesperugo et hesperus dicitur. Unde et vespera ab hac stella nomen accepit, ait Isidorus, lib. V *Etymolog.* cap. III, *q. d.* Ne afflictio hæc die expiationis, quasi ingrata et molesta differenda putetur in ipsum diem decimum, hinc edico et jubeo ut illam inchoetis, uti et alia festa, a vespera præcedentis noni diei. Id clarius significant Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, in quibus est apertior distinctio, uti et in Romanis et aliis correctioribus Latinis. Unde et Ecclesia christiana quoad officium ecclesiasticum festa celebrat a vespera in vesperam; hoc enim est quod sancitur cap. I *De feriis*, in *Decretal.* : « Omnes dies Dominicos a vespera in vesperam, omni veneratione decernimus observari; » populo tamen festa a media nocte in mediam noctem celebranda, indicta sunt.

Vers. 34.

34. A QUINTO DECIMO DIE MENSIS HUJUS SEPTIMI ERUNT FERIÆ TABERNACULORUM SEPTEM DIEBUS DOMINO. — Sextum est hoc festum, scilicet Tabernaculorum per septem dies, quod græce dicitur scenopegia, a figendis tabernaculis; σκηνὴ enim est *tabernaculum*, πηγία est fixio sive *compactio*. Ridiculum enim est, quod putant Abulensis et Radulphus, scenopegiam dici a φαγία, id est *comestio*, et κοινή, id est *communis*, quod hoc festo Judæi comederent in publico sive loco communi. Institutum est hoc festum in memoriam protectionis divinæ, quæ Hebræos in deserto ita protexit, ut sine domibus in tabernaculis per quadraginta annos hieme et æstate vixerint. Quare in deserto nunquam celebratum est hoc festum, quia ibi agebatur ipsa rei veritas, et continuum quasi festum tabernaculorum; sed postea in ejus memoriam quotannis celebratum est in Chanaan, ita ut partim in urbe, puta in atriis, foris, plateis, hortis, quin et domatibus, id est tectis domorum, ut patet *Nehem.* VIII, 16, partim extra urbem, cum tutum esset, tabernacula construerent ex lignis sive palis, quibus alii ramos, alii pelles et lintea circumducebant, uti fit in tentoriis castrensibus, in iisque ad septem dies habitarent. Cum enim ex tota Judæa Hebræi Hierosolymam convenirent hoc festo, et singulæ familiæ singula tabernacula construerent, ut ait Josephus, lib. III *Antiquit.*, cap. X, nequaquam tot in urbs construi poterant, quot omnibus sufficerent. Estque verisimile ita fuisse disposita tabernacula, ut quasi urbe quædam fieret, et singulæ familiæ seorsim, omnesque per vicos et plateas distinctæ et ordinatæ habitarent; ita enim faciebant, cum per desertum peregrinabantur, cujus rei memoriam tunc recolebant.

Sextum festum erat Tabernaculorum.

Tabernaculorum descriptio.

Secundo, hoc festum institutum est in fine anni, puta in septembri, post collectas omnes fruges, ut de iis gratias agerent Domino, ideoque omnes masculi hoc festo templum adire, suaque dona offerre debebant, ut præscribitur *Exod.* XXIII, 14 et seq. De holocaustis et victimis, quæ singulis hisce septem diebus mactabantur, vide *Numer.* XXIX, 12. Denique Hebræi septimo die hujus festi circumeunt altare septies, portantes ramos, in memoriam expugnatæ Jericho a Josue septeno urbis circuitu, *Josue* VI, 16.

Altera festi causa.

Vers. 36 Septimum festum erat cœtus.

36. DIES QUOQUE OCTAVUS ERIT CELEBERRIMUS : EST ENIM COETUS ATQUE COLLECTÆ. — Septimum est hoc festum Cœtus atque Collectæ, quod erat quasi octava festi Tabernaculorum. Erat hoc festum so-

lemne, unde a S. Joanne, cap. VII, 37, vocatur « dies magnus festivitatis. »

Ratio festi. Nota hoc festum dici cœtus et collectæ, non tam pecuniarum aut eleemosynarum, uti volunt Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Oleaster, quam hominum et populi, qui congregabatur octavo die in tabernaculo, et postea in templo, ut simul adunatus gratias ageret Deo solemnibus sacrificiis, quod post longam illam in deserto peregrinationem, omnes tribus salvæ venissent in terram promissam, quasi terminum et sedem suam, eamque quiete possiderent. Simili ratione dies septimus azymorum vocatur dies cœtus et collectæ, eo quod omnes eo die simul convenirent ad agendum gratias Deo, quod eos in Ægyptiaca servitute dispersos adunasset, et simul inde eduxisset. Quod autem de collecta, non pecuniæ, sed populi hic agatur, indeque festo inditum sit nomen cœtus sive collectæ, patet *primo*, quia in Hebræo hoc festum vocatur עצרת *atseret*, quod significat *cœtum* sive *congregationem*, non pecuniæ, sed populi (1); *secundo*, quia Chaldæus apertissime hanc vocem *atseret* vertit כנישין תהון *kenisin tehon*, id est *collecti eritis; tertio*, quia Septuaginta semper hanc vocem vertunt ἐξόδιον : *exodium* autem, teste Theodoreto, *Quæst.* XXXII, finem festorum indicat; et *exodium* apud Livium, lib. VII, Juvenalem, *satyr.* 6, Pollucem, lib. IV, Suidam et alios, carmen erat, quod in exitu alicujus rei, maxime comœdiæ aut scenæ, canebatur. « Juventus, inquit Livius, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo, ridicula intexta versibus jactare cœpit, quæ inde exodia appellata, consertaque fabulis, potissimum Atellanis sunt. » Unde eo alludentes Septuaginta, festum hoc *exodium* vocarunt, eo quod clauderet solemnitatem festi Tabernaculorum publica et communi gratiarum actione et plausu, quo peracto tabernaculis exeuntes, quisque ad suas sedes et urbes remeabat. *Quarto*, quia similem collectam fecit rex Salomon, non pecuniæ, erat enim ipse ditissimus et liberalissimus, sed populi in octava dedicationis templi, II *Paralip.* VII, 9. Non nego tamen potuisse hoc festo fieri collectam pecuniæ pro templo et ministris Dei ante discessum populi; sed illa poterat fieri et aliis festis, et maxime septimo die azymorum. Verum non inde vocatur hoc festum Cœtus vel Collectæ, neque hic fuit præcipuus festi hujus finis.

Erat hoc festum collectæ non pecuniæ, sed populi. Prob. Primo. Secundo. Tertio. Exodium quid? Quarto.

Vers. 37 et 38. 37 et 38. OFFERETISQUE IN EIS OBLATIONES DOMINO HOLOCAUSTA, EXCEPTIS SABBATIS DOMINI, DONISQUE VESTRIS, — *q. d.* Hæc quæ descripsi sacrificia offeretis singulis festis, præter sacrificia quæ sabbato offeruntur, videlicet quatuor agnorum, quorum bini mane, et bini vespere offeruntur in holocaustum die sabbati, ut patet *Num.* XXVIII, 9; item præter dona et vota vestra, id est, præter victimas quas sponte aut ex voto offertis.

Vers. 40. 40. SUMETISQUE VOBIS DIE PRIMO (festi Tabernaculorum, uti præcessit) FRUCTUS ARBORIS PULCHERRIMÆ, SPATULASQUE PALMARUM, ET RAMOS LIGNI DENSARUM FRONDIUM, ET SALICES DE TORRENTE, ET LÆTABIMINI CORAM DOMINO. — Nota : In festo Tabernaculorum jubentur Judæi manibus gestare quatuor arborum ramos, vel fructus : *primo*, « arboris pulcherrimæ, » id est citri. Ita Chaldæus. Unde et Josephus fructus hujus arboris vocat mala Persica; mala enim citria, auctore Dioscoride, vocantur Persica et Medica, quia ex Persia et Media in Italiam sunt advecta, teste Plinio. Citrum fuisse hanc arborem docet etiam R. Moses Ægyptius, lib. III *Moral.* cap. XLIV.

In festo Tabernaculorum Judæi gestabant citrum, palmas, myrtum et salices.

Dices : S. Hieronymus in cap. XIV *Zachar.* dicit fuisse cedrum.

Respondeo : Per cedrum, citrum intelligit; nam mala citria etiam cedromela, quasi mala cedri vocantur, teste Dioscoride supra.

Secundo, « spatulas, » id est ramos palmarum. Ita Septuaginta.

Tertio, « ramos ligni densarum frondium, » id est myrti. Ita Josephus, Chaldæi et R. Moses supra.

Quarto, « ramos salicis. » Harum ergo quatuor arborum pulchrarum, diuque virentium atque odoratarum (citrus enim et myrtus boni odoris sunt) ramos in festo tabernaculorum gestare debebant Hebræi, ut recordarentur se a solitudine in terram feracem et arboribus optimis abundantem translatos esse; gestare, inquam, non tantum primo die festi, ut censuit Abulensis, sed per septem continuos festi dies; hoc est enim quod hic dicitur : « Celebrabitis solemnitatem septem diebus. » Et ita intellexit R. Moses, Burgensis, Ribera et alii; idque ut per septem dies significaretur Hebræos multis annis commoratos fuisse in deserto, indeque plenum gaudium in terra promissa eis obvenisse; hoc est enim quod sequitur :

Cur?

ET LÆTABIMINI CORAM DOMINO, — *q. d.* Gestantes ramos hos et fructus, saltabitis in sanctuario coram Domino. Tripudiis enim solebant veteres celebrare sua festa, ut patet II *Regum* VI, 14, *Exodi* XXXII, 19, *Exodi* XIX, 20. Ita Abulensis qui et addit : « Dicunt aliqui quod, quando Judæi habebant istos ramos in manu, habebant cum eis colligatos et fructus, et sic saliebant elevantes et deprimentes illos fructus ad omnem differentiam positionis; quo significabant id esse ad laudem Dei, qui erat Dominus omnium positionum mundi. » Simile fiebat in *theruma*, sive oblatione sacerdotum, uti dixi *Exodi* XXIX, 24, *Levit.* VII, 30.

Mystice, septimus mensis est tempus gratiæ; primum ejus festum est Tubarum, id est, prædi-

Mystice festum

(1) עצר enim est *cohibuit*, hinc, quæ cognata est, notio *cogendi*, *congregandi*. Paulo aliter Munk : *Atsar*, ait, est *cohibuit*, *detinuit*. Hinc *atseret* recte ab Alexandrinis vertitur ἐξόδιον, seu *exodii dies*, quo scil. peregrini etiam Hierosolymæ *detinebantur* ad claudendum festum. Apud Prophetas *atseret* est, non ultimus solemnitatis dies, sed festum seu cœtus solemnis in genere. *Palestine*, p. 187.

Tabarum est prædicatio Apostolorum; Expiationis est pœnitentia; Tabernaculorum est peregrinatio in cœlum; Cœtus est resurrectio.

catio Apostolorum; secundum Expiationis, id est pœnitentiæ et contemptus illecebrosarum voluptatum, cui studere debent omnes vere ad Deum conversi; tertium Tabernaculorum, quia tertius vitæ Christianæ gradus est vivere hic uti in tabernaculo per septem dies, id est tota vita, ut scilicet utamur rebus hujus sæculi quantum necesse est, non amplius, et tota mente per desertum hujus mundi festinemus ad cœlestes mansiones, ut dicamus cum Psalte : « Incola ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei; » « in casulis enim habitavit Abraham, cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. » Vide dicta *Hebr.* XI, 9 et 10. Celebratur 15 die, cum luna decrescere incipit, quia qui bona sæculi fluxa et caduca (quorum luna est symbolum) esse cognoscit, hic festinat ad æterna. Septem ejus diebus continue offerimus holocausta, quia totos nos nostraque omnia Deo consecramus. Gestamus *primo*, citrum, qui colore est aureo, id est ardentem charitatem, qua toti Dei gloriæ, et fratrum utilitati incumbimus; *secundo*, spatulas palmarum, quia quasi victores terrena omnia calcamus, dum nostra conversatio in cœlis est; *tertio*, lignum densarum frondium, puta myrtum, id est, odoriferam virtutum omnium densitatem, et continuum earum exercitium; *quarto*, ramos salicis virentis, quia stabili firmitate in nostro virtutum statu et virore perseverare debemus; hi de torrente sumuntur, quia nisi crebro in lege Dei meditemur, Deique gratiam imploremus, marcescet in nobis ille animi vigor. Vide *Psalm.* I, 3. Hæc qui fecerit lætabitur coram Domino, et hilarem semper in eodem vitam aget.

Citrus est charitas; palmæ sunt contemptus terrenorum; myrtus est odor et densitas virtutum; salices sunt virorbonorum operum.

Rursum S. Hieronymus in cap. XIV *Zachariæ*, per lignum pulcherrimum accipit sapientiam, per palmas victoriam, per myrtum mortificationem, per salices castitatem. Nam « medici, inquit, et physici tradunt quod, si quis salicis florem mixtum aqua biberit, omnis in eo frigescat calor, et libidinis vena siccetur, ut ultra filios generare non possit. » Hisce ornati in tabernaculis hujus vitæ, pariter et armati, tendimus ad domum nostram paratam in cœlis. Salices ergo, æque ut lactucæ, agnus castus, etc., humorem venereum minuunt, et castitatem fovent ac tuentur.

Quartum festum sequens et finiens festum Tabernaculorum, puta ejus octava, est festum Cœtus et Collectæ; hoc significat octavam resurrectionis, quando ex tabernaculis hisce exeuntes colligemur ad concilium et congregationem Sanctorum in cœlis, de qua canit Psaltes : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Tunc nullum opus servile faciemus, quia tunc cessabit omne peccatum, omnis etiam labor et dolor; offeremus holocaustum Domino, quia totis viribus, totaque contentione animæ, Deum speculabimur et amabimus : ibi enim implebimus illud : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota fortitudine tua; » et illud : « Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. » Ita Radulphus, et ex parte Isychius atque ex iis Ribera, lib. V *De Templo*, cap. X et seq.

Allegorice etiam Rupertus apposite et eleganter hæc accommodat festis natalitiis Christi Domini. Sicut enim pascha et pentecoste Judæorum, inquit, significabat pascha et pentecosten Christianorum : ita festum Tabernaculorum, quod in exitu anni celebrabatur, significabat festum Natalis Domini, quod in fine anni celebratur. Tum enim lætabundi terræ nostræ virgineæ, puta B. Mariæ, fructum, scilicet Christum in Bethlehem colligimus, et fructum arboris pulcherrimæ, id est Virginis intemeratæ Filium, in Eucharistia, ter offerimus et sumimus. Christus enim in stabulo et hospitio natus est, ut hic nobiscum quasi in tabernaculo versaretur, nosque ex eo ad patriam cœlestem deduceret; adsunt et palmæ : hoc enim Christi festum comitatur et sequitur S. Stephani martyrium et victoria; adest et lignum densarum frondium, videlicet S. Joannes densa et altissima mysteria eructans; adsunt et parvuli innocentes, qui quasi salices de torrente fructum operum non habentes, subito per solam Dei gratiam ad viriditatem salierunt æternæ patriæ, et paradisi cœlestis.

Allegorice festum Tabernaculorum est festum Nativitatis Christi, palmæ sunt festum S. Stephani, myrtus est S. Joannes, salices sunt Innocentes.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur oleum quod ardeat in lucernis candelabri : item panes propositionis, qui et quales esse debeant, vers. 5; *secundo, vers.* 10, *blasphemus jussu Dei lapidatur.*

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter, 3. extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. 4. Super candelabrum mundis-

simum ponentur semper in conspectu Domini. 5. Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas ; 6. quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues; 7 et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini. 8. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno ; 9. eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto : quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo. 10. Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita. 11. Cumque blasphemasset nomen, et maledixisset ei, adductus est ad Moysen. (Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.) 12. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus. 13. Qui locutus est ad Moysen, 14. dicens : Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus. 15. Et ad filios Israel loqueris : Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; 16. et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. 17. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. 18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. 19. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum : sicut fecit, sic fiet ei ; 20. fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. 21. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. 22. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit; quia ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque est Moyses ad filios Israel : et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

Vers. 2. 2. PRÆCIPE FILIIS ISRAEL UT AFFERANT TIBI OLEUM. — Nota : Quatuor erant functiones sacerdotum in tabernaculo : *prima*, et præstantissima, de qua hactenus actum est, erat immolatio sacrificiorum; *secunda*, incensio thymiamatis in altari ad id deputato intra Sanctum, de qua functione dictum est *Exodi* XXX, 7; *tertia*, propositio panum propositionis; *quarta*, accensio lucernarum in candelabro : de duabus hisce postremis agitur hoc capite. Porro filii Israel, sive totus populus debebat sumptus præbere ad has quatuor functiones necessarios, quia nomine totius populi eas obibant sacerdotes.

Quatuor officia sacerdotum.

Ideoque *primo*, in censu populi quisque solvebat in hunc usum dimidium siclum, *Exodi* XXX, 13; *secundo*, in festis tribus quotannis offerebant singuli aliquid ad eumdem usum, quantum scilicet ex devotione volebant. Nam præceptum erat *Exodi* XXIII, 15 : « Non apparebis (quod ter fiebat in anno) in conspectu meo vacuus ; » *tertio*, erat gazophylacium, in quod injiciebat quisque quod volebat pro sumptibus templi, de quo *Lucæ* cap. XXI, 1 ; *quarto*, sicut sumptu publico debebat populus certas victimas pro peccato adducere, uti patuit cap. IV, vers. 14, et cap. XVI, vers. 5: ita similiter debebat afferre oleum ad lucernas, et similam ad panes propositionis coquendos, uti hic præcipitur; non quod cuilibet in particulari id præcipiatur, sed quod toti populo: unde principes et magistratus ex communi ærario hæc dependebant. Nam primitiæ, decimæ et aliæ oblationes cedebant in jus et alimentum sacerdotum : nullam enim ipsi aliam partem, aut hæreditatem a Deo inter suos populares acceperant. Accidebat tamen non raro, ut aliqui subinde religiosiores, maxime principes, sive Hebræi, sive Gentiles, vel omnino, vel magna ex parte hos sumptus præstarent, uti fecit Ezechias rex, II *Paral.* XXXI, 3, et Seleucus rex Asiæ, II *Machab.* III, 3, et Artaxerxes rex Persarum, I *Esdræ* VII, 23.

Sumptus solvebat populus, quomodo?

OLEUM DE OLIVIS PURISSIMUM AC LUCIDUM. — Hebraice, *oleum purum contusum in lumen* (ut vertunt Septuaginta), id est oleum pili tunsione defluens, liquidum et lucidum, amurca remanente et fæcibus.

AD CONCINNANDAS LUCERNAS (id est ad accendendas lucernas : ita Septuaginta, Chaldæa et Hebræa) JUGITER (id est singulis noctibus, ut explicatur vers. seq.; nam ardebant lucernæ a vespere usque ad mane; mane autem extinguebantur : vide dicta *Exodi* XXVII, 20) EXTRA VELUM TESTIMONII, — Vers. 3 quod scilicet oppansum est *testimonio*, id est arcæ quæ continet testimonium, id est legem sive tabulas legis, quæ testantur quid a nobis fieri velit Deus. Est metonymia, *q. d.* Ardeant hæ lucernæ in Sancto ante Sanctum sanctorum.

Tropologice, lucernæ sunt Apostoli et Doctores, quibus ait Christus : « Vos estis sal terræ, et lux mundi. » Audi S. Paulinum, *epist.* 31, compellantem S. Augustinum, Ecclesiæ doctorem : « O lucerna digne super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late Catholicis urbibus de septiformi lino, pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densam licet hæreticorum caliginem discutis, et lumen veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas! Os tuum fistulam aquæ vivæ, et venam fontis æterni merito dixerim : quia fons vivæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cujus desiderio sitivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit. »

Vers. 5. De panibus propositionis. Primo, Levitæ conficiebant panes propositionis.

5. ACCIPIES QUOQUE SIMILAM, ET COQUES EX EA DUODECIM PANES. — Nota : Hi sunt panes propositionis, id est poposiți Domino, ad quos similam dabat populus; ex qua non laici, sed ipsi Levitæ, puta Caathitæ, panes hos conficiebant et coquebant, ut patet I *Paral.* IX, 32, et cap. XXIII, vers. 29. Pari modo Levitæ præerant aromatibus, ex quibus ipsi sacerdotes, ut patet I *Paral.* IX, 30, conficiebant sacra unguenta, præscripta *Exodi* XXX, 23 et seq. Porro hi panes fiebant ex simila purissima, cui subigendæ pro aqua infundebatur olei purissimi quarta pars hin, id est olei libræ tres, puta unciæ 36. Deinde simul cum panibus apponebant quartam partem hin vini (quod, ut mox dicam, postea Deo libabant), id est vini libras tres, cum 4 unciis. Est enim vinum oleo gravius.

Secundo, erant duodecim, cur?

Nota *secundo* : Panes hi erant duodecim, ut scilicet quæque tribus suum quasi panem Deo offerret : hisce enim panibus duodecim tribus protestabantur se jugiter a Deo ali; et vicissim Deus hac gratitudine oblationis eorum quasi illectus, ostendebat se eorum meminisse, eorumque memoriam et memoriale semper ante se habere, ut eos alere et curare pergeret.

Tertio, imponebant eis thus.

Hinc *tertio*, hisce panibus imponebant thus, ut significarent se omnia Deo debere, seque omnia Deo accepta referre per panes propositionis, quos cum thure semper ponebant ante Dominum : thus enim significabat panes oblatos esse Domino, tanquam qui Domini sint, illique debeantur. Porro thus hoc elapsa hebdomade, cum panes auferrentur, et novi surrogarentur, adolebatur Deo cum sacrificiis, uti jussum est *Levit.* II, vers. ult.

Quarto, imponebant eis sal.

Quarto, addunt Septuaginta, Chaldæa et Philo panibus hisce impositum fuisse salem : hæc enim erat quasi mensa Dei; sal autem in omni mensa apponi solet, ut cibos condiat, et sapidiores faciat; nam *Levit.* II, 13, ita præcipitur : « In omni oblatione tua offeres sal. »

Quinto, singulis sabbatis novi ponebantur.

Quinto, singulis sabbatis panes novi, recentesque et calidi ponebantur in mensa, ut patet vers. 8; veteres vero tollebantur, eosque comedebant sacerdotes : iis enim solis hisce panibus vesci licebat, ut patet *Matth.* XII, 4.

Sexto. erant azymi et tredecim librarum singuli cum dimidia.

Sexto, erant hi panes azymi, et quisque eorum ponderabat duas decimas, id est libras tredecim cum dimidia, ut mox patebit : erant ergo magni hi panes. Unde

Septimo, bini et bini sibi invicem imponebantur.

Septimo, in mensa ponebantur seni et seni panes *altrinsecus*, id est alteri contra alteros, ita ut sex sibi invicem imponerentur, instar duarum turrium; vel potius et concinnius, ut bini singuli jungerentur, quorum unus alteri imponebatur; ita ut duo essent ordines panum, ut scilicet primo ordine, inferne in mensa ponerentur tres panes consequenter, qui singuli haberent alium sibi superpositum : deinde juxta eos poneretur alius similis ordo trium panum, cum tribus aliis eis impositis. Probabile est panes singulos impositos fuisse magnis acetabulis, sive crateribus inferne, superne vero tectos fuisse (ne a pulveribus et a muscis fœdarentur) aliis vasis, quæ thuribula vocantur, *Exodi* XXV, 29, inquit Vilalpando et Vatablus. Denique utrique panum ordine utrimque apponebatur, *primo*, una phiala, id est universim duæ phialæ plenæ thure; *secundo*, vasculum sale plenum; *tertio*, cyathus cum vino utrimque, id est duo cyathi, qui pariter cooperti fuisse videntur, tum ob muscas et pulveres, tum ne vini vis evanesceret et acesceret.

Octavo, offerebantur ex publico, eosque pinsebant Levitæ.

Octavo, hi panes ex publico offerebantur, scilicet populus offerebat similam optimam, eamque pinsebant Levitæ. Addit S. Hieronymus in *Malach.* I : « Panes, inquit, propositionis juxta traditiones Hebraicas, ipsi sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant. » Verum hæc traditio non convenit cum Scriptura, nec cum Josepho.

Nono, cum panibus offerebatur vinum.

Denique cum panibus etiam vinum in hac mensa Deo oblatum fuisse, ut integrum in ea Deo jugeque proponeretur convivium, docet ex Josepho, et ex mensa in arcu triumphali Titi Romæ sculpta, Vilalpando, lib. IV *De Templo*, cap. LVII. Unde et verisimile est vinum, ne acesceret, singulis sabbatis cum panibus renovatum fuisse, veteri in honorem Dei libato, id est effuso coram oraculo et Sancto sanctorum. Vinum enim Palæstinum, cum sit potentissimum, facile ad 8 dies servari poterat : id enim experimur in vino Hispanico. Vilalpando tamen censet vinum, eodem die quo inferebatur, libatum fuisse.

Tropologice hi panes sunt opera misericordiæ. Primo. Secundo.

Tropologice, hi panes significant opera misericordiæ, quibus ad Sanctum sanctorum, id est ad cœlum, accedimus, qui semper debent esse in conspectu Domini, quia semper ad ea parati esse debemus.

Secundo, debent esse duodecim, id est copiosi et liberales, ut non una die aut hebdomade, sed qualibet largam eleemosynam demus : duodenarius enim est symbolum universitatis.

Tertio.

Tertio, imponitur eis thus lucidissimum, quia hæc charitatis opera fieri debent, non ad vanam gloriam aucupandam, sed solius Dei intuitu, utque ei soli sacrificium hoc charitatis offeramus.

Quarto. *Quarto*, imponitur eis sal, ut significetur cum discretione hæc opera esse peragenda, ut magis indigenti et utili ea impendamus. Rursum, sal mortificationem, quæ jejunio aliisque modis fit, thus orationem significat : nam, ut ait Angelus ad Tobiam, cap. XII : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. »

Quinto. *Quinto*, per singula sabbata mutantur, quia in die Dominica solent Christiani facere collectas eleemosynarum, ut patet I *Cor.* XVI, vers. 1. Rursum, cum novum sabbatum venit, id est cum novum beneficium accepimus, aut receptum recordamur, novas eleemosynas facere, Deoque per eas gratias agere debemus.

Sexto. *Sexto*, panes erant azymi, quia eleemosyna jungi debet cum puritate vitæ; erantque panes magni, quia magna debet esse eleemosyna : nam, ut ait S. Chrysostomus : « Eleemosyna non depauperat, sed ditat; promissum est enim : Date, et dabitur vobis. »

Septimo. *Septimo*, seni erant a dextris, et seni a sinistris, quia tam in inimicos, quam in amicos benefici esse debemus, ut vincamus in bono malum.

Octavo. *Octavo*, fiebant e simila optima, quia non vilia, sed meliora Deo et pauperibus sunt danda. Ita Ribera, lib. II *De Templo*, cap. XI. Audi illustre misericordiæ et beneficentiæ apud Gentiles exemplum, quod refert Valerius Maximus, lib. IV, cap. VIII : « Erat, inquit, opibus excellens Gillias; sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior, semperque in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus : adeo ut domus ejus quædam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum, quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat. »

Christiani domus sit eleemosynæ officina. Quid jam faciat Christianus, quid Ecclesiasticus? sane domus ejus eleemosynæ officina sit oportet, nisi ab Ethnico Gillia vinci velit. Habeat mensam pauperibus semper paratam, panes egenis semper propositos aut proponendos, ita cum S. Joanne Eleemosynario a Deo benedicetur, et quo plus dabit, eo plus recipiet. Scriptum enim et promissum est ab ipsa Veritate : « Date, et dabitur vobis. » Audiat S. Chrysostomum, hom. 53 et 68 *ad Populum* : « Quo plura, inquit, dederis Deo, eo plus te diligit; quibus majora debet, plus tribuit et gratiæ; cum aliquem videt cui nihil debet, eum fugit et aversatur; cum vero intuetur eum cui aliquid debet, continuo ad eum accurrit. Omnia ergo tibi facienda sunt, ut Deum habeas debitorem. » Dices : Quomodo id efficiam? Respondet Chrysostomus : « Nunc hujusce rei tempus est : nunc enim esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus; cum vero hæc vita elapsa fuerit, tui non indigebit; et nunc indigere vult propter te. Cibari a te vult, ut te cibet; indui, ut te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris; ut dives sis, tua largiter da; ut colligas, disperge : imitare seminantem. Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus et metas. » Quod si dicas : Proles mihi sunt ditandæ; occurrit Chrysostomus : « Si filiis, inquit, omnia dimittas, periculosæ custodiæ tua cuncta commendasti. Si vero Deum eis relinquas hæredem et tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Si vis filios divites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, et hoc eis chirographum trade : Deus centuplum quod promisit, rependet. Deo ergo fœnerare. »

Allegorice hi panes significant Eucharistiam. Allegorice, panes hi significant Eucharistiam, in qua sub specie panis corpus Christi proponitur. Ita S. Hieronymus in I *Malach.*, Cyrillus, *catechesi 4 mystagog.*, Damascenus, lib. IV, cap. XIV, Isychius et Rupertus. Hic panis est duarum decimarum, id est duarum naturarum : Christus enim et Deus est et homo; suntque 12 panes, quia primi cœnam hanc Eucharisticam cœnaverunt duodecim Apostoli; imponitur eis thus, id est gratiarum actio et oblatio, quæ principatum tenet in Dominica cœna, inquit Isychius; non licet eos comedere nisi in loco sancto, id est, in pura et sancta anima ac conscientia.

Decima quid? QUI SINGULI HABEBUNT DUAS DECIMAS. — Decima erat decima pars ephi, sive trium modiorum. Ephi enim erat decima pars cori, id est 30 modiorum. Josephus, lib. III, cap. III, decimam vocat assaronem, dicitque eam continuisse 7 cotylas. Cotyla autem, inquit Ribera, 9 unciarum erat mensura : ergo decima habuit 63 uncias, id est 5 libras et 3 uncias; duæ vero decimæ et singuli panes inde confecti erant decem librarum cum dimidia. Verum in fine Pentateuchi ostendam gomor, sive assaronem fuisse mensuram continentem 8 libras, sive 96 uncias aquæ, aut vini, aut frumenti Palæstini. Hæc enim omnia æque ponderant, teste Vilalpando. Porro vas continens 8 libras frumenti Palæstini, tantum continebat 5 libras farinæ ejusdem cum 4 unciis. Frumentum enim Palæstinæ nostro longe est melius, densius et ponderosius. Cum ergo tritici nostri vas aliquod, v. g. gomor, det farinæ (farina enim molendo fit rarior, itaque levior frumento) gomor et insuper tertiam partem gomor, uti nostri molitores, qui id studiose observarunt, testantur; tritici Palæstinæ gomor unum dabit farinæ gomor cum dimidio. Quare cum gomor cum dimidio farinæ æquiponderet suo gomor tritici, ex quo molitum est, hinc sequitur quod gomor tritici ponderans 8 libras, dederit sesquigomor farinæ, ita ut gomor farinæ ponderarit 5 libras cum 4 unciis : sic enim sesquigomor farinæ ponderabat 8 li-

bras sui tritici, ex quo molitum est. Gomor ergo, sive assaron tritici Palæstinæ, continebat 5 libras farinæ cum 4 unciis; duo gomor, et panis inde confectus continebat 10 libras cum 8 unciis. His adde pondus aquæ, quæ miscetur farinæ, ut fiat panis; quod pondus facile est quarta pars ponderis farinæ : nam tres unciæ farinæ facile, ob aquam immixtam, dant quatuor uncias panis, uti nostri pistores testantur; quare 10 libræ, cum 8 unciis duorum assaronum farinæ, dabant ob aquam immixtam panis libras 13 cum dimidia.

Singuli panes propositionis erant tredecim librarum cum dimidia.

Singuli ergo hi panes erant 13 librarum cum dimidia. Magni ergo erant hi panes, et totam pene mensam (utpote parvam) occupabant : nimirum, magno Deo, et magna danti, magna reddenda sunt, præsertim a tota aliqua tribu et populo.

Denique censet Vilalpando singulos hosce panes habuisse duo gomor farinæ, in memoriam ejus, quod Deus feria sexta, pro ea et pro sabbato sequente (quo quiescendum erat), depluebat duo gomor manna, *Exod.* XVI, 22. Addit ipse et alii duas decimas similæ continuisse 12 libras, et addita aqua in pane 16 libras. Verum sic nimis magni et immanes fuissent hi panes; quod ut evitent alii,, ut Robertus Cenalis et Alcazar, qui exacte de priscis Hebræorum mensuris scripserunt, hic et alibi decimam accipiunt, non ephi, sed gomor, cujus decima pars erant unciæ pene 10, quæ duæ decimæ confecissent panem 19 circiter unciarum, id est unius libræ, ac septem unciarum. Verum huic sententiæ obstat, quod sacra Scriptura et Josephus asserant et exprimant hanc decimam esse assaronem, esseque decimam non gomor, sed ephi, *Exod.* XVI, vers. ult. Adde : sic satis exigui fuissent hi panes. Maneat ergo quod dictum est, panes hos fuisse 13 librarum cum dimidia.

Decimam non ephi, sed gomor accipit Robertus Cenalis.

Refelli-tur.

Vers. 6. 6. SUPER MENSAM PURISSIMAM, — super mensam auream.

Vers. 7. 7. UT SIT PANIS IN MONUMENTUM OBLATIONIS DOMINI, — *q. d.* Ut panis iste sit juge memoriale oblationis jugis, quam hoc pane Hebræi Domino faciunt; unde ex Hebræo ita vertas : *Pones super eos thus, et thus sit pani in memoriale ignitionis*, id est *ignitæ oblationis Domini*, *q. d.* Impones panibus thus, ut thus significet panem Deo oblatum, et jugem hanc panum oblationem Domino fieri; thus enim soli Deo per ignem adoletur. Aliter vertunt et explicant Vatablus et Cajetanus, sic videlicet, *ut thus sabbato vice panis fiat ignitio*, id est, in igne adoleatur Domino; nam *memoriale* cap. II et alibi vocatur illa pars minchæ, quæ Domino adolebatur loco totius minchæ (1).

Vers. 8. 8. PER SINGULA SABBATA MUTABUNTUR, — ne scilicet nimis desiccentur aut corrumpantur, fiantque inepti ad esum. Ita Abulensis.

SUSCEPTI A FILIIS ISRAEL, — *q. d.* Quorum materia, id est farina, data sit a filiis Israel, sed pista a Levitis.

FŒDERE SEMPITERNO, — quia hi panes sunt quasi symbolum perpetuum fœderis initi inter me et populum, illiusque memoriam continuo ingerunt. Simile dixi de sale fœderis, cap. II, 13.

Etiam tempore schismatis oblati sunt panes duodecim.

Hinc censet Abulensis etiam tempore schismatis sub Jeroboam, semper panes hosce fuisse Domino oblatos, eosque, numero 12, uti præscriptum est vers. 6, tum quia multi ex duodecim tribubus in hoc schismate adhæserunt duabus tribubus, Deo et templo; tum quia hic dicitur hosce panum ritus servandos esse fœdere sempiterno, id est quamdiu duratura erat lex vetus et judaismus. Simili modo duodecim lapides in rationali manserunt tempore schismatis, imo post eversionem decem tribuum; nam Josephus testatur se eos vidisse in rationali.

Vers. 9. 9. ERUNTQUE AARON ET FILIORUM EJUS, UT COMEDANT EOS IN LOCO SANCTO, — in atrio tabernaculi. Non est verisimile, crescente numero sacerdotum, duodecim hosce panes fuisse dispertitos per omnes omnino sacerdotes : sic enim quisque ex eis non habuisset frustulum; sed cum sacerdotes distributi essent in 24 classes, ut patet I *Paralip.* XXIV, quarum quæque suam septimanam ministerii per vices obibat in tabernaculo, verisimile est quamque classem panes suæ septimanæ inter se distribuisse. Ita Abulensis. Ex hoc loco colligitur solis masculis filiis sacerdotum edere licuisse hos panes; atque hoc est quod ait Christus, *Matth.* XII, 5 : « Quos (panes propositionis) non licebat ei edere, nisi solis sacerdotibus. » Hoc etiam indicant hic sequentia : « Quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini, » *q. d.* Panes hi comedentur tantum a sacerdotibus eorumque filiis, quia sanctissimi habentur, et sunt inter oblationes Domini; offeruntur enim in ipso Sancto, cum ipsæ victimæ offerantur extra Sanctum in atrio; quæ autem valde sancta erant, hæc a solis masculis stirpis sacerdotalis comedi poterant, ut colligitur *Numer.* XVIII, 10.

Panes hi a solis masculis filiis sacerdotum comedebantur.

Nota : Panum horum oblatio non erat sacrificium proprie dictum; nulla enim in iis fiebat immutatio. Vocantur ergo hic sacrificium, id est oblatio, per catachresin. Noster tamen Gabriel Vasquez, III *part.*, disput. 220, num. 28, censet hosce panes fuisse sacrificia : quia, inquit, coquebantur a sacerdotibus in clibano, idque in loco sancto, puta in atrio, quasi hæc coctura fuerit eorum immutatio et sacrificatio. Verum hoc et incertum est, uti jam dixi, et insufficiens; nam in clibano farina immutabatur, non panis. Adde, hæc coctura et immutatio fiebat in clibano, non in altari; altare autem est proprius locus sacrificii : unde et mincha sive panis coctus in sartagine, craticula aut clibano, non erat sacrificium

An panes propositionis fuerint sacrificia?

(1) Recte Ludovicus de Dieu : « Thus, quod panibus propositionis imponi jubetur, dicitur *fore panibus in celebrationem Dei*, additurque explicationis causa, *ignitum Domino*, quia panes ipsi cedebant sacerdotibus, at thus illud adolebatur Deo in laudem nominis sui. » Cf. Bähr, *Symbolik des Mosaisch. Cultus.* tom. I, p. 410.

nisi cum in altari pars ejus adolebatur Deo, ut patet *Levit.* II.

Vers. 10. 10. ECCE AUTEM EGRESSUS, etc., JURGATUS EST, — *q. d.* Ecce autem cœpit jurgari Ægyptius; sic enim *egredi* subinde capitur pro aggredi et incipere quippiam, ut *Exod.* II, 1; *Deuter.* XIII, 13. Intexitur hæc historia hic, quia contigit sub idem tempus, quo datæ sunt præcedentes leges. Causa jurgii non exprimitur. Judæi dicunt eum jurgatum esse, eo quod esset ebrius. Verum hoc refutat Abulensis; nam Hebræi in deserto carebant vino et sicera, atque solo manna et aqua vivebant, neque excedebant in cibo et potu, sed æque multum quotidie comedebant, videlicet unum gomor. Alii suspicantur eum voluisse figere tabernaculum cum Danitis, eo quod esset ex matre Danita, licet patrem haberet Ægyptium, indeque ortum esse jurgium; verum et hi divinant.

Egredi est aggredi et incipere.

Judæi non inebriabant se in deserto, cur?

Vers. 11. 11. CUM BLASPHEMASSET NOMEN DOMINI, ET MALEDIXISSET. — Judæi vertunt, *protulit illud nomen* (Dei scilicet tetragrammaton, quod antonomastice vocatur השם *hasscem*, id est nomen), *et maledixit*. Unde putant ipsi eum duo peccata admisisse: primum, quod pronuntiaverit nomen Dei tetragrammaton, quod Judæis est ineffabile; secundum, quod maledixerit (1). Verum errant, unum enim tantum fuit ejus peccatum, scilicet blasphemia seu maledictum in Deum. Unde Hebræa ita vertenda sunt, *perforavit*, id est blasphemavit, *illud nomen* (sanctum et augustum Dei), *et maledixit;* נקב *nukab* enim, sive קבב *kabab* significat *cavare, perforare,* et inde per metaphoram evacuare honorem, id est maledicere et blasphemare.

Fabulantur Rabbini blasphemum hunc fuisse filium illius Ægyptii quem occidit Moses, *Exod.* II, 12, quodque ipse Deum primo blasphemarit, deinde Mosi maledixerit, volens ulcisci mortem patris sui; Deus vero, curam habens suorum, magis voluit ulcisci injuriam Mosis quam propriam, ideo dixit: Educ maledicum, et non: Educ blasphemum; ita isti fabularum figuli.

Blasphemus hic Danita fuit typus Antichristi ex Dan nascituri.

Allegorice, blasphemus hic significat Antichristum, ait Radulphus: erat enim de tribu Dan, ex qua pariter nascetur Antichristus; unde omnes Danitæ Antichristo, quasi cognato suo, adhærebunt, et vix ullus ex iis Christo crediturus est; ideoque *Apocal.* VII, ubi e singulis tribubus electi signantur et enumerantur, sola tribus Dan omittitur, uti exponunt ibidem Aretas, Beda, Haymo, Anselmus, Rupertus et Irenæus, lib. V, cap. XXX. Mater blasphemi vocatur *Salumith*, id est *retributio*, filia *Dabri*, id est *loquelæ*, quia damnatio cui Antichristus destinatus est, blasphemiis ejus retribuetur: lapidabit eum omnis populus, quia omnes electi in die dejectionis ejus, eum condemnabunt, et sententia sua in abyssum præcipitabunt.

(1) Drach quoque verbum נקב vertit *explicavit, diserte expressit.* Vid. *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synag.* tom. I, p. 513 seqq. Cf. ibid., p. 408.

Vers. 14. 14. PONANT OMNES QUI AUDIERUNT (blasphemiam ejus) MANUS SUAS SUPER CAPUT EJUS, ET LAPIDET EUM POPULUS UNIVERSUS. — Moris erat apud Judæos, ut testes super caput rei manus imponerent, quasi significantes hoc caput esse impium contra quod ferant testimonium, ideoque mortis esse reum. Addit Lyranus eos dicere solitos: « Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos; » quasi dicerent: Tuo capiti mortem tuam imputa, non nobis. Unde super caput alicujus manus imponere, est contra eum ferre testimonium, ut patet *Dan.* XIII, 34. Aliam causam dat Oleaster, videlicet imposuisse veteres manus super caput rei, tanquam super hostiam piacularem; huic enim manus imponebantur, ut patet ex dictis cap. IV, 4 et 24, et cap. XVI, 21. Blasphemia enim, idololatria et similia gravia crimina, nisi vindicentur, videntur sui enormitate assistentes et vicinos, adeoque totam regionem polluere, et reddere obnoxiam divinæ vindictæ; quam ut avertant, Deo nocentem et reum dedunt, manusque ei imponunt, quasi hoc ritu reipsa precentur, ut Deus in eum omnem peccati pœnam devolvat, nec in regionem aut populum crimen admissum vindicet. Simili modo idololatræ manus imponi jussit Deus, *Deuter.* XVII, 7. Vide et *Deuter.* XXI, 6, 7, 8, 9. Merito autem, inquit Theodoretus, *Quæst.* XXXIII, blasphemiæ aptavit legem et pœnam homicidii, ejusque reum lapidari jussit, quia blasphemator Creatorem cum interficere non possit, lingua ferit. Unde S. Augustinus in illud *Matth.* XXVI, 65, *blasphemavit:* « Non minus, ait, peccant qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris; » ut non mirum sit leges omnes civiles, canonicas et divinas tam severe in blasphemos animadvertere.

Testes imponebant manus suas reo, cur?

Blasphemi puniuntur morte.

Nota est etiam pœna blasphemi Sennacherib, qui ob blasphemiam cum 185 millibus cæsus est; sic et Paulus blasphemum tradidit Satanæ, I *Tim.* I, vers. ult.

Exempla.

Disce hic quantum crimen sit blasphemia, quamque acriter illud puniat Deus, etiam in hac vita. Nam de futura stat sententia Christi: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Ita blasphemus Pharao, dicens: « Non novi Dominum, » mersus est in mari Rubro. Ita Syri dicentes: « Deus montium est Dominus eorum, et non est Deus vallium; » multi a paucis Israelitis in valle prælio cæsi sunt, III *Reg.* XX. Ita blasphemus Antichristus dejicietur in tartara, *Apocal.* XIII, 6, et XIX, 20.

Narrat Gregorius Turonensis, libro II *Histor.* cap. VII, et Sidonius, lib. VIII, *epist.* penult., quod, cum Aureliam obsiderent Gothi, Anianus urbis

Episcopus cum clero Litanias per muros decantabat; audiens id sacerdos apud Gothos captivus exclamavit : « Cassa spe duceris, Aniane, si verbis adversarios abigi posse credis, eædem precationes aliis urbibus non profuerunt. » Audierunt Sancti, et illico blasphemum vita spoliaverunt.

Julianus Apostata in bello Persico, divinitus lancea inter costas percussus, sanguinem suum manu in cœlum jaculatus : « Exple, inquit, iram tuam, Galilæe (ita Christum vocabat), vicisti, vicisti. » Ita Sozomenus, Ruffinus, Eutropius.

Arius in Filium Dei blasphemus, alvum purgaturus, viscera effudit et expiravit.

Nestorii lingua a vermibus erosa est, eo quod dixisset B. Virginem esse Christiparam, non Deiparam.

Olympius Episcopus Arianus, Carthagine in Elyanensium balneo lavans, cum Trinitatem publice blasphemaret, tribus ictus jaculis, tanquam fulminibus consumptus est, anno Christi 510. Testis est Paulus Diaconus, lib. XV in *Anastasio*.

Fredericus II Imperator dicebat : « Tres fuere insignes impostores, qui humanum genus seduxerunt, Moses, Christus, Mahomet; » unde ab Innocentio IV in Concilio Lugdunensi damnatus, imperioque spoliatus est. Refert hanc ejus blasphemiam Lipsius, libro I *Monit. politic.* cap. IV. Ista vetera, hæc nostri sunt ævi et soli.

Hæretici Hallas (oppidum id est prope Bruxellas, statua B. Virginis miraculosa celebre) capere cogitabant. Ex illis unus accedens ad urbem : « Ego, ait, meis manibus Hallensi mulierculæ (ita vocabat statuam B. Virginis) nasum abscindam. » Audit Virgo et procurat ut eidem plumbea grande ex urbe missa nasus auferatur. Vixit ille miser, nomine Joannes Zwickius, fuitque ipsismet Hollandis assiduo ludibrio multos annos, et forte etiamnum vivit : res est notissima.

Decem sunt anni, ex quo Hollandi B. Virginis Sichenensis sacellum expilarunt : ab illo tempore Ostendam perdiderunt, omniaque illis infeliciter (cum prius feliciter) cesserunt. Fuit inter eos eques habens equum cæcutientem, qui veniens ad sacellum irridens dixit : « Si Maria hic miracula facit, illuminet meum equum. » Audiit Virgo blasphemiam, moxque equo visum restituit, ipsum vero equitem blasphemum excæcavit. Id ante mortem, et in morte confessus fuit socius ejus, qui ob aliud crimen Weerteti extremo supplicio affectus est, uti ipsemet Weertensis Prætor, qui supplicio et quæstioni præfuit, scripsit ad me, qui tum ad B. Virginem Sichenensem in missione degebam, et mira Virginis ope manus Hollandorum effugi.

15. PECCATUM, — pœnam peccati. Vers. 15.

16. QUI BLASPHEMAVERIT, MORTE MORIATUR, etc., SIVE ILLE CIVIS, SIVE PEREGRINUS FUERIT, — etiam Gentilis et incircumcisus. Hic enim ex more et jure gentium, sortietur forum Judaicum ratione delicti ibi commissi, sicut blasphemus hic, licet Ægyptius, Mose tamen et Judæis supplicio affectus est. Vers. 16.

18. REDDET VICARIUM, ID EST ANIMAM PRO ANIMA, — puta animal vivum in vice animalis a se occisi. Vers. 18.

19. QUI IRROGAVERIT MACULAM, — id est cicatricem, aut mutilationem, ut sequitur. Vers. 19.

20. FRACTURAM PRO FRACTURA, — ut si fregerit alteri pedem vel manum, eidem frangatur pes vel manus. Vers. 20.

21. QUI PERCUSSERIT (occiderit) HOMINEM, PUNIETUR. — Hebraice, *morietur*, puta occidetur; repetit enim hic generatim legem talionis vers. 17 propositam, quam hucusque variis exemplis illustravit. Probabile est, inquit Abulensis, quod nonnulli Doctores asserunt, scilicet pœnam talionis debuisse irrogari a judice, si læsus illam peteret; quod si non peteret eam, sed mallet pecuniam, tunc judex non tenebatur, imo non poterat infligere pœnam talionis. Vers. 21. Pœna talionis non infligebatur nisi læso petente.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur annus septimus remissionis, et vers. 8, *annus quinquagesimus jubileus, quo omnes redibant ad pristinas suas hæreditates, et servi Judæi manumittebantur, fiebantque liberi, vers.* 39.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. 3. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus; 4. septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini : agrum non seres, et vineam non putabis. 5. Quæ sponte gignet humus, non metes; et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam : annus enim requietionis terræ est; 6. sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillæ, et mercenario tuo, et advenæ,

qui peregrinantur apud te, 7. jumentis tuis et pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum. 8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem ; 9. et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. 10. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ : ipse est enim jubileus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam ; 11. quia jubileus est et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, 12. ob sanctificationem jubilei, sed statim oblata comedetis. 13. Anno jubilei redient omnes ad possessiones suas. 14. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilei emes ab eo, 15. et juxta supputationem frugum vendet tibi. 16. Quanto plures anni remanserint post jubileum, tanto crescet et pretium : et quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris et emptio constabit; tempus enim frugum vendet tibi. 17. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. 18. Facite præcepta mea, et judicia custodite, et implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore, 19. et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. 20. Quod si dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras ? 21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum, 22. seretisque anno octavo, et comedetis veteres fruges usque ad nonum annum : donec nova nascantur, edetis vetera. 23. Terra quoque non vendetur in perpetuum ; quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis. 24. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. 26. Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, 27. computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit ; et quod reliquum est reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam : 28. quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubileum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, et ad possessorem pristinum. 29. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. 30. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in jubileo. 31. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur : si ante redempta non fuerit, in jubileo revertetur ad dominum. 32. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi : 33. si redemptæ non fuerint, in jubileo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. 34. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est. 35. Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, 36. ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. 37. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. 38. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, et essem vester Deus. 39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum ; 40. sed quasi mercenarius et colonus erit : usque ad annum jubileum operabitur apud te, 41. et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. 42. Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti ; non veneant conditione servorum. 43. Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. 44. Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in cir-

cuitu vestro sunt. 45. Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, 46. et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum; fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. 47. Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus, 48. post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, 49. et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis. Sin autem et ipse potuerit, redimet se, 50. supputatis duntaxat annis a tempore venditionis suæ usque ad annum jubileum; et pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum et rationem mercenarii supputata. 51. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubileum, secundum hos reddet et pretium : 52. si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum, 53. quibus ante servivit mercedibus imputatis : non affliget eum violenter in conspectu tuo. 54. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubileo egredietur cum liberis suis. 55. Mei enim sunt servi, filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti.

Vers. 2. Annum septimum Deus jussit esse sabbaticum.

2. QUANDO INGRESSI FUERITIS TERRAM QUAM EGO DABO VOBIS, SABBATIZES SABBATUM DOMINI, — id est, observate sabbatum seu quietem terræ, facite ut terra septimo anno quiescat. Unde Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et nonnulla Latina habent, *sabbatizet*, id est quiescat, *terra sabbato Domini*, id est, quiete ordinata ad honorem et cultum Domini. Erat enim hæc lex cæremonialis spectans cultum divinum, jubensque celebrari communiter ab omnibus annum septimum sicut diem septimum : annus ergo septimus quisque erat sabbatum, id est quies terræ; inde hi anni vocati sunt sabbatici. Hoc terræ sabbatum instituit Deus, ut ipsa vacatio terræ, ait S. Augustinus, *Quæst.* LXXXIX, esset velut merces habitationis, et quasi pretium redemptionis ab illo cujus est, id est ab ejus creatore Deo, ut scilicet Hebræi pro terra sibi a Deo data, illi hoc sabbatum, quasi cultum et hommagium quoddam rependerent.

In deserto non servarunt annum sabbaticum, nec jubileum, cur?

Nota τὸ *quando ingressi fueritis terram* : nam ante ingressum, puta in deserto, hæc lex anni septimi, uti et jubilei, observata non fuit. Annus enim septimus, et jubileum, sunt inducta ad solvenda debita, labores et servitutes; jam nulla erant debita in deserto, cum nulla ibi esset inopia; nec ibi laborabant, aut terram colebant, cum omnes e cœlo æqualiter alerentur manna, et vestirentur iisdem semper vestibus manentibus integris et incorruptis, ut patet *Deuteron.* VIII, 4. In deserto quoque non erant servitutes, quæ propter hæc debita et necessitates corporales, apud Judæos inductæ sunt, ut innuitur vers. 39.

QUANDO INGRESSI FUERITIS TERRAM, — supple et possederitis, ut eam colere possitis; nam, ut sequitur : « Sex annis seres agrum tuum, septimo autem anno sabbatum, » id est quies, « erit terræ. » Non poterat ergo anni tam sabbatici quam jubilei (nam ex annis sabbaticis dependet, et computandus est annus jubilei, uti mox dicam) numeratio inchoari prius, quam terræ promissæ possessionem acciperent Hebræi, nactaque pace et quiete colere eam possent : quomodo enim colerentur agri nondum occupati? aut a nondum cultis numeraretur annus sabbaticus? Unde patet inchoationem annorum sabbaticorum et jubileorum inchoandam esse ab anno, quo terra a Josue Hebræis per sortem est divisa; tunc enim populus in possessionem illius introductus, colere agros cœpit; id vero accidit anno ab exitu ex Ægypto 47, ut colligitur Josue XIV, vers. 10, qui fuit Josue post Mosis obitum septimus, mundi vero 2500; ergo ab ejusdem anni mense 7, die 10, numeratio annorum sabbaticorum et jubileorum est inchoanda. Ita Serarius in *Josue* cap. XIII, Quæst. XIV, in fine, ubi refellit Rabbinos in *Seder Ollam*, qui hos annos inchoant a posteriore terræ divisione, quæ facta est anno non 7, sed 14 in Silo. Ab hoc ergo anno mundi 2500 computando deinceps, 105 annus sabbaticus incidit in annum 15 Ezechiæ regis, ut patet tum ex chronologia, tum ex IV *Reg.* XIX, 29, collato cum IV *Reg.* XVIII, 13. Et consequenter 121 annus sabbaticus incidit in annum 9 Joakim filii Josiæ, ita ut annus primus Sedeciæ fuerit annus quartus hebdomadæ sabbaticæ 121, ut patet *Jerem.* XXVIII, 1. Ita Vatablus ibi, et Scaliger in *Emend. temp.*

Anni sabbatici et jubilei numerari cæperunt anno septimo Josue, qui fuit annus mundi 2500.

Male ergo quidam annos sabbaticos inchoant ab anno primo Josue, quo Hebræi ingressi sunt Chananæam, pugnantes contra Jericho, cum inchoandi sint ab anno septimo Josue quo subacta tot bellis terra, eam dividere et colere cœperunt : inde enim sequens annus septimus fuit sabbatum terræ, colique debuit ut sabbatum, et ab eo consequenter septimus quisque annus erat sabbaticus; atque post septem annos sabbaticos, puta post 49 (septies enim septem sunt 49) annos completos, annus sequens quinquagesimus erat jubileus, ut patet vers. 8. Primum ergo jubileum numerari cœpit ab anno mundi 2500, qui annus fuit jubileus mundi quinquagesimus; quinquagies enim 50 faciunt 2500; hoc ergo anno mundi 2500, exit jubileus mundi 50 et incipit 51. Exeunte

Jubileum computatur ab annis sabbaticis.

Jubileum Mosis numerari cœpit a mundi

jubileo quinquagesimo.

ergo jubileo mundi quinquagesimo, succedit numeratio annorum jubileorum Mosis, ita ut quinquagesimus primus jubileus mundi sit initium et exordium primi jubilei Mosaici; ita ut exinde anno quinquagesimo, puta anno mundi 2500, celebratum sit primum jubileum Mosaicum. Hinc sequitur Christum natum esse in fine vigesimi noni jubilei Mosaici. Nam primus jubileus Mosis cœpit anno mundi 2500, a quo, si jubileos per 50 annos numeres, usque ad annum mundi 3950 quo natus est Christus, invenies usque ad Christum fluxisse præcise jubileos 29.

Christus natus est in fine 29 jubilei Mosaici.

Vers. 5.

5. UVAS PRIMITIARUM TUARUM NON COLLIGES. — « Uvas primitiarum, » quas scilicet anno septimo, quasi primo septennii sequentis, velut primitias Domino, ut scilicet a pauperibus colligantur, in Dei honorem relinquis. Unde hebraice hæ uvæ vocantur נזירך *nezirecha*, id est nazareatus, hoc est *sanctificationis*, ut vertunt Septuaginta, vel *separationis*, ut Chaldæus, quas videlicet anno hoc septimo intactas relinquebant, Deoque quasi separabant (1). Quatuor ergo erant insignia et privilegia anni septimi, sive sabbatici. *Primum*, quod eo anno Judæi non poterant serere, non metere, non putare, non vindemiare, sed quies dabatur agris et vineis, atque fructus ex iis sponte enati, erant communes omnibus hominibus et animalibus; vide dicta *Exod.* XXIII, 11. *Secundum*, quod anno hoc septimo fiebat remissio omnium debitorum, si is, qui debebat, genere Judæus erat, non autem si peregrinus et Gentilis; id patet *Deuter.* XV, 2 et sequent. Quæ sane lex insolita et mira fuit. Unde *Deut.* XXV, 9, dicitur : « Cave ne dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis, et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare, sed dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis; » et mercedem addit, dicens : « Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. » Si hanc legem remissionis debitorum serves, Deus tibi debitum omne sua benedictione abunde compensabit. Nam, ut ait Sapiens, *Prov.* XIX, 17 : « Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. » *Tertium*, quod hoc anno erat remissio et solutio servitutis : servi enim Hebræi manumittebantur, ut patet *Exodi* XXI, 2. Vide ibi dicta. Sin servus non esset Hebræus, sed alienigena, perpetuo manebat servus, ut hic dicitur vers. 46. *Quartum*, hoc anno jussum est legi Deuteronomium coram toto populo, *Deuter.* XXXI, 10.

Quatuor privilegia anni septimi, sive sabbatici.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

(1) Hebr. est, *sponte nascens messis tuæ*, quæ sponte nascuntur e granis messis anni præcedentis inter metendum, *et uvas vineæ tuæ non putatæ*, translatione a נזיר, *Naziræo*, ducta, quod, sicut ejus cæsaries non tondebatur, ita palmites, qui sunt comæ vitis, septimo anno non putati essent. Sic Propertius, lib. II, *Eleg.* 15 :

Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem doctam ponere falce comas.

Horum annorum sabbaticorum, quod a Judæis servati vel neglecti sint, mentio est *Jerem.* cap. XXXIV, 14, et IV *Reg.* XIX, 29, et I *Machab.* VI, 53, et apud Josephum, lib. XIII, cap. XV, et lib. XIV, cap. XXVIII.

Vers. 8 et 9 et 10.

8, 9 et 10. NUMERABIS QUOQUE TIBI SEPTEM HEBDOMADAS ANNORUM, etc., ET CLANGES BUCCINA MENSE SEPTIMO, DECIMA DIE MENSIS, SANCTIFICABISQUE ANNUM QUINQUAGESIMUM. — Describitur hic annus jubileus : jubetur hic ergo ut anno non 50, sive jubilei, ut vult Serarius, sed 49 præcedente jubileum clangant, et promulgent, sequentem annum quinquagesimum fore jubileum, ut quisque ad eum se disponat; nam annus 49 non erat annus jubilei, sed erat annus sabbaticus.

Errare ergo videntur Radulphus, Hugo Cardinalis, Gerardus Mercator in *Chronolog.*, et Josephus Scaliger, lib. V, qui putant annum 49 fuisse jubileum, eum tamen dici, et esse quinquagesimum, si in hoc numero comprehendas annum quinquagesimum, sive jubileum præcedentem : hunc enim debere numerari, et ab eo inchoandam esse numerationem anni 50, sive jubilei sequentis. Errant, inquam, quia sic iste annus 50 bis numeraretur, scilicet *primo*, cum est ultimus et 50, sive jubileus; *secundo*, prout idem est initium jubilei sequentis. Unde hanc sententiam refutant S. Cyrillus, Ambrosius, Clemens, Beda, S. Hieronymus, Cassiodorus, Isidorus, Abulensis, Oleaster, et ex iis fuse Serarius in *Josue* XIII, *Quæst.* XIV.

Non coincidebat annus jubileus cum sabbatico, sed eum sequebatur.

Hinc errant iidem *secundo*, dum putant coincidisse annum jubileum cum sabbatico, ne duo, inquiunt, anni otii concurrerent; hinc enim sequeretur, vel jubileum celebratum esse anno non 50, sed 49, vel annum sabbaticum celebratum esse, non septimo, sed octavo anno, quorum utrumque repugnat huic sanctioni Dei. Annus ergo 49 erat sabbaticus, sequens vero 50 erat jubileus : quod intellige de primo jubileo, nam sequenti, sive secundo jubileo, inter annum sabbaticum et jubileum intercessit unus annus, tertio vero jubileo intercesserunt duo anni, quarto tres, et ita consequenter, usque dum reditu septimi jubilei coinciderent annus sabbaticus et jubileus. Cujus rei ratio et origo erat, quod jubileus sequens semper a præcedente jubileo, sive anno 50 numerabatur, annus vero sabbaticus semper a priore sabbatico, sive septimo computabatur. Hinc enim fit ut singuli jubilei uno anno distent a 7 sabbaticis, sive 49 annis, quod videbis ad oculum, si hosce annos duplices; bis enim 49 faciunt 98 : ergo annus 98 erat decimus quartus sabbaticus, cum secundus jubileus esset annus centesimus. Pari modo si 49 triplices, efficies 147, ita ut annus 147 fuerit vigesimus primus sabbaticus, cum tertius jubileus esset 150; ubi clare vides duos annos interjici inter sabbaticum et jubileum, quod ordine fuit tertium. Octavo ergo quolibet jubileo, consequebantur sese immediate

Ordo et distantia annorum sabbaticorum et jubileorum.

annus sabbaticus et jubileus : itaque tunc Judæi duos consequentes annos habebant otii, quibus nec serere, nec metere licebat; sed Dominus promiserat se in eos annos Hebræis daturum duplum, imo triplum messis solitæ, ut patet hic vers. 21. Idem accideret Christianis, si festa servarent, uti debent (1).

Symbolice, Franciscus Valesius, *De Sacra Philos.* cap. XXI : Deus, inquit, jubileum per 7 annorum septennia descripsit, apposite ad annos climactericos, id est scalares. Ii sunt qui singulis septenniis clauduntur, puta annus 7, 14, 21, 28, 35, 42, sed maxime 49 et 63, eo quod 49 ex septem septenniis, 63 novem septenniis confletur. Hi anni vocantur scalares, eo quod in iis vita hominis, quasi per scalæ gradus ascendat. Gradus enim sunt ipsa septennia, in quibus singulis insignes in quolibet ætatis et vitæ mutationes accidunt, multosque morbis tentari, quin et emori contingit, præsertim anno 49 et 63, quem proinde merito Augustus Cæsar ita formidabat. Jubileum ergo apposite constitutum est post septimum septennium, quasi post vitam unius hominis et generationis succedat novum sæculum, novaque ætas et generatio, in qua proinde omnia renovanda, atque ad avitas possessiones reducenda sint.

Mysteria septenarii (quæ continet annus sabbaticus et jubileus) afferam *Deuter.* V, 12.

9. MENSE SEPTIMO DECIMA DIE MENSIS. — Nota : Vers. 9. Alia Judæorum festa incipiebant a Nisan, id est martio; hic enim primus erat mensis anni sacri, ut patet *Exodi.* XII, 1. Annus vero sabbaticus et jubileus non incipiebant a Nisan, ut vult Abulensis, sed a Tisri, sive mense septimo, qui erat initium anni communis et profani. Ita Burgensis, Pererius, Scaliger, et ex iis Serarius in *Josue* XIII, Quæst. XIV. Ratio erat, quia si hi anni cum cæteris festis incœpissent a martio, tunc Judæi perdidissent messem illius anni, qui sequebatur martium : hisce enim annis, utpote sabbaticis, erat sabbatum, id est quies terræ, ita ut nec metere, nec serere liceret; quare perdidissent tunc Judæi messem instantis, et etiam sequentis anni : cum enim illo anno serere non possent, consequenter sequentis anni æstate metere non poterant. Quare in octavo jubileo, cum concurreret annus sabbaticus et jubileus, ita ut jubileus proxime sequeretur sabbaticum, perdidissent messem trium annorum. Jam vero incipiendo a Tisri, sive mense septimo, perdebant uti sementem, ita et messem illius unius tantum anni, duorum vero si concurrerent annus sabbaticus et jubileus.

Alia festa a Nisan, jubileus a Tisri incipiebat.

PROPITIATIONIS TEMPORE, — puta in die et festo Expiationis, quod celebrabatur decima die mensis septimi, uti dictum est cap. XXIII, vers. 27 : illo enim die in universa terra Israel, uti hic dicitur, in singulis urbibus buccinatores erant, qui clangore buccinæ jubileum fore proximo anno proclamarent. Apte id fiebat in festo propitiationis, quia in jubileo futura erat plena remissio et propitiatio.

10. SANCTIFICABISQUE (id est, sanctum et mihi dicatum denuntiabis proximum) ANNUM QUINQUAGESIMUM. — Vide *Can.* 11. Aliter Ribera : « sanctificabis, » inquit, id est præparabis populum celebritati anni 50. Sic *sanctificare* sumitur pro præparare, *Isaiæ* XIII, 3. « Ego mandavi sanctificatis meis, » id est, Persis et Medis, quos præparavi ut deleant imperium Chaldæorum. Vers. 10. *Sanctificare pro præparare.*

ET VOCABIS REMISSIONEM, — id est, proclamabis illo anno fore remissionem servitutum, debitorum et bonorum alienatorum. Si enim anno sep- *In jubileo erat remissio. Primo,*

(1) Alia neque indocta ratione hanc controversiam diremit J. G. Franke in *Novo systemate chronologiæ fundamentalis,* Gœtting. 1778, ubi postquam ostendisset, veterum Hebræorum annos fuisse *lunæ-solares,* qui tam ad lunam, quam ad solem numerantur, ita tamen, ut lunaribus tantum temporis adjiciatur, quantum ad illos solaribus æquandos sufficit, illudque adjectum *epactam* vocari, quæ pro ratione annorum vel *tropica,* vel *civilis* sit, quarum illa ad annos naturales, hæc vero ad annos civiles pertineat; et postquam ostendisset, cyclum Jubilæum esse *cyclum epacticum astronomicum,* sic pergit : « Forma igitur annorum cycli Jobelei constituta, et ejusdem cycli ratione probata, quæritur nunc, quid de *anno quinquagesimo,* quem Deus, ut annum Jobeleum, sanctum haberi præcepit, censendum sit ? Non desunt hic, qui hunc annum ut peculiarem et ab anno 49 distinctum considerent, illumque annum Jobeleum annum 49^m^ sequutum autument. Verum quum annus Jobeleus etiam *Sabbathicus* fuerit, et Deus quietem agrorum non nisi post 6 agricolationis annos observari jusserit, annum 49, qui in cyclo fuit Sabbathicus septimus, etiam annum Jobeleum fuisse necesse est. Si enim Jobeleus a Sabbathico septimo diversus esset, agri per duos annos otiosi et feriati mansissent, et fames inde orta fuisset, cujus rei inusitatæ nullum in sacris litteris vestigium, nullumque legislatoris monitum apparet. Quomodo *quadragesimus nonus* annus simul quinquagesimus esse possit, id ex interna cycli Jobelei constructione et annorum hujus cycli forma optime declarari potest. Constat nempe hic cyclus ex 49 annis solaribus naturalibus, quibus astronomice æquales sunt 50 anni lunares et sex menses synodici, seu secundum computum civilem 50 anni, 6 menses et 18 dies. Hinc annus 50 lunaris cum sex mensibus in ipsis annis 49 inclusus est, ut vere dici possit : *annus* 49^us^ *idem simul est* 50^us^ *lunaris.* Idem ex epactis annorum 49 probari potest. Epactæ horum annorum naturales sunt 532 dies, et civiles 530 dies: hos si addis diebus, quibus 49 anni lunares vel naturales, vel civiles constant, convenientiam facile invenies. » Id quod clarius patet e designatione, quam Frankius, p. 12 subjecit. Annum 50^m^ lunarem non esse separatum, sed in anno 49 solari inclusum, eumque ipsum constituere, innuit illud, quod Hebræi hoc versu sanctum habere jubentur *annum anni hujus quinquagesimi,* quod repetitur vers. 11 hisce verbis: annus quinquagesimus hujus anni sit vobis jubilæus. Terminus enim, a quo annus jubileus iniret, erat dies undecimus mensis septimi anni 50, qui jam cum mense Nisan inierat; hinc annus jubilæus erat altera pars anni 50 lunaris, et usque ad finem anni 49 solaris porrigebat. Continebat autem hic annus cum sex mensibus antecedentibus, æque tot dies epactarum, quot in annis 49 lunaribus intercalandæ fuerant, ut hi annis 49 solaribus adæquarentur. Intelligi ex his potest, annum hunc jubilæum embolimæum, seu intercalarem esse.

servitutum. timo fiebat remissio debitorum, ut patet *Deuter.* XV, 2, multo magis ea remissio fieri debebat anno 50, sive jubileo, qui erat annus plenissimæ remissionis.

Secundo, debitorum.

Tertio, bonorum alienatorum.

IPSE EST ENIM JUBILEUS. — Hebr. *ipse est enim jobel*, vel *jobelus*. Sic enim aliis punctis suppositis legunt Josephus, S. Hieronymus in cap. I *ad Galat.*, Chaldæus et Massoretæ.

Jobel et jubileus unde dicatur?

Quæres, unde dicatur hic annus jobel, jobelus, vel jubileus? Andreas Masius in *Josue* cap. VI, *jobel* a Jubal, primo inventore citharæ et organorum, *Genes.* cap. IV, deductum putat. Alii passim Chaldæum et Rabbinos secuti, ut Lyranus, Pagninus, Vatablus et Augustinus Eugubinus, in cap. ult. *Numer.*, censent *jobel* significare cornu arietinum, et inde jubileum annum dici, quod cornibus arietum eo anno clangerent. Addunt aliqui *jobel* esse nomen Arabicum, et significare arietem : unde Chaldæus subinde vertit דכרא *dichra*, id est *aries* (1). Alii alia opinantur, uti recenset Serarius in *Josue* XIII, Quæst. XIV. Verum certius multo est hac in re sequi antiquos et doctissimos Hebræos.

Prima sententia, a Jubal.

Secunda.

Tertia et vera, a *jabal*, id est, adducere, reducere.

Dico ergo : *Jobel* vel jubileus deducitur a radice יבל *jabal*, id est afferre, adducere, idque cum gaudio et lætitia, vel ejus qui ducit, vel ejus qui ducitur, uti variis exemplis ostendit Serarius in *Josue* VI, Quæst. V. Annus ergo *jobel* idem est quod annus afferens omnia bona, et reducens quemque in pristinam libertatem et hæreditatem. Ita Oleaster, Ribera, Serarius et alii. Favet et Cajetanus qui *jobel* a יבל *jobel*, id est germen, deducit, ut annus *jobel* idem sit, quod annus germinans omne bonum. Cajetano consentit Angelus Pientinus, lib. III *De Jubileo*, cap. IV, et Bellarminus, lib. I *De Indulgent.* cap. I.

Prob. Primo.

Hanc esse originem et etymon *jobel* et jubilei, patet *primo* ex Josepho, qui, lib. III *Antiquit.* X : Vox, inquit, *jobeli* significat libertatem, id est, reductionem in libertatem.

Secundo.

Secundo, quia Septuaginta passim pro *jobel*, vertunt ἄφεσιν, id est *remissionem*.

Tertio.

Tertio, quia Philo et ejus interpres S. Hieronymus, lib. *De Nominibus Hebr. in Genes.*, *jobel* vertit dimittentem. Idem Hieronymus, lib. II *in Isaiam*, sub initium : « Jubileus, ait, id est, dimissionis annus. »

Quarto.

Quarto, quia hic locus omnino id convincit, sic enim habet : « Vocabis remissionem; ipse est enim jubileus, » *q. d.* Ipse enim est annus remissionis. Unde et sequitur : « Revertetur homo ad possessionem suam et familiam. » Hinc et nos annum plenissimarum Indulgentiarum vocamus jubileum, uti ostendit Serarius in *Josue* cap. VI, Quæst. VII.

Jobel.

Jobel ergo remissionem significat : inde *secundo*, *jobel* significat annum quo plenaria fiebat remissio, qui erat annus quinquagesimus. *Tertio*, *jobel* significat buccinam, vel potius clangorem buccinæ, quæ festive eo anno personabat. Unde et jubilum et jubilare Latinorum deductum videtur, uti docet Eugubinus supra. Hinc et clangor buccinæ personantis in Sina, cum daretur lex, per anticipationem vocatur *jobel* in Hebræo, *Exod.* XIX, 13.

Tria significat.

Jubilum et jubilare, unde?

Buccinæ autem hæ jubilei non erant duæ illæ tubæ argenteæ, uti censuit Abulensis, quibus populus convocabatur ad festa, de quibus *Numer.* X. Nam *Josue* VI, 13, dicuntur septem fuisse buccinæ jubilei, quæ et aliud nomen habent in Hebræo, nec unquam aliis festis et annis eis utebantur, nisi in jubileo; ideo siquidem dicitur : « Quarum usus est in jubileo. » Erant ergo hæ buccinæ non argenteæ, sed corneæ. Nam ita interpretatur hebraicam vocem שופר *scophar*, quæ hoc loco habetur, S. Hieronymus in cap. V *Osee*, et Septuaginta, *Psalm.* XCVII, 6. Verum non erant hæ buccinæ ex cornu arietino, quia eo tantum clangebant in festo tubarum, in memoriam arietis substituti Isaaco, a patre immolando; sed erant ex cornu bubulo. Nam S. Hieronymus supra : « Buccina, ait, pastoralis est. » Pastores autem non arietum, sed boum cornua inflant; qualia et veterum fuisse cornua docet Varro, lib. IV *De Lingua latina* : « Cornua, inquit, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu, » additque buccinam dici a bubus, vel a sono boum *bou bou*, quod bubus canat, bovesque vocet. Unde et postea tubæ æneæ et castrenses vocatæ sunt cornua, ut : « Rauco strepuerunt cornua cantu, » *Æneid.* VIII. Hinc patet sonum hujus buccinæ fuisse asperum et raucum (talis enim est cornuum), qui tamen in festis, acutos et excitatos aliorum instrumentorum sonos, quasi gravior moderaretur et temperaret.

Buccinæ erant ex cornu :

Non arietino, sed bubulo.

Buccinæ a bubus.

Anagogia jubilei.

Anagogice, sicut sabbatum et septimus annus sive sabbaticus, ita jubileum significat resurrectionem et æternam quietem totius anni, id est æternitatis; tum enim *primo*, omnes servi mercenarii, jumenta etiam et pecora, id est simplices quique labore vacabunt : quia Dei laus et visio otiosum Beatorum negotium erit. *Secundo*, clangent buccina anno præcedente, puta 49, quia signa horribilia judicium proximum proclamantia, præibunt resurrectionem. *Tertio*, clangent etiam ipso jubileo, quia ob consummatam victoriam, per omnes vicos cœli juge alleluia cantabitur. *Quarto*, revertemur ad primam possessionem, id est ad paradisum, ex quo cum primo parente ejecti sumus, accepta jam plena peccatorum remissione; quod quia inæstimabile est, hinc toties hic repetitur. *Quinto*, non seretur terra, quia tunc nulla erit novorum meritorum satio, sed veterum fructu suavissime perfruemur. Ita fere Radulphus, Isychius et Ribera, lib. V *De Templo*, cap. XXV.

Tropologice Rupertus : « Hoc, ait, vere sanctum

(1) Carpzovii sententiæ arridet Rosenmullerus, scilicet *annus jubilei* idem esse ac *annus clangore solemni promulgandus*; הוביל enim proprie est *in longum protraxit*, v. g. sonum.

Tropologice jubileum est condonatio injuriarum et dissidentium reconciliatio.

et pulcherrimum jubilei festum est, Evangelica clangente buccina celebrandum, ita ut revertatur homo ad possessionem et familiam suam, cum offensam in nos remittimus, ut omni discordia soluta, cuncti redeant ad pristinam familiam pacis et concordiæ, atque habeant cor unum et animam unam, canantque : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ! »

Allegorice jubileum est tempus gratiæ.

Allegorice, jubileum est tempus Christi et gratiæ, uti prædixit Isaias, et ex eo Christus, *Luc.* IV, 19, et S. Paulus, II *ad Corinth.* VI, 2.

Denique apud Christianos jubileum annum instituit Bonifacius Papa VIII hoc nomine anno Christi 1295, celebrandum anno Christi 1300, eumque centesimo quoque anno renovari jussit, atque illis qui Romam venirent, viserentque sepulcra SS. Petri et Pauli, peccatorum omnium plenariam Indulgentiam concessit; idque ut populum Romanum ab inani sæcularium ludorum celebratione, ad verum solemne sacrum reduceret.

Quinquagesimo post instante anno, Clemens VI sanxit jubileum celebrari quinquagesimo quoque anno (eo quod ætas hominis vix jubileum illum centesimo anno attingere posset), qui verus fuit jubileus. Id sanxit anno Christi 1345, teste Volaterrio, lib. XXII. Jubileum ergo tale primum fuit anno Christi 1350, quo anno tanta hominum copia fuit Romæ, teste Petrarcha oculato teste, ut nihil mirum fuerit inde ortam esse pestem adeo gravem in tota Italia, ut ex mille vix decem superessent, teste Crantzio, lib. IX *Metrop.* cap. XLIII. Rursum sub Nicolao V, in jubileo anno Christi 1450, tanta hominum turba fuit Romæ, ut in ea multi suffocati perierint, teste Platina et Sabellio, lib. V *Enn.* cap. X.

Denique Sixtus IV jubileum ad vigesimum quemque annum reduxit, primusque eum celebravit anno Christi 1475; id fecit, ut quæque ætas ejus muneris particeps fieret. Porro in jubileo Pontifex auream, ut vocant, portam aperit, ad quam immensa multitudo concurrit, consequendæ peccatorum remissionis causa. Preces, eleemosynæ, pœnitentiæ, aliaque pietatis exercitia, quæ eo anno tum Romæ, tum alibi fiunt, inenarrabilia sunt. Atque in iis cæteris præeunt Prælati et proceres Romani.

Vers. 10.

10. REVERTETUR HOMO AD POSSESSIONEM SUAM, — puta ad agrum, domum et similia bona immobilia; de his enim tantum est sermo. Nam hæc etsi millies essent vendita, tempore jubilei redibant ad primum dominum per se, sine ullo pretio. Hinc fiebat ut, quo propior esset annus quinquagesimus, eo minoris res immobiles venderentur. Horum ergo bonorum apud Judæos venditio non erat absoluta, sed tantum ad certum tempus, ita ut hæc venditio videretur esse elocatio rei ad quinquaginta annos, potius quam absoluta venditio, licet revera transferret dominium rei in ementem. Intellige hæc de bonis sitis in ipsa Judæa. Nam

Venditio agrorum et domorum erat tantum quasi elocatio usque ad annum jubileum.

si Judæi extra eam agros emerent, etiam a suis Judæis, hi cedebant eis in perpetuum, neque in jubileo ad primum hæredem redibant. Ita Oleaster. Hinc sequitur quod in Judæa nemo erat dives in bonis immobilibus, nisi qui natus erat dives, vel nisi ea jure hæreditario, emortuis aliis hæredibus, ad eum devolverentur. In mobilibus ergo tantum ditescere poterant Judæi.

In mobilibus tantum ditescere poterant Judæi.

Hunc regressum bonorum ad primum dominum in jubileo sanxit Deus, *primo*, ad hoc, ne tribus Israel confunderentur, sed per hæreditates et hæreditarias successiones, in ditionibus et possessionibus cuique tribui assignatis, cognosceretur ex qua quisque esset tribu; idque propter Messiam, ut certo constaret Judæis juxta Jacobi vaticinium, *Genes.* XLIX, 10, Christum natum esse de tribu Juda. Ita Abulensis.

Cur fiebat regressus bonorum in jubileo? Prima causa.

Secundo, ut familiæ honestæ et nobiles in sua honestate permanerent, ne quis prodigus avitos fundos et bona dilapidare, itaque familiam evertere posset. Huic enim malo provisum est per hunc regressum bonorum in jubileo.

Secunda.

Tertio, ut ponerent modum avaritiæ et cupiditati, ne quis avarus omnia bona coemens in immensum ditesceret.

Tertia.

Quarto, ut servaretur quædam æqualitas inter Judæos, ne alii fierent ditissimi, alii pauperrimi, itaque invidiæ, superbiæ, murmuri daretur locus; sed quique sua sorte, æque a Josue inter omnes divisa, contenti, socialem et amicam vitam agerent.

Quarta.

Quinto, ut scirent Judæi se terræ suæ non tam dominium quam usum habere, Deumque sibi ejus dominium reservasse, de quo vers. 23. Denique hac de causa Judæi, jam a tempore sui excidii, non observant jubileum, quia scilicet discriminatio possessionum et tribuum inter eos jam sublata est, nec habent ipsi possessiones, ob quas quarumque regressum maxime institutum erat jubileum.

Quinta.

Judæi amplius non servant jubileum. Cur ?

ET UNUSQUISQUE REDIET AD FAMILIAM PRISTINAM. — Per hoc enim quod revertitur ad possessionem pristinam, uti præcessit, revertitur etiam ad familiam, quia singulis familiis possessiones erant distributæ et consignatæ a Josue in terra promissionis.

Vers. 11 et 12.

11 et 12. NON SERETIS OB SANCTIFICATIONEM (sanctitatem) JUBILEI (ut scilicet religiosa quiete colatis hunc annum), SED STATIM OBLATA (ita legendum cum Romana, non *ablata*, id est fructus agri sponte nascentes et obvios, anno jubilei) COMEDETIS, — carpendo tantum, non autem eos tibi soli demetendo aut vindemiando. Hebræi hujus legis hanc dant rationem, ut scilicet divites oculos suos sustollerent in cœlos, et cogitarent necessitates pauperum, ut, cum ipsi in septimo anno querantur : Quid edemus, aut quid bibemus ? recordentur quod pauperes semper sunt in illa anxietate et cura, qui nunquam serunt aut metunt, ac proinde discant eis compati et subvenire.

Vers. 14. 14. QUANDO VENDES QUIPPIAM CIVI TUO, VEL EMES AB EO, NE CONTRISTES FRATREM TUUM, — ut contra legem hic a me præscriptam emere, vel emptum ab eo retinere velis ultra jubileum, in perpetuum; aut velis pluris rem vendere, aut minoris emere quam valeat res, sive usus et fructus rei usque ad jubileum. Hoc est enim quod sequitur: « Sed juxta numerum annorum jubilei emes ab eo, et juxta supputationem frugum vendet tibi, » ita scilicet ut, si pauci anni supersint usque ad jubileum, minoris res vendatur; si plures, pluris : vendi enim res debet juxta supputationem fructuum et frugum suarum; ergo si paucos paucorum annorum fructus emptor percepturus est, minoris rem emat, si plures, pluris. Hoc est enim quod sequitur : « Tempus frugum vendet tibi (1). »

Vers. 20 et 21. 20 et 21. QUOD SI DIXERITIS : QUID COMEDEMUS ANNO SEPTIMO? etc., DABO BENEDICTIONEM MEAM VOBIS ANNO SEXTO, ET FACIET FRUCTUS TRIUM ANNORUM. — Hinc patet fertilitatem terræ sanctæ ex parte non fuisse naturalem, sed divinam, atque ex dono Dei. Deus enim hic promittit Judæis, si servent legem, præsertim de quiete servanda anno septimo sive sabbatico, se eis daturum anno sexto fruges pro tribus annis, scilicet pro anno sexto, et septimo sive sabbatico, et octavo, quo rursum serebant.

Fertilitas terræ sanctæ fuit non tam ex natura, quam ex dono Dei.

Audiant hoc Christiani, discantque sua lucra non quærere violando festa per labores, venditiones, etc. Si enim Deus Judæis promittit hic, servantibus quietem toto anno sabbatico, annonam in tres annos, multo magis Christianis servantibus quietem paucorum festorum, providebit de victu et lucris.

Deus servantibus festa adauget, fruges et lucra.

Hoc tanto Dei beneficio, puta tripla messe anni sexti, privati fuerunt Judæi tempore Machabæorum, ut patet I *Machab.* VI, 49 et 53.

Vers. 23 et 24. 23 et 24. TERRA QUOQUE NON VENDETUR IN PERPETUUM, QUIA MEA EST, ET VOS ADVENÆ ET COLONI MEI ESTIS : UNDE CUNCTA REGIO POSSESSIONIS VESTRÆ SUB REDEMPTIONIS CONDITIONE VENDETUR. — Hebraice est: *Terra non vendetur in interitum, perditionem,* aut *succisionem,* id est, ita ut perpetuo a venditore succidatur et alienetur. Chaldæus vertit, *terra non vendetur in proprietatem;* Septuaginta, *in confirmationem,* ut videlicet emptori approprietur et confirmetur in perpetuum. Ratio sequitur: « Quia mea est, » *q. d.* Ego Deus altum et transcendens in terram vestram habeo dominium : quare licet mihi, quas volo conditiones venditioni ejus apponere, maxime cum in eam ego vos tanquam advenas et colonos induxerim.

Deus solus est dominus rerum, homo tantum earum habet usum ad vitam.

Pulchre Philo, lib. *De Cherubim,* ex hoc loco docet solum Deum rerum omnium esse dominum et possessorem; homines vero earum tantum habere usumfructum ad vitam, non vero dominium. « Hinc liquet, ait, nos alienis uti possessionibus, nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quippiam vel corporis vel animi proprium, ne ipsa quidem, quasi hæc juris et dominii nostri sint, possidemus, sed usumfructum, dum hic vivimus, habemus solum. » Quare in transitu tantum nobis hoc mundo utendum est, perinde ac canes bibunt e Nilo ; in Ægypto enim canes, ne a crocodilis capiantur, in bibendo moras non trahunt, sed lambunt et fugiunt, teste Plinio, lib. VIII, cap. XI. Unde post fugam Mutinensem, quærentibus quid ageret Antonius, quidam respondit : « Quod canis in Ægypto, bibit et fugit. » Ita nobis necessaria e mundo raptim sumenda sunt, ne a dæmone capiamur, reliqua pertranseunda sunt. « Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta : transeundum est, » inquit Seneca, libro XVII, *epist.* 103.

Vers. 24. 24. CUNCTA REGIO POSSESSIONIS VESTRÆ (id est cuncta possessio regionis vestræ. Est hypallage; similem vidimus, cap. XII, 4) SUB REDEMPTIONIS CONDITIONE VENDETUR. — Est hæc lex alia a superiore; disponit enim et ordinat, ut in omni alienatione terræ intelligatur apposita facultas eam redimendi; id patet ex Hebræo, qui sic habet : *Et in omni terra possessionis vestræ redemptionem dabitis terræ,* idque ut hac quoque ratione juvaretur stabilitas possessionum cujusque tribus. Ita Cajetanus, et patet ex sequenti.

Vers. 29. 29. QUI VENDIDERIT DOMUM, — *q. d.* Qui vendit domum intra urbem sitam, potest eam intra annum redimere reddito pretio; quod si non faciat, nunquam, ne in jubileo quidem, eam redimere, aut ad se revocare poterit. Sanxit hoc Deus, *primo,* ut hac ratione urbes redderentur populosæ; hoc enim allicit emptores et incolas ad urbes, si in iis sibi domum stabilem et firmam comparare possint. *Secundo,* ne aliquis facile et temere domum suam in urbe venderet, utpote quam sciret se nunquam recuperaturum. *Tertio,* quia per possessiones sive domos quæ erant intra urbes, non distinguebantur tribus et familiæ : unde et Levitæ illas possidere poterant, qui tamen in terra promissionis nullam dicebantur habere possessionem.

Domus urbium venditæ, in jubileo non redibant ad venditorem, cur? Prima causa. Secunda. Tertia.

Excipiuntur ab hac lege domus Levitarum : hæ enim, si non redimebantur, in jubileo ad suos dominos redibant; quia ,ut dicitur versu 33 : « Domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel, » *q. d.* Levitæ aliam non habent possessionem quam domos, itaque æquum est ut illæ redeant, sicut redeunt possessiones aliæ laicorum. Domus vero extra urbes sitæ in villis, cum agris suis pari jure censebantur, redibantque tempore jubilei ad primum dominum, sive illæ Levitarum essent, sive aliorum. Vide Abulensem, *Quæst.* XX.

Excipe domos Levitarum.

Tropologice, qui est in peccato mortali, hic tempore anni, id est hujus vitæ, domum, id est charitatem, redimere potest pretio pœnitentiæ; sin omittat, eam in futuro redimere non poterit.

Tropologice.

(1) Hebr. *numerum messium vendet tibi.*

Quod si in villa domum vendiderit, id est perfectionem, ad quam non tenebatur, reliquerit, hic in jubileo recipiet eam, id est, in cœlo recipiet merita, quæ in perfectione sua vivens sibi comparavit. Similis tropologia est de Levitis, qui significant perfectos, et insigni charitate præditos. Ita ex Radulpho et Ruperto Ribera, libro V *De Templo*, cap. XXV.

INTRA URBIS MUROS. — Hinc patet Judæos urbes suas muris cinxisse, nec hoc repugnare fiduciæ in Deum, imo contrarium potius esset tentare Deum : sæpe enim contigit hostes et numero et viribus longe superiores invadere cives et civitates, qui nisi muris se tueantur, resistendo non sunt. Unde Aristoteles, lib. VII *Politic.*, damnat quorumdam vanam opinionem, qui censebant non esse urbes muris muniendas, sed militum robore et fortitudine. Et consilium Nestoris saluti fuit Græcis, præcipientis murum duci circum castra, ad Trojanorum incursus arcendos. Hinc et Judæi, Domino approbante, murum Jerusalem ædificarunt, II *Esdræ*, cap. IV.

Vers. 32. 32. ÆDES LEVITARUM. — Hebraice, *urbes Levitarum, et ædes urbium*. Ita et Chaldæa et Septuaginta; sed noster Interpres, sub ædibus, urbes etiam intelligendas reliquit. Si enim Levitarum ædes semper redimi possunt, ergo multo magis urbes.

Vers. 34. 34. SUBURBANA AUTEM EORUM NON VENEANT, QUIA POSSESSIO (Levitarum) SEMPITERNA EST,— *q. d.* Suburbana Levitarum vendi veto, quia hæ eorum sunt possessio perpetua, et necessaria ad alenda eorum pecora, nec aliam habent Levitæ inter Judæos.

Secessus Levitarum, id est clericorum. Mystice et tropologice hac re significabatur Levitas præ omnibus debere vacare sibi et Deo, ideoque subinde secedere extra urbem et strepitum populi ac vacare sanctæ quieti, solitudini et contemplationi in suburbanis; quare domus urbanas vendere poterant, non suburbanas. Hinc discant Religiosi et Clerici Mariam præponere Marthæ, orationem scilicet actioni. Qua in re errant multi : ita enim se studiis aliisque negotiis occupant, ut orationem negligant. Discant hinc satius esse vendere domos urbicas quam suburbicas; satius esse minuere studia, conversationes et actiones, quam statas orationes. Quidquid ergo negotiorum occurrat tempore orationis, totum id cedat orationi, meditatio matutina illæsa servetur : lædatur potius actio et studium. Quanquam non lædetur, quia oratio impetrabit lumen a Deo, ut plus una hora proficiat, quam alias fecisset duabus. Sapientia enim est donum Dei; a Deo ergo per orationem efflagitandum, ut ait S. Jacobus, cap. I, vers. 5. Ita S. Thomas Aquinas confessus est se plus oratione didicisse quam studio. Denique audiamus omnes et sequamur illud Christi : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Lucæ* X, 44.

Vers. 35, 36 et 37. 35, 36 et 37. INFIRMUS MANU (Septuaginta, *si impotens sit manibus frater tuus* (Judæus quispiam, ut scilicet labore manuum necessaria ad victum lucrari non possit, cogaturque a te mutuum petere) : NE ACCIPIAS USURAS AB EO, etc., ET FRUGUM SUPERABUNDANTIAM NON EXIGES, — *q. d.* Non exiges pro usura plures fruges ab eo, quam ei dederis, id est mutuaveris (1).

Vers. 40. 40. USQUE AD ANNUM JUBILEUM OPERABITUR APUD TE. — Judæus, qui se alteri Judæo in servum vendidisset, poterat anno septimo, qui erat libertatis et sabbaticus, servitute e domo heri sui liber egredi; sed si hoc anno non egrederetur, egrediebatur in jubileo, nec ultra illud in servitute detineri poterat. Pro quo nota ex *Exodi* XXI, 2 et seq. : si servo Judæo dominus dedisset ancillam Gentilem (nam filiam Hebræam dare non poterat : eam enim emptam vel ipse, vel filius ipsius uxorem ducere debebat), et genuisset ex ea filios, poterat servus, si volebat, liber egredi anno septimo, sed solus, ita scilicet, ut liberi cum matre cederent domino, sive hero, eique manerent servi : sin servus, captus amore uxoris et liberorum, nollet solus domo heri liber egredi anno septimo, servire debebat usque ad annum jubileum, tumque secum in libertatem educebat uxorem et filios. Vide Abulensem hic, *Quæst.* XXI.

Servus anno 7 fiebat liber, sed solus : anno 50 educebat secum uxorem et liberos.

Vers. 42. 42. MEI SERVI SUNT. — Hebræi videlicet, idque non tantum creatione, sed et redemptione ex servitute Ægyptiaca. Quare nolo ut eos cuipiam al-

(1) Vers. 36. *Ne capito a fratre tuo fœnus* (pecuniarium, quod pro pecunia mutuo accepta solvitur, hebr. נֶשֶׁךְ), *aut usuram* (fœnus reale, pro rebus commodatis, ut frumento, oleo, musto pendendum, hebr. תַּרְבִּית). — « Hæc lex de usuris non capiendis ex nostrarum civitatum statu iniqua videtur et creditori damnosa. Si enim meum credo alii, cui ex ea pecunia, sive agrum emat, sive mercaturam faciat, non parum lucri contigit, nihil est æquius quam ut etiam ego in partem illius lucri veniam. Major sine dubio est æquitas fœnoris, si ipse ex ea pecunia, quam alteri credo, lucrum capere potuissem. Accedit, quod pecuniam meam non sine omni credam periculo, quum in ea vivam civitate, in qua caput pecuniæ creditæ culpa aut infortunio creditoris potest amitti. Sed non iniqua videbitur lex, quæ usuras prohibet, in tali republica, qualis Israelitarum erat. Suus nempe erat cuivis Israelitæ ager, ei tam proprius et perpetuus, ut nemini liceret eum in perpetuum vendere aut emere. Hinc ditiores, congesta quamvis magna pecunia, agros tamen emere, ex quibus annuos perciperent reditus, non poterant; cumque nec mercaturam fervere Moses vellet, effœta illis plerumque erat auri argentique possessio. Nihil ergo jacturæ faciebat illa benevolentia, quæ argentum, quod sibi sterile esset, usibus fratrum commodaret; æque omnis usuræ æquitas, quam supra vidimus, ob lucrum a creditore percipiendum nisi credidisset, concidit. Deinde in ea civitate, quam Moses instituerat, sortis haud temere metuenda jactura : quo metu maxime in defendenda usurarum æquitate uti solent. Quum enim suus cuique debitori ager esset, cujus messes addici sibi creditor postularet, nisi æs alienum solveretur, prætereaque corpus fortasse et uxor liberique, in servitutem omnia vindicanda aut vendenda; raro accidere poterat, ut creditor damnum pateretur. » Hæc Rosenmullerus ad h. l.

teri conditione servorum, id est, ita ut servi sint in perpetuum, vendatis; sed potius eos quasi mercenarios habeatis, qui scilicet pro pretio a vobis accepto, suas operas vobis locent usque ad certum tempus, serviantque usque ad jubileum. Hic, inquit Radulphus, commonentur domini, ut servos tyrannice non opprimant; sed tanquam Dei servis reverentiam eis habere meminerint, ideoque benigne et clementer eos tractent.

Apophtheg. de servis benigne tractandis.

M. Crassus, ait Plutarchus in ejus Vita, magnam servorum turbam domi alebat, et præcipuam eorum agebat curam, discentibus adstans interdum, et docens eos, dicebatque, « Hanc oportere præcipuam esse patrisfamilias sollicitudinem, nosse quot sint rei familiaris animata instrumenta. » Demonax videns quemdam servum suum crudeliter verberantem : « Desine, ait, ne servo tuo similis fias. » Judicavit vir prudentissimus revera servum esse, qui affectibus suis imperare non possit. Diogenes dicebat inter servos et dominos malos, præter vocabula nihil interesse, nisi quod mancipia servirent dominis, domini cupiditatibus, id est multis dominis, qui turpes sunt et inclementes. Testis est Laertius, lib. VI. Audi et Senecam, *epist.* 47 : « Cogita, ait, quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere, æque mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te servum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et aliis intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissime natos fortuna depressit : alium ex aliis pastorem, alium custodem casæ fecit. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes ?» Denique Ecclesiasticus cap. VII, 23 : « Servus, inquit, sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua : non defraudes illum in libertate, neque inopem derelinquas illum. »

Vers. 44. 44. SERVUS ET ANCILLA (qui scilicet absolute sit servus et serva) SINT VOBIS DE NATIONIBUS, — *q. d.* Accipite servos et servas ex Gentilibus, et ab iis eos emite; quia nolo ut Judæos, qui servi mei sunt, in servos perpetuos ematis aut habeatis.

Gentiles servi in jubileo non fiebant liberi.

Gentiles ergo, etiamsi conversi essent ad judaismum, in æternum manebant servi; sic et eorum filii, ut dicitur vers. 45. Nam non volebat Deus Gentiles proselytos, in privilegiis hisce jubilei, æquari Judæis ex genere et origine, ne oriretur inter eos invidia et seditio. Id ita esse patet : nam alioqui omnes servi Judæorum in jubileo exissent liberi; quod tamen hic negatur. Nam, ut dixi *Exodi* XII, 44, omnis servus Judæorum, etsi Gentilis esset, tenebatur circumcidi, et fieri proselytus.

Vers. 45 et 46. 45 et 46. ET DE ADVENIS (proselytis jam dictis) HABEBITIS FAMULOS (servos) AC POSSIDEBITIS IN ÆTERNUM, — id est usque ad jubileum, inquit S. Augustinus; et, si vera esset regula, quam aliqui ex S. Hieronymo tradunt, scilicet עלם *olam*, id est sæculum vel æternum, significare jubileum cum sine *vau* scribitur, Hebræa id convincerent : nam *olam* sine *vau* hic scribitur. Verum, uti jam dixi, contextus videtur exigere aliam et veram æternitatem, ut scilicet proselytus semper, et tota vita servus sit et maneat, ita ut mortuo hero ad ejus hæredes transeat, eisque serviat quamdiu vivit. In hoc enim distinguitur servus proselytus a servo Judæo, quod hic usque ad jubileum, ille tota vita sit servus. Atque ita etiam regula S. Hieronymi de *olam* hic locum habet : nam *olam* hic non significat absolutam æternitatem, sed tantum tempus vitæ servi. S. Hieronymus autem tantum dicit, quod *olam* cum *vau* significet absolutam æternitatem, sed sine *vau* significet tempus finitum; tale autem est tempus vitæ hominis.

Sed tantum servi oriundi ex Judæis.

47. SI INVALUERIT APUD VOS MANUS ADVENÆ, — *q. d.* Si advena Gentilis proselytus apud vos factus fuerit dives et potens, ita ut Judæum, qui paupertate pressus se in servum vendidit, emeret : hic eum habebit servum, non tantum usque ad annum septimum sive sabbaticum, sed usque ad jubileum : nisi servus hic pretio quo emptus est reddito redimatur. Judæus ergo serviens proselyto, anno tantum jubilei exibat liber, neque id mirum : nam si vice versa tales proselyti se venderent Judæis in servos, manebant servi tota vita.

Vers. 47.

49 et 50. SIN AUTEM ET IPSE POTUERIT, REDIMET SE, SUPPUTATIS DUNTAXAT ANNIS A TEMPORE VENDITIONIS SUÆ USQUE AD ANNUM JUBILEUM. — Sententia et casus horum versuum usque ad versum 54 est hic, *q. d.* Volo ut, sicut mercenario supputatur et solvitur merces pro ratione temporis, v. g. dierum vel annorum quibus operatus est in horto, agro, vel domo, ita et hic supputetur merces servo Hebræo, cum offert pretium hero, etiam Gentili proselyto, ut se redimat, et in libertatem asserat; supputetur, inquam, merces pro rata annorum quibus servivit, eaque pretio detrahatur, ut, v. g. si quis Judæus se in servum vendiderit 40 siclis, cum 40 anni superessent usque ad jubileum, et deinde servierit 10 annis, ac mox se redimat, mercede ei computentur 10 sicli pro decem annis quibus servivit, ideoque hero addat tantum 30 siclos quibus se redimat : sin 20 annis servierit, 20 sicli ei pro mercede computentur, eisque tantum addat 20, quibus hero persolutis se redimat, et liber exeat, et ita proportionaliter de aliis. Hunc esse sensum clarius patet in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. Ita Abulensis. Ex dictis hoc capite patet hæc fuisse privilegia jubilei. *Primo* quod in eo remittebantur omnia debita; ideo enim vocabatur hic annus remissionis, ut patet vers. 10. *Secundo*, quod in eo servi manumittebantur et fiebant liberi. *Tertio*, quod avitæ possessiones redibant ad legitimos et primos hæredes, sine ullo pretio aut compensatione.

Vers. 49 et 50.

Tria privilegia jubilei.

Hac jubilei institutione præter causas allatas vers. 10, Deus *primo*, consuluit pauperibus, ne illi bonis et hæreditate paterna perpetuo exclude-

Jubilei instituti

causa prima. rentur, sed æris alieni vinculo soluto in jubileo, ad suas possessiones redirent.

Secunda. *Secundo*, voluit Deus jubileum et annum septimum servire chronologiæ; nam secundum annos sabbaticos et jubileos omnia divendebantur, censebantur et computabantur, sicut apud Græcos secundum Olympiadas, et apud Romanos secundum lustra.

Tertia. *Tertio*, voluit jubileum esse typum plenissimæ libertatis, gratiæ et lætitiæ, quam attulit et in quam asseruit nos Christus Redemptor in lege nova, ut patet *Lucæ* cap. IV, vers. 19. Jubileum ergo perenne Christianorum situm est *primo*, in remissione peccatorum, et in bona sanctaque conscientia. « Quid ditius, inquit S. Bernardus; lib. *De Consider.*, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est et securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur. » Quin et Gentilis Cicero, lib. VI epist. *ad Torquatum* : « Conscientia, ait, rectæ voluntatis, maxima est consolatio rerum incommodarum. » Et Seneca, epist. 24 *ad Lucilium* : « Nolo, ait, tibi unquam deesse lætitiam; volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt. » Et inferius : « Veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud interrogas, aut unde subeat? Dicam : ex bona conscientia, ex honestis consiliis, et rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido et continuo tenore vitæ unam prementis viam. » Hoc est ergo jubilum et jubileum mentis Christianæ continuum.

Moraliter de jubileo et jubilo quadruplici Christianorum.

Secundo, idipsum situm est in timore et cultu Dei. « Timor Domini, inquit Ecclesiasticus, cap. I, vers. 11, gloria et gloriatio, et lætitia et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum. » Et *Malach.* cap. IV, vers. 2 : « Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. » Unde S. Chrysostomus, homil. 18 *ad Populum* : « Timor Domini, ait, stabilis est immotusque, et tantam subministrat lætitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat; Deum enim sicut oportet timens et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. »

Tertio, situm est in firma spe felicitatis æternæ. Hinc Christus, *Matth.* cap. V, 12 : « Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. » Et : « Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. » S. Basilius, homil. *De Gratiarum actione* : « Spes, inquit, retributionis, quæ tristia sunt in hac vita, leviora efficit. Affecit te aliquis ignominia? Quin tu ad eam suspicis gloriam, quæ reposita est in cœlis, tibi parandam merito patientiæ. Jacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixius cœlestibus divitiis, et thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrio solo exclusus es? at patriam habes cœlestem illam Jerusalem. » Refert Ruffinus et Palladius in Vita B. Apollonii, de ejus cœnobio et cœnobitis : « Erat, inquit, in eis supra modum gaudium et lætitia, et tanta exultatio, quanta haberi ab ullo hominum possit in terris. Nullus in eis tristis inveniebatur; sed et si quis visus fuisset mœstior, Apollonius causam perquirebat, dicebatque : Non oportet nos esse tristes, quibus salus in Deo est, et spes in regno cœlorum. Tristentur Gentiles, lugeant Judæi, plangant sine cessatione peccatores, nos vero qui tantæ gloriæ spem, et æternitatis habemus exultationem, cur non omni exultatione lætemur? »

Quarto, situm est in amicitia et unione cum Deo. « Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete, » ait Apostolus. Quærit S. Basilius in *Regul. brev.* Quæst. CXCIII : « Quodnam sit gaudium in Domino; » ac respondet : « In his quæ secundum mandatum Domini fiunt gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exsequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere et gratulari nos debemus. » S. Augustinus, *De Salutar. docum.* cap. X : « Si, inquit, aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creavit omnia, expedit ut mente possideamus, et in eo habeamus quæcumque feliciter et sancte desideramus. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo, simus nos ipsi Dei possessio, et efficietur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius quam cui efficitur suus Imperator et Redemptor census, et hæreditas dignatur esse ipsa divinitas? Quid ultra quærit, cui omne gaudium, et omnia suus Redemptor esse debet? » Et S. Bernardus, epist. 114 ad Sanctimonialem quamdam : « Magnum, ait, est mihi gaudium, quod te ad verum et perfectum gaudium velle tendere comperi : quod non est de terra, sed de cœlo, id est, non de hac convalle ploralionis, sed de illa, quam fluminis impetus lætificat, civitate Dei. Et revera illud verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, et quod cum possederis, nemo tollet a te : cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum. »

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus promittit viginti octo benedictiones Judæis, si leges ejus servent. Secundo, vers. 14, totidem et plures maledictiones eis comminatur, si illas non servent.

1. Ego Dominus Deus vester : Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum : ego enim sum Dominus Deus vester. 2. Custodite sabbata mea, et pavete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus. 3. Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea; dabo vobis pluvias temporibus suis, 4. et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. 5. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem; et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. 6. Dabo pacem in finibus vestris : dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. 7. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis; 8. persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis, decem millia : cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. 9. Respiciam vos, et crescere faciam, multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. 10. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis. 11. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. 12. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. 13. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti. 14. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, 15. si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum : 16. ego quoque hæc faciam vobis : Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. 17. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos, fugietis, nemine persequente. 18. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, 19. et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam. 20. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. 21. Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra. 22. Immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. 23. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi : 24. ego quoque contra vos adversus incedam et percutiam vos septies propter peccata vestra. 25. Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium, 26. postquam confregero baculum panis vestri : ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus : et comedetis, et non saturabimini. 27. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me; 28. et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, 29. ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum. 30. Destruam excelsa vestra, et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea, 31. in tantum ut urbes ves-

tras redigam in solitudinem, et deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum. 32. Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. 33. Vos autem dispergam in Gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestræ dirutæ. 34. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ : quando fueritis 35. in terra hostili, sabbatizabit, et requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris quando habitabatis in ea. 36. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, 37. et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes; nemo vestrum inimicis audebit resistere. 38. Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet. 39. Quod si et de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, et propter peccata patrum suorum et sua affligentur : 40. donec confiteantur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et ambulaverunt ex adverso mihi. 41. Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum : tunc orabunt pro impietatibus suis. 42. Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Jacob, et Isaac, et Abraham. Terræ quoque memor ero, 43. quæ cum recta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerint judicia mea, et leges meas despexerint. 44. Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, 45. et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu Gentium, ut essem Deus eorum. Ego Dominus. Hæc sunt judicia atque præcepta, et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.

Vers. 1. 1. NON FACIETIS VOBIS IDOLUM. — Pro *idolum*, hebraice est אלילים *elilim*, id est deiculos, de quo dixi cap. XIX, vers. 4; sic et per *sculptile* intellige sculptile, non imaginis, sed idoli.

NEC TITULOS, — Hebraice, *nec statuam* (1), intellige idoli alicujus, vel ut statuam illam adoretis. Ita Radulphus.

NEC INSIGNEM LAPIDEM. — Hebraice, *nec lapidem picturæ aut cœlaturæ*, id est lapidem pictum aut cœlatum, scilicet insignibus alicujus idoli (2). Septuaginta, et ex iis Tertullianus vertunt, *nec lapidem scopum*, id est nec lapidem eminentem, quem instar scopi assidue intueamini et observetis, ad colendum in eo idolum. Chaldæus vertit, *nec lapidem adorationis*; hic enim erit finis et usus lapidis hujus : forte etiam Chaldæus pro משכית *maschit* per *caph*, id est picturæ, legit משחית *maschit* per *chet*, id est adorationis, a radice שחה, id est curvavit se, et curvando adoravit : unde et sequitur : « Ut adoretis eum; » hebraice est, *ut adoretis ad eum*, vel *ante eum*, sive ut incurvetis vos ei. Ita et Septuaginta; Vatablus tamen et Chaldæus vertunt, *ut adoretis super eum, q. d.* Ut huic lapidi innixi vel incumbentes, adoretis idolum ipsi impositum.

Vers. 2. 2. PAVETE AD SANCTUARIUM MEUM. — Hebraice, *timete et reveremini sanctuarium meum*, id est, reverenter tabernaculum et templum meum habete et colite.

Vers. 3. 3. SI IN PRÆCEPTIS MEIS AMBULAVERITIS, etc., DABO VOBIS PLUVIAS. — Nota : Ab hoc vers. 3 ad vers. 13, Deus promittit et assignat 29 (Isychius numerat 30) benedictiones, et bona obventura iis qui servant leges Dei; tot enim invenies in versione Septuaginta, si unam ab alia per conjunctionem discernas, numeresque omnes copulas, *et*, licet in Hebræo et in versione latina tantum sint 28. *Prima* ergo benedictio est : « Dabo vobis pluvias temporibus suis; » *secunda* : « Terra gignet semen suum; » *tertia* : « Pomis arbores replebuntur, » et ita deinceps.

Viginti-novem bona promittit hic Deus servantibus suas leges.

Refert Plutarchus in *Convivio septem sapientum*, eos inter se quæsivisse : « Quænam domus esset optima, quænam familia beatissima? *Primus*, inquit, Solon respondit : In qua res neque injuste est parta, neque in ea vel conservanda, diffidentiæ; vel impendenda, pœnitentiæ est locus. *Secundus* Bias dixit : In qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges. *Tertius*

Quænam familia felicissima?

(1) Vel *cippum* (eumque funebrem, ut vult de Saulcy, *Hist. de l'Art. Judaiq.* pag. 39), sive sit lapis rudis erectus, sive sculptoris arte elaboratus.

(2) Juxta Mendelsohn designantur hic lapides characteribus hieroglyphicis inscripti, similes iis statuis aut imagunculis, quas innumeras in Ægypti hypogeis viri docti recenter reperierunt. Cf. de Saulcy, ibid. pag. 40.

Thales : In qua, ait, plurimum otii domino conceditur. *Quartus* Cleobulus : In qua plures sunt qui diligunt, quam qui metuant dominum. *Sextus* Pittacus : In qua neque requiruntur supervacanea, neque desiderantur necessaria. *Septimus* Chilon : Quæ similis est urbi in qua sapiens rex imperat. » Hæc vere, sed verius Moyses hic : « Ea est familia felicissima, quæ Deo auscultat, ideoque ab eo benedicitur undequaque. »

Vers. 5. 5. APPREHENDET MESSIUM TRITURA VINDEMIAM, ET VINDEMIA OCCUPABIT SEMENTEM, — *q. d.* Tanta erit vobis abundantia frumenti et vini, ut antequam trituram absolveritis, incipiat vindemia; vindemia vicissim tanta erit, ut eam non sitis absoluturi antequam serendi tempus adveniat; quin imo illa sementis faciendæ tempus quoque occupabit : similis est phrasis *Amos* IX, 13.

Omnis bona actio tam messis est quam semen. Tropologice Radulphus : Omnis bona actio, inquit, tam messis est quam semen, quia jucunditas quam de transactis laboribus mens nostra concipit, novorum germinat concupiscentiam, ut multiplicato semine actionis, multiplicetur et messis retributionis. Vide eum, uti et Isychius, qui benedictiones hasce temporales spiritaliter explicat, ut quod sequitur : « Dormietis, et non erit qui exterreat, » *q. d.* Dum moriemini (mors enim Sanctorum est tantum somnus, propter spem resurrectionis), nec dæmon, nec conscientia vos terrebit, quia nullius critis vobis conscii, unde terreamini. Sic pluvia est Spiritus Sancti perfusio ejusque gratia.

Vers. 6. 6. GLADIUS (hostilis) NON TRANSIBIT TERMINOS VESTROS, — nec hostes, nec bella metuetis.

Vers. 8. 8. PERSEQUENTUR QUINQUE DE VESTRIS CENTUM. — Ita Gedeon cum trecentis stravit innumeros Madianitas, *Judic.* VII, 22; idem fecerunt Machabæi.

Vers. 10. 10. COMEDETIS VETUSTISSIMA VETERUM. — Hebraice, *comedetis vetus inveteratum, q. d.* Multiplicabo vos, et multiplicabo simul annonam vestram, adeo ut illam præ multitudine et copia absumere non possitis, sed illam diutissime servare, adeoque abjicere cogamini, novarum frugum suavitate et copia superveniente (1).

Vers. 12. 12. AMBULABO INTER VOS. — Tantam vestri curam geram, ac si inter vos ambularem undequaque et circumquaque, ita ut nullus hostibus vos invadendi vel opprimendi locus detur, cum undique vos protegens, ac pro vobis pugnans, quasi custos et gladiator potentissimus inambulem. Vide dicta II *Corinth.* VI, in fine capitis.

Vers. 13. 18. CONFREGI CATENAS (2) CERVICUM VESTRARUM, — servitute Ægyptiaca vos eripui, ut essetis liberi.

Vers. 14, 15 et 16. 14, 15 et 16. QUOD SI NON AUDIERITIS ME, ET AD IRRITUM PERDUCATIS PACTUM MEUM (si non stetis pactis conventis, si videlicet non servetis leges meas, quas vos servaturos pacti estis et spopondistis), VISITABO VOS VELOCITER IN EGESTATE ET ARDORE. — Septuaginta vertunt : *Obfirmabo super vos festinationem* (trepidationem et fugam), *et egestatem, et scabiem, et icterum*; Hebræa enim vox קדחת *kaddachat* significat icterum sive morbum regium, qui oritur ex accensione, et maxime oculis insidet, inquit Isychius. Chaldæus vertit : *Visitabo vos in conturbatione, egestate et ardore obscurantibus oculos, et exspirare facientibus animam;* Vatablus : *Visitabo vos terrore, tabe* vel *phthisi, et febri ardente, quæ oculos consumant, et animum contabescere faciant.*

Viginti novem maledictiones intentat Deus violantibus suas leges. Rempublicam conservant præmia et pœnæ. Nota : sicut vers. 3 Deus servantibus leges suas promisit viginti novem benedictiones, ita hic non servantibus eas, totidem et plures ac graviores maledictiones ac mala intentat.

Præclare enim Cicero, lib. V *De Natura Deorum* : « Ut nec domus, inquit, nec respublica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia exstent ulla, nec supplicia peccatis : sic mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. »

Socrates rogatus, « quænam civitas rite gubernari possit, » respondit : « Ea in qua invitantur boni præmiis, injusti dant pœnas. »

Lysander rogatus, « quam rempublicam maxime probaret? » « Eam, inquit, in qua fortibus viris ac meticulosis congrua utrisque redduntur. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Xenophon in *Œconom.* ait animalia duabus rebus adduci ad obtemperandum, scilicet delinimento, si sit generosius, ut equus; et plagis, si sit contumacius aut hebetius, ut asinus. Ita homines duri et viles pœnis, generosi præmiis ad officium incitandi sunt. « Nihil enim non, inquit Livius, *Decad.* 1, lib. IV, aggressuri sunt homines, si magna conantibus magna præmia proponantur. »

Porro pœnæ hæ graves sunt, æque ut præmia, tum quia a Deo proponuntur, tum quia duris Judæis sanciuntur. « Pœnæ enim leves, ut ait Dionysius Halicarnassæus, lib. II, non possunt refrænare juventutis insaniam et ingenii ferocitatem, neque rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. »

Denique Theophrastus rogatus, « quidnam vitam humanam conservaret? » « Beneficentia, inquit, honor et pœna. »

Et Lycurgus aiebat, « duabus rebus contineri rempublicam, præmio et pœna. »

Idem dixit Solon; sicut enim ex vipera, crocodilo cæterisque nocentissimis bestiis, medici remedia contra venena et morbos efficacia conficiunt : ita animadversio in nocentes multos vel arcet vel retinet a facinoribus.

Vers. 16. 16. CONSUMAT ANIMAS VESTRAS, — id est vitas.

Vers. 19. 19. SUPERBIAM DURITIÆ VESTRÆ, — superbam vestram duritiem.

(1) *Tabernaculum meum in medio vestri.* Phrasi utitur Moses desumpta ex Scenitarum moribus, qui diutissime tendebant in locis, quæ amœnissima videbantur, adeoque omnium maxime placebant.

(2) Hebr. *est vectes.*

Cœlum ferreum, terra ænea quid ?

DABO VOBIS COELUM DESUPER SICUT FERRUM, ET TERRAM ÆNEAM, — *q. d.* Claudam vobis cœlum, id est nubes, ut sit durum instar ferri, suique usum terris vestris neget, nec in eas imbrem depluat. « Dabo et terram æneam, » ut non magis quam æs, suscipiat semina cœlique influentias ; itaque vel nullos vel paucos et tenues dabit vobis fructus. Pulchre hanc sententiam explicat S. Ambrosius, epist. 5 *ad Romulum*.

Vers. 21. 21. SI AMBULAVERITIS EX ADVERSO MIHI, — si mihi adversi et inobedientes fueritis ; est catachresis. Septuaginta vertunt : *Si ambulaveritis contra me obliqui ;* Chaldæus : *Si ambulaveritis coram me in duritia.* Vatablus vertit : *Si ambulaveritis mecum cum casu*, id est, si dixeritis mala quæ vobis immittam, casu accidere. Hebræum enim קריא *keri*, id est occursus, tam adversum quam casum significat ; unde et sequentia ita verti possunt : *Ambulabo et ego vobiscum cum casu, q. d.* Non curabo vos ultra ; ita vobiscum agam, ut videantur omnes res vestræ casu accidere. Si sentiatis me mortalia non curare, ego res vestras non curabo, permittam vos rotæ fortunæ, ut cum ea rotemini, sitisque sortis et casus ludibrium.

Vers. 24. 24. EGO QUOQUE CONTRA VOS ADVERSUS INCEDAM, — quasi hostis vos invadens, puniens et trucidans.

PERCUTIAM VOS SEPTIES, — percutiam vos plena, perfecta et multiplici plaga. Septenarius enim perfectionis et multitudinis est symbolum.

Vers. 26. 26. POSTQUAM CONFREGERO BACULUM PANIS VESTRI, *q. d.* Postquam immisero in vos famem, quæ vos cogat ad deditionem hostibus obsidentibus faciendam, uti accidit in utroque excidio Hierosolymitano, scilicet per Babylonios et per Romanos peracto.

Panis vocatur baculus, cur ?

Nota : panis vocatur *baculus*, quia est fulcimentum vitæ, eique ut baculo vita hominis innititur. Similis phrasis est *Psalm.* CIV, vers. 16 ; *Isai.* cap. III, 1, ubi pro *robur panis*, in Hebræo est *baculus panis*.

ET REDDENT EOS AD PONDUS, — *q. d.* Appendent et distribuent vobis panem ad pondus, nec comedetis tantum quantum vultis, et quantum fames exigit.

Vers. 28. 28. SEPTEM PLAGIS, — multis aliis plagis. Sic enim accipitur hæc phrasis vers. 21, 24 et alibi.

Vers. 30. 30. DESTRUAM EXCELSA VESTRA. — *Excelsa* vocantur templa idolorum, quæ in locis excelsis, Gentilium ritu, ædificarunt Judæi.

ET SIMULACRA CONFRINGAM. — Hebraice pro *simulacra* est חמנים *hammonim*, quasi dicas solaria aut simulacra solis ; sol enim dicitur חמה *chamma* sive *hamma*, ab ardore ; חמם *hamam* enim significat *calere* : unde Punicum Hammon est Jupiter Hammonius, cui in Africa templum fuit celebre, solis simulacro nobile, teste Macrobio, libro I *Saturn.* cap. XXI. Verum hic et alibi *hammonim* per synecdochen capitur pro quolibet simulacro et idolo : maxime tamen respicit hic Deus ad Jovem Hammonium (1), quem Judæi coli viderant, imo et coluerant in Ægypto, vetatque ne eum similesque deos deinceps colant.

Jupiter Hammonius est sol, unde ?

31. DESERTA FACIAM SANCTUARIA VESTRA, — sive quæ idolis, sive quod mihi dedicastis, puta meum tabernaculum vel templum. Vers. 31.

NEC RECIPIAM ULTRA ODOREM SUAVISSIMUM, — non placebit mihi ultra immolatio sacrificiorum et incensio thymiamatis vestri, antea suavissimi et gratissimi mihi.

Vers. 34. 34. TUNC PLACEBUNT TERRÆ SABBATA SUA, — *q. d.* Tunc terra vestra fruetur quiete sua, cum vos qui eam vexastis et contaminastis, ex ea expellemini, et transferemini in terram inimicorum vestrorum : tunc enim terra hac quiete partim sibi suæque liberationi, partim Deo ultori suo metaphorice congaudebit, perinde ac indoluit ante, se a tam impiis hominibus incoli et pollui, ideoque vos quasi evomuit. Vide dicta cap. XVIII, vers. 24 et 28 (2).

Vers. 35. 35. ET REQUIESCET IN SABBATIS SOLITUDINIS SUÆ, EO QUOD NON REQUIEVERIT IN SABBATIS VESTRIS, — *q. d.* Eo quod illi quietem septimi anni abstuleritis, ob avaritiam et cupiditatem frugum, itaque legem meam sitis prævaricati : hac de causa Deus vos terra hac expellet, itaque terræ, soli quasi relictæ, reddet suum sabbatum, id est suam quietem illi ex lege mea debitam.

Vers. 36. 36. DABO PAVOREM IN CORDIBUS EORUM, etc., TERREBIT EOS SONITUS FOLII VOLANTIS. — Hic pavor et comes et pœna est malæ conscientiæ, sicut e contrario bona conscientia est ad omnia interrita. Hunc pavorem Deus incussit Judæis sub Tito, et alias sæpe ; item Ægyptiis in triduanis tenebris, uti dixi *Exod.* X, 23 ; item Caino, *Genes.* IV, 14. « Nulla pœna, inquit Isidorus, lib. II *Soliloq.*, gravior est pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis, bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet, conscientia autem reis semper in pœna est ; nunquam securus est reus animus : mens enim mala conscientiæ propriis gyratur stimulis. » Lucanus, lib. I :

Moraliter pavor est comes et pœna malæ conscientiæ.

——— Omnes in Cæsare manes ;
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies stimulante senatu,
Illa nocte premunt ; hunc infera monstra flagellant.
Heu quantum misero pœnæ mens conscia donat !

Statius, lib. III *Thebaidos* :

—— Invigilant animo, scelerisque patrati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor.

(1) *Amon-Ra* dictum.

(2) Hebr. est, *tunc persolvet terra sabbata sua, quamdiu erit desolata*, id est, agri, quibus septimi anni requies, legibus divinis præcepta, a populo refractorio concessa non fuerat, tot annis inculti feriabuntur, quot olim annis sabbaticis contra jus fasque aratro paruerant. תרצה, *exsolvet*, idem valet quod mox in hoc ipso vers. הרצות.

Euripides in *Oreste* :

O miser Oresta, quid morbi te perdit? ORES. Conscientia : sum enim mihi conscius de malis perpetratis.

Menander :

Mortalibus omnibus conscientia Deus.

Pythagoras neminem tam audacem esse dicebat, quem mala conscientia non faciat timidissimum ; omni enim vento excitatur et horret.

Plutarchus, lib. *De Tranquillitate animi* : « Facinorosa conscientia, inquit, instar ulceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem jugiter ac pervellentem. »

Seneca, *epist.* 97 : « Facinorum mala, inquit, flagellantur a conscientia, cui plurimum tormentorum est ; eo quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus suæ securitatis non potest credere. »

Isocrates dicebat, « omnino non sperandum, si quid turpe feceris, te latiturum. Quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi male conscius eris. »

Epictetus : « Parentes, inquit, nos pueros pædagogo, Deus autem jam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradit. »

Nero, occisa matre, confessus est se exagitari materna specie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus. Ita Dion in *Nerone*.

S. Basilius apud Antonium in *Melissa*, pag. 1, serm. 16 : « Sicut umbræ, inquit, corpora ; sic peccata sequuntur animas, et manifestas facinorum repræsentant imagines. »

S. Chrysostomus, hom. 22 *De Nequitiæ repulsa* : « Sicut, inquit, qui carcerem habitant, capitis damnationem opperientes et mortem, etiamsi deliciis abunde fruantur, vitam agunt maxime molestam et anxiam ; sic qui improba conscientia molestantur. » Conscientia enim mille testes.

Hic est « vermis qui non morietur, » assidue rodens conscientiam, *Isaiæ* LXVI, 24.

E contrario, bona conscientia fiduciam et exsultationem parit.

Plutarchus in *Moral.* : « Ut nepenthes, inquit, herba ab Homero prædicata, addita poculis, omnem discutit tristitiam convivii : ita bona mens insita nobis omnem vitæ sollicitudinem abolet. »

Bias rogatus, « quænam res metu careret ? Bona, inquit, conscientia. »

Periander rogatus, « quid in animo esset maximum, » respondit : « Bona mens in corpore humano. »

Idem rogatus, « quid esset libertas ? Recta', ait, conscientia. »

Socrates rogatus, « quinam tranquille viverent? Illi, ait, qui nullius absurditatis sibi conscii sunt. »

Denique Hugo Victorinus, lib. II *De Anima*, cap. III : « Tranquilla conscientia, ait, est quæ omnibus est dulcis, nulli gravis ; utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, quibus potest ad benefaciendum : cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit ; nec aliena, quia non approbavit ; nec negligentiam, quia non tacuit ; nec superbiam, quia in unitate permansit. »

Et rursum : « Conscientia bona est titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. »

39. TABESCENT IN INIQUITATIBUS SUIS, — *q. d.* Propter peccata sua tabe sensim conficientur cum eis. Ita Hebræa. Has pœnas reipsa experti sunt Judæi in Babylonica captivitate et excidio eis a Romanis illato, ac nominatim illam versus 29 : « Comedetis carnes filiorum vestrorum, et filiarum vestrarum, » ut patet *Jerem.* cap. XXIX, vers. 9 : « Cibabo, inquit, eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum, et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione. » Vers. 39.

41. DONEC ERUBESCAT INCIRCUMCISA MENS EORUM. — Hebraice, *donec humilietur eorum cor incircumcisum*, id est improbum, luxurians, et plenum vanis, superfluis et perversis cogitationibus. Nam per circumcisionem Judæi fiebant sancti et mundi ; præputium vero habentes et incircumcisi censebantur profani, Gentiles, et immundi. Unde nomen præputii et incircumcisi per metaphoram ad alia transfertur, et significat immundum, impolitum, ineptum, rude, durum et intractabile. Sic cap. XIX, vers. 23, fructus primi arborum vocantur incircumcisi, id est immundi et inepti ad esum. Sic hic vocatur cor incircumcisum, id est immundum, et suis sceleribus non præsectum, non repurgatum ; sed iis obduratum et intractabile. Sic *Exodi* VI, 13, Moses ait se esse incircumcisum labiis, id est impolitum et inelegantem in loquendo. Sic rebellium aures vocantur incircumcisæ, id est ad audiendum duræ et ineptæ, quia scilicet ipsi eas obturant, ne audiant, *Jerem.* VI, 10, *Actorum* cap. VII, vers. 51. Vers. 41. *Incircumcisus* idem est quod immundus, durus et ineptus.

TUNC ORABUNT PRO IMPIETATIBUS SUIS. — *Orabunt* recte vertit Interpres, si Hebræa aliter suppungas, legasque יִרְצוּ *iartsu* in activa conjugatione *hiphil*, non *iirtsu* in *cal*, uti jam suppungunt et legunt Hebræi : *iartsu* enim significat, placabunt, seu facient ut placeant ; *iirtsu* vero significat, placebunt ; unde et Chaldæus legens *iartsu*, vertit, *tunc placabunt pro iniquitatibus suis* ; intelligitur enim in Hebræo de more præpositio בְּעַד *bead*, id est *pro*. Septuaginta legerunt *iirtsu* : vertunt enim τότε εὐδοκήσουσι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, *tunc placita habebunt peccata sua*, id est pœnas quas pro peccatis patientur, placide et humiliter, quasi pœnitentes acceptabunt. Ita Isychius et Vatablus. Posset etiam τὸ εὐδοκήσουσι per antiphrasin et ironice accipi, *q. d.* Tunc displicebunt illis peccata eorum, tunc ea exosa habebunt et abominabuntur.

43. COMPLACEBIT (terra) SIBI IN SABBATIS SUIS, — Vers. 43.

q. d. Tunc terra fruetur quiete sua; vide dicta vers. 24.

Vers. 44. 44. ET TAMEN CUM ESSENT IN TERRA HOSTILI, NON PENITUS ABJECI EOS, NEQUE SIC DESPEXI. — Hæc præterita pro futuris accipienda sunt more prophetico: « cum essent, » id est cum erunt, « non abjeci, neque despexi, » id est non abjiciam, neque despiciam. Est enim toto hoc capite continua prophetia, et comminatio in futurum. Ita Vatablus.

Hoc loco mire exultant Judæi, pollicentes sibi liberationem ex tam longa qua premuntur servitute. Et quia prima dictio hujus periodi est אף *aph*, id est *attamen*, *aph* vero Germanis significat simiam: hinc ipsi hanc periodum vocant auream simiam, et quoties eam in synagogis legunt, mire exsultant et jubilant (1). Hinc Fredericus III Imperator dicebat Judæos in bibliis suis habere simiam, quam merito aureis deberent scribere litteris. Ita miseri isti inani et erronea spe se lactant. Loquitur enim Moses tempore durationis legis et judaismi: jam autem lex et judaismus per Christum abolita sunt, atque per Romanos respublica et Synagoga Judæorum eversa sunt.

Vers. 45. 45. RECORDABOR FOEDERIS MEI PRISTINI, —quia licet illud fœdus cum Hebræis a Deo initum jam sit recens, utpote anno præcedenti in Sina sanctum, tamen futuris generationibus peccantibus, de quibus loquor, erit antiquum.

HÆC SUNT JUDICIA (justæ minæ et pœnæ, quas Deus leges suas violantibus justo judicio infliget) ATQUE PRÆCEPTA ET LEGES, — id est pacta, inquit Chaldæus. Pactorum enim cum Deo a Judæis initorum conditio erant leges. Unde sequitur: « Quas dedit Dominus inter se et filios Israel. » Et ita leges hic distinguemus a præceptis.

Secundo, hæc sic explicari possunt, quasi hoc versu sit epilogus, et generalis complexio Levitici, omniumque legum tam Levitico, quam Exodo a Deo latarum. Hebræa enim sic habent: *Hæ sunt sanctiones* (id est præcepta cæremonialia), *et judicia* (id est præcepta judicialia), *et leges* sive *decreta* (puta moralia et naturalia, qualia sunt Decalogi), *quæ Dominus dedit inter se et inter filios Israel, in monte Sinai per manum Mosis.*

QUAS DEDIT DOMINUS INTER SE ET FILIOS ISRAEL IN MONTE SINAI, — degentibus scilicet Israelitis in monte Sinai, ad sanciendum fœdus inter se et inter eos; nam hæ leges non sunt datæ Mosi in ipso monte Sinai (uti Decalogus in monte hoc datus est *Exodi* XIX et XX), sed in tabernaculo, ut patet ex initio hujus libri. Omnis ergo lex, aut pene omnis, Mosi data est in Sina, puta ad radices montis Sina; nam quæ sparsim in Numeris et Deuteronomio enumerantur, vel explicationes, vel additiones sunt legum jam auditarum, simulque cum legibus jam auditis datæ sunt. Facta autem et dicta sunt hæc omnia sub initium anni secundi egressus Hebræorum ex Ægypto, ut dixi in procemio.

Omnis lex Judæorum a Deo lata est in Sina.

PER MANUM MOYSI, — per Mosen.

Lex Dei custodienda est nimis ob sex causas.

Ex hoc capite liquet quam vere dixerit Psaltes, *Psalm.* CXVIII: « Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. » Hebraice מאד *meod*, id est *valde*, puta summa diligentia, studio et sollicitudine: idque *primo*, quia Deus custodientibus ea promittit hic præmia magna nimis; *secundo*, quia violantibus ea intentat supplicia acerba nimis; *tertio*, quia Deus, qui ea imperat, colendus, metuendus et observandus est nimis; *quarto*, quia pericula omnia mortemque ipsam subiri vult, ne unum ejus frangatur mandatum, peccatumque committatur; *quinto*, quia omnia vult servari, ita ut nec unum, etiam minimum, violes: hic etiam pilus facit umbram, ut vulgo dicitur; *sexto*, quia tota vita, a puerítia et rationis usu ad mortem usque, jubet ea custodiri. Vere, ait S. Augustinus, magna tua, o Domine, est sapientia et charitas, qui nos cogis ad amorem tui, bonumque nostrum; nisi enim id faciamus, minaris nobis gehennam; si faciamus, promittis immensas et æternas coronas.

(1) Vide Carpzovii Dissert. *de aurea Judæorum simia ad* Levit. XXVI, 44, repetit. in *Thesauro Theolog. philolog.* tom. I.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanciuntur leges de votis hominum, animalium, domorum, agrorum, anathematis; rursum de decimis, vers. 30. *Hasce leges hic intricatas paucis et compendio clare ita distinguere et complecti possumus :*

I, *vers.* 2. *Homo qui se devovit Deo, redimat se pretio, quod pro ætate et sexu hic taxatur a Deo.*

II, *vers.* 9. *Animal immolabile, Deo per votum oblatum, reipsa detur, non mutetur in aliud, nec redimatur.*

III, *vers.* 11. *Animal quod immolari non potest, si Deo voveatur, vendatur pretio quod sacerdos statuet; quod si vovens dare voluerit, addat insuper quintam pretii partem.*

IV, *vers.* 14. *Domus Deo vota, pretio a sacerdote taxato vendatur; quod si vovens eam redimere voluerit, addat pretio taxato quintam pretii partem.*

V, *vers.* 16. *Hæres vovens agrum hæreditarium, redimere eum potest quinquaginta siclis solvendis pro rata annorum qui supersunt usque ad jubileum : quod si eum non redimat, sed ager alteri vendatur, nunquam ipse, ne quidem in jubileo illum recipere poterit; sed ager absolute et in perpetuum cedet in jus Dei et sacerdotum.*

VI, *vers.* 22. *Si vovens agrum non sit hæres, sed emptor agri, hic redimet eum pretio, quod taxabit sacerdos juxta numerum annorum usque ad jubileum; nam in jubileo ager de more ad primum hæredem redire debet.*

VII, *vers.* 25. *Omne pretium ponderandum est pondere, sive siclo, Sanctuarii.*

VIII, *vers.* 26. *Primogenitum immolabile, cum totum sit Dei, voveri non potest.*

IX, *vers.* 27. *Primogenitum immundum redimatur.*

X, *vers.* 28. *Quod per votum* cherem, *id est anathematis, Deo consecratum est, non redimatur, sed moriatur aut naturaliter aut civiliter.*

XI, *vers.* 30. *Decimæ fructuum et frugum omnium Deo offerantur.*

XII, *vers.* 32. *Decimæ animalium, puta ovis, bovis et capræ, Deo offerantur.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. 3. Si fuerit masculus a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarii : 4. si mulier, triginta. 5. A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos : femina, decem. 6. Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli : pro femina, tres. 7. Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos : femina, decem. 8. Si pauper fuerit, et æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote; et quantum ille æstimaverit et viderit eum posse reddere, tantum dabit. 9. Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, 10. et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono; quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. 11. Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem. 12. Qui judicans utrum bonum an malum sit, statuet pretium; 13. quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem. 14. Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona an mala sit, et juxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur : 15. sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum. 16. Quod si agrum possessionis suæ voverit, et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium; si

triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. 17. Si statim ab anno incipientis jubilei voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur; 18. sin autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubileum, et detrahetur ex pretio. 19. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum. 20. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit, 21. quia cum jubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum. 22. Si ager emptus est, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino, 23. supputabit sacerdos, juxta annorum numerum usque ad jubileum, pretium; et dabit ille qui voverat eum, Domino; 24. in jubileo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, et habuerat in sorte possessionis suæ. 25. Omnis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. 26. Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere; sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. 27. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, et addet quintam partem pretii; si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque a te fuerit æstimatum. 28. Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. 29. Et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. 30. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur. 31. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. 32. Omnium decimarum bovis, et ovis, et capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. 33. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur, si quis mutaverit; et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur. 34. Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel, in monte Sinai.

Vers. 2. Prima lex.

2. HOMO QUI FECERIT VOTUM, ET SPOPONDERIT DEO ANIMAM SUAM, SUB ÆSTIMATIONE DABIT PRETIUM. — Pro *qui fecerit votum*, Hebraice est יפלא נדר *iaphli neder*, id est, *qui separaverit*, vel *qui mirabile fecerit votum* : nam, ut ait Isychius, admirabile est, et valde beatitudini proximum, totum se Deo offerre, ut animam suam; vel, ut Septuaginta vertunt, τιμὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, id est, honorem vel pretium (τιμὴ enim et pretium et honorem significat) animæ suæ, quam a Deo accepit, Deo dedicet (1).

Narrat Plutarchus in *Lacon.* de Lacone, qui cum voto se obstrinxisset, quod se de Leucate petra præcipitem daret; conscendit montem, et conspecta altitudine sese avertit. Id cum illi probri gratia objiceretur : « Non putabam, inquit, illi voto majore voto opus esse. » Etenim qui facinus arduum concipit animo, prius a diis optare debet animum facinori parem. Hucusque Plutarchus. Tale est hic animam suam Deo devovere. Plus enim est animam Deo devovere, quam offerre; ad hoc enim accedit votum, quod est novus et præcipuus actus religionis. In voto enim Deo datur, non tantum ipse actus, sed et potentia, puta voluntas et libertas, cui ita renuntiatur, ut qui vovit deinceps aliud velle non possit. Qui ergo actum bonum facit sine voto, Deo dat fructum arboris; qui vero eumdem vovet, et ex voto perficit, hic totam arborem cum fructibus Deo consignat, inquit S. Anselmus in *Similitudinibus*.

ET SPOPONDERIT ANIMAM, — *q. d.* Qui voverit seipsum mancipare cultui divino in tabernaculo, videlicet ut portet aquas vel ligna ad sanctuarium pro sacrificiis, ut verrat atrium, ut sarta tecta templi curet, ut subserviat Levitis, etc.; nam nemo poterat obire munia propria sacerdotum aut Levitarum, ac proinde nec ea vovere, nisi esset de genere Levi. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Soli ergo Levitæ et sacerdotes vovere poterant, se semper in suis officiis sacris ministraturos Domino, et tum ex voto id præstare tenebantur, ut patet in Samuele qui fuit Levita, quem mater vovit Domino, I *Reg.* I, 11; ad alia autem laicorum officia in tabernaculo, paulo ante dicta, offerre se et devovere poterat quilibet ex qualibet tribu; sed Deus hic votum illud jubet

(1) Alii, *quum quis separaverit* aliquid per *votum*, scil. ab usu communi, id Deo consecrando. Sequitur in hebr., *in æstimatione tua animæ*, scil. sunto *Jovæ*, id est, si rem vel personam Deo devotam redimere volueris, tunc redemptionis pretium, quo quis æstimatur Jovæ (sacrario) solvendum erit.

Vovens se tabernaculo redimendus erat, cur?

redimi, idque *primo*, quia ad illa tabernaculi ministeria deputandi erant Gabaonitæ, *Josue* IX, 21 : unde nolebat Deus, suos Hebræos ad illa ministeria servorum deputari; *secundo*, quia hæc vota oneri fuissent sanctuario, quod omnes hos voventes debuisset alere. E contrario autem volebat Deus suis Levitis et ministris, quorum ingens erat numerus, de vitæ necessariis prospicere : jussit ergo ut vota hæc commutarentur, eo pretio, quod ipse hic sancit, sicut et pretio jussit redimi primogenitos sibi debitos, illudque pretium, ut et pretium votorum horum, voluit cedere in jus sacerdotum, ut patet vers. 21; et *Numer.* XVIII, 14.

Christus vovit Deo suam vitam et mortem.

Secus est in votis Religionis in lege nova, quibus se homo ad nobilissima ministeria dedicat, quæ omne pretium excedunt, ideoque nullo pretio redimi possunt : quæ vota non erant in lege veteri; si tamen fuissent, obligassent Judæos, sicut obligabant alia vota, quibus aliquid aliud determinate vovebant, ut patet in Nazaræis : hi enim tenebantur determinate præstare id quod voverant. Ita Abulensis, *Quæst.* VIII.

Allegorice, homo qui vovet et spondet animam, est Christus, qui in primo conceptionis suæ instanti videns placere Patri cœlesti, ut se totum pro hominibus offerret ad mortem, etiam crucis, hancque esse ejus voluntatem, imo præceptum, *Philip.* II, 8, id ipsum acceptavit, ad illudque voto se obstrinxit. Ex illo enim instanti Christum se per votum consecrasse Deo ad redimendos homines, et in hunc finem omnes actiones et passiones vitæ suæ, ipsamque mortem et crucem per votum Deo obtulisse, probabiliter docet Franciscus Suarez, in III *part.*, tom. II, *Quæst.* XXVIII, sect. 2, idemque insinuat S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus et Basilius in illud *Psalm.* XXI, vers. 26 : « Vota mea Domino reddam; » hæc enim verba, uti et totius psalmi XXI, ad litteram de Christo scripta sunt. Christus ergo, vovens animam suam, solvit ejus pretium, scilicet sanguinem quem in cruce fudit. Hic enim sanguis, cum esset Filii Dei, æquiparabatur in pretio ipsimet Filio Dei, puta Christo Domino.

Tropologice, Religiosus vovet animam, id est totum se Deo, puta corpus per votum castitatis, opes per votum paupertatis, animam per votum obedientiæ. Quare tales proxime sequuntur Christum, suntque Martyres, sponsi, templa et holocausta Dei, uti pulchre ostendit noster Platus, lib. II *De Bono status religiosi.*

SUB ÆSTIMATIONE (quæ hic tacetur et præscribitur vers. seqq.) DABIT PRETIUM. — Hebræa hic sunt involuta, ita ea cum Vatablo bene et clare reddas : *Vir cum separaverit votum animarum Domino, juxta æstimationem tuam* (o sacerdos : eum enim alloquitur) *æstimabitur, et redimetur votum animarum quod factum est, q. d.* Cum quis emiserit votum quo se devovet Deo, juxta æstimationem tuam, o sacerdos, dabit pretium, votumque suum ac seipsum redimet. Votum enim animarum est illud quo quis animam, id est seipsum, Deo devovet.

3. DABIT QUINQUAGINTA SICLOS ARGENTI, AD MENSURAM SANCTUARII, — qui scilicet sint justissimi ponderis, instar ponderis quod servatur in Sanctuario, uti dixi *Exod.* XXX, 13. Vers. 3.

SI MULIER, TRIGINTA, — *q. d.* Quicumque vir fuerit 20 annorum aut plurium, modo non excedat annum sexagesimum, seque Deo devoverit, hic pro redemptione voti dabit 50 siclos, id est 50 florenos Brabanticos; si sit mulier, dabit 30. Nota : Majus pretium imponitur hic viris quam feminis aut pueris, quia pluris valet vir quam femina aut puer, idque tum in se, tum ad operas et labores. Intellige hæc de liberis, non de servis : unde quæres quid, si quis vovisset servum suum Deo, an, et quo pretio eum redimere debebat? Respondeo cum Abulensi, *Quæst.* LV, LVI et LVII : Talis servus redimendus erat uti alii homines, vel potius uti agri et possessiones; est enim servus possessio heri. Herus ergo pro servo Hebræo quem voverat, solvebat pretium pro rata temporis quo ille hero servire debebat, ita videlicet ut considerando quanto pretio eum emerat, simul etiam considerando quanto tempore ille adhuc servire debebat, tantum solveret quantum ex pretio quo eum emit, respondebat annis quibus adhuc servire debebat : v. g. emit herus servum statim post annum septimum sive sabbaticum, anno primo, 60 siclis, vovet illum anno tertio elapso : igitur cum servus adhuc tres annos servire debeat, et anno septimo, juxta legem *Exod.* XXI, 2, egredi liber, dominus solvet pro ejus redemptione dimidium pretii quo eum emit, puta 30 siclos; hi enim respondent dimidio tempori, puta tribus annis quibus servus adhuc servire debet. Addet insuper herus quintam pretii partem, uti fiebat in aliorum votorum redemptione, puta 12 siclos; 12 enim sunt quinta pars 60. Quod si herus nolit servum redimere, sacerdos æstimabit et statuet servo pretium justum jam dictum, puta 30 siclorum, quo alicui alteri vendatur.

Vir vovens se 50 siclis, mulier 30 redimenda erat.

Servus instar agri redimendus erat.

Si vero servus esset non Hebræus, sed Gentilis, ideoque perpetuo serviturus, tunc tanti vendebatur quanti absolute valebat pro tota vita; et si herus ejus vellet eum redimere pretio jam dicto, superaddere debebat quintam pretii partem.

5. A QUINTO ANNO. — Si videlicet parentes eum devoverint; nam puer quinquennis, cum careat usu rationis, vovere non potest. Vers. 5.

8. CORAM SACERDOTE, — etiam minore, qui eo tempore ministrat; nam non exprimitur hic quod debeat esse pontifex. Ita Abulensis. Vers. 8.

9 et 10. ANIMAL AUTEM QUOD IMMOLARI POTEST DOMINO, SI QUIS VOVERIT, SANCTUM ERIT, ET MUTARI NON POTERIT, — *q. d.* Animal immolabile per votum quasi Deo consecratur; unde illud in aliud mutari nolo : itaque si quis tale animal voverit ad immolationem, illud ipsum animal quod vovit, Vers. 9 et 10. Secunda lex. Animal immolabile Deo votum

redimi non poterat.

immolari decet. Sin autem determinate non voverit animal ad immolationem, sed tantum in genere dixerit: Voveo hoc animal Domino; tunc ipsum sacerdoti dabit, tanquam rem Deo consecratam, neque poterit ipsum in aliud commutare; quod si commutet, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino: sacerdos tamen non tenetur illud quod in genere votum est, Deo immolare; sed sibi servare potest, vel donare aut vendere cui volet, sicut et decimas ac primitias.

Idem dico de animali immundo quod quis Deo vovisset, videlicet potuisse sacerdotem illud accipere, et sibi servare, vel donare aut vendere alteri, si vovens et offerens nollet illud redimere; omne enim quod ex voto offertur, sacerdoti cedere voluit et sanxit Deus, *Numer.* XVIII, 14.

Vers. 11, 12 et 13. Tertia lex. Animal immundum Deo votum, redimendum erat.

11 et 12. ANIMAL IMMUNDUM QUOD IMMOLARI DOMINO NON POTEST, SI QUIS VOVERIT, ADDUCETUR ANTE SACERDOTEM, QUI JUDICANS UTRUM BONUM AN MALUM (an magni valoris an exigui) SIT, STATUET PRETIUM; QUOD SI DARE VOLUERIT IS QUI OFFERT, ADDET SUPRA ÆSTIMATIONEM QUINTAM PARTEM,—ut per hanc quintam partem, utpote pretii auctuarium, compensetur onus sacerdotis, quo tenetur ei qui vovit et obtulit animal immundum, illud revendere, si ipse illud redimere velit; quod si nolit redimere, tunc sacerdos animal retinebit, donabit aut vendet, ut jam dixi.

Nota: Hæc lex a pari habebat locum in quavis alia re mobili, quæ Deo vovebatur; verisimile enim est res mobiles hac lege animalis censeri, juxta ea quæ dicentur vers. 21. Ita Abulensis.

Nota *secundo*: Omnia animalia omnesque res Deo votæ redimi poterant, exceptis animalibus mundis ad sacrificium.

Vers. 14 et 15. Quarta lex.

14 et 15. HOMO SI VOVERIT DOMUM SUAM, ET SANCTIFICAVERIT (per votum consecraverit Domino), VENUMDABITUR; SIN AUTEM ILLE QUI VOVERAT, VOLUERIT REDIMERE EAM, DABIT QUINTAM PARTEM ÆSTIMATIONIS SUPRA, — puta supra pretium a sacerdote æstimatum et taxatum. Causam hujus quintæ partis assignavi vers. 11.

Malebant autem plerique quintam partem pretio superaddere, ut redimerent rem suam, quia si non redemissent domum aliamque rem immobilem, illa nunquam ad eos reversa fuisset, ne quidem in jubileo, sed absolute transibat in dominium sacerdotum, qui eam vendebant; sed ita ut in jubileo ad eos quasi primos dominos reverteretur, ut patet vers. 21; unde et res vendebatur pluris vel minoris, secundum jubileum magis minusque distans, ac proinde minoris quam si in perpetuum vendita et alienata fuisset. Hac ergo de causa voventes rem immobilem, fere semper eam redimebant, ac proinde paucæ possessiones in jubileo ad Levitas et sacerdotes devolvebantur. Ita Abulensis.

Vers. 16.

16. QUOD SI AGRUM POSSESSIONIS SUÆ (quem ut suum et proprium possidet) VOVERIT, JUXTA MENSURAM SEMENTIS ÆSTIMABITUR PRETIUM; SI TRIGINTA MODIIS HORDEI SERITUR TERRA, QUINQUAGINTA SICLIS VENUMDETUR ARGENTI. — Si plus minusve seminis caperet ager, proportionaliter augebatur vel minuebatur pretium, ut si 60 modiis sereretur, vendebatur centum siclis; si tantum 15, vendebatur 25, et ita consequenter. Verisimile est quod censet Abulensis hosce 50 siclos sumi pro pensione vel reditu 50 siclorum; nam si pro tanto agro qui seritur 30 modiis, semel tantum fuissent soluti 50 sicli, ager ille nimis parvo et vili pretio venditus fuisset: videtur ergo venditus fuisse 50 siclis, non semel, sed quotannis solvendis, sive censu annuo 50 siclorum. Nam ager qui seritur 30 modiis hordei, facile quotannis dat 50 siclos et amplius; ponamus enim modium unum seminis proferre decem modios in messe, ita ut ager 30 modiorum seminis proferat 300 modios in messe, jam demus modium quemque hordei tunc valuisse tantum quatuor stuferis: hinc fiet ut 300 modii valuerint 60 florenos sive siclos.

Quinta lex.

Ager qui serebatur 30 modiis, redimebatur 50 siclis, id est reditu annuo 50 siclorum.

Nota: Pro *modiis*, hebraice est *homer*, quod Septuaginta et Chaldæus vertunt *corum*. Ex hoc ergo loco patet quod homer sive corus continebat 30 modios. Quare non videtur verum quod dicunt Hebræi, *homer* dici a חמור *chamor*, id est asinus, quod sit mensura quam ferre potest asinus; nec enim asinus ferre potest 30 modios.

Homer, id est corus, continebat 30 modios.

Vers. 17.

17. SI STATIM AB ANNO INCIPIENTIS JUBILEI VOVERIT AGRUM, QUANTO VALERE POTEST, TANTO ÆSTIMABITUR. — Pro *quanto valere potest*, Septuaginta et Chaldæus vertunt, *juxta pretium* vel *æstimationem agri;* Hebræa habent, *æstimationem tuam* (o sacerdos); sacerdotis enim erat æstimare agri pretium, sed juxta legem jam datam, videlicet ut pro agro qui serebatur 30 modiis, penderentur 50 sicli, si videlicet statim a jubileo is venderetur, ita ut pro quolibet anno numeraretur siclus: nam ab uno jubileo usque ad alterum sunt 50 anni; vendebatur enim ager tantum usque ad jubileum, quia tunc ad primum hæredem et dominum redire debebat. Siclum hic non simplicem, sed annuum intelligi, dixi vers. præced.

Si ergo ager sereretur 15 modiis, sacerdotis erat æstimare eum 25 siclis, si integrum superesset jubileum; si integrum non superesset, sed aliquot anni inde jam elapsi essent, ita ut tantum superessent 10, 20, 30 anni, tunc pro rata temporis et annorum, sacerdotis erat minuere pretium, plus minusve. Permittit hic Deus hero, qui hæres est, agrum suum voventi, ut eum possit redimere 50 siclis, solvendis pro rata annorum qui supersunt usque ad jubileum; quod si non redimat, statuit ut ager nunquam, ne in jubileo quidem, ad eum redeat, sed absolute transeat in jus Dei et sacerdotum; hoc est enim quod sequitur:

Vers. 20 et 21.

20 et 21. SIN AUTEM (herus vovens et offerens agrum) NOLUERIT REDIMERE, SED ALTERI CUILIBET FUERIT VENUMDATUS, ULTRA EUM QUI VOVERAT REDI-

MERE NON POTERIT : QUIA CUM JUBILEI VENERIT DIES, SANCTIFICATUS ERIT DOMINO, — *q. d.* Ager hic tempore jubilei nunquam redibit ad herum qui eum vovit, sed semper ad Deum, cui per votum *cherem*, sive anathematis, sanctificatus, id est consecratus fuit; ac proinde in jubileo rediens, non ad herum suum laicum, sed ad Deum, de novo quasi ipsi sanctificatur, consecratur et confirmatur : quare herus qui voverat eum, amplius redimere non poterit, sed cedet ille sacerdotibus locum Dei tenentibus, qui eum possidebunt in perpetuum, jure quasi hæreditario : ita Vatablus; hoc est enim quod sequitur :

Vers. 21. 21. ET POSSESSIO CONSECRATA AD JUS PERTINET SACERDOTUM. — Pro *possessio consecrata*, Hebraice est *ager* חרם *cherem*, id est ager anathematis vel succisionis, *q. d.* Sicut res occisa vel succisa non amplius redit ad vitam, ita ager hic Deo per votum consecratus, nec redemptus, redire nequit amplius ad dominum laicum aut profanum, sed Deo in perpetuum est consecratus, ceditque sacerdotibus, ita tamen ut ipsi agrum illum non possideant, sed singulis jubileis vendant alicui ex illa tribu, ex qua oriundus erat ille cujus erat ager, quique agrum Deo vovit et obtulit, idque ideo, ne sacerdotes possideant agros; hoc enim prohiberi videtur *Numer.* XVIII, 20, et ne diminuantur possessiones tribuum, aut transeant de tribu in tribum. Ita Abulensis, *Quæst.* XXXVI. Eadem lex erat, si quis agrum suum devovisset Sanctuario. In aliis autem rebus, si quis eas Sanctuario devovisset, similis erat lex illi quæ lata est de animalibus : nam si res erat talis, quæ usibus Sanctuarii servire posset, ut victimæ, jumenta, æs, ferrum, aurum, commutari aut redimi non poterant, sed cedebant thesauro aut ministerio Sanctuarii; sin res usibus Sanctuarii esset inepta, ut arma, libri, vestes, redimebantur a domino, addita insuper quinta pretii parte; sin ille nollet redimere, res vota aliis communi pretio vendebatur, pretiumque cedebat Sanctuario. Ita Abulensis, *Quæst.* LI.

Sacerdotes agros suos singulis jubileis vendebant, cui? et cur?

Vers. 22. Sexta lex. 22. SI AGER EMPTUS EST, ET NON DE POSSESSIONE MAJORUM. — Hujus versus et duorum sequentium hic est sensus : Si ager aliquis non sit hæreditaria sors voventis, sed emptus sit ab eo, ita ut ad hæredem et tribum suam redire debeat in jubileo, tunc si emptor primus, secundus, tertius, aut etiam vigesimus eum Deo vovebit, supputabit sacerdos quantum temporis ad jubileum supersit, et quantum pretii quo eum emptor emit, illi tempori respondeat, illudque vovens loco agri persolvet, dabitque sacerdotibus. Unde apparet emptorem agri, cum eum Deo voverat, obligatum fuisse ad pretium illud agri persolvendum (hoc enim solum hic exprimitur), neque potuisse agrum alteri vendi, ideoque non debuisse ventem addere quintam pretii partem, uti jussum est in præcedenti casu. Cujus rei æqua et justa ratio erat, quod in præcedenti casu, hero liberum erat redimere agrum, vel non redimere; sacerdos vero tenebatur eum redimere volenti reddere : hic autem e contrario onus subit, non sacerdos, sed vovens, qui cogitur agrum redimere. Rursum in præcedenti casu quinta pars pretii addebatur ab hero vovente, pro absoluta et perpetua rei occupatione : nam alii emptores rei eam tantum emebant usque ad jubileum communi pretio, ultra quod perexiguum erat hero rem redimenti, addere quintam partem pretii, pro æterna ejus possessione; in hoc vero hujus versus casu tantum fiebat agri redemptio usque ad jubileum : emens enim eum et vovens tantum emerat eum usque ad jubileum, nec ultra eum possidere poterat : in jubileo enim redibat ager ad primum hæredem et dominum. Quare, in hoc casu, recte et æque comparatur emptor rem vovens cum aliis emptoribus præcedentis casus, qui tantum commune pretium persolvebant in rei a se votæ redemptione, non vero cum hero, qui, ut dixi, quintam pretii partem superaddere jubetur, pro absoluto rei dominio, proque perpetua rei possessione, quam hac redemptione acquirit et recuperat.

Emptor agri, non hæres, agrum votum redimebat pretio solvendo

pro rata annorum usque ad jubileum.

24. REVERTETUR AD PRIOREM DOMINUM. — Prior dominus hic non est emptor, qui agrum vovit, sed est primus hæres et possessor, qui agrum primo vendidit, ac proinde ad eum ager hic in jubileo reverti debet. Vers. 24.

Vers. 25. Septima lex. 25. OMNIS ÆSTIMATIO SICLO SANCTUARII PONDERABITUR,—id est, ut Septuaginta, πᾶσα τιμὴ ἔσται σαθμοῖς ἁγίοις, *omne pretium erit ponderibus sanctis*, hoc est, omne pretium ponderabitur libra sancta, et pondere sancto. Hinc liquet siclum, qui solvebatur voti causa, appendi debuisse ad siclum Sanctuarii, non quasi is diversi esset pretii: tunc enim dicendum fuisset, *computabitur*, non *ponderabitur;* sed quod siclus qui in Sanctuario servabatur, prorsus incorruptus esset, et justissimi ponderis, de quo vide dicta *Exodi* XXX, 13.

Siclus Sanctuarii quis?

Vers. 26. Octava lex. 26. PRIMOGENITA QUÆ AD DOMINUM PERTINENT, NEMO SANCTIFICARE POTERIT, ET (id est) VOVERE, SIVE BOS, SIVE OVIS (sive capra : hanc enim comprehendit Hebræum שה *se*) FUERIT, DOMINI SUNT,— *q. d.* Hæc primogenita bovis, ovis et capræ, Domino immolari debent ratione primogenituræ, ut patet *Num.* XVIII, 17. Nolo ergo ut ea mihi voveatis, cum tota sint mea, etsi ea non voveatis.

Primogenita Deo vovere non licebat, cur?

Hinc docere videtur Abulensis non esse proprie votum, si quis voveat rem præceptam, verbi gratia, non colere deos alienos; licet arctius talis obligetur, quam si non vovisset. Ratio Abulensis est : Quia, inquit, votum est spontanea tantum oblatio.

An res præcepta possit voveri? Negat Abulensis, ejus ratio. Respondeo affirmative.

Verum hæc sententia absolute non est vera; possumus enim vovere omnem rem bonam et sanctam, sive ea consilii sit, sive præcepti : bonum enim et laudabile est, rem eamdem præstare ex religione et voto, quam præstare tenebaris ex obedientia. Nova enim bonitas virtutis re-

ligionis ex voto accedit huic actui præcepti et obedientiæ. Sic Jacob, *Gen.* XXVIII, 21, vovit quod Dominus esset illi in Deum, hoc est quod Deum perpetuo haberet et coleret ut summum suum omniumque Dominum : ad quod tamen ex præcepto tenebatur.

Votum est spontanea oblatio ; cujus respectu ?

Dices : Votum est spontanea oblatio. Respondeo : Id verum est respectu actus voventis ; hic enim spontaneus esse debet : vovere enim cuique est spontaneum et liberum, nulli præceptum ; falsum tamen id est respectu rei votæ : hæc enim sæpe non est spontanea, sed necessaria et præcepta.

Quod ergo Deus hic noluerit Judæos vovere primogenita, sibi ex præcepto debita, et immolanda, peculiaris fuit sanctio : cujus ratio erat, quia illa jam per Dei legem Deo erant devota, et consecrata omnino ; unde noluit ea Deus voveri, ne votum aliquid derogaret priori consecrationi, quasi illa non fuisset plena et perfecta, ita ut voto perfici et firmari posset.

Vers. 27. Nona lex.

27. QUOD SI IMMUNDUM EST ANIMAL, REDIMET QUI OBTULIT. — Loquitur de animali primogenito, ut patet ex versu præced., quod nec voveri poterat, quia primogenitum, ut præcessit ; nec immolari, quia immundum : redimi ergo illud jubet Deus, aut vendi. Abulensis id intelligit de animali immundo tantum per accidens, ut si bos primogenitus esset sine cauda, vel auribus : quia, inquit ipse, inter animalia immunda secundum speciem, solius asini primogenitum jussit sibi Deus offerri, ejusque loco dari ovem, qua de re dixi *Exodi* XIII, 13, et rursum dicam *Num.* XVIII, 15.

SI REDIMERE NOLUERIT, VENDETUR ALTERI. — « Vendetur, » id est, vendi poterit : nam si dominus redimere nollet, poterat sacerdos animal immundum primogenitum sibi servare, æque ut voto oblatum, ut dixi vers. 9.

Vers. 28. Decima ex.

28. OMNE QUOD DOMINO CONSECRATUR, SIVE HOMO FUERIT, SIVE ANIMAL, SIVE AGER, NON VENDETUR, NEC REDIMI POTERIT. — Loquitur hæc lex de eo quod tantum consecratur, id est vovetur Deo, voto et consecratione omnino absoluta et perfecta ; alioqui enim ex versu 11 et sequent. patet animal et agrum simpliciter et nude votum, potuisse redimi.

Cherem est anathema, occisio, et destructio rei.

Unde nota : Pro *consecratum*, vel *quod consecratur*, Hebraice est חרם *cherem*, id est succisio, anathema et quasi destructio rei ; radix enim חרם *charam* significat occidere, excidere, succidere : inde votum *cherem* dicebatur votum maximum, quo res vota ita Deo consecrabatur, ut destrui vel occidi deberet, morique aut naturaliter aut civiliter.

Res vota voto *cherem* mori debebat, aut naturaliter aut civiliter. Homo votus voto *cherem*, quis ? Ager *cherem*, quis ?

Si ergo animal mundum (de quo maxime hic loquitur Moses, ut patet ex sequent.), quod immolari poterat, Deo voveretur, *erat cherem*, id est vendi aut redimi non poterat, sed Deo immolari debebat ; sic si homo qui poterat esse *cherem*, id est, qui poterat Deo voveri per votum *cherem*, sive anathematis, verbi gratia, Levita, aut hostes Israel, quos Deus occidi jusserat, *Num.* XXXIII, 52, *Deut.* XX, 13, devoverentur Deo, redimi non poterant. Sic ager hæreditarius, si hæres eum redimere nollet, fiebat *cherem*, et omnino consecrabatur Domino, ita ut amplius vendi aut redimi non posset ; intellige absolute et venditione perfecta : nam post quemlibet jubileum vendebatur, sed ita ut proximo jubileo rursus rediret ad sacerdotes ; de hoc ergo voto *cherem* tantum loquitur hic Deus, de eoque subdit : « Quidquid fuerit semel consecratum (absolute et perfecte per votum *cherem*, ut habent Hebræa), sanctum sanctorum erit Domino, » id est, omnino sanctum et consecratum erit Domino.

Sanctum sanctorum, quid ?

Sanctum enim est quod purum, segregatum et consecratum est Deo. Unde S. Thomas II II, *Quæst.* LXXXI, art. 8 : « Sanctificatio, ait, est munditia a peccato, vel confirmatio in bono, vel deputatio ad cultum Dei. » « Sanctitas vero est scientia colendorum deorum, » ait Cicero, lib. I *De Natura deorum* ; aut, ut Andronicus : « Est virtus faciens homines fideles, et servantes ea quæ ad Deum sunt justa. » Et, ut ait S. Dionysius, *De Divinis Nomin.* cap. XII : « Sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia. » Quod enim Deo consecratur, purum et mundum sit oportet ; unde S. Augustinus : « Sanctus, ait, est, qui ordinatam habet charitatem ; et sancto tria servanda sunt : pudicitia corporis, castitas animæ, et veritas doctrinæ. »

Talis fuit S. Joannes Baptista de quo Chrysostomus, *serm.* 8 de eo : « Joannes, ait, virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, Evangelii actio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, officium præconis, præco judicis, Domini testis, totius medius Trinitatis. »

Rursum Sancti ex hac unione cum Deo et consecratione fiunt deiformes, et quasi dii. Audi S. Cyprianum, *De Singular. Clericor.* : « Sicut modica aquæ gutta multo vino infusa a se tota deficit, vinique saporem et colorem induit : ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, et igni simillimum efficitur : solis radio aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem : speculum radiis solaribus directe irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem ; ita etiam Sancti et Beati, Dei charitate in intimis sui totaliter penetrantur, sicque deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur. » Hi sunt *cherem* Dei.

Vers. 29.

29. OMNIS CONSECRATIO (hebraice *omne cherem*) QUÆ OFFERTUR AB HOMINE, NON REDIMETUR, SED MORTE MORIETUR. — « Morietur » morte propria et naturali, si occidi possit, aut si illud occidere liceat, ut si sit animal mundum, vel si hostes sint morti a Deo addicti : cujus exemplum vide-

mus *Num.* XXI, 2, ubi Chananæi ab Hebræis voto *cherem* Deo devoti, omnino succisi et usque ad internecionem deleti narrantur, ideoque nomen loci vocatum est *Cherem* et *Chorma*, sive, ut alii pronuntiant, *Herem* et *Horma*. Sic Jericho statuta est a Deo *cherem*, id est anathema, ut omnino succendi et succidi deberet, nec liceret Hebræis ex ejus opibus quidquam contingere aut rapere. Nam hac de causa omnia castra Israel turbavit Achan, quod aliquid ex Jerichuntis præda sibi vindicasset, ut patet *Josue* VI, 17, et cap. VII, 1. Tale *cherem*, sive anathema, pro Judæis optabat fieri S. Paulus, ut dixi *Rom.* IX, 3. Si vero res per *cherem* Deo vota, mortis proprie dictæ incapax esset, « morte morietur, » id est mori debet morte civili, sicut Religiosi nostri quasi voto *cherem* Deo dicati, civiliter mortui dicuntur, quia omni civili negotio, et hæreditate ac dominio rerum temporalium sese abdicarunt, perinde ac si mortui essent. Ita olim in lege veteri tam Levitæ, quam agri, qui tanquam *cherem* Domino erant devoti, civiliter moriebantur, quia amplius ad profanos usus redire non poterant, perinde ut jam domus Ecclesiasticorum et Religiosorum amortizantur.

Horma idem est quod *cherem*.

Jericho a Josue facta est *cherem*, id est anathema.

S. Paulus optabat fieri *cherem* pro Judæis.

Cherem erant Levitæ, *cherem* jam sunt Religiosi.

Talia *cherem*, talesque devotos habuerunt et Gentiles. Ita Leonidas cum trecentis pro patria se devovit, et irrupit in castra Xerxis, dicens : « Prandete, commilitones, apud inferos cœnaturi. » Rogatus cur optimi nobilem mortem obscuræ vitæ anteponerent, respondit : « Quia hoc proprium naturæ, illud sibi esse censent. » Quare Xerxi promittenti imperium in omnes Græcos, si ab ejus partibus stare vellet, rescripsit : « Si bona vitæ cognita haberes, utique alienarum rerum cupiditatem deposuisses; mihi quidem potius est mori pro Græcia, quam in omnes gentiles dominationem obtinere. » Ita Plutarchus in *Leonida*. Plura exempla citavi *Exodi* XXXII, 32.

Cherem Gentilium.

Vers. 30. Undecima lex. Omnium frugum decimas exegit Deus.

30. OMNES DECIMÆ TERRÆ SIVE DE FRUGIBUS, SIVE DE POMIS (id est fructibus, ita Hebræa, Chaldæa, Septuaginta : non enim solorum pomorum, sed omnium fructuum et frugum decimas hic sibi, id est suis ministris, puta Levitis, deposcit Deus : vide Abulensem *Quæst.* LXVIII, et seq.), DOMINI SUNT, (*q. d.* Domino ex hac lege debentur), ET ILLI SANCTIFICANTUR, — id est sanctificari, dari et offerri debent. Simili phrasi dicunt Hebræi : *Quæ non fient*, id est, quæ fieri non debent; *virum non cognosco*, id est non possum, non licet mihi virum cognoscere.

Deus erat pars et hæreditas Levitarum, quomodo ?

Levitæ dabant decimas pontifici.

Noluit Deus Levitas in terra Israel possidere agros, sed vivere ex decimis, primitiis et oblationibus Domini; et hac ratione dicitur « Deus esse ipsorum pars et hæreditas, » id est portio hæreditaria; quia Levitæ, quasi filii et hæredes Dei, gaudebant ejus bonis, puta decimis et primitiis, ut patet *Num.* cap. XVIII, vers. 21. Rursum Levitæ solvebant pontifici decimam partem omnium suarum decimarum, ut patet *Numer.* cap. XVIII, 28; pontifex ergo olim ditissimus erat.

Decimas Christiani debent ex jure, partim divino, partim humano.

Hinc cap. *Parochianos*, extrav. *De decimis*, asserit et sancit Alexander III, dicens : « Cum decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt. » Ubi videtur asserere decimas, etiam apud Christianos, debitas esse ex jure divino; quod intellige de jure tum generali : jus enim divinum, imo et naturale dictat alendos esse a populo sacerdotes et Ecclesiæ ministros, licet in particulari non dictet eos decimis, aut primitiis, aliove modo particulari alendos esse; tum speciali, quia scilicet decimæ in lege veteri erant jure divino Judæis præceptæ, quam legem et quod jus divinum innovavit Ecclesia, idemque lege Ecclesiastica sanxit : licet tota obligatio juris veteris divini, qua divini (quia jus illud erat cæremoniale), cum lege veteri desierit, sitque abrogata, et tantum jam obliget lex positiva Ecclesiæ, quæ illud jus vetus, uti et pleraque alia, in suas leges recepit, et denuo constituit ac stabilivit; plura de decimis et primitiis dicam *Num.* cap. XVIII, vers. 12, 21 et 29.

Vers. 32. Duodecima lex.

32. OMNIUM DECIMARUM BOVIS, ET OVIS, ET CAPRÆ, QUÆ SUB PASTORIS VIRGA TRANSEUNT, QUIDQUID DECIMUM VENERIT, SANCTIFICABITUR DOMINO, — id est, offeretur et dabitur Domino pro decimis.

Nota : Τὸ *et capræ* legunt Romana, et Radulphus. Et Hebræum צֹאן *tson* significat pecudes tam capras, quam oves, eademque caprarum quæ ovium, ut in sacrificiis, ita et in decimis apud Judæos fuit ratio. Septuaginta ergo et Chaldæus qui solius ovis meminerunt, sub ove et capram intelligunt.

Modus decimandi oves.

Nota *secundo* : Τὸ *quæ sub pastoris virga transeunt*, innuit modum decimandi, videlicet ut pastor ad portam ovilis, vel caulæ consistens, virga cohibeat suas oves, capras et boves, ne simul egrediantur, sed singula ordine, ita ut quod decimum venerit et exierit, cedat in decimas Domino, illudque cum alio mutare non liceat, sive bonum sit sive malum, sive pingue sive macrum.

Decimas ovium, caprarum et boum tantum exegit.

Nota *tertio* : Sicut versu præcedenti omnium frugum et fructuum decimas exegit Deus, ita hic exigit decimas animalium, idque tantum trium, scilicet bovis, ovis et capræ, quia hæc sola munda erant, aptaque ad sacrificium. Abulensis tamen a pari censet aliorum quoque animalium, etiam immundorum, ut equorum, camelorum, asinorum, præceptas et datas a Judæis fuisse decimas : verum locum aliquem S. Scripturæ qui idipsum asserat, non affert. Hinc patet Judæos ex lege quotannis debuisse offerre Deo, tam frugum omnium, quam animalium, *primo*, decimas; *secundo*, primitias, easque quadruplices, uti dixi *Num.* XVIII, 2; *tertio*, victimas et sacrificia, tum quotidie, tum singulis sabbatis et festis præscripta, *Num.* XXVIII et XXIX.

Vers. 34.

34. HÆC SUNT PRÆCEPTA, QUÆ MANDAVIT DOMINUS MOYSI AD FILIOS ISRAEL, IN MONTE SINA, — juxta montem Sinai, ut dixi cap. præcedenti, vers. 46.

« Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. » Sic vive, ut in æternum vivas. O Æternitas, quam longa es, quam raro versaris in mentibus hominum! Quid est æternitas? Est circulus in se recurrens, cujus centrum est « semper, » circumferentia « nusquam, » puta « nunquam finiri. » Quid est æternitas? est orbis ubique rotundus, suique similis, in quo non est principium, nec finis, in quo non est incipere, non desinere. Quid est æternitas? est rota quæ semper volvitur, et volvetur in omne volubilis ævum. Quid est æternitas? est annus jugiter revolutus, qui ubi occidit et moritur, ibi et renascitur, rursumque oritur. Quid est æternitas? est fons in quo aquæ per mæandros ad suam scaturiginem semper refluunt, ut iterum fluant; est fons perennis juges dans aquas, easque vel benedictionis suavissimas, vel maledictionis amarissimas. Quid est æternitas? est labyrinthus innumeris gyris se intorquens, qui ingressos perpetuo circumducit, circumagit et perdit. Quid est æternitas? est abyssus spiraram, est spira semper gyrans, et circulans in immensum.

Quid est æternitas?

Quid est æternitas? Est anguis orbiculariter in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit, et incipere nunquam desinet. Est principium sine principio, sine medio, sine fine. Est juge, interminum, semperque inchoans principium, in quo Beati vitam beatam continuo auspicantur, novisque voluptatibus perpetuo affluunt: damnati semper moriuntur, postque omnem mortem mortisque agoniam, rursum jugiter mori et agonizare incipiunt; ut sicut erat in principio, ita sit et nunc, et semper, eritque in sæcula sæculorum. Quamdiu terra erit terra, quamdiu cœlum erit cœlum, quamdiu Deus erit Deus, tamdiu Beati erunt beati, tamdiu regnabunt et triumphabunt; tamdiu damnati erunt damnati, tamdiu ardebunt in pice et sulphure, et fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.

O æterna veritas, o vera charitas, o chara æternitas! Deus cordis mei, da ut te agnoscamus, tibi mente et corde inhiemus, da ut nulla nos capiat vanitas, tam brevis, et in æternum lugenda vanitas: da ut multos nobiscum trahamus ad beatam æternitatem: da ut heroica virtutum opera in hoc momento designemus, quæ coram Deo et angelis quasi trophæa fulgeant, et perstent in omnem æternitatem. Amen.

DOXOLOGIA

DEI SANCTI,

ET SANCTIFICATORIS SANCTE COLENDI,

EX SANCTIFICATIONIBUS LEVITICI.

Afferte Domino, filii Dei : afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Victimæ Mosis. Offerte holocausta, mincha, pacifica, pro peccato : victimæ et holocausta vestra pinguefiant.

Holocausta medullata offerte cum incenso arietum : offerte boves cum hircis.

Victimæ Christi. Verum jam holocausta, et pro peccato noluisti, Domine : cum apparuit Christus vera pro peccato victima, et dixit : Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.

Sacrificium laudis honorificabit eum : et illic iter, quo ostendet tibi salutare suum.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Dirigatur, Domine, oratio nostra, sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum nostrarum, sic sacrificium vespertinum.

Sicut in holocausto arietum et taurorum : et sicut in millibus agnorum pinguium.

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi : quoniam non est confusio confidentibus in te.

Et nunc sequimur te in toto corde : et timemus te, et quærimus faciem tuam.

Ignis sacer. Ignem divinum in altari cordis nostri, Domine Jesu, jugiter inflamma : quem venisti mittere in terras, et voluisti vehementer accendi.

Aaron pontifex. Elegit et excelsum fecit Dominus Aaron; statuit ei testamentum æternum : ut doceret Jacob testimonia, et in lege sua lucem daret Israeli.

Dedit illi sacerdotium gentis : sacrificia ejus quotidie igne consumpsit.

Complevit Moses manus illius : et unxit eum oleo sancto.

Induit eum stolam gloriæ : tiara coronavit eum, in vasis virtutis.

Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi sol refulgens : sic ille effulsit in templo Dei.

Oblatio regis excelsi in manu ejus : libavit ad basin altaris de sanguine uvæ.

Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis ductilibus sonuerunt : vocem magnam dederunt psallentes Domino.

Cecidit omnis populus in faciem suam, adorans Dominum : et dedit preces omnipotenti Deo excelso.

Tunc descendens manus suas extulit in omnem congregationem Israel : benedixit ei in nomine Domini.

Iteravit orationem suam, petens dari populo jucunditatem cordis, et fieri pacem in Israel, per dies sempiternos.

Nadab et Abiu. Nadab et Abiu obtulerunt ignem alienum : ignis egressus a Domino devoravit eos.

Animalia munda. Separavit Dominus animalia munda ab immundis : vetuit ne immundis contaminarent animas suas.

Purificatio. Sanxit in partu, in lepra, in fluxu seminis et sanguinis, purificationem, dicens : Sancti estote, quia ego sanctus sum.

Expiatio S. Sanctorum. Sanxit in die expiationis dari sortem caprorum, et pontificem expiare Sancta sanctorum.

Adeps et sanguis Deo dicata. Sanguinem omnem et adipem sibi depoposcit : quia in manu ejus est mors et vita nostra.

Jura matrimonii. Sanxit legitima matrimonii : ne quis ad proximam sanguinis accedat.

Victimæ sine macula. Festa. Sanxit tam sacerdotes, quam victimas esse sine macula : quia ipse sanctus est, et sanctificans eos.

Sanxit celebrare phase, pentecosten, sabbata et tabernacula : ferias sanctas Domino.

Buccinare in neomenia tuba : in insigni die solemnitatis Israel.

Jubileum. Sanxit sabbatum terræ, sanxit lætum jubileum : et in eo remissionem cunctis habitatoribus terræ.

Vota, decimæ. Sanxit leges votorum, primogenitorum, decimarum : et *cherem*, sanctum sanctorum Domino.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro : omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Non fecit taliter omni nationi : cæremonias, et judicia sua non manifestavit eis.

Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo scrutata est ea anima mea.

Da mihi intellectum, et scrutabor mandata tua : considerabo mirabilia de lege tua.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN NUMEROS.

ARGUMENTUM.

Numeri unde dicti?

Liber hic hebraice a sui initio dicitur וידבר *vaiedabber*, id est *et locutus est*. Græci ἀριθμοί, et eos secuti Latini *Numeros* eum vocaverunt, eo quod liber hic a censu et numeratione populi incipiat, quodque multæ capitationes et numerationes hoc libro percenseantur, uti bellatorum Israel, capite I; primogenitorum et Levitarum, cap. III; mansionum in deserto, cap. XXXIII. Denique eo quod hoc libro Hebræi in suos numeros, id est ordines, turmas et acies distribuuntur: numerus enim subinde accipitur pro certa ratione atque ordine, ut apud Virgilium, *Æneid.* XI:

> Etruscique duces equitumque exercitus omnis,
> Compositi numero in turmas.

Sic milites dicebantur referri in numeros, cum in suos ordines distribuebantur, in eorumque catalogum inscribebantur.

Materia libri.

Materia libri est, partim historia peregrinationis Hebræorum per desertum tendentium in Chanaan: hanc enim in Exodo cœptam hic pertexit Moses; partim variæ numerationes, partim præcepta Dei positiva hinc inde immixta. «Numeri, inquit S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, nonne totius Arithmeticæ, et prophetiæ Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?» Ob novam hanc materiam, nova est hic sectio Pentateuchi, novusque liber Numerorum, a Levitico et aliis dissectus et distinctus.

Censet Abulensis Mosen *Exodo*, maxime capite XX, complexum esse præcepta moralia sive naturalia, *Levitico* cæremonialia, *Numeris* judicialia. Verum hoc per omnia verum non est: nam et judicialia pertexuit *Exodi* XXI et XXII, atque ita in *Numeris* tam, imo magis cæremonialia, quam judicialia, hinc inde immiscet.

Liber hic complectitur historiam et gesta Mosis ac Hebræorum, a 2 mense anni secundi egressus eorum ex Ægypto, usque ad finem pene vitæ Mosis, sive peregrinationis 40 annorum in deserto, videlicet usque ad initium mensis undecimi anni quadragesimi. Nam ab illo mense 11 anni quadragesimi incipit sequens liber Deuteronomii, ut patet conferenti vers. 1, cap. I *Numer.* cum cap. I *Deuteron.* vers. 3. Continent ergo Numeri gesta circiter 39 annorum, videlicet ab anno mundi 2455 usque ad annum 2494, quod fuit ab anno a diluvio 798 ad annum 837.

Numeri continent gesta 39 annorum.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Initur numerus filiorum Israel, a vigesimo anno et supra, per singulas tribus, inventique sunt universim 603550.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens: 2. Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini, 3. a vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israel, et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron. 4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, 5. quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Sedeur; 6. de Simeon, Salamiel filius Surisaddai; 7. de Juda, Nahasson filius Aminadab; 8. de Issachar, Nathanael filius Suar; 9. de Zabulon, Eliab filius Helon. 10. Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud; de Manasse, Gamaliel filius Phadassur; 11. de Benjamin, Abidan filius Gedeonis; 12. de Dan, Ahiezer filius Amisaddai; 13. de Aser, Phegiel filius Ochran; 14. de Gad, Eliasaph filius Duel; 15. de Nephthali, Ahira filius Enan. 16. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel: 17. quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine, 18. et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos, ac familias, et capita, et nomina singulorum, a vigesimo anno et supra, 19. sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai. 20. De Ruben primogenito Israelis per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum, 21. quadraginta sex millia quingenti. 22. De filiis Simeon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum, 23. quinquaginta novem millia trecenti. 24. De filiis Gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent, 25. quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 26. De filiis Juda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 27. recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. 28. De filiis Issachar, per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent, 29. recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. 30. De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 31. quinquaginta septem millia quadringenti. 32. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 33. quadraginta millia quingenti. 34. Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 35. triginta duo millia ducenti. 36. De filiis

Benjamin per generationes et familias ac domos cognationùm suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 37. triginta quinque millia quadringenti. 38. De filiis Dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 39. sexaginta duo millia septingenti. 40. De filiis Aser per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 41. quadraginta millia et mille quingenti. 42. De filiis Nephtali per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 43. quinquaginta tria millia quadringenti. 44. Hi sunt, quos numeraverunt Moyses et Aaron, et duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. 45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, 46. sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. 47. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. 48. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 49. Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel; 50. sed constitue eos super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus; et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 51. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum : cum castrametandum, erigent; quisquis externorum accesserit, occidetur. 52. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas et cuneos atque exercitum suum. 53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii. 54. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

Vers. 1. Dominus, id est angelus Domini.

1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS, — puta angelus Dei personam gerens : nam omnia hæc per angelum esse dicta et gesta ostendi *Exodi* III, 2; *Levit.* I, 1. Utitur enim Deus angelis quasi administratoriis spiritibus, ut per eos illuminet homines; hic enim congruus et suavis est ordo divinæ Providentiæ. Licet ergo populus ipsum Deum cum Mose collocutum, eique immediate hæc præcepta tradidise existimaret, Moses tamen ex continuo cum eo colloquio, tandem intellexit non esse Deum, sed angelum Dei. Agebat enim cum eo assidue et familiarissime. Ita Abulensis. Postquam ergo Moses agnovit eum esse angelum, eum non adoravit latria, sed in adoratione hac mentem ad Deum angeli Dominum direxit. Itaque angelus hic vocatur Dominus, tum quia Dominum repræsentabat; tum quia populus putabat eum non esse angelum, sed Dominum. Vide dicta *Exodi* XX, 1 et 2.

IN DESERTO SINAI. — Omnia enim hæc a capite primo usque ad cap. X, vers. 11, facta sunt in duodecima mansione quæ fuit in Sina, uti ostendi *Exodi* cap. XIX, vers. 1.

IN TABERNACULO. — Non ergo in ostio tabernaculi in conspectu plebis (uti alias aliquando) hic cum Mose loquebatur Deus, id est angelus Dei, sed ex ipso Sancto sanctorum, puta ex propitiatorio, ut patet cap. VII, vers. ult.

Vers. 2.

2. TOLLITE SUMMAM UNIVERSÆ CONGREGATIONIS FILIORUM ISRAEL, — *q. d.* Accipite, sive inite numerum omnium Hebræorum, sive Israelitarum. Hebraice est, שאו את ראש *seu et ros,* id est *tollite caput,* hoc est capitate, seu numerate capita omnia Hebræorum. Septuaginta vertunt, λάβετε ἀρχήν, accipite imperium, ditionem et latitudinem populi, hoc est, numerate populum, ut videatis quousque se extendat ejus imperium et vires; nam in populi numero et multitudine consistit et terminatur populi imperium, jurisdictio et robur.

Ter Hebræi numerati sunt in deserto.

Nota : Ter in deserto numeratus est populus : *Primo,* in Sina ante fabricam tabernaculi, pro contributione ad eamdem faciendam, *Exodi* cap. XXXVIII, vers. 25. *Secundo,* paucis post eam mensibus, scilicet post fabricatum et erectum tabernaculum, idque ob causam mox dicendam. De hoc secundo censu agitur hoc capite. Unde et idem populi hic est numerus cum eo, qui fuit in priore censu, *Exodi* XXXVIII, 25. Licet enim inter utrumque censum cæsa sint 23 millia, ob adoratum vitulum aureum, tamen alii totidem interim eorum loco subintrarunt, qui videlicet paucis hisce mensibus annum vigesimum expleverant. *Tertio,* post multos annos numeratus est Israel, non in Sinai, sed in campestribus Moab, idque ad distribuendam eis terram promissam, quam jamjam ingressuri erant, de quo agetur inferius, cap. XXVI.

Cur hic numerentur Hebræi ?

Quæres, cur hic post paucos menses iteratus sit populi census? Respondeo: Id factum est *primo*, ad castra Hebræorum, quæ brevi ex Sina movenda erant, et aciem bellatorum melius et ordinatius instruendam. *Secundo*, ut census et numerus multitudinis cujusque tribus certo et exacte constaret, ad hoc, ut ordinata et apta fieret tribuum omnium, in castris, circa tabernaculum jam recenter erectum dispositio et distributio.

Nota *secundo* : In hac numeratione singuli numerati persolverunt dimidium siclum. Ita enim jusserat Dominus, *Exodi* XXX, 12.

Nota *tertio* : Nulli proselyti, nulli Ægyptii, aut ex aliis gentibus oriundi, quorum magna inter Hebræos erat multitudo, ut patet *Exodi* XII, 38, hic numerantur; sed soli et omnes Israelitæ masculi (exceptis Levitis) qui annum vigesimum compleverant. Quare nec pueri, nec feminæ numerati sunt, quia ob imbecilliorem vel ætatem vel sexum ad bella inepti, divinis calculis apti non sunt habiti, ait Origenes, *homil.* 1; ubi et hujusce rei hanc tropologicam causam assignat : « Donec, inquit, inest alicui nostrum vel puerilis, vel lubricus sensus, vel feminea et resoluta segnities, vel Ægyptios et barbaros mores gerimus, haberi apud Deum in sancto et consecrato numero non meremur. Innumeri enim apud Salomonem dicuntur esse qui pereunt, numerati autem omnes illi qui salvantur, » puta qui cum hoste bellant, decertant et vincunt; hinc suis ait Christus : « Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; » et Psaltes : « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. »

Pueri et feminæ non numerantur, cur?

Tropologice.

Vers. 3.

3. A VIGESIMO ANNO ET SUPRA, — quia ab hoc anno ætas bellatorum incipit, indeque porrigitur ad annum sexagesimum, et subinde ulterius; omnes enim et soli illi hic numerantur, qui poterant ad bella procedere, ut patet in enumeratione singularum tribuum; quare plane decrepiti, v. g. octogenarii, non fuerunt hic annumerati, licet id velit Abulensis.

Omnes Hebræi in deserto fuerunt vegeti et fortes.

OMNIUM VIRORUM FORTIUM. — Hinc patet omnes Israelitas mira Dei providentia in deserto fuisse fortes, neminem debilem, neminem ægrum; omnes enim numerati sunt: omnes autem numerati fuerunt fortes, ut hic dicitur; et hoc est quod canit Psaltes : « Non erat in tribubus eorum infirmus. »

Vers. 4. Princeps tribus erat primogenitus.

4. ERUNTQUE VOBISCUM PRINCIPES TRIBUUM. — Princeps tribus erat primogenitus, qui ab ipso capite tribus, sive a patriarcha, v. g. a Juda, directe per lineam primogenitorum descendebat; simili modo principes familiarum, de quibus cap. XXVI, erant primogeniti istius familiæ. Sic et nunc in nonnullis regnis, maxime in Scotia, Hibernia, Anglia, principes familiarum sunt primogeniti, et qui ab his primo descendunt, eisque quasi ducibus tota familia in rebus civilibus, in bellis, imo et in injuriis ulciscendis indivulse adhæret.

In castris enim tota pene vis belli consistit in duce et principe. Unde melior et « formidolosior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. » Brasidas apud Thucydidem, « tria requirebat in bono milite : velle, vereri, obedire; » ita « in duce tria requiruntur : sapientia, fortitudo, vigilantia. » Unde Carolus V aiebat se in castris optare ducem Italum; Itali enim vigiles sunt, sagaces et animosi. Tales sæpe sunt, vel præsumuntur esse primogeniti : quare hic in duces eliguntur.

Excipe hic principes Levitarum : hi enim non erant semper primogeniti, sed ad placitum constituebantur; id colligitur ex eo quod Elisaphan princeps Caathitarum patrem habuit Oziel, minimum natu filiorum Caath, filii Levi, ut patet cap. III, vers. 19 et 30.

Allegorice et tropologice, hi 12 principes repræsentarunt duodecim Apostolos, virosque Apostolicos, qui totum Israelem, id est omnes Gentes, ex Ægypto, id est ex angustiis peccati, eduxerunt, a Pharaone, id est diabolo, liberarunt, atque in Chanaan, id est cœlum deduxerunt. Ita Thomas duxit Indos, Andreas Achivos, Joannes Asianos, Thaddæus Mesopotamios, Chananæus Ægyptios, Bartholomæus Armenios : hi nobis sint stimuli. Audiant sacerdotes, audiant Theologi, audiant Pastores et Prælati, audiant Religiosi S. Chrysostomum, homil. 47 *in Matth.* : « Si duodecim homines, inquit, puta Apostoli, totam pene farinam orbis fermentarunt; animo versa quanta sit nostra malignitas atque ignavia, qui cum jam innumeri simus, has gentium reliquias convertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. »

Respice nos ex alto, Domine Jesu, emitte in nos ignem, quem venisti mittere in terram, et voluisti vehementer accendi. Misisti hunc ignem, ut alios taceam, in S. Xaverium, ut duceret Indos et Japonios; in Gasparem Barzæum, ut duceret Armuzios; in Andræam Oviedo, ut duceret Abassinos, in Matthæum Riccium, ut duceret Sinas; in Josephum Anchieta, ut duceret Brasilios : emitte eumdem in nos.

O Societas Jesu (liceat enim filio matrem dulcissimam alloqui, cui se omnia sua debet), quæ regnum Jesu toto orbe propagare satagis, quæ spiritum Jesu Apostolicum a Deo accepisti, quæ terras et maria permeas usque ad Sinas et Indos, quæ cosmopolitam te reputas, quæ famem, sitim, æstus, frigora, naufragia, persecutiones, mortes, martyria pro Jesu fortiter subis; quæ aureis charitatis alis gentes barbaras, pauperes, miseras complecteris; quæ innumera animarum millia in infernum ruentia liberas, et in cœlum traducis : macte animo, perge quo pergis, age fortiter quod agis, non parcas sudori, sanguini, vitæ tuæ : « Intende, prospere procede, et regna. » Erit fructus labori tuo : erit merces operi tuo, et merces magna nimis, cum post te greges animarum salvandarum duces, quæ tibi in omnem

æternitatem, coram Deo et angelis, salutem suam acceptam ferent.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Vers. 5. Ordo tori servatur in hoc numero.

5. DE RUBEN. — Nota : Tribus et patriarchæ ; puta 12 filii Jacob hic recensentur ordine tori, ut scilicet primo numerentur filii primæ uxoris Jacob, puta Liæ : scilicet *primo*, Ruben ; *secundo*, Simeon ; *tertio*, Juda ; *quarto*, Issachar ; *quinto*, Zabulon : deinde Rachelis, scilicet *sexto*, Ephraim ; *septimo*, Manasse ; *octavo*, Benjamin : tertio ancillarum, scilicet *nono*, Dan ; *decimo*, Aser ; *undecimo*, Gad ; *duodecimo*, Nephtali : ubi nota confusum esse ordinem in Nephtali ; nam Nephtali, uti et Dan, filius erat Balæ, ac consequenter præponendus erat Aser et Gad, filius Zelphæ ; tertia enim Jacobi uxor fuit Bala, quam ei pro se substituit Rachel, utpote sterilis : quarta vero Jacobi uxor fuit Zelpha, quam Jacobo addidit Lia, cum parere desineret.

Alius harum tribuum est ordo paulo post, vers. 20 et seq., ubi initur numerus capitum in singulis tribubus : ibi enim describitur ordo metationis castrorum, quem quæque tribus habebat circa tabernaculum. Unde ibi primi sunt Ruben, Simeon et Gad, qui ad Meridiem tabernaculi castra sua metabantur ; secundi sunt Judas, Issachar et Zabulon, qui erant ad Orientem tabernaculi ; tertii sunt filii Rachelis, puta Ephraim, Manasse et Benjamin, qui erant ad Occidentem tabernaculi ; quarti sunt Dan, Aser et Nephtali, qui erant ad Septentrionem tabernaculi, de quo plura capite sequenti.

Vers. 9.

9. FILIORUM AUTEM JOSEPH : DE EPHRAIM. — Nota : Tribus Joseph fuit a Jacobo patre in duas divisa, scilicet in Ephraim et Manasse, qui fuerunt duo Josephi filii, ab avo Jacobo adoptati, uti dixi *Genes.* XLVIII, 5.

Ephraim successit Josepho, Manasse Levi.

Rursum, Ephraim hic præponitur Manasse, quia ei ab avo Jacobo prælatus est *Genes.* XLVIII, 19 ; ideoque Josephus, lib. III *Antiq.* cap. XI, ait Ephraim successisse patri, esseque et vocari tribum Joseph : Manasse vero surrogatum esse Levi ad explendum numerum 12 tribuum, juxta 12 filios Jacobi. Hi enim fuerunt 12 Patriarchæ, id est, duodecim capita et principes tribuum ex se progenitarum. Nam Levi hic et alibi non numeratur, ut patet vers. 49.

Vers. 16.

16. HI NOBILISSIMI. — Hebraice קריאי העדה *kerie haeda* (quos Hispani simili voce nuncupant *criados del Rey*), id est, vocati congregationis, qui scilicet e tribu a Mose evocati et selecti sunt in principes tribuum, quique ab eo evocari solebant ad concilium, in quo de communi populi et tribuum bono tractabatur. Ita Vatablus et Oleaster. Chaldæus vertit, *hi nuncupati congregationis*, id est, hi illustres et famosi, utpote principes tribuum.

Tripliciter ergo hi 12 principes dicuntur *kerie*, id est *vocati* : *primo*, quia vocati fuerunt a Deo et Mose, ut essent principes et duces populi per desertum in Chanaan. *Secundo*, quia vocabantur ad senatum et concilium. *Tertio*, *vocati*, id est nominati, famosi, insignes, illustres in populo. Huc alludit S. Paulus quando, *Rom.* I, 1, et sæpe alibi ait : « Paulus vocatus Apostolus. » Hi enim 12 principes tribuum fuerunt typus duodecim Apostolorum. Unde *primo*, sicut hi vocati sunt a Mose ad principatum, ita Apostoli vocati sunt ad apostolatum, id est, principatum Ecclesiæ. *Secundo*, sicut hi erant senatus et concilium Synagogæ, ita Apostoli Ecclesiæ. *Tertio*, sicut hi erant vocati, id est nominati et famosi, ita et Apostoli.

Vocati 12 principes fuerunt typus vocationis 12 Apostolorum.

Vers. 17.

17. QUOS TULERUNT MOYSES ET AARON CUM OMNI VULGI MULTITUDINE. — « Tulerunt, » id est, conscripserunt et convocarunt tanquam populi primates et principes. Hebræus, Chaldæus et Septuaginta τὸ *vulgi multitudine* ad seq. versum referunt, sed eodem fere sensu. Sic enim habent, *et accepit Moses et Aaron viros illos, quos vocarunt*, vel *declararunt per nomina*, punctum ; *et omnem congregationem congregaverunt primo die mensis*, etc.

Vers. 20.

20. PER GENERATIONES, ET FAMILIAS, AC DOMOS SUAS. — Generatio, sive cognatio hic communis est ad familiam et domum : vox ergo *et* hic significat *id est, q. d.* « Per generationes, » id est, per familias et domos ; familia enim amplam generationem, sive cognationem significat, et plures sub se domos complectitur : domus vero est particularis quælibet familia, sive cognatio.

Hoc ergo ordine factus est hic populi census, ut primo Moses et Aaron inirent numerum familiarum cujusque tribus ; deinde numerarent omnes domos, sive particulares familias cujusque communis familiæ, sive cognationis ; tertio numerarent capita cujusque domus (1).

Vers. 47. Levitæ poterant pugnare.

47. LEVITÆ AUTEM IN TRIBU FAMILIARUM SUARUM NON SUNT NUMERATI CUM EIS. — Non quod Levitis ad bellum procedere et pugnare vetitum esset : contrarium enim patet in Machabæis, qui, cum Levitæ essent, fuerunt tamen pugnacissimi, et in Levitis qui cum Mose occiderunt adoratores vituli aurei, *Exodi* XXXII, 28. Nec enim Levitæ veteris legis talia sacra tractabant, qualia tractant sacerdotes legis novæ, qui proinde bello et sanguinis effusione abstinere debent : sed quod in

(1) Quod in omnibus, quos singulæ tribus dederunt numeris, nullæ plane comparent unitates supra denarios adjectæ, hanc rationem dat Rosenmullerus : « Census, ait, qui hic describitur, ideo erat institutus, ut ii ex Israelitis, qui ad militiam apti essent eligerentur, et suo quisque loco in exercitu collocaretur. Hos igitur electos disposuit Moses, plane ut etiamnum in nostris exercitibus fieri solet, in centurias et decurias, relictis singulis, qui redundarent, quanquam vigesimum annum jam attigissent. Ex his relictis sumebantur procul dubio, si in centuriis et decuriis in loca eorum, qui mortui aut alia ex causa ad militiam inepti facti essent, alii essent restituendi. In hoc autem capite ii tantum numerantur, qui centurias et decurias explebant : hinc factum est, ut nullæ unitates supra decadas occurrant. »

castrorum metatione Levitæ non collocarentur cum aliis tribubus, eo quod circa ipsum tabernaculum ejus ministeriis deputati versarentur, ut patet vers. 50, ideoque a 12 tribubus secreti essent, tanquam pars et tribus Domini, ejus servitio dicata.

Cur ergo hic non numerantur?

Vers. 50. 50. ET QUIDQUID AD CÆREMONIAS PERTINET, — id est, omnia vasa, omnisque supellex pertinens ad cultum, ritus et ministeria tabernaculi; unde hebraice est, *et quidquid ad illud*, scilicet tabernaculum, pertinet.

AC PER GYRUM TABERNACULI METABUNTUR. — Per tabernaculum hic simul ejus atrium intellige, *q. d.* Levitæ circa atrium, quasi custodes et ministri ejus, castra sua metabuntur, ne alii, utpote laici, ad atrium et tabernaculum propius castra metentur, idque ad atrii et tabernaculi, Deique ipsius cultum et reverentiam.

Erant ergo Moses et Aaron ad ostium tabernaculi, puta ad Orientem; Gersonitæ vero ad Occidentem tabernaculi; Meraritæ ad Aquilonem; Caathitæ ad Meridiem, ut dicitur cap. III; hisce deinde undequaque se circumfundebant 12 tribus.

Vers. 51. 51. CUM CASTRAMETANDUM, — cum castra locanda et figenda erunt; opponitur enim metatio castrorum profectioni eorumdem.

QUISQUIS EXTERNORUM ACCESSERIT, OCCIDETUR, — *q. d.* Si aliquis qui non est de tribu Levi accesserit, ut figat castra cum Levitis, juxta atrium; aut tabernaculum deponere et erigere, vel portare præsumpserit, occidetur, vel a judice, vel a Deo peculiari vindicta. Statuit hoc Deus, ut dixi, ob reverentiam loci sacri, puta tabernaculi quod erat quasi templum mobile Hebræorum per desertum; unde subdit: « Ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, » si videlicet ipsi contra mandatum hocce meum ad atrium tabernaculi accedere, et castra metari præsumant.

Vers. 52. 52. PER TURMAS ET CUNEOS. — Hebraice, *per vexilla sua*, de quibus cap. sequenti.

Vers. 53. 53. ET EXCUBABUNT IN CUSTODIIS TABERNACULI TESTIMONII, — *q. d.* Levitæ vigilanter custodient tabernaculum, ejusque vasa, maxime ne quis externorum accedat, aut illud polluat. Dicitur « tabernaculum testimonii, » id est legis, quia continebat tabulas lapideas divinæ legis, sive Decalogi, uti dixi *Exodi* XXV, 16.

Allegorice, duodecim tribus sunt omnes fideles Ecclesiæ.

Allegorice, Israelitæ et duodecim eorum tribus significant fideles omnium gentium, qui numerati sunt et inscripti catalogo Ecclesiæ, ac libro vitæ, saltem inchoate. Huc alludit Christus, *Matthæi* XIX, 28, ubi ait Apostolos judicaturos 12 tribus Israel, id est omnes fideles omnium gentium; et S. Paulus, *Rom.* IX, 8, ubi docet fideles quosvis esse Israelitas, et filios Abrahæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum. Et S. Joannes, *Apoc.* XXI, 10 et 12, ubi vidit Jerusalem novam descendentem de cœlo, habentem portas 12, et eis inscripta nomina 12 tribuum Israel; nam 12 tribus significant universitatem Sanctorum: duodenarius enim est numerus perfectus, ideoque est symbolum universitatis; de hoc plura dicam cap. II, vers. 2, *Quæst.* III.

Tropologia singulorum hic numeratorum.

Tropologice Rupertus: Hæc, ait, nomina omnium nostrum professionem significant, qui in præsenti vita currimus, atque non in nube et mari, sed in eo quod per hæc significatum est, baptizati sumus, ac spiritualem escam manducamus, et spiritualem potum bibimus de petra, quæ jam non in figura, sed in veritate est Christus. *Ruben* ergo est, qui multos Deo parit filios: Ruben enim hebraice idem est, quod videns filios. *Elisur* idem est, quod pater meus fortis. *Sedeur* idem est, quod uberum lux. *Simeon* est audiens tristitiam, vel obediens. *Salamiel* idem est, quod retribuens mihi Deus, vel pax mea Deus. *Surisaddai* est continens ubera mea, vel fortis meus Dominus. *Judas* est confessio. *Nahasson* est serpentinus (prudens et serpens), vel augurium. *Aminadab* est populi mei spontaneus. *Issachar* est merces. *Nathanael* est donum Dei. *Suar* est pusillus. *Zabulon* est habitaculum fortitudinis, vel doloris. *Eliab* est Deus meus pater. *Helon* est exercitus fortitudo. *Joseph* est augmentum. *Ephraim* est frugifer, vel crescens. *Elisama* idem est, quod Deus meus audivit. *Ammiud* est populus meus inclytus. *Manasse* est oblivio. *Gamaliel* est retributio Dei. *Phadasur* est redemptio fortis. *Benjamin* est filius dextræ. *Abidan* est pater meus judex. *Gedeon* est successio iniquitatis; perperam enim Rupertus ex S. Hieronymo in *Nomin. Hebr.* (qui liber non videtur esse S. Hieronymi, aut certe hæc, et similia parum congrua, ei a sciolo aliquo inserta sunt) *Gedeon* putat idem esse, quod tentatio iniquitatis. *Dan* est judicium. *Ahiezer* est frater meus adjutor. *Ammisaddai* est populus meus sufficiens. *Aser* est beatus. *Phegiel* idem est, quod occurre mihi, Deus. *Ochran* idem est, quod turbavit eos, puta infernales potestates. *Gad* est accinctus. *Eliasaph* idem est, quod Deus meus congregavit. *Duel* idem est, quod cognoscite Deum. *Nephtali* est distorquens, vel luctans. Rupertus ex S. Hieronymo, *Nephtali*, ait, idem est, quod פתח לי *pata li*, id est dilatavit me; verum hæc non est origo nominis *Nephtali*, sed prior jam dicta, ut patet *Genes.* cap. XXX, vers. 8. *Ahira* est fratris mei amicus. *Henan* est nubes. Tales debent esse veri Israelitæ, filii Abrahæ, puta fideles; maxime Principes et Prælati Ecclesiæ, quibus hæc omnia sigillatim adaptat Rabanus.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Disponuntur castra duodecim tribuum Israel circa tabernaculum, per quatuor mundi plagas, in quatuor acies : quo tropologice significatur reges, principes et quoslibet fideles Ecclesiam protegere et propugnare debere.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens : 2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, et domos cognationum suarum, castrametabuntur, filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis. 3. Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui; eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab, 4. et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. 5. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar, 6. et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadraginti. 7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon; 8. omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. 9. Universi qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti, et per turmas suas primi egredientur. 10. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur, 11. et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon, quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti. 14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel, 15. et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia, et mille quadringenti quinquaginta per turmas suas : in secundo loco proficiscentur. 17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum et turmas eorum : quomodo erigetur, ita et deponetur : singuli per loca et ordines suos proficiscentur. 18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud. 19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadringinta millia quingenti. 20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur, 21. cunctusque exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. 22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis, 23. et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringinti. 24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas : tertii proficiscentur. 25. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan, quorum princeps fuit Ahiezer filius Amisaddai. 26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. 27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser, quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. 28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia et mille quingenti. 29. De tribu filiorum Nephtali princeps fuit Ahira filius Enan. 30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti. 31. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti; et novissimi proficiscentur. 32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum et turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel; sic enim præceperat Dominus Moysi. 34. Feceruntque filii Israel, juxta omnia quæ mandaverat

Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, et profecti per familias ac domos patrum suorum.

Vers. 2. **2. SINGULI PER TURMAS, SIGNA ATQUE VEXILLA, ET DOMOS COGNATIONUM SUARUM CASTRAMETABUNTUR.** — Hebraice, *singuli juxta vexillum suum, in signis domus patrum suorum castrametabuntur.* Unde videtur quod præter vexillum unum commune uni aciei, fuerint alia quoque vexilla specialia domorum, id est familiarum, vel potius tribuum singularum; quælibet ergo tribus præter unum commune et archiducale, videtur insuper aliud proprium habuisse vexillum (1).

Quæstio prima, quomodo tribus duodecim dispositæ circa tabernaculum?

Quæres *primo*, quomodo hæc dispositio castrorum et tribuum duodecim circa tabernaculum sit facta? Pro responsione nota tabernaculum, et atrium ambiens tabernaculum, quadratum vel potius quadrangulum fuisse. Nam atrium in longitudine habebat cubitos centum, in latitudine quinquaginta; latus ergo meridionale et septentrionale (quæ erant latera longitudinis) habebant singula centum cubitos. Unde sequitur castra Hebræorum circa atrium disposita fuisse in quadrum, fuisseque quadrata, quæ castrorum figura est optima, inquit Vegetius tractans de re militari.

Dispositio Levitarum circa tabernaculum?

Tradunt Hebræi Israelitas ita castrametatos fuisse circa tabernaculum, ut unum milliare interfuerit, hoc est spatium mille passuum, idque tum reverentiæ, tum spatii et commoditatis causa; et hoc fuisse iter sabbati, quo in sabbato non licebat ulterius progredi. Quod si verum est, magna fuit et multorum milliarium hæc castrorum Israelis expansio in deserto. Sic jussit Deus ut arca præcederet castra in transitu Jordanis ad spatium cubitorum bis mille, *Josue* III, 4: intellige hæc de castris laicorum; nam castra Levitarum custodientium tabernaculum erant juxta ipsum circumcirca, uti et habitatio Mosis et Aaronis, nunc

Dico: Circa atrium erat primum quadratum, seu castra quadrata Levitarum: nimirum Moses et Aaron erant ad Orientem, ad ingressum atrii; Gersonitæ erant ad Occidentem, Meraritæ ad

Dispositio duodecim tribuum circa tabernaculum.

Aquilonem, Caathitæ ad Meridiem; post hos erat secundum quadratum, seu castra quadrata aliorum Israelitarum, puta duodecim tribuum, quæ distributæ erant circa atrium et castra Levitarum, ita ut ad quodque latus quadrati, sive ad quamlibet mundi plagam dispositæ essent tres tribus, ac consequenter duodecim tribus ita collocatæ faciebant quatuor terniones sive acies, atque in quolibet ternione sive acie, prima erat tribus aliqua insignior, quæ cæteris præibat, eratque quasi archiducalis, ut scilicet hac ratione quatuor tribus insigniores, quasi archiduces, munirent quatuor cornua et latera exercitus, a quibus cæteræ tribus et castra omnia denominabantur, ut vexillum Ruben, verbi gratia, indicabat et denominabat omnia castra ad Meridiem sita. Ruben enim senior erat Simeone et Gad asseclis suis ad Meridiem, et ita de cæteris. Itaque ad Orientem expansum erat vexillum primæ aciei, puta archiducis Judæ, sub quo ordine suo ad idem latus consequebatur, primo Issachar, deinde Zabulon. Ad Austrum erat vexillum Ruben, sub quo pone erat Simeon, deinde Gad. Ad Occidentem erat vexillum Ephraim, sub quo pone erat Manasses, deinde Benjamin. Ad Septentrionem denique erat vexillum Dan, sub quo pone erat Aser, deinde Nephtali. Ægyptios autem et Gentiles alios, qui Hebræos ex Ægypto secuti fuerant, verisimile est his fuisse immixtos; unde simul cum eis murmurare et murmur concitare solebant.

Prima in acie fuit tribus Juda, cur?

Nota: Inter omnes archiducalis et prima tribus ad Orientem sita erat Judæ. *Primo*, quia hæc tribus erat numerosior et fortior, ideoque regnum illi a Jacobo consignatum est, *Genes.* XLIX, 10, ut scilicet tribus hæc regia et fortissima suum regem facilius tueri posset. *Secundo*, quia ex hac tribu nasciturus erat Christus. Ita Theodoretus hic, *Quæst.* III. Tribus vero Dan fuit ad Aquilonem, quia ab Aquilone panditur omne malum; ex Dan autem nascetur pessimus Antichristus. Ita Rupertus et Radulphus in cap. XXIV *Levit.*

Nota *secundo*: Hic quadratus tribuum situs et ordo tantum erat tunc, cum castra figebant: nam cum ea movebant, alius erat ordo; non enim agmine quadrato, sed longo et extenso singulæ tribus aliæ post alias seorsim incedebant, ut patebit vers. 9.

Tropologice, quomodo quisque secundum signa sua, id est ordinem et gradum vocationis, gratiæ et status sibi dati vivere, in eoque quiete sese continere debeat, docet Origenes hic, *homil.* 2.

Quæstio secunda, quæ insignia habuerint vexilla quatuor archiducum? Respondeo, habuisse effigiem leonis, hominis, bovis, et aquilæ.

Quæres *secundo*, quæ et qualia insignia habuerint hæc quatuor archiducum tribuum vexilla? Tradunt Hebræi et Rabbini scribentes in hoc caput, vexilla hæc habuisse effigies quatuor animalium, scilicet leonis, hominis, bovis et aquilæ. Hebræos sequitur Andreas Masius in cap. VI *Josue*, vers. 9, ubi sic ait: « Tradunt Hebræi *primum* vexillum primipilaris tribus Judæ cum suis habuisse effigiem leonis pro insigni; *secundum* vexillum Rubenitarum habuisse hominis effigiem cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben, *Genes.* XXX, 14; *tertium* vexillum Ephraim habuisse imaginem bovis; *quartum* Danitarum habuisse effigiem aquilæ. Quæ sane apto typo significabant propitiatorium nostrum, scilicet Christum arcamque ejus, scilicet Ecclesiam, quæ inter hæc quatuor vexilla sita erat, per quatuor

(1) Totus Israelitarum exercitus in quatuor agmina erat divisus, quorum quodque דגל signo habuit. Singularum tribuum et familiarum signa vocantur אותת. Hæc igitur erant *signa minora*, ut in exercitibus Romanorum signa singularum cohortum.

Evangelistarum signa ad omnes mundi plagas diffundenda esse. » Idem docent Vilalpandus, *De Templo*, tom. II, part. II, lib. V, disput. 2, cap. XXIX, et Hieronymus Prado in cap. I *Ezech.*, pag. 44, qui ex Hebræis ita hæc describit : « Singuli duces tribuum propria gestabant insignia, parentum scilicet stemmata in vexillis depicta. Ad Orientem ergo, supra papilionem Naasson primogeniti Judæ collucebat vexillum viridis coloris, quem sibi colorem assumpsit, quoniam in viridi lapillo, smaragdo scilicet, parentis Judæ nomen erat exaratum in Rationali Pontificis, hoc est in bulla ejus pectorali, in qua visebatur jus civilitatis et nobilitatis Israelitarum, puta singularum duodecim tribuum; in quo vexillo depictus erat leo, stemma et hieroglyphicum parentis Judæ; nam hunc leoni comparaverat Jacob dicens : Catulus leonis Juda. Ad Meridiem, supra tentorium Elisur filii Ruben eminebat vexillum rubrum, referens colorem sardii, in quo erat nomen patris, puta Ruben, scriptum in Rationali; symbolum autem in hoc vexillo depictum visebatur humanum caput, eo quod Ruben esset primogenitus et familiæ caput. Ad Occidentem, surgebat in altum supra tentorium Elisama filii Ephraim vexillum aureum, in quo exaratum visebatur caput vituli (eo quod avus ejus Joseph per visionem vitulorum sive boum, prædixisset et providisset fami Ægypti : unde et Ægyptii eum specie bovis coluerunt, vocaruntque Apin vel Serapin, uti dixi *Genes.* XLI, in fine; unde et Moses postea, *Deuter.* XXXIII, 17, benedicens tribum Joseph, puta Ephraim, ait : « Primogeniti tauri pulchritudo ejus »). Aureus vero splendor vexilli Ephraim æmulabatur fulgorem chrysolithi, in quo scriptum erat nomen Ephraim in Rationali. Ad Aquilonis plagam, fluctuabat super tentorium Ahiezer filii Dan variegatum signum ex albo et rubro colore ad instar jaspidis (ita Prado, sed verius est Dan in Rationali fuisse inscriptum carbunculo, uti dixi *Exod.* XXVIII, 18; adde jaspides fere esse virides, non albos et rubros), in quo cælatum erat nomen Dan in Rationali : hujus stemma fuit aquila serpentibus inimica, ab archiduce vice serpentis electa, quoniam avus Jacob parentem Dan contulerat colubro, dicens : Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita; cujus loco Ahieser posuit aquilam, quæ unguibus arreptum gestaret colubrum vel draconem; quod Lacedæmoniorum quoque fuit stemma, quo etiam ipsi obsignarunt litteras ad Judæos consanguineos suos transmissas, » uti testatur Josephus, lib. XII *Antiquit.* cap. V. Sic apud Plutarchum legimus aquilam C. Mario reditum cum summa gloria et triumpho portendisse, cum anguem unguibus arreptum dilacerasset, et in aquas abjecisset, atque inde occasum versus avolasset :

Dan pro colubro sumpsit aquilam, cur ?

Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen,
Partibus intonuit cœli Pater ipse sinistris.

Gestarunt ergo hæ tribus gentilitia familiæ et parentum suorum stemmata pro insigni et vexillo : unde in Hebræo hæc vexilla vocantur *signa patrum suorum*.

Porro hæc insignia quatuor animalium censet Prado significari a Psalte, *Psalm.* LXVII, cum loquens de castris Hebræorum ait : « Animalia tua habitabunt (id est habitabant) in ea, » *q. d.* In tua hæreditate, in tuis castris, in tuo populo, o Domine, visebantur olim in deserto vexilla insignita figuris quatuor animalium, puta hominis, leonis, aquilæ et vituli. Additque Prado plane videri has quatuor animalium figuras desumptas esse ex Cherubinis arcæ; Deus enim sua attributa, majestatem, gloriam et triumphos per hæc quatuor animalia, quasi stemmata sua significare voluit, ideoque suos Cherubinos ita fieri et fingi jussit, ut horum quatuor animalium speciem referrent, ut dixi *Exod.* XXV, 18. Hinc et eadem ad castra et populum suum, eorumque vexilla traduxit. Erant enim hæc Dei castra, quorum dux et princeps erat Deus ipse.

Merito ergo castrorum horum pulchritudinem admirans Balaam, cecinit *Numer.* XXIV, 5 : « Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel, ut vallis nemorosa, et horti juxta fluvios irrigui, et tabernacula quæ fixit Dominus, » etc.

Quæres *tertio*, quid mystice hæc castra et vexilla significent? Respondet *primo* ex Philone Vilalpandus, symbolice in hisce castris Dei totum mundum repræsentari, atque duodecim tribuum insignia significare duodecim signa Zodiaci. Judas enim leonis habet speciem, Ruben aquarii, Ephraim tauri, Dan scorpii ab aquila apprehensi. Vide cætera in idea et imagine ab eo expressa, fol. 470, ubi et per quatuor plagas et per quatuor acies, tam Levitarum quam castrorum, quatuor elementa significari docet, scilicet per Mosen et Aaron, qui erant ad Orientem, ignem; per Gersonitas, qui erant ad Occidentem, terram; per Caathitas, qui erant ad Meridiem, aerem; per Meraritas, qui erant ad Septentrionem, aquam.

Quæstio tertia, quid mystice castra et vexilla significent? Symbolice, castra significabant totum mundum, et duodecim signa Zodiaci.

Allegorice, castra hæc significant Ecclesiam Christi, de qua dicitur *Cantic.* VI, 3 : « Pulchra ut lana, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata; » hinc et Deus dicitur *sabaoth*, id est acierum et exercituum; hac etiam de causa castra hæc erant circa tabernaculum, id est templum Dei, illique commensa erant, adeoque ipsa speciem templi sive Ecclesiæ exhibebant, sicuti vicissim ipsum templum speciem castrorum referebat. Unde II *Paralip.* XXXI, 2, dicitur Ezechias constituisse Levitas, qui « canerent in portis castrorum Domini, » id est templi. Moses ergo est Christus, qui in medio duodecim Patriarcharum et tribuum, id est duodecim Apostolorum, in Judæa visus est, adoratusque ut verus creator cœli novi novæque terræ, quatuor stipatus veluti Cherubinis Evangelistis, quos ad quatuor mundi plagas evangelizare transmisit. Hinc Cherubim ha-

Allegorice, castra hæc sunt Ecclesia.

bebant speciem hominis, leonis, bovis et aquilæ, per quæ quatuor Evangelistas adumbrari et depingi patet *Apocal.* IV, 7, idque passim Patres omnes docent.

Militum generosorum apophthegmata.

Archidamus, teste Plutarcho in *Lacon.*, rogatus quantum regionis Spartani possiderent, respondit : « Quantum hasta pertingimus. » Ita Ecclesia tantum regionum occupat, quantum pugnando contra dæmones, infideles et impios subjugavit, ut possit dicere cum Jacobo : « Do tibi partem unam, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo, » *Genes.* XLVIII, 22 ; hæc ergo sunt castra, hæ acies Ecclesiæ. Agis rex cum prohiberetur ad Mantineam pugnare, quod hostes numero vincerent : « Necesse est, ait, contra multos pugnet, qui multis vult imperare. » Ita Apostoli duodecim, contra totum orbem pugnantes, eum sibi et Christo subdiderunt. Lacæna filio in bellum proficiscenti porrigens scutum : « Hoc, ait, pater tuus semper servavit, itaque aut tu idem facito, aut peri. » Idem dicat nunc Ecclesia cuivis fideli. Alia cum solemni pompa coronata interesset, audiens filium in prælio victorem occubuisse, non detracta corona, sed jactabunda proximis dixit : « Multo pulchrius est, o amicæ, vincentem in acie mortem oppetere, quam superstitem vincere. » Idem dicat Martyr, qui patiendo, idem doctor et concionator, qui laborando pro gloria Dei occumbit.

E contrario Damatria filium ad se reversum, quod in bello timide et indigne se gessisset, interfecit. Lacæna alia ad filium fuga servatum scripsit : « Mala de te fama spargitur, aut igitur hanc elue, aut vivere cessa. » Alia, cum filii e prælio fugissent, et ad ipsam venirent : « Quo, ait, perfugere voluistis, mala mancipia ? an huc (ventrem ostendens) unde existis, redituri ? » Alia filium e fuga adventantem cernens, rogavit quo loco essent res patriæ ; cumque is responderet cives esse occisos, tegula eum occidit, dicens : « Ergo te infaustæ rei nuntium illi miserunt nobis ? » Cum quidam narraret matri fratrem honesta morte occubuisse : « Nonne, ait, turpe est te talis comitatus occasionem amisisse ? » Quid jam dicat fidelis, quid miles in castris Ecclesiæ ? dicat utique cum Machabæis : Moriamur fortiter in prælio, nec inferamus crimen gloriæ nostræ. Dilatemus regnum Christi, toto orbe evangelizemus ; si cadamus, si occidamur, Martyres resurgemus.

Particulatim vero S. Ambrosius, lib. II *De Salomone*, cap. II, Christum comparat aquilæ cum dracone pugnanti, quod fuit stemma Dan, dum ait : « Uti aquila serpentes devorat, et eorum venena calore concoquit interno, ita et Christus Dominus noster dracone percusso, id est diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud quod hominum tenebat obnoxium, tanquam perniciosum virus extinxit, sicuti Apostolus ait : Et de peccato damnavit peccatum in carne sua. »

Rabani apta et particularis allegoria.

Verum aptius singula sigillatim ita adaptat Rabanus hic. Hæc, ait, castrorum acies est Ecclesia, tam novi quam veteris Testamenti. Levitæ sunt sacerdotes et clerus : hi sacra custodiunt, et pro eis depugnant, eosque ambit et protegit populus, qui a quatuor mundi plagis ad Ecclesiam venit ; a singulis quatuor lateribus est trinitas tribuum, id est fides SS. Trinitatis ; duodecim principes sunt duodecim Apostoli, quorum precibus et doctrina munitur Ecclesia.

Ab Oriente est Judas, quia ex Juda ortus est Christus, cujus nomen est Oriens. Rursus per Orientem, ubi erat introitus tabernaculi, significatur primitiva Ecclesia, et initium conversionis fidelium ad Christum : hic est *Judas*, id est confessio ; et *Issachar*, id est merces et *Zabulon*, id est habitaculum fortitudinis : quia Confessores Christi in Ecclesiam, quæ Dei domus est fortissima, per Christum introitum habent, ut in ea pro mercede æterna laborent.

Plaga Australis antiquam Dei plebem, olim a Deo illustratam significat : hic est *Ruben*, *Simeon* et *Gad* ; quia S. Patres, qui intuitum mentis ad voluntatem Dei Patris videndam bene exacuerunt, obedientiæ studium rite illi impendebant, accingentes se armis justitiæ contra leonem rugientem et dæmonium meridianum, sibique quasi dicebant : Esto *Ruben*, id est vide te esse filium Patris æterni ; cui debes esse *Simeon*, id est obediens ; ut sis *Gad*, id est accinctus contra dæmones. Rursum esto *Ruben*, id est, vide ut filios Deo procrees.

Aquilo significat Gentium multitudinem, quæ usque ad Christum tenebris et frigore infidelitatis torpuerat : hic est *Dan*, id est judicium ; *Aser*, id est beatus ; et *Nephtali*, id est colluctans, vel dilatatus : quia spernentibus Judæis verbum Domini, justo judicio Dei, per multitudinem Gentilium credentium dilatatus, et luctans Ecclesiæ populus, æternam beatitudinem sperare et quærere non desistit.

Occidens, sive ultima pars tabernaculi, significat impletionem Ecclesiæ, quæ fiet in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet : hic sunt *Ephraim*, id est, crescens ; *Manasse*, id est oblivio et *Benjamin*, id est filius dextræ : quia tunc in persecutione Antichristi probabuntur, et meritis accrescent electi, tumque aderit hora, qua in oblivionem mortis perpetuæ impiis traditis, justi ad dexteram Dei in æternum cum Domino regnaturi collocabuntur. Huc usque Rabanus.

Quæstio quarta, quid hæc castra significent tropologice et anagogice ?

Quæritur *quarto*, quid hæc castra significent tropologice et anagogice ? sensus enim litteralis hic facilis est ; sed spiritualis, qui hic occulitur, illustris est. Respondeo : Anima quælibet fidelis et sancta est tabernaculum Dei, ut dixi *Exodi* XXVI, 1. Aspectus ad Orientem significat mentis illuminationem et purgationem, quæ perficitur *Juda*, id est vera confessione ; et *Zabulon*, id est forti pœnitentia ; et *Issachar*, id est spe mercedis. Me-

Castra animæ quæ ?

ridies significat mentis inflammationem et ardorem, quam perficit *Ruben*, id est visio et procreatio filiorum in Spiritu; ac *Simeon*, id est obedientia; et *Gad*, id est fortitudo in adversis. Aquilo dæmonis et hostium aliorum tentamenta significat, contra quæ munimur castris *Dan*, id est metu extremi judicii; et *Nephtali*, id est continua lucta; et *Aser*, id est memoria beatitudinis æternæ. Occidens significat perfectionem animæ, quam præstat Ephraim, id est fruges et incrementa continua bonorum operum; ac *Manasse*, id est oblivio rerum temporalium; et *Benjamin*, id est dextera et virtus Patris nostri Dei : hæc omnia pene habet Abulensis hic, *Quæst.* ultim.

Anagogice hæc sunt castra Beatorum.

Anagogice, castra hæc cœlum Beatorum, et civitatem cœlestem significant. Unde *Apoc.* XXI, 16, dicitur ipsa in quadro esse posita, æque ut hæc castra; atque duodecim habere portas, videlicet a quolibet latere et plaga tres, inscriptas nominibus duodecim tribuum filiorum Israel : duodecim enim tribus omnes veros Israelitas, id est electos, qui illi civitate dominabuntur, significant. Itaque ingredietur in cœlum per portam *Levi*, vel ut Levi, sacerdos, qui bene præfuit sacerdotio; ingredietur per *Juda*, vel ut Juda, princeps, qui bene præfuit populo; ingredientur ut *Simeon*, qui suis præpositis fuerunt obedientes; ingredientur ut *Issachar*, vel *Manasse*, Monachi et Religiosi, qui voluptates præsentes calcant, spe in æternam mercedem defixi; ingredientur per portam *Ephraim*, qui fructibus misericordiæ abundarint; per *Dan*, justi judices. Cætera collige et applica ex tropologia paulo ante assignata. Ita Origenes, *homil.* 1, et ex eo Rabanus.

Per portam Levi ibit in cœlum bonus sacerdos, per portam Juda bonus princeps.

Vers 9.

9. PER TURMAS SUAS PRIMI EGREDIENTUR. — Non quod simul hæ tribus pari gressu proficiscerentur : hoc enim sæpe ob viarum angustias fuisset impossibile, sed quod prognati ex tribu Juda primi essent, præirentque cæteras omnes tribus.

Ordo duodecim tribuum et acierum cum proficiscebantur.

Duodecim ergo tribus in 4 acies fuerunt distributæ, quæ hoc ordine procedebant. *Prima* acies, eaque fortissima erat tribus Juda : hanc non pari passu comitabatur, sed a tergo pone sequebatur proxime Issachar, deinde Zabulon : adeoque hæ tres tribus unam, videlicet primam aciem conflabant, 186 millium bellatorum, ut patet vers. 9. *Secunda* acies erat tribus Ruben, quæ sequebatur tribum Zabulon : post Ruben incedebat Simeon, post hunc Gad : eratque hæc acies secunda, æque ac prima, triplex, videlicet ex tribus jam dictis tribubus conflata, continebatque 150 millia bellatorum, ut patet vers. 16. Post hanc secundam aciem, in medio omnium castrorum proficiscebantur Levitæ cum tabernaculo, illud in partes dissolutum, et per varios distributum portando. Post Levitas succedebat *tertia* acies Ephraim, cui conjuncta, et succedanea erat acies Manasse, deinde Benjamin : hæc acies continebat 108 millia bellatorum, ut patet vers. 24. Post hanc sequebatur *quarta* acies Dan, cui a tergo conjuncta erat Aser, deinde Nephtali. Nephtali ergo claudebat totum agmen omnesque alias tribus; hæc acies continebat 157 millia bellatorum, ut patet vers. 31.

Vers. 17.

17. LEVABITUR AUTEM TABERNACULUM TESTIMONII PER OFFICIA LEVITARUM, — *q. d.* Tabernaculum dissolutum portabitur a Levitis, secundum distincta eorum ministeria, quæ cap. sequenti singulis Deus distribuit.

Levitæ incedebant in medio castrorum.

Nota : Incedebant Levitæ loco tutissimo, scilicet medio in castris, cum illa proficiscebantur : nam ante se habebant duas acies, puta sex tribus jam dictas; post se habebant duas pariter acies, puta sex alias tribus, unde hebraice est, *proficiscetur tabernaculum testimonii, et castra Levitarum in medio castrorum.* Quod sic intellige, non quasi omnes Levitæ simul essent in medio præcise, ut aliqui voluerunt, sed quod Gersonitæ et Meraritæ sequerentur primam aciem, sive primas tres tribus; Caathitæ vero sequerentur secundam aciem, et præcise essent in medio castrorum, uti diserte narratur cap. X, vers. 17 et 21. Ita Andreas Masius in cap. VI *Josue.*

QUOMODO ERIGETUR, ITA ET DEPONETUR. — Hæc verba non sunt in Hebræo hoc loco, sed cap. IV, unde ab interprete Latino huc videntur translata, lucis et claritatis causa (1).

Vers. 29.

29. NEPHTALI. — Nota : Concordiæ causa Deus aptum hunc hisce quatuor tribubus dedit ordinem, ut videlicet, cum quatuor essent ancillarum Jacobi filii, videlicet Balæ, Dan et Nephtali; Zelphæ vero, Gad et Aser; ideoque unus alteri aciei (utpote quæ ternis tantum constabat tribubus) et vexillo jungendus foret, Gad jungeretur Ruben, Dan autem et Nephtali, Balæ filii, medium Aser Zelphæ filium, amoris et unionis causa complecterentur.

(1) Rectius, in hebr. est, *quemadmodum castra metantur, ita proficiscentur,* id est, quem locum et situm tabernaculum conventus in castrorum statione habet, eumdem habeat proficiscendo. Vulgati tamen versio probari potest, si nempe חנה sit *tentoria* figere, נסע vero *ea revellere, amovere.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Levitas loco totidem primogenitorum Israel, suo cultui deposcit Deus. Secundo, vers. 15, numerantur Levitæ ad 22 millia, et inter eos custodia rerum tabernaculi distribuitur.

1. Hæ sunt generationes Aaron et Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. 2. Et hæc nomina filiorum Aaron : primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, et Eleazar, et Ithamar. 3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum, qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur. 4. Mortui sunt enim Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis ; functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 6. Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, et excubent, 7. et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, 8. et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. 9. Dabisque dono Levitas 10. Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei. 13. Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti : sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus : mei sunt ; ego Dominus. 14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens : 15. Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra. 16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus, 17. et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari. 18. Filii Gerson : Lebni et Semei. 19. Filii Caath : Amram et Jesaar, Hebron et Oziel. 20. Filii Merari : Moholi et Musi. 21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, et Semeitica : 22. quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra, septem millia quingenti. 23. Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem, 24. sub principe Eliasaph filio Lael. 25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, 26. ipsum tabernaculum et operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, et cortinas atrii : tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, et quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi et omnia utensilia ejus. 27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas et Jesaaritas et Hebronitas et Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua : 28. omnes generis masculini ab uno mense et supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarii, 29. et castrametabuntur ad meridianam plagam. 30. Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel ; 31. et custodient arcam, mensamque et candelabrum, altaria et vasa Sanctuarii, in quibus ministratur, et velum, cunctamque hujuscemodi supellectilem. 32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiæ Sanctuarii. 33. At vero de Merari erunt populi Moholitæ et Musitæ recensiti per nomina sua : 34. omnes generis masculini ab uno mense et supra, sex millia ducenti. 35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel : in plaga septentrionali castrametabuntur. 36. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes, et columnæ ac bases earum, et omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent : 37. columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus. 38. Castrametabuntur

ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israel; quisquis alienus accesserit, morietur. 39. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia. 40. Et ait Dominus ad Moysen : Numera promogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum. 41. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel : ego sum Dominus; et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel. 42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel, 43. et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. 44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 45. Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei : ego sum Dominus. 46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israel, 47. accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos. 48. Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium eorum qui supra sunt. 49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum qui fuerant amplius, et quos redemerant a Levitis 50. pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus Sanctuarii, 51. et dedit eam Aaron et filiis ejus juxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

Vers. 1. 1. HÆ SUNT GENERATIONES (id est, hi sunt filii) AARON ET MOYSI. — Est metonymia, qua actus ponitur pro effectu, scilicet generatio pro re producta et genita. Simili modo capitur generatio *Proverb.* XXX, 12 et 13, *Exodi* I, 6, *Psal.* XII, 8. Vide dicta *Exodi* VIII, 26.

AARON ET MOYSI. — Dices : Hic solius Aaron filii numerantur; ergo male additur τὸ *Moysi*. Respondeo etiam Mosis filios hic numerari, videlicet inter Levitas : nam Levitæ, dicti Amramitæ, qui numerantur vers. 27 et 28, erant Moses et Aaron (hi enim sunt filii Amram) cum filiis suis : e quibus Aaron cum posteris suis sacerdotium est adeptus; posteri vero Mosis cum reliquis Levitis Caathitis annumerati sunt. Vide I *Paralip.* XXIII, 13 et 14, qua de causa et Aaron hic Moysi præponitur tanquam eo dignior, eo quod esset sacerdos et pontifex, quodque familia ejus a Deo electa et evecta esset ad sacerdotium; familia vero Mosis ad Levitas esset annumerata, eo quod ex Gentili matre, puta Sephora Madianitide, esset prognata, ait Auctor libri *De Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, cap. XXV, qui exstat apud S. Augustinum, tom. III.

Posteri Mosis ei non successerunt. Cur?

Ubi nota, et vide partim miram Dei electionem, partim quam posteri a parentibus sæpe degenerent : Moses enim fuit princeps et legislator, posteri vero fuerunt ignobiles Levitæ, cum vice versa posteri Aaronis patri in sacerdotio et pontificatu successerint.

Vers. 3. 3. QUORUM REPLETÆ ET CONSECRATÆ MANUS. — *Et* hic significat, *id est*. Vide *Can.* 32. *Replere* enim *manus*, est consecrare manus ad sacerdotium : nam in consecratione manus sacerdotum novellorum implebantur, tum donis et sacrificiis, tum unctione olei (1); hinc Hebræis *implere manum* est consecrare sacerdotem. Quam phrasin imitatur Latinus interpres, III *Reg.* XIII, 33 : « Quicumque, ait, volebat, implebat manum suam (id est, ungebat eam oleo), et fiebat sacerdos. » Simile est II *Paral.* XIII, 9, et alibi.

Replere manus est consecrare.

Vers. 6 6. APPLICA. — Hebr. הקרב *hacreb*, id est accedere fac, approxima, applica. Est hic electio, et separatio Levitarum, jussu Dei facta, ad ministerium tabernaculi, et obsequium sacerdotum. Hinc patet quam delirum sit figmentum Plutarchi in *Symposiis*, Levitas fuisse sacerdotes Bacchi, quem coluerint Hebræi, et in ejus honorem porcina abstinuerint, dictosque esse Levitas, non a Levi patriarcha, sed a Lysio, seu magis ab Evio, quæ Bacchi sunt nomina.

Plutarchi commentum Levitas dici a Lysio, id est Baccho.

Tropologice, Levitæ signabant statum Ecclesiasticum clericorum legis novæ : unde excubabant inter tabernaculum et castra; quia Ecclesiastici ex officio medii sunt inter Deum et populum. Horum sacra mysteria pulchre significant ipsa eorum nomina vers. 17. *Levi* enim hebraice idem est quod additus et assumptus, scilicet a Deo ad ministerium tabernaculi. *Gerson* idem est quod advena. Ecclesiastici enim se gerere debent quasi peregrinos et advenas terræ, utpote cum sint cives sanctorum et domestici Dei. *Caath* idem est quod dolens et lugens; a כאה *caa* enim, id est

Levitæ sunt clerici.

Tropologia nominum Levitarum.

(1) Fortasse hæc phrasis etiam petitur ab aliquo ritu antiquo Orientis, quo insignia muneris in manum eorum, quibus illud conferebatur, tradebantur; quod hodiernum fit in clericorum ordinationibus, dum scil. singuli ministri instrumentum aut vas aliquod tangunt, Ostiarii, v. g. Ecclesiæ claves, sacrum codicem Lectores, urceolum Acolyti, etc.

doluit, fit קהת *kehat*, id est Caat, per commutationem litterarum affinium, scilicet *aleph* et *he*, et *caph* in *coph* : nam Ecclesiastici lugere debent peccata populi; unde et pulla, id est lugubri, veste induuntur. *Merari* idem est quod amaritudo : nam Ecclesiastici mortem aliaque novissima, quæ amara sunt, assidue mente versare debent, indeque excitare se ad carnis afflictionem et mortificationem. *Lebni* idem est quod candor, puta castitas et puritas vitæ. *Semei* idem quod auditio et obedientia. *Amram* idem est quod populus excelsus, qui dicat : Nostra conversatio in cœlis est. *Jesaar* idem est quod meridies vel meridianus, qui scilicet plene solis justitiæ, puta Christi, ejusque gratiæ radios excipit; nam, ut dicitur *Proverb.* IV, 18 : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » *Hebron* idem est quod societas, puta socialis amor et disciplina. *Oziel* idem est quod fortitudo mea Deus. *Moholi* idem est quod chorus, puta psallentium. *Musi* idem est quod tangens, vel auferens, scilicet peccata in Sacramento pœnitentiæ. *Eleazar* idem est quod Deus meus adjutor. *Ithamar* idem est quod ubi palma? quia Ecclesiastici spectant et exspectant bravium in cœlis. Ita Rabanus hic, folio 33, et duobus sequentibus, atque ex parte Rupertus.

Vers. 7. 7. OBSERVENT QUIDQUID AD CULTUM PERTINET MULTITUDINIS CORAM TABERNACULO, — *q. d.* Levitæ metentur castra circa tabernaculum, ut illud, ejusque vasa, quibus tota populi multitudo Deum colit, custodiant. Hebraice est, *ut custodiant custodiam ejus*, scilicet *Aaronis, et custodiam omnis congregationis*, quam scilicet Aaron, et tota populi congregatio custodire debent. Quasi dicat : Levitæ pro populo, proque Aarone pontifice servire debent tabernaculo, illudque custodire, uti explicatur in sequentibus. Fecerunt ergo in Dei et tabernaculi cultu Levitæ id, quod totus populus facere debuisset; sed quia id ipse per se facere non poterat, hinc loco populi delecti sunt Levitæ qui ordinate, honeste, decenter et reverenter id ipsum præstarent.

Sacerdos et Levita est custos populi. *Secundo*, aliqui per *custodiam congregationis* intelligunt custodiam populi. Sacerdotes enim et Levitæ sunt custodes et conservatores tam populi, quam tabernaculi, ut scilicet curent populum in conspectu tabernaculi et Dei decenter et reverenter se gerere. Eorum ergo erat excubare, ne quid a populo contra Dei honorem et voluntatem fieret, ne falsis opinionibus implicaretur, ne præstigiis incumberet aut superstitionibus; sed e contrario eum docere quo ritu, cultu, pietate et probitate Deus esset colendus. In sacerdotibus ergo tota populi custodia posita est, eo quod omnia bona et mala populi pendent a religione : quæ si recta et pia fuerit, innumera parit bona; sin corrupta et perversa, innumera mala. Hoc est quod ait Dominus, *Isaiæ* cap. LXII, vers. 6 : « Super muros tuos, Jerusalem, constituit custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt; » et *Cantic.* cap. I, 6 : « Posuerunt me custodem in vineis; » et cap. V, vers. 7 : « Invenerunt me custodes. »

Vers. 9 et 10. 9 et 10. DABISQUE DONO LEVITAS AARON ET FILIIS EJUS (*q. d.* Levitas offeres Aaroni et sacerdotibus, ut eis serviant, idque gratis, et sine pretio; neque enim sacerdotes ad ministeria omnia tabernaculi sufficiunt : unde in subsidium eis Levitæ) TRADITI SUNT (hebraice *dati dati*, vel *dedititii dedititii sunt*, id est, absolute Aaroni dati et donati; vel potius donandi sunt (1) : necdum enim reipsa dati erant, sed jamjam donandi erant in perpetuum) A FILIIS ISRAEL, — ut hac donatione Aaroni facta, a Deo primogenitos suos redimerent, ut patet vers. 45. Erant ergo Levitæ id quod jam sunt Diaconi apud sacerdotes : unde Levita Laurentius vocatur, eo quod sancto Sixto quasi Diaconus ministrarit.

Levitæ sunt Diaconi.

Vers. 10. 10. AARON AUTEM, ET FILIOS EJUS CONSTITUES SUPER CULTUM SACERDOTII, — ut scilicet obeant functiones sacras sacerdotii, quæ in veteri lege erant quatuor : nimirum *primo*, sacrificare; *secundo*, adolere incensum; *tertio*, singulis sabbatis apponere in mensa coram Deo panes propositionis; *quarto*, quotidie vespere accendere lucernas.

Quatuor officia sacerdotum.

Vers. 12. 12. EGO TULI, — ego ferre decrevi, et jam reipsa feram et tollam mihi Levitas.

PRO OMNI PRIMOGENITO QUI APERIT VULVAM, — qui primo ex matre nascitur. Vide *Exodi* XIII, 12.

Vers. 13. 13. MEUM EST ENIM OMNE PRIMOGENITUM. — « Meum est, » non tantum creatione, sed proprie redemptione et liberatione, qua primogenitos vestros liberavi ab angelo percutiente primogenitos Ægyptiorum, *Exodi* cap. XII, 23. Rursum, « meum est » per justam et æquam præcepti hujus mei, qui absolutus omnium sum Dominus, exactionem.

SANCTIFICAVI MIHI QUIDQUID PRIMUM NASCITUR IN ISRAEL. — « Sanctificavi, » hoc est mihi sanctificari, id est offerri et consecrari, statui et decrevi.

Cur tribus Levi electa est ad sacerdotium ? Nota : Deus hic pro primogenitis Hebræorum sibi debitis deposcit Levitas, deligitque tribum Levi ad sacerdotium, et cultum sui in tabernaculo, idque *primo*, ob zelum quo tribus hæc ulta

(1) Sunt qui alterum נתונם ab altero sejungentes verba ita convertant, *trades itaque Levitas Aaroni et filiis ejus ut* iis *addictos; addicti illi sunto*, etc. Sed rectius, ut videtur, utramque vocem conjungunt et ad posterius hemistichium referunt. Verba igitur ita struenda sunt, *trades itaque Levitas Aaroni ejusque filiis; addicti* enim, *addicti*, inquam, *illi sunto ei* (Aaroni) *ex filiis Israelis*. Cum Samarit. et Septuaginta pauci libri pro לו legunt לי, quo sensus paululum sublevatur. Cæterum, ut animadvertit Winzerus, vocabulum נתונים ab initio quidem de *Levitis* ipsis usurpatum legitur, qui Aaroni ejusque filiis tanquam adjutores in peragendo munere sacerdotali essent permissi. Serius autem eodem illo nomine (forma tantum mutata in נתינים) ministros sacerdotales *ordinis inferioris, eosque a Levitis diversos*, fuisse notatos, ex I *Chron.* IX, 2; *Esdr.* II, 40 seqq., VII, 24; *Nehem.* VII, 43 seqq., apparet.

Prima causa. est injurias Dei, occidendo idololatras vituli aurei, *Exodi* cap. XXXII, vers. 26 et 29; atque hoc est quod Levi et Levitis dicitur *Deuter.* XXXIII, 9 : « Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro vos; et nescierunt filios suos : hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, etc., ponant thymiama in furore Secunda. tuo et holocaustum super altare tuum. » *Secundo,* quia tribus Levi cæteris erat minor, ideoque facile ali poterat a populo; quod omnino faciendum erat, cum ipsa omnis hæreditatis esset expers : atque alia ex parte sufficiens erat ipsa, ad ministeria tabernaculi obeunda. Hisce ergo de causis jus sacerdotii, quod debebatur ipsi Ruben, utpote primogenito Jacobi, in pœnam incestus ab eo commissi, translatum est in Levi; uti jus regni et primatus inter fratres, ab eodem Ruben translatum est in Judam; et jus duplicis hæreditatis, quod proprie erat jus primogenituræ, translatum est in Joseph, puta in Ephraim et Manasse Josephi filios, ut patet I *Paral.* V, vers. 1 et 2.

Vers. 15. 15. NUMERA FILIOS LEVI, etc., OMNEM MASCULUM AB UNO MENSE ET SUPRA. — « Ab uno mense, » ut scilicet hac ratione numerus major Levitarum habeatur, qui pene respondeat numero primogenitorum Israel, quibus Levitæ a Deo surrogantur; alibi vero Levitæ a 25 vel 30 anno numerantur, quia ibi agitur de ministerio eorum in tabernaculo, quod pueri obire non poterant, nec, etiamsi possent, ut fieret par erat aut decens.

Vers. 17. 17. ET INVENTI SUNT FILII LEVI PER NOMINA SUA, GERSON, ET CAATH, ET MERARI. — « Inventi sunt, » non in vita, sed in censu hoc et numero; unde hebraice est, *et fuerunt isti filii Levi.* Nam ipsi jam pridem obierant : ingressi enim erant cum avo Jacobo in Ægyptum, ante 217 annos; nam 215 annis vixerunt Hebræi in Ægypto : hic autem Levitarum census contigit secundo anno egressus Hebræorum ex Ægypto; nemo autem ea ætate tamdiu vixit, imo Caath tantum vixit 133 annis, ut dicitur *Exodi* VI, 18.

Vers. 23. 23. HI POST TABERNACULUM METABUNTUR. — Posteri ergo Gerson, sive Gersonitæ post tabernaculum et atrium, ad Occidentem castra figebant, Meraritæ ad Aquilonem, Caathitæ ad Meridiem, Mo-
Moses et Aaron simul degunt, cur? ses vero et Aaron ad Orientem. Nota : Simul hic degere jubentur Moyses princeps et Aaron pontifex, quia, ut ait Rupertus, « ducum et consulum fascibus atque regum gladiis eget sacerdotalis sanctitas, et nihil tutius cum sibi conveniunt, nil perniciosius cum dissentiunt. » Hinc Constantinus Magnus Imperator dicebat « se esse Episcopum extra Ecclesiam, » quia curabat quantum poterat, ut Ecclesia conservaretur et propagaretur, nec tamen Ecclesiastica munia usurpabat. Et S. Augustinus, tract. 51 *in Joan.*, docet quemque patremfamilias in domo sua debere exercere « Episcopale officium, ut pro Christo, et pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, » etc.

25. ET HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO. — Vers. 25. Excubiæ hic metonymice sumuntur pro custodia, quæ excubando fit. Rursum, custodia metonymice sumitur pro re custodienda. Sensus ergo est : « Habebunt excubias, » id est custodient, vel habebunt custodienda ea quæ sequuntur, scilicet « ipsum tabernaculum et operimentum, » etc. Patet hic sensus ex Hebræo. Unde vers. 32, noster Interpres custodes hos tabernaculi, vocat excubitores custodiæ sanctuarii.

26. IPSUM TABERNACULUM ET OPERIMENTUM EJUS, Vers. 26. TENTORIUM QUOD TRAHITUR ANTE FORES TECTI FOEDERIS. — *Tabernaculum* hic vocatur infimum tabernaculi velum, ex decem cortinis compositum, quod proxime ipsas tabernaculi tabulas velabat et operiebat circumquaque, de quo *Exod.* XXVI, 1 et 6; *operimentum* vero tabernaculi hic vocatur velum aliud triplex, velo priori decem cortinarum superpositum, scilicet primum sagum cilicinum, secundum sagum ex pellibus arietum rubricatis, tertium sagum ianthinum, de quibus *Exod.* XXVI. Omnia ergo vela tabernaculi portabant Gersonitæ in profectione castrorum.

TENTORIUM (id est velum) QUOD TRAHITUR ANTE FORES TECTI, — id est tabernaculi, quod undique est tectum et velatum; loquitur enim hic Moses de velo, quod erat in ingressu tabernaculi, eratque ejus quasi janua.

TENTORIUM QUOQUE QUOD APPENDITUR IN INTROITU ATRII TABERNACULI. — Prius tentorium, id est velum, erat ipsius tabernaculi; hoc vero est atrii, quod erat ante tabernaculum : utrumque custodiæ Gersonitarum hic committitur. Tentorium, id est velum.

ET QUIDQUID AD RITUM ALTARIS PERTINET. — « Quidquid, » scilicet velorum; agitur enim hic tantum de velis altare ambientibus, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. Hæc enim inter alias causa fuit atrii et velorum ejus, videlicet ut servirent altari holocaustorum ejusque ritui, id est cultui, utque illud undequaque tegerent. Non ergo distortus in nostra versione est sensus, uti queritur Abulensis; nam noster Interpres, cum ait *quidquid,* τὸ *cortinarum* vel *velorum* ex antecedentibus intelligendum relinquit. Agitur enim de Gersonitis qui nulla vasa altaris (hoc enim Caathitarum erat ministerium), sed tantum vela custodiebant et portabant, ut patet tum ex hoc loco, tum ex cap. seq., vers. 24.

Notandum enim ministeria Levitarum ita a Deo partita fuisse, ut Caathitæ custodirent, et in profectione portarent ipsa vasa sacra, ut labrum æneum, arcam testamenti involutam velo, quod pendebat ante Sanctum sanctorum, altaria duo, scilicet thymiamatis unum, holocaustorum alterum, candelabrum et mensam cum suis utensilibus, ut patet vers. 31. Meraritæ autem et Gersonitæ custodirent, et in profectione portarent ipsas partes tabernaculi et atrii; sed Meraritæ solidas, videlicet tabulas, columnas, bases, paxillos et vectes, ut patet vers. 36; Gersonitæ vero operi-

menta ipsa mollia, videlicet vela et cortinas cum suis funibus, ut patet hoc vers. 26. Ubi adverte Caathitas cæteris Levitis fuisse prælatos, et vasa maxime sacra custodisse et portasse, quia ex Caath per Amram descendebat Aaron et Moses: unde et Caathitis præerat Eleazar, senior Aaronis filius, ut patet cap. seq., vers. 16.

Vers. 28. 28. HABEBUNT EXCUBIAS, — id est habebunt custodiam sanctuarii, quoad vasa quæ sequuntur. Patet ex Hebræo: vide dicta vers. 25.

Vers. 31. 31. ET VELUM, — quod oppanditur Sancto sanctorum; huic enim involvenda erat arca, portanda a Caathitis, ut dixi vers. 26. Alia enim vela omnia, non a Caathitis, sed a Gersonitis portabantur, uti ibidem dictum est.

Vers. 37. 37. PAXILLI CUM FUNIBUS. — Funes intellige eos quibus distendebantur et firmabantur columnæ tabernaculi, uti explicat Josephus: hosce enim custodiebant et portabant Meraritæ; nam alios funes, quibus vela paxillis in terra fixis firmabantur, et cortinæ expendebantur, custodiebant et portabant Gersonitæ, ut patet vers. 26; itaque nulla est hic antilogia: funes enim columnarum ad Meraritas, funes vero velorum et cortinarum ad Gersonitas pertinebant.

Vers. 39. 39. OMNES LEVITÆ VIGINTI DUO MILLIA. — Universim erant 22300; nam Gersonitæ erant 7500, Caathitæ 8600, Meraritæ 6200, quæ conflata faciunt 22300.

Dices: Quomodo ergo numerantur hic tantum 22 millia?

Respondeo: Id fit ideo, quia hæc 22 millia surrogata sunt pro totidem primogenitis Israelitarum, ut patet vers. 41. Reliqui ergo trecenti inter Levitas primogeniti fuerunt, ac proinde inter primogenitos censentur, non inter Levitas in hac redemptione, utpote qui et ipsi, ut primogeniti, redimi deberent, non autem redimerent alios (1).

Numerantur hic etiam Moses et Aaron; nam ait, « omnes Levitæ. » Nec enim Aaron erat primogenitus Amram patris sui, quia Maria soror Aaronis eo erat senior, ut colligitur *Exod.* II, 7. Erat enim ipsa puella grandis, cum Moses nasceretur; tunc autem Aaron tantum erat triennis, tribus enim annis tantum Aaron senior fuit Mose.

(1) Vox ואהרן punctis super litteris in textu hebræo est insignita, nulla, uti credibile est, alia ex causa, quam ut hoc modo notaretur vocem illam in aliis codicibus abesse; et si hic omittatur, consentit vers. 39 cum vers. 5, quo jubetur Moses, non Aaron, censum habere Levitarum, item cum vers. 11, 40 et 44, in quibus Mosen Deus alloquitur solum. Præstat tamen eam vocem hic legere, quod videatur Aaron, tribus suæ princeps, adfuisse Mosi, ut in cæteris tribubus censendis singularum principes. Nec quicquam obstat, quod antea non additur nomen Aaronis; nam non est tanta in Mosaico stylo ἀκριβεία, ut omnia suo loco dicantur, quum sæpe ex sequentibus colliguntur circumstantiæ in præcedentibus omissæ.

41. TOLLES PECORA EORUM, — *q. d.* Separabis ab aliorum pecoribus pecora Levitarum, non ut illa immolentur, aut ab aliis auferantur, sed ut mihi cum ipsis Levitis quasi dedicentur sintque mea, sicut ipsi Levitæ mei sunt. Vers. 41.

Nota: Deinceps in deserto non solverunt Israelitæ primogenita sua Deo, sed tantum in terra Chanaan; cæremonialia enim ibi non sunt servata nisi in Sina, de quo plura cap. V, 2. Levitæ autem nunquam solverunt primogenita sua, quia ipsi erant ministri, et quasi peculium Dei; unde aliorum primogenita et decimas loco Dei recipiebant. Vide cap. V, initio (2).

46. IN PRETIO, — *q. d.* Ad redemptionem. Jubet enim hic Deus, ut pro primogenitis Israel Deo dentur et consecrentur Levitæ, cumque numerus primogenitorum excederet Levitarum numerum, personis 273: Levitæ enim erant præcise 22 millia, primogeniti vero Israel erant 22 millia, et insuper 273, hinc jubet Deus ut hi 273 pretio redimantur, scilicet quinque siclis in singula capita persolutis. Porro qui ex primogenitis Israel cum Levitis commutandi essent, qui vero pretio redimendi, sorte data decisum est; unde censet Abulensis ex Rabbi Salomone, Mosen scripsisse tot chartulas, quot erant primogeniti Israel, sed in 273 chartulis scripsisse τὸ *quinque siclis;* eas deinde commiscuisse, jussisseque ut inde quisque primogenitus unam tolleret, atque illum in quem cadebat chartula, cui inscripti erant quinque sicli, debuisse eosdem Aaroni persolvere, itaque se redimere. Vers. 46.

48. DABISQUE AARON PRETIUM EORUM QUI SUPRA SUNT, — qui superant numerum Levitarum, quique proinde pretio se redimere debent. Vers. 48.

50. PRO PRIMOGENITIS FILIORUM ISRAEL, — qui scilicet excedebant numerum Levitarum, ideoque cum eis non fuerant commutati; sed pretio redempti, *q. d.* Pecunia primogenitorum 273 se redimentium ascendit ad 1365 siclos. Vers. 50.

(2) Vers. 43. Incredibilis quibusdam visa est primogenitorum paucitas in populo, qui habebat 603, 550 ætatis militaris, quibus adhuc addendi sunt qui non censebantur, masculi, inter primum expletum mensem et vicesimum annum; hi vero ad eos relati, qui vicesimum annum superarunt, sunt ut 10, imo ut 12 ad 20: ita ut ex 42 circiter Israelitis singuli tantum sint primogeniti. Quem nodum ut expediant interpretes, recte observant, *a*) non esse computandos eos, qui licet ipsi essent primogeniti, tamen jam erant conjugati et familiæ alicujus caput; *b*) in omnibus iis familiis, in quibus prima proles feminea fuerit, nullum fuisse primogenitum; *c*) apud Israelitas in usu fuisse polygamiam; in numerosissimis autem familiis polygamis tunc tantum fuisse primogenitum, si primo ex partu soboles mascula esset: si femina, nullus in tali familia potuit esse primogenitus, licet quamplurimi in ea nati sint filii. Cf. Corn. a Lap. tom. I, pag. 546, col. 2, § *Rursum.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur Levitæ ab anno trigesimo 8580, *qui portent vasa tabernaculi cum movenda sunt castra: et Caathitis quidem assignatur altare utrumque, arca, mensa et candelabrum; Gersonitis vero vela et cortinæ, vers.* 24; *Merarítis autem tabulæ, columnæ et bases, vers.* 31.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: 2. Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas, 3. a trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent et ministrent in tabernaculo fœderis. 4. Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, et Sanctum sanctorum 5. ingredientur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra, et deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, 6. et operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum et inducent vectes. 7. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt; 8. extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, et inducent vectes. 9. Sument et pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt; 10. et super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, et inducent vectes. 11. Nec non et altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. 12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. 13. Sed et altare mundabunt cinere, et involvent illud purpureo vestimento, 14. ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, et inducent vectes. 15. Cumque involverint Aaron et filii ejus Sanctuarium et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta; et non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: 16. super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, et compositionis incensum, et sacrificium, quod semper offertur, et oleum unctionis, et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in sanctuario sunt. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: 18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum; 19. sed hoc facite eis, ut vivant, et non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividet quid portare quis debeat. 20. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur: alioquin morientur. 21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias et cognationes suas, 23. a triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo fœderis. 24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, 25. ut portent cortinas tabernaculi et tectum fœderis operimentum aliud, et super omnia velamen ianthinum, tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, 26. cortinas atrii, et velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, et vasa ministerii,

27. jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson : et scient singuli cui debeant oneri mancipari. 28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 29. Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis, 30. a triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui, et cultum fœderis testimonii. 31. Hæc sunt onera eorum : Portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus, columnas ac bases earum, 32. columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis. Omnia vasa et supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt. 33. Hoc est officium familiæ Meraritarum et ministerium in tabernaculo fœderis ; eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 34. Recensuerunt igitur Moyses et Aaron et principes synagogæ filios Caath per cognationes et domos patrum suorum, 35. a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis : 36. et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta. 37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis : hos numeravit Moyses et Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi. 38. Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum, 39. a triginta annis et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis : 40. et inventi sunt duo millia sexcenti triginta. 41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta verbum Domini. 42. Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum, 43. a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis : 44. et inventi sunt tria millia ducenti. 45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses et Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi. 46. Omnes qui recensiti sunt de Levitis, et quos recenseri fecit ad nomen Moyses et Aaron, et principes Israel, per cognationes et domos patrum suorum, 47. a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, et onera portanda, 48. fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. 49. Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium et onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

Vers. 2 et 3.

2 et 3. TOLLE SUMMAM FILIORUM CAATH, etc., A TRIGESIMO ANNO ET SUPRA USQUE AD QUINQUAGESIMUM ANNUM, OMNIUM QUI INGREDIUNTUR UT STENT ET MINISTRENT IN TABERNACULO. — Cap. superiori, vers. 15, a mense primo ætatis numerati sunt Levitæ, qui surrogarentur totidem pene primogenitis; hic vero numerantur Levitæ ab anno trigesimo, quia hic numerantur tantum viri fortes, qui gravia onera et partes tabernaculi portare possent, cum movenda erant castra. Pari modo apud Hebræos, nemo ante annum trigesimum docere poterat : unde anno trigesimo cœpit tam Christus, quam Joannes Baptista prædicare. Est enim hæc ætas maturi judicii, et justæ auctoritatis.

Levitæ anno 30 incipiebant servire tabernaculo.

Simili modo in sacerdotibus verisimile est statam fuisse ætatem, antequam sacerdotio fungi non possent. Ita Abulensis, *Quæst.* XLII; sed quænam ea fuerit, nusquam in Scriptura exprimitur. Quod enim Josephus tradit, Hyrcani filium anno ætatis decimo octavo pontificatu functum esse, merito dubitare licet an id recte et secundum jura sit actum. Si enim in Levitis major ætas requisita fuit, ergo multo magis in sacerdotibus et pontificibus.

Vers. 3.

3. OMNIUM QUI INGREDIUNTUR UT STENT. — Hebr. *omnis qui ingreditur ad militiam,* vel *exercitum.* Hunc enim significat Hebræum צבא *tsaba;* Noster tamen *tsaba* vertit *stationem,* quia *tsaba* deducit a יצב *iatsab,* id est *stetit* : unde et Hebrææ linguæ periti, ut Mercerus, Forsterus et alii docent exercitum vocari *tsaba,* id est stationem, quia est statio militaris.

Levitæ et clerici sunt milites Dei et templi.

Militia porro, vel statio vocatur hic ipsa ministratio Ecclesiastica Levitarum in tabernaculo, uti vertit noster Interpres vers. 30. Hæc enim militia est, non humana, sed divina, qua ordinatissima serie instar militum excubabant Levitæ, *primo,* ad custodiam tabernaculi ; *secundo,* ad illud portandum et protegendum ; *tertio,* ad subserviendum sacerdotibus, ut sacrificia rite peragerentur, atque ad omnem sacrum famulatum Dei. Hunc hebraismum imitatus S. Paulus, Timotheum Episcopum hortatur, ut « militet bonam militiam, habens bonam fidem et conscientiam, » I *Timoth.* I, 8. Clerici ergo sunt milites, quorum duces et antesignani sunt Episcopi. Militia enim Hebræis omnem famulatum significat : hinc Levitæ, an-

geli, cœli, sidera omnesque creaturæ vocantur milites Dei, diciturque Deus sabaoth, id est exercituum, puta militum jam dictorum, estque Sabaoth unum ex decem nominibus Dei, quod Septuaginta nunc δυναμέων, id est virtutum, sive potentiarum; nunc παντοκρατῶρα, id est omnipotentem, omniaque vincentem, omnibus dominantem vertunt, teste S. Hieronymo, epist. 136 *ad Marcellam*. Ubi Nota : Levitæ hic dicuntur ingredi in militiam, scilicet Dei et tabernaculi; alii vero vulgares milites ad bellum euntes, dicuntur egredi in militiam, quia peregre ad bellum et hostes suos proficiscuntur.

Deus sabaoth, unde ?

Vers. 4. 4. HIC EST CULTUS, — hoc est ministerium, hæc functio sacra Caathitarum. Patet ex Hebræo (1).

Vers. 4 et 5. 4 et 5. SANCTUM SANCTORUM INGREDIENTUR AARON ET FILII EJUS. — Hinc patet, etiam minores sacerdotes ingressos esse Sanctum sanctorum ad illud deponendum, cum movenda erant castra. Unde quod *Levit.* XVI, et *ad Hebr.* IX, 7, dicitur, quod solus pontifex semel in anno ingrederetur Sanctum sanctorum, intellige, quando fixa erant castra, in iisque quietum consistebat tabernaculum, ad ministrandum et sacris operandum in eo : hoc enim solius erat pontificis; non autem quando in motu castrorum dissolvendum erat tabernaculum : hoc enim erat minorum sacerdotum, uti bene probat Abulensis, *Quæst.* V; nam quando dissolvendum erat Sanctum sanctorum, tunc subducebat Deus, vel potius angelus, corpus illud sive nubem quæ incubabat et quasi insidebat propitiatorio, dabatque oracula : unde tunc non erat periculum irreverentiæ, aut quod minores sacerdotes corpus illud Deum repræsentans essent visuri. Addit Abulensis, *Quæst.* XVIII, ipsos Levitas, puta Caathitas, ingressos esse Sanctum sanctorum, ut ejus supellectilem, puta arcam, Cherubim et propitiatorium a sacerdotibus involuta et colligata exportarent, uti dicitur vers. 15, quia iis loco suo amotis et involutis, omnis gloria Sancti sanctorum jam erat ablata, censebaturque jam locus iste non esse sacer, sed communis et quasi profanus.

Sacerdotes minores, et Levitæ ingrediebantur Sancta sanctorum, cum movenda erant castra.

Vers. 5. 5. DEPONENT VELUM, — quod dividit Sanctum a Sancto sanctorum; itaque sacerdotes involvebant primo arcam et Cherubim hoc velo : deinde pallio coccineo pari modo involvebant mensam, altare et candelabrum, quæ erant in Sancto. Hæc enim habebantur sancta et sacra, adeo ut ne Levitis quidem ea nuda tangere, aut videre liceret sub pœna mortis, uti hic dicitur. Omnia ergo vasa hæc involvebant et velabant sacerdotes, cum movenda erant castra, ideoque dissolvendum erat tabernaculum, deinde ea velata Levitis, puta Caathitis, portanda tradebant. Secundo accedebant Gersonitæ, convolventes et efferentes suas cortinas et vela. Ultimo veniebant Meraritæ, columnas et tabulas tabernaculi dissolventes et exportantes.

Ordo depositionis et erectionis tabernaculi.

Contrarius erat ordo in erectione tabernaculi, cum figenda erant castra : tunc enim primi accedebant Meraritæ, ut figerent columnas et compingerent tabulas tabernaculi. Secundo veniebant Gersonitæ, ut illa suis cortinis et velis obducerent. Tertio et ultimo accedebant Caathitæ, ut tam in Sancto, quam in Sancto sanctorum sua vasa velata deponerent : quæ deinde sacerdotes evolvebant, suisque locis collocabant.

Vers. 6. 6. ET INDUCENT VECTES, — non in arcam, quia jam in eam inducti erant, et nunquam extrahebantur, ut patet *Exodi* XXV, 15; inducent ergo et imponent hos vectes in humeros portantium, puta Caathitarum.

Vers. 7. 7. THURIBULA. — Hæc primo loco ponit noster Interpres, cum in Hebræo ponantur ultimo loco, idque ad hoc, ut vasa propria libaminum, puta cyathos et crateras, jungat cum eo quod sequitur, *ad liba*, id est *libamina* (ut habent Hebræa) *fundenda;* thus enim simul cum sacrificiis adolebatur, quod in thuribulis his servabatur; in mortariolis vero, id est scutellis, excipiebatur simila pro mincha, sive sacrificio farreo; in cyathis denique et crateribus excipiebatur vinum, vel oleum ad libandum et effundendum. Hoc enim significat τὸ *ad liba fundenda*. Ubi nota : Licet thus et farina subinde vocentur libamina, proprie tamen sola liquida, ut vinum et oleum, libamina sunt.

PANES (propositionis) SEMPER IN EA ERUNT. — « In ea, » scilicet mensa. Intellige hæc, in terra promissionis, ubi Hebræi in quiete futuri, rite culturi erant Deum, et has cæremonias servaturi. Ita aliqui. Verum contrarium videtur verius; loquitur enim hic Moses de eo quod faciendum erat in deserto, cum movenda erant castra, et convasanda supellex tabernaculi.

Vers. 10. 10. ET INDUCENT VECTES. — In candelabro nulli erant vectes; unde eos alligabant sarcinæ candelabri, deinde eos in humeros imponebant, itaque portabant candelabrum : in arca vero, mensa et altari erant vectes; unde quod mox vers. 11, de altari dicitur : « Inducentque vectes, » intellige non in altare, sed in humeros portantium, uti dixi vers. 6 (2).

Vers. 11. 11. ALTARE AUREUM, — altare thymiamatis, quod factum erat ex lignis setim, sed obductum laminis aureis, cum altare holocaustorum obductum esset laminis æneis per latera.

Vers. 13. 13. SED ET ALTARE (holocaustorum) MUNDABUNT CINERE, — tum victimarum in eo combustarum in Sina, tum lignorum, quibus deinceps fovendus est ignis sacer, juxta præceptum Dei latum *Levit.* cap. VI, vers. 12. Nam post egressum ex Sina, deinceps non sacrificarunt Hebræi victimas ullas in deserto.

(1) Hebr. est, *hoc est officium*, seu *ministerium filiorum Caath in tabernaculo fœderis*, scil. in *Sancto sanctorum;* vel, *res sanctissimas*, scil. illi curabunt.

(2) Hebr. est מוֹט, id est *ferculum*, Gall. *brancard*.

Vers. 14. 14. FUSCINULAS, AC TRIDENTES, UNCINOS. — In Hebræo pro his tribus est una vox מזלגות *mislegot*, quæ significat fuscinulam, sive ea tridens sit, sive unidens, puta uncinus unius dentis. Omittuntur hic phialæ, quæ habentur in Hebræo, de quo dixi *Exodi* XXV, 29.

Vers. 15. 15. NON TANGENT VASA, nuda scilicet, et non operta. Addit S. Thomas Levitas nec ipsa vasa, licet involuta, sed tantum vectes eis impositos tetigisse.

Tropologice Origenes, *homil.* 4 : « Plebs, ait, Christiana Sancta sanctorum velata super humeros portat, dum Sacramenta suscipit, et præcepta implet, quorum rationem non intelligit. »

Vers. 16. 16. SUPER QUOS (Caathitas) ERIT ELEAZAR, — utpote ex Caath oriundus. Gersonitis vero et Meraritis præerat Ithamar, junior Aaronis filius, sed ita ut super omnes superintenderet, et generalem providentiam gereret Eleazar.

AD CUJUS (Eleazari) CURAM PERTINET OLEUM, INCENSUM, ET SACRIFICIUM (juge) QUOD SEMPER OFFERTUR. — Non quod solus Eleazar sacrificaret, aut adoleret incensum, sed quod ejus erat curare et prospicere ne materia hæc, puta ne oleum, simila et incensum deesset. Hæc cura quoad aliqua, postea in Levitas partita est, videlicet cura similæ, vini, thuris, olei et aromatum, ut patet I *Paralip.* IX, 29.

Vers. 18. 18. NOLITE PERDERE POPULUM CAATH, — ne permittatis Caathitas perdi et occidi a me, quod fiet, si tangant Sancta sanctorum, id est vasa tabernaculi sanctissima.

Vers. 28. 28. HIC EST CULTUS, — hoc est ministerium Gersonitarum. Hebræum enim עבודה *aboda* significat opus, servitium, ministerium, et quia hoc hic sacrum erat, ideo a nostro Interprete vocatur *cultus*.

Vers. 37. 37. HOS NUMERAVIT MOYSES ET AARON, JUXTA SERMONEM DOMINI PER MANUM MOYSI. — To *per manum Moysi* refer non ad « numeravit, » sed ad « sermonem Domini, » *q. d.* Numerati sunt omnes juxta sermonem et imperium Domini, qui id fieri jussit « per manum Mosi, » id est per Mosen ministrum et instrumentum suum. Hoc enim significat manus, utpote quæ in homine est organum organorum.

Vers. 49. 49. RECENSUIT EOS MOYSES, UNUMQUEMQUE JUXTA OFFICIUM ET ONERA SUA, — dicendo videlicet, et singulis imperando : Hi Gersonitæ portent cortinas tabernaculi, isti sagum cilicinum, illi velum ostii, et similiter Meraritis et Caathitis, particulatim quibusque sua munia dispertiendo. Atque hæc videtur fuisse tota functio, totumque officium Levitarum ordinarium usque ad Davidem, videlicet portare et custodire vasa tabernaculi, uti indicatur I *Paral.* XXIII, 26. David vero, ut ibidem dicitur, officium canendi, sive psallendi, aliaque eis attribuit, et inter eos distribuit. Dico ordinarium : nam extraordinarie Levitæ in victimis excoriandis, concidendis et cremandis juvabant sacerdotes, quando ipsi ad ea non sufficiebant, ut patet II *Paral.* XXIX, 34 (1).

David Levitis.

Cnus psallendi addidit

Ex his legis veteris ministris ortum habuerunt ministri legis novæ, id est ad eorum exemplum in Ecclesia sunt constituti ; puta ex Levitis diaconi, ex sacerdotibus filiis Aaron presbyteri, ex pontifice Episcopi, ex cantoribus templi cantores Ecclesiæ, ex Aaron et filiis ejus, qui componebant lucernas, *Exod.* XXVII, 21, acolyti, quos ceroferarios vocant ; ex Nathinæis, de quibus dicendum est *Josue* cap. IX, vers. ultim., subdiaconi ; ex Nazaræis, de quibus cap. VI, Religiosi. Ita docet Innocentius III, lib. I *De sacro Altaris mysterio*, a cap. II usque ad VII. Jam si tantum fuit officium Levitarum veterum, qui tantum circa tabernaculum sacerdotibus subserviebant, ut Deus sigillatim hic singulis sua munia operose assignet, quantum erit officium Diaconorum et ministrorum novi Testamenti, qui sacrificio corporis et sanguinis Christi deserviunt ! sane angelicum est, et ab angelis sæpe usurpatum.

Ministri legis novæ ex veteribus orti, qui ex quibus ?

Moraliter, de dignitate Diaconorum.

Cum aliquando die Paschæ in ecclesia S. Mariæ Majoris Gregorius I Pontifex celebraret, et « pax Domini sit semper vobiscum, » dixisset, angelus Domini alta voce respondit : « Et cum spiritu tuo. » Propter quod Papæ ipsa die ibidem celebranti, et « pax Domini, » etc. dicenti, nihil respondetur, inquit Joannes Diaconus, in Vita S. Gregorii.

Angeli ministrant Missæ.

Proculus Episcopus et Martyr e Syria Romam venit tempore Justini Imperatoris, totamque Romanam provinciam percurrens prædicabat, miraculis ac vitæ sanctitate refulgens. Is cum die quadam rem sacram faceret præsente Valentino Episcopo Interamnensi, angelus Domini acceptum de altari calicem in aera videntibus omnibus sublevavit, ac deinde in altari reposuit sanguine consecrato, sanctus autem presbyter de mandato angeli sanguinem consecratum libavit. Ita refert Petrus Episcopus Aquilinus, lib. I *Catal. Sanct.* cap. XV.

In Vita S. Oswaldi Episcopi Vigorniensis, qui vixit anno Domini 1170, narratur quod angelus ipsi sacrificanti ministrarit officiose, et ad singula responderit.

Frater Joannes de Parma, Generalis Franciscanorum, hora constituta venit ad sacrificandum, nec comparebat frater ministraturus : mox adest angelus, et fit minister, vultu ac veste referens Religiosum. Sacrificio finito venit frater, rogatque : Placetne, pater mi, Sacrum facere ? Tum vir Dei cognovit angelum, non Religiosum, Sacro ministrasse. Ita habent eorum Chronica, tomo II, lib. I, cap. LVII.

S. Nilus Abbas, epistola *ad Anastasium Episco-*

(1) Postrema hujus versus verba ex hebr. sic Maurer vertit, *recensiti ejus*, Mosis, id est, in censum ab eo relati fuerunt ii, *quos Jova Mosen censere jusserat*. Alii אשר positum putant pro כאשר, *prout*.

pum, scribit de S. Joanne Chrysostomo eum, quoties fere celebrabat, angelos vidisse : « Cum cœpisset, ait, sanctum sacrificium, plurimæ statim ex illis Virtutibus e cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio et reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc singulæ per totam domum diffusæ, presbyteris et diaconibus distributionem corporis et pretiosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes, et sedulo adjuvantes. »

Audi magis mirandum. Christus Dominus dedit sacram communionem S. Dionysio Areopagitæ. Nam cum ipse carcere cum Rustico et Eleutherio clauderetur, nec posset celebrare, apparuit ei Christus cum angelorum multitudine, et accipiens panem sanctum dedit illi dicens : « Accipe hoc, mi care, quod mox tibi complebo una cum Patre meo; quoniam mecum est maxima merces tua, et his, qui audierint te, salus in regno meo. Nunc age fortiter, et memoria tua erit in laude. » Ita Hilduinus in Vita S. Dionysii.

S. Bonaventura ex humilitate abstinens sacra communione, quasi indignus, particulam consecratæ hostiæ de manu celebrantis per angelum accepit, qui eam illius ori immisit, significans ut omnem sæpe celebrandi scrupulum amoveret, et cum Creatore suo, a quo amabatur, familiariter conversaretur. Ita habet ejus Vita.

Idem contigit cuidam sanctæ matronæ, cui nomen Bertranda, ut habetur in Vita S. Elzearii, cap. XVII.

In Vita SS. Faustini et Jovitæ Martyrum legimus, quod, cum ipsi Secundum militem Mediolani baptizassent, et sacram communionem ei dare vellent, nec haberent panem ex quo eam conficerent, a columba delatum acceperint, eique sumendum porrexerint. Columba, quæ est symbolum Spiritus Sancti, significabat in Eucharistia Spiritum Sanctum quoque adesse. Nam ubi est Filius, ibi est et Pater, et Spiritus Sanctus.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus immundos castris ejici. Secundo, vers. 12, fert legem zelotypiæ, qua mariti uxores de adulterio suspectas per aquas maledictas explorent.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo. 3. Tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cum habitaverim vobiscum. 4. Feceruntque ita filii Israel, et ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 6. Loquere ad filios Israel : Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, 7. confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint. 8. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia. 9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent; 10. et quidquid in Sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 12. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, 13. dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro : 14. si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, 15. adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ : non fundet super eam oleum, nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est, et oblatio investigans adulterium. 16. Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino : 17. assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. 18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium recor-

dationis, et oblationem zelotypiæ : ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit, 19. adjurabitque eam, et dicet : Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es deserto mariti toro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. 20. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro, 21. his maledictionibus subjacebis : Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo ; putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur. 22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier : Amen, amen. 23. Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, 24. et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, 25. tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare ; ita duntaxat ut prius 26. pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, et incendat super altare ; et sic potum det mulieri aquas amarissimas. 27. Quas cum biberit, si polluta est, et contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato ventre computrescet femur : eritque mulier in maledictionem, et in exemplum omni populo. 28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, et faciet liberos. 29. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, et si polluta fuerit, 30. maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, et fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt ; 31. maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam.

Vers. 2. Immundi pelluntur castris.

2. PRÆCIPE FILIIS ISRAEL, UT EJICIANT DE CASTRIS OMNEM LEPROSUM, — in Hebræo additur causa, *quia ego*, scilicet Deus, qui mundissimus sum, *habito in medio vestrum*. Volo ergo castra mea esse munda, ab eisque leprosos aliosque immundos ejici. Ejiciuntur ergo hic extra castra *primo*, leprosi ; *secundo*, ii qui seminis profluvio laborabant ; *tertio*, polluti super mortuo, id est, qui contactu morticini, sive cadaveris humani, legalem pollutionem, id est immunditiem, contraxerant, quorum primi duo exsulabant castris, donec sanarentur : sanati enim prævia lustratione præscripta *Levit.* XIV et XV (exceptis tamen sacrificiis, ibidem præscriptis : hæc enim in deserto non fiebant), in castra recipiebantur ; tertii vero certis diebus se lustrabant, et post septimum diem sine alia cæremonia ad castra redibant, ut patet *Numer.* XIX, 11 et 12.

Nota : Per castra hic cœtus populi totius, non autem Levitarum tantum intelligitur, ut patet. Quare perperam Lyranus ex Rabbi Salomone : Leprosi, inquit, extra castra populi, seminiflui extra castra Levitarum, polluti super mortuo extra castra deitatis, id est extra tabernaculum, quod erat quasi domus Dei, ejiciebantur : omnes enim hi non tantum tabernaculo, sed etiam totis castris populi arcebantur.

Judicialia servabantur in deserto, non cæremonialia, exceptis paucis.

Nota : Præcepta moralia et judicialia servabantur ab Hebræis in deserto, æque ac in terra Chanaan ; cæremonialia vero pleraque non servabantur in deserto, uti patet de circumcisione, *Josue* V, 6, et de sacrificiis, *Amos* V, 25, et *Actor.* VII, 42, ac de festis, saltem quoad sacrificia festo quolibet præscripta : nam quoad cessationem ab opere, festa quæ eam exigebant, servabantur in deserto, nisi movenda essent castra, uti patet de sabbato : nam illud violans, colligensque ligna in sabbato lapidatus est, *Num.* cap. XV, vers. 35. Pari modo in deserto non servabatur persolutio jurium sacerdotalium, puta primitiarum et decimarum ; nec redemptio primogenitorum, post primam illam in Sina factam, *Numer.* III, 46. Idque merito. Nam in deserto sacerdotes suo munere sacerdotali, quod erat sacrificare, non perfungebantur ; ac proinde hæc jura, quasi stipendia sua, non merebantur. Rursum iis non indigebant, cum omnes viverent ex manna : ita Abulensis. Excipe hic nonnulla cæremonialia : nam immundi in deserto post lustrationes præscriptas expiabantur, uti paulo ante dixi. Rursum, panes propositionis ibidem in mensa Domino proponi debebant, uti patet cap. IV, vers. 7. Ignis sacer insuper jugiter fovendus erat, uti patet *Levit.* cap. VI, vers. 13.

Vers. 6. 6. VIR, SIVE MULIER, CUM FECERINT EX OMNIBUS PECCATIS, QUÆ SOLENT HOMINIBUS ACCIDERE, — scilicet cum fecerint aliquam injuriam proximo, in quale peccatum labi solent homines.

Vers. 7. Confessio particularis in lege veteri.

7. CONFITEBUNTUR PECCATUM SUUM (nota hic usum, imo præceptum confessionis particularis in lege veteri), ET REDDENT IPSUM CAPUT. — Hebraice, *reddent ipsum delictum in capite suo*, id est, reddent ipsum caput, ipsam rem quam acceperunt. In hoc enim casu injuriæ et injustitiæ ex lege hac, et ex lege naturæ præscribitur restitutio. Vide *Levit.* VI, 3, ubi idem hic casus explicatus est.

Vers. 8. 8. SIN AUTEM NON FUERIT QUI RECIPIAT (Hebraice, *si non est redemptor*, id est propinquus sive consanguineus qui recipiat : ad propinquum enim defuncti pertinebat redemptio, et etiam receptio rei), DABUNT DOMINO, ET ERIT SACERDOTIS. —

Sacerdos enim est vicarius, et quasi hæres Dei.

EXCEPTO ARIETE (præter arietem) QUI OFFERTUR PRO EXPIATIONE, — quasi in satisfactionem pro peccato. Unde Hebræi dicunt : Cum aries ducitur ad mortem, cogitare debet peccator et reputare, ac si ipse ob peccata sua duceretur ad mortem et confiteri : « O Domine! ego reus sum mortis, ego commerui lapidari, comburi, aut strangulari propter hoc peccatum. Verum quia non vis mortem peccatoris, accipe pro me hunc arietem, quem tibi immolo. »

Vers. 9. 9. OMNES QUOQUE PRIMITIÆ, QUAS OFFERUNT FILII ISRAEL, AD SACERDOTEM PERTINENT. — « Ad sacerdotem, » id est ad sacerdotes : nam primitiæ inter omnes sacerdotes dividebantur; secus erat de sacrificiis : hæc enim sacrificanti cedebant, uti dictum est *Levit.* VI, 26, et cap. VII, vers. 8.

Vers. 10. 10. QUIDQUID IN SANCTUARIUM OFFERTUR A SINGULIS, ET TRADITUR MANIBUS SACERDOTIS, IPSIUS ERIT. — Hebraice, *uniuscujusque sancta,* id est oblata, *et quidquid homo sacerdoti dederit, ipsius erit.* Nam si quis aliquid in gazophylacium injecisset, aut dedisset sacerdoti in manus ad usus templi vel tabernaculi, id templo vel tabernaculo cedebat; sin autem sacerdoti dabat in ejus usus, illi cedebat (1).

Tropologice. Tropologice Rabanus : Primitiæ, ait, bonæ voluntatis, verborum et operum, et quidquid in sanctuario, id est, in Ecclesia, Domino offerunt veri Israelitæ, id est, Ecclesiæ filii, sacerdotis est, id est, Christi Domini est; quia ad ejus gratiam pertinet, ejusque meritis, impetrationi et donationi tribuendum est.

Vers. 12. 12. VIR CUJUS UXOR ERRAVERIT. — Hebraice, *declinaverit,* scilicet ad alium virum per adulterium.

Vers. 13. 13. QUIA NON EST INVENTA IN STUPRO, — in adulterio (2).

Vers. 14. 14. SI SPIRITUS ZELOTYPIÆ (id est, si zelotypia) CONCITAVERIT VIRUM. — Sic spiritus prudentiæ, lenitatis, misericordiæ vocatur ipsa prudentia, lenitas, misericordia.

Miraculosa probatio adulterii in lege veteri. Nota : Uxor quæ laborabat vel culpa, vel suspicione adulterii, jubetur hic a Deo se purgare et probare per aquas zelotypiæ. Miraculo ergo quasi stato et continuo olim apud Judæos explorabatur scelus adulterii; idque ad hoc, nè scilicet si factum, quod suspicabantur, probare non possent zelotypi conjuges, uxores occiderent. Eadem de causa iisdem, utpote duræ cervicis hominibus, permissus est libellus repudii. Simili modo apud Christianos olim mulieres suspectæ de adulterio se purgabant tangendo ferrum candens, si ab eo non adurerentur, uti contigit S. Cunegundi : quæ proba cum a Deo non esset instituta, ideoque esset Dei tentatio, jure a Canonibus est damnata.

Disce hic, inter tribulationes carnis quas sentiunt conjugati, non minimam esse zelotypiam. Apud Persas, non tantum qui appellasset et attigisset regis pellicem, sed et qui in itinere propius prætervectus fuisset, mulctabatur capite, inquit Plutarchus in *Artaxerxe.* Moraliter, de zelotypia et malo conjugii.

Excandescit Catulus in Gellium rivalem, ut puellæ suæ furem. Idem ægre fert Gellium sibi ob pulchritudinem præpositum, ubi ait :

Gellius est pulcher, quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.

Circe venefica ægre ferens Scyllam nympham a Glauco amari, fontem in quo se lavabat infecit veneno, cujus virtute Scylla in monstrum marinum mutata est, uti apposite fingunt Poetæ.

C. Sulpitius uxorem suam repudiavit quod aperto capite ædes egressa esset : « Lex, inquiens, tibi meos unius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes : his esto speciosa, non aliorum oculis placens. »

Antisthenes adolescenti consulenti, cujusmodi uxorem duceret : « Si formosam duxeris, ait, habebis communem; sin deformem, habebis pœnam. » Græce est allusio inter κοινὴν et ποινήν. Suadebat ergo media stataque forma ducendam, quæ nec fastidium moveret viro, nec adulterorum oculos in se provocaret.

Democritus, cum esset procerus, rogatus cur tam parvam duxisset uxorem : « Ego, ait, in malo eligendo, quod minimum erat elegi. » Idem respondit B. Thomas Morus.

Pittacus uxorem ducere noluit : « Quia si pulchram, ait, duxero, habebo zelotypiam, si non meam, certe aliorum ambientium : si turpem, habebo fastidium. »

Socrates dicebat, « se tria mala assecutum : Grammaticam, paupertatem et perniciosam uxorem; quorum duo jam effugisset, tertium effugere non posset. »

Plato, rogatus « quando ducenda esset uxor? juveni, ait, nondum; seni nunquam. » Græce jucundius : μηδέποτε et μηδεπώποτε, subindicans prorsus abstinendum a matrimonio.

Protagoras, rogatus cur filiam dedisset uxorem suo inimico : « Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius. »

Philoxenus, rogatus cur Sophocles bonas introduceret feminas, ipse vero malas : « Quia, ait, quales oporteat esse feminas, Sophocles dicit; ego autem quales sint. » Quare Alfonsus Aragonum rex dicere solebat, « matrimonium sine querelis fore et tranquillum, si maritus surdus fiat,

(1) Vers. 9 et 10. *Primitiæ,* scil. pectus et armus quæ elevando et agitando offerebantur (Conf. *Exod.*, XXIX, 27 et 28), ad sacerdotem pertinent. Sed præter hanc partem, quæ necessario sacerdotibus cedebat, Israelitæ dono voluntario possunt aliam victimæ partem aut munus quodvis iis tribuere; nam, ut fert textus hebr., *suum est cujusque sacrificium, et quod dabit sacerdoti, hujus erit.*

(2) Vers 12 et 13. Hebræa habent, *vir cujus uxor erraverit, et prævaricata fuerit contra eum prævaricationem, dormieritque vir cum ea coitu seminis, idque latet maritum ejus, et abscondita est, et est polluta, neque testis est adversus eam, quia non est deprehensa.*

uxor cæca; » innuens feminas obnoxias esse zelotypiæ, atque inde oriri rixas et querelas : rursum maritis permolestam esse uxorum garrulitatem, qua cariturus sit, si fiat surdus : nec illa vexabitur adulterii suspicione, si careat oculis, vel fugiat oculos aliorum.

Vers. 15. 15. OFFERET OBLATIONEM PRO ILLA, DECIMAM PARTEM SATI FARINÆ HORDEACEÆ. — Satum, hebraice *epha*, Septuaginta *ephi*, mensura erat aridorum continens tres modios : erat enim decima pars cori : corus autem continebat 30 modios. Unde Chaldæus pro sato uno vertit tria sata, id est tres modios, sive tria vasa minora.

NON FUNDET SUPER EAM (oblationem zelotypiæ) OLEUM (quia oleum symbolum est misericordiæ, non crudelis zelotypiæ), NEC IMPONET THUS,— quia thus est symbolum devotionis et bonæ famæ, non autem infamiæ hoc sacrificio adulteræ irrogandæ. Adde omnia hic vilitatem spectare : unde et terra in aquam bibendam immittitur, ut significetur vilitas in quam se abjecit adultera. Ita Theodoretus, *Quæst.* X, et Cyrillus, lib. XIV *De Adoratione*, pag. 284 (1).

Vers. 17. 17. ASSUMETQUE AQUAM SANCTAM, — id est aquam deputatam ad usus sanctos in tabernaculo (2) : eadem tamen vers. 18 et 19 vocatur aqua amarissima, tum quia maledictionibus sacerdotis erat quasi onusta et gravida, tum quia epota ab adultera amaritudine magna eam afficiebat.

ET PAUXILLUM TERRÆ DE PAVIMENTO TABERNACULI MITTET IN EAM, — ut significetur adulteram esse vilem instar pulveris, qui pedibus calcatur. Unde *Eccli.* IX dicitur : « Mulier fornicaria quasi lutum conculcabitur. » Sumitur autem terra hæc ex atrio tabernaculi, quia, quando sacerdos probam hanc faciebat, erat in atrio tabernaculi. Ita Abulensis.

Vers. 18. 18. DISCOOPERIET CAPUT EJUS. — Jubetur hic mulier rea, vel suspecta de adulterio, nudo capite sisti Domino, ut significetur omnia Deo esse nuda et aperta; nec adulterium, nec quidquam eorum quæ secreto et in occulto fiunt, Deum latere. Ita Theodoretus, *Quæst.* X, et Procopius. Idque ad hoc, ut videlicet mulier hoc ritu videns se sisti coram Domino, serio contremiscat, pœniteat et culpam (si rea est) fateatur; ne negando crimen, perjurio execratorio, quod mox subitura est (uti jubetur vers. 22), duplicet, Deique vindictam et execrationem statim incurrat.

ET PONET SUPER MANUS ILLIUS (mulieris de adulterio suspectæ) SACRIFICIUM RECORDATIONIS. — Dicitur « recordationis, » quia pars sacrificii farrei, sive mincha offerebatur Deo in monumentum et recordationem, quod tota farina vel mincha per hanc sui partem Deo esset oblata. Vide dicta *Levit.* II, 2. *Secundo*, et potius dicitur « recordationis, » quia, ut vers. 15 in Hebræo additur, est sacrificium commemorans peccatum, quod Noster vertit, *investigans adulterium.*

IPSE (sacerdos) AUTEM TENEBIT AQUAS AMARISSIMAS, IN QUIBUS CUM EXECRATIONE MALEDICTA CONGESSIT.— Quæres, quænam fuerint hæ maledictiones a sacerdote super aquas prolatæ et congestæ? Verisimile est ex vers. 21, has, vel his similes fuisse : Aqua maledicta sis in nomine Domini; et si mulier ista peccavit adulterio, ingrediaris uterum ejus, eumque disrumpas, atque putrescere facias femur ejus, ut sit in exemplum toti populo. Quæ maledictiones super aquas prolatæ fuerint?

19. ADJURABITQUE EAM : SI NON POLLUTA ES, NON TE NOCEBUNT AQUÆ ISTÆ. — *Noceo*, antiqua syntaxi regebat accusativum : hinc dicitur *Psal.* XXVI, 2 : « Judica, Domine, nocentes me; » et *Luc.* IV, 35 : «Exiit ab eo, neque illum nocuit. » Sic et ait Plautus : « Jura te non nociturum hominem. » Vers. 19.

20 et 21. SIN AUTEM POLLUTA ES, etc., DET TE DOMINUS IN MALEDICTIONEM. — Est hæc secunda maledictio; prior enim erat aquæ, hæc est ipsius mulieris. Hebraice est, *det te Dominus in execrationem, et in juramentum in medio populi tui.* « In juramentum, » id est, in imprecationem, *q. d.* Sis tam misera et infelix, ut publica et communis hominum imprecatio sit hæc : Contingat tibi quod illi adulteræ contigit. Vers. 20 et 21.

22. ET RESPONDEBIT MULIER, AMEN. — Nota : Hic erat ordo hujus probæ, ut patet ex Hebræo : *Primo*, sacerdos maledictiones proferebat super aquas. *Secundo*, proferebat maledictiones super mulierem, ipsa respondente, Amen. *Tertio*, has secundas maledictiones scribebat in libro : mox scripturam abluebat aquis maledictionis mulieri propinandis. *Quarto*, accipiebat ab ea mincha, puta similam, et ex ea de more pugillum Domino adolebat et cremabat; reliquum vero sibi servabat. *Quinto*, potum aquæ maledictæ dabat mulieri, quæ si criminis esset rea, intumescebat venter ejus, et femur putrescebat. Addunt Judæi : et moriebatur; quod etiam satis significat noster Interpres, et Septuaginta vers. 21, factum esse disruptione uteri : idque fiebat statim, ut videtur. Nam quod Josephus, lib. III, cap. X, obscure innuit, hanc pœnam dilatam fuisse ad decem menses, non satis cum S. Scriptura hic, neque cum more divinæ providentiæ et vindictæ congruit. Hæc enim solet sua miracula et judicia citissime operari, maxime per signa a se instituta; præsertim cum hac vindicta detegendum esset hic facinus uxoris, ut marito zelotypo satisfieret, qui alioqui eam perrexisset vexare, imo occidisset; ad quod tamen præcavendum hæc proba a Deo fuit instituta. Vers. 22. Ordo et ritus probæ adulterii per aquas zelotypiæ, sive maledictionis. Adulteræ uterus lis aquis rumpebatur.

Nota : Hic tumor uteri, et putrefactio femoris, non ab aliqua vi aquis insita, sed tantum a Deo ad cæremoniam hanc adhibitam producebantur.

Porro hac lege et pœna testabatur Deus, *primo*, se fidei conjugalis præsidem esse ac vindicem, atque innocentiæ testem et custodem, ne videlicet Causæ hujus probæ. Prima.

(1) Pro *oblatio investigans adulterium*, hebr. est, *oblatio memoriæ in memoriam revocans culpam*, scil. Deo ultori.

(2) Eam sumet e labro æneo.

zelotypia dissidium gigneret, lites, rixas et cædes; *secundo*, se occulta scelera videre, notare et prodere; *tertio*, adulterium grave esse scelus, publica et horribili pœna dignum, ut uxores continerentur in officio, et ab impudicitia coercerentur metu tam gravis pœnæ. Solent enim hæc adulteria committi in occulto, ut juridice probari vix possent : unde Deus hic eorum sibi judicium arrogat. Ita Vatablus. Addunt Judæi eamdem plagam inflictam fuisse ipsi adultero, etiamsi is occultus esset : fides sit penes eos.

Secunda. Tertia.

Vers. 24 et 25. 24 et 25. QUAS CUM EXHAUSERIT, TOLLET SACERDOS DE MANU EJUS SACRIFICIUM. — « Exhauserit, » id est hauserit, vel hauriet. Nam fere simul et eodem tempore, mulier bibebat aquas, et sacerdos adolebat mincha, ita ut moraliter hæc duo censerentur fieri quasi eodem tempore. Ordo enim erat is quem dixi vers. 22, quem noster quoque Interpres clare exprimit vers. 26, scilicet quod prius sacerdos adoleverit mincha, deinde aquas mulieri potandas dederit.

Vers. 27. 27. PERTRANSIBUNT EAM. — Hebraice, *ingredientur in eam.*

Vers. 28. 28. QUOD SI POLLUTA NON FUERIT, ERIT INNOXIA (id est impunita, non lædetur ab aquis hisce maledictionis : sic insons sumitur pro impunito, *Exod.* XX, 7), ET FACIET LIBEROS. — Chaldæus vertit, *et concipiet conceptionem*; Septuaginta, *et seminabit semen*, id est filium ex semine concepto producet. Videtur hic Deus promittere uxori innocenti fecunditatem et liberos, ob suspicionem adulterii, et ignominiam probæ hujus, quam insons immerito passa est.

Addunt et fabulantur Rabbini eam per miraculum sine semine concepisse instar B. Virginis, uti referunt et refutant Abulensis, Lyranus et Dionysius Carthusianus.

Morale, de enormitate adulterii. Vide hic quantum crimen sit, quamque Deo et hominibus exosum adulterium. Audi S. Job, cap. XXXI, 9 : « Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit uxor mea. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. » Et *Eccli.* cap. XXIII, 25 : « Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens dicit : Quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi. Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. *Primo* enim in lege Altissimi incredibilis (incredula, inobediens) fuit. *Secundo*, in virum suum deliquit. *Tertio*, in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur. »

Geradas Spartanus, rogatus qua pœna Spartani plecterent adulterum : « Nullus, ait, Spartæ adulter est. » Cumque instaret alter quid, si existat? Dabit, inquit, bovem tantum, ut porrecto ultra Taygetum collo, bibat ex Eurota. Risit alter dicens : Fieri non potest, ut tantus bos inveniatur. « Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua deliciæ, divitiæ, et corporis ascititius cultus probro habentur? »

Thales adultero sciscitanti an abjuraturus esset perjurium : « Non est, ait, perjurium adulterio pejus, » *q. d.* Quid rogas de pejerando, cum facinus perjurio par non dubitaris committere?

Adde adulterium sæpe esse causam cædium et parricidiorum. Ita David ob adulterium cum Bersabee, commisit homicidium Uriæ. Clytemnestra cum Ægistho adultero in perniciem mariti Agamemnonis conjuravit; quo interempto Orestis furor in matrem concitatus est. Ita Euripides in *Oreste.*

Euridice Macedonum regina, Amyntæ uxor, atque Philippi mater, ut adultero regnum traderet, Alexandrum et Perdiccam filios veneno sustulit; idemque viro fecisset, nisi filia scelus detexisset. Quin et bestiæ adulterium detestantur et vindicant. Audi Guilielmum Parisiensem, primæ partis *De Universo* part. III, cap. VIII : « Tempore, ait, meo, ciconia tanquam de adulterio convicta per olfactum masculi sui, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente ejus crimen, a tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. »

Cuculus probrum est avium et hominum, quia nidos et ova aliarum avium invadit, eis incubat, eaque excludit, teste Plinio, lib. X, cap. IX. Vide dicta *Genes.* XXXVIII, 24.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur votum, consecratio et ritus Nazaræorum. Secundo, vers. 23, datur forma benedictionis, qua sacerdotes benedicant populo.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare ; 3. a vino, et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent ; uvas recentes siccasque non comedent ; 4. cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur, quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent. 5. Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. 6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur ; 7. nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei super caput ejus est. 8. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. 9. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus : quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima ; 10. in octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, sacerdoti in introitu fœderis testimonii, 11. facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo : sanctificabitque caput ejus in die illo ; 12. et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato : ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus. 13. Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis ; 14. et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam pacificam, 15. canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum : 16. quæ offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum. 17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more debentur. 18. Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ ; tolletque capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. 19. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum, et tradet in manus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus. 20. Susceptaque rursum ab eo elevabit in conspectu Domini : et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, et femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum. 21. Ista est lex Nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus, juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 23. Loquere Aaron et filiis ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : 24. Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. 25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. 26. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. 27. Invocabuntque nomen meum super filios Israel ; et ego benedicam eis.

Vers. 2. 2. VIR, SIVE MULIER, CUM FECERINT VOTUM UT SANCTIFICENTUR. — Hebraice, *cum separaverint*, vel *mirificaverint se ad vovendum*, id est cum voverint votum Nazaræi, ut separent se a communi homi-

num consuetudine et vivendi ratione (quod quid novum et mirum est), et consecrent se Domino. Sanctificatio ergo hic significat separationem a communi hominum vita, et abstinentiam a vino et sicera, id est potu omni qui inebriare potest, idque ad honorem et cultum Dei, a qua separatione Nazaræus, id est separatus, dicitur. De quo plura vers. 7.

Nazaræi qui? alii erant pœnitentes, alii contemplantes.

Nazaræi apud Judæos erant viri religiosi, qui, ut liberius vacarent legi et meditationi rerum divinarum, aliorum commercio se abdicabant, vel semper, vel ad tempus, et Domino se totos dedebant; vel qui, cum profusius vino et reliquis deliciis usi fuissent, postea abstinentiæ et severioris vitæ generi se mancipabant, ut corpus affligerent. Hi erant Nazaræi pœnitentes; priores erant quasi contemplantes. Ita Vatablus. Porro Nazaræi erant duplices : quidam enim habebant votum perpetuum, ut Samuel, I *Reg.* XXVIII, et Samson, *Judic.* XII, 7; alii ad certum tempus, quod non erat lege definitum, sed unusquisque pro sua devotione tempus sibi præfiniebat. Talis Nazaræus fuit S. Paulus, *Act.* XXI, 23.

Nazaræi alii perpetui, alii ad tempus, ut S. Paulus.

Vers. 3. 3. QUIDQUID DE UVA EXPRIMITUR. — Hebraice, *residuum uvarum*, id est, quod ab uvis jam pressis postea vel aqua madefactis, vel coctis, reliqui humoris exprimitur. Nil enim tale comedere aut bibere poterant Nazaræi.

Vers. 4. 4. AB UVA PASSA USQUE AD ACINUM NON COMEDENT, — id est ne acinum quidem uvæ, seu nihil omnino quod uvæ est, comedent. Hoc enim significat hæc phrasis Hebræorum (1). Similis est cap. VIII, vers. 4, in Hebræo, et *Genes.* cap. XIV, vers. 23, ubi dicitur : « A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, » id est, ne filum quidem aut corrigiam accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Hinc patet Nazaræos non potuisse comedere uvas passas et siccas.

Nazaræi non poterant comedere uvas passas.

Vers. 5. 5. NOVACULA NON TRANSIBIT PER CAPUT EJUS, — scilicet ad radendum vel ad tondendum crines Nazaræi.

USQUE AD COMPLETUM DIEM, QUO DOMINO CONSECRATUR. — Hebraice, usque dum impleantur dies, quibus separavit se Domino.

SANCTUS ERIT CRESCENTE CÆSARIE CAPITIS EJUS, — *q. d.* Nazaræus erit et cognoscetur, si secundum hoc meum præceptum sinat promissam excrescere comam.

Nazaræus alebat comam, cur?

Jussit Deus Nazaræum alere crines, partim ut hoc signo ostenderetur eum a cultu, æque ac a deliciis corporis separatum esse, partim ut eos in termino voti sui Domino daret.

Vers. 6. Non poterat interesse funeri etiam patris.

6. SUPER MORTUUM NON INGREDIETUR, — non ibit ad funus mortui, ne quidem patris aut matris. Qua in re Nazaræi perfectiores erant communibus sacerdotibus; hi enim poterant interesse funeri patris, matris, fratris et sororis, atque æquantur summo Pontifici, qui nec patris nec matris funus adire poterat, *Levit.* XXI, 11.

Triplex contaminatio funeris olim.

Nota : Apud Hebræos contaminabatur aliquis super mortuo tripliciter : *primo*, si tangeret cadaver aut ossa, etiam reperta in agro; *secundo*, si iret ad exequias plangentium mortuum, aut si esset in domo in qua jacet mortuus, vel agens animam, ait Abulensis. *Tertio*, si aliqua ejus vasa contingeret, ut patet *Numer.* XIX, 10 et seq.

Vers. 7. 7. QUIA CONSECRATIO DEI SUPER CAPUT EJUS EST, — *q. d.* Quia coma intonsa super caput ejus est, quæ ostendat illum Domino esse separatum, coronatum et consecratum; et in hac cæsarie sive coma videtur præcipua, et a qua maxime dignoscebantur et denominabantur, fuisse Nazaræorum cæremonia. Unde sequitur :

Vers. 9. 9. SIN AUTEM MORTUUS FUERIT QUISPIAM CORAM EO, POLLUETUR CAPUT CONSECRATIONIS EJUS, — id est, polluetur ejus consecratio, quæ maxime apparet in cæsarie capitis; ideoque ne capilli hi Nazaræorum quasi sacri postea profanarentur, finito voto, Domino cui consecrati erant, comburebantur, ut patet vers. 18 (2).

Nazaræus primo, est separatus. Secundo, consecratus. Tertio, coronatus, Quarto, comatus. Christus Nazaræus, unde?

Nota, נזר *nezer* significat *primo*, separationem; *secundo*, consecrationem; *tertio*, coronam; *quarto*, cæsariem sive comam instar coronæ, quæ Deo consecrabatur. Hinc a *nezer* deductum נזיר *nazir*, id est Nazaræus, significat *primo*, separatum Deo; *secundo*, consecratum; *tertio*, coronatum; *quarto*, cæsarem sive comatum.

Allegorice, Rupertus hæc omnia accommodat Christo, de quo *Matth.* II, vers. ult., per Prophetas prædictum dicitur : « Quoniam Nazaræus vocabitur; » quod exponens S. Hieronymus : Nazaræus, ait, sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat, ejusque sanctitatem Nazaræi hi omnes, et nominatim Joseph patriarcha, *Genes.* XLIX, 26, et Samson, *Judic.* XIII, 5, præsignarunt : cujus symbolo in Nazareth educatus est Christus, Dei providentia per hoc significante, quod ipse vita et moribus esset Nazaræus; idque fuse probat Leo Castrius in cap. XI *Isai.* vers. 1, tum ex aliis, tum ex eo quod Evangelistæ *Nazarenus* semper scribant per litteram *zeta*, quæ respondet Hebræo *zain*, qua littera scribuntur hi nostri Nazaræi. Si enim *Nazarenus* a נצר *netser*, *Isai.* XI, 1, id est flos vel surculus, deduceretur, ut multi volunt, tunc non scriberent *Nazarenus* per *z*, sed per litteram *s*. *Netser* enim ibi per *tsade* scribitur, quæ littera semper a scriptoribus sacris vertitur per *s*, nunquam per *z*; sed de hac re exactius agendum est *Matth.* II.

Tropologice, Nazaræi sunt continentes.

Tropologice Rabanus et Cyrillus, lib. XVI *De Adoratione*, in Nazaræis putant abstinentium continentiumque vitam signari. Qui ergo vult Deo se

(1) Quæ proprie vertenda est, *a granulo*, seu *acino, ad corticem exteriorem*.

(2) Hebr. est, *radet caput suum in die purificationis suæ*, nimirum *septem post diebus*, ita ut semel tantum, non bis, ut infra vult Cornelius noster, rasio fiat. Cf. *Num.* XIX, 11, 12.

magno voto, id est perfectæ justitiæ vita consecrare, hic a vino et sicera, id est omni re quæ perturbare potest, animum abducat. Hæc autem sunt sensus mundanus, terrenæ cupiditates, sollicitudines carnis, vanæ distractiones. Alat comam capitis, id est mentem non habeat nudam, sed divinis cogitationibus et scientia comptam. Ad patrem et matrem non ingrediatur, id est abdicet carnalem amorem, et sanguinis conjunctioni præferat Deum.

Maxime Religiosi. Quare Nazaræi Religiosorum nostrorum vitam præsignarunt, uti docet S. Gregorius Nazianzenus, orat. *in laudem S. Basilii*, S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. XVII, Innocentius citatus cap. IV, 49,

Primo. D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVI, art. 6. Religiosi ergo sunt veri Nazaræi, id est separati a communi hominum vita, itemque coronati in capite quasi Reges et Cæsares, tam cœli quam terræ, de quibus dicitur, *Thren.* IV: « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. » In nive et lacte significatur Religiosorum castitas; in ebore antiquo jugis et fortis obedientia; in sapphiro, qui cœlestis est coloris, paupertas quæ spem in solum Deum defigit. Hinc vers. 21, Nazaræatus vocatur status perfectionis et sanctificationis, scilicet legis veteris: sicut Religio in lege nova status est perfectionis, non acquisitæ (hic enim est Episcopatus), sed acquirendæ per tria vota. Nam, ut ait Eusebius Emissenus: « Religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. » Unde plane aberrant quidam ad Religionem conversi, « qui, ut ait B. Prosper *De Vita contemplativa*, ex pristinis moribus nihil abjiciunt, quia scilicet non mutantur mente, sed veste; non actu, sed habitu; non opere, sed sermone. In Religione enim sæculariter vivunt, opinionem virtutis pro virtute quærunt, prædicant magna nec faciunt, accusant vitia nec deponunt, publice sibi displicere simulant quod occulte committunt. »

Secundo. *Secundo*, sicut Nazaræi, ita et Religiosi vino, omnique eo quod mentem turbare vel inquinare potest, abstinere debent. Audiant ipsi S. Hieronymum Paulinum monachum instituentem: « Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina; interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis: qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere de quam pretiosis cibis stercus conficiat. » Et infra: « Nihil in te mediocre esse contentus sum, totum summum, totum perfectum desidero. »

Tertio. *Tertio*, Nazaræi etiam acinis abstinere debebant, ne videlicet ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum transirent: ita Religiosi omnem, etiam minimam et remotam occasionem gulæ et peccati præscindere debent. Nam, ut recte ait Glossa in illud *Job* XXXI, *Pepigi fœdus cum oculis meis*: « Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectionem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. »

Minimorum neglectus solvit disciplinam. Audiant Religiosi, audiant Ecclesiastici, quid efficiat minimorum canonum et ordinationum neglectus, S. Antoninum docentem, II part. *Histor.*, tit. XV, § 2, postquam de Religionibus multis egit: « Præfatæ, ait, Religiones, quæ cum magno fervore et vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt et exinanitæ sunt, usque ad fundamentum in eis, vota scilicet substantialia; sed miseratione divina a septuaginta annis pullulantes, refloruerunt in paucis se reformantibus ad vitam regularem. »

Audiant S. Anselmum, epist. 6 *ad Monachos*: « Certissimum, ait, est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ubi rigor monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, et in capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur et destruitur. Si ergo de virtute in virtutem vultis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere. »

Merito ergo Religiosos et Religiosas monet S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De fuco*, dicens: « Illud velim ne ignores rugam unam tibi turpiorem esse quam maxima vulnera iis qui in mundo vivunt; neque enim tam notabilem ac conspicuam in sordidis, quam in puris unius coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet. »

Quarto. *Quarto*, Nazaræus non poterat lugere mortuum, etiam patrem vel matrem: ita Religiosi omnes carnales affectus erga parentes truncare debent, et audire illud Christi, *Matth.* VIII, 22: « Sequere me; » et: « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; » et illud *Psalm.* XLIV: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. »

Quinto. *Quinto*, Nazaræus polluebatur etiam ex sola præsentia cadaveris: ita Religiosus ab omni peccato remotissimus esse debet, de quo plura vers. 9.

Sexto. *Sexto*, Nazaræi sanctificatio maxime sita erat in cæsarie nutrienda. Hæc autem mystice est sanctarum cogitationum germinatio, quibus homo sanctus efficitur; hasce autem fovent et nutriunt Religiosi.

Septimo. *Septimo*, si contingeret Nazaræum pollui super mortuo, cæsaries ejus quasi polluta radebatur, ut nova succresceret: ita Religiosi, si cogitationes et affectus eorum aliqua peccati labe inquinentur, mox eas amputant, et alias sanctas de novo accersunt.

Octavo. *Octavo*, si pollueretur Nazaræus; dies præteriti Nazaræatus irriti censebantur, cogebaturque de novo tempus voti inchoare; gaudet enim Deus maxime continua societate. Ita Religiosus, si lapsus sit in negligentiam aut aliud peccatum, iterum

novo conatu, ac si nihil antea egisset, viam virtutis arripere debet, ac dicere cum Psalte, *Psal.* LXXVI : « Dixi : Nunc cœpi. »

Nono. *Nono*, peracto voti tempore radebatur Nazaræus, capillique in altari holocausti cremabantur; quo significabatur, ait Gregorius, lib. II *Moral.* cap. XXXIX, « tunc nos ad perfectionis summam pertingere, cum sic deteriora vitia superamus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus, quas nimirum sacrificii igne concremare, est eas flamma divini amoris incendere, ut cor totum Dei amore ardeat. » Tuncque Nazaræus offerebat *primo*, hostiam pro peccato, quæ significat plenam peccatorum remissionem, quam Religiosi in ingressu Religionis percipiunt. Unde et a S. Hieronymo, epist. *ad Demetriadem*, et a S. Bernardo, lib. *De Præcepto et dispensatione*, cap. XXIII, et aliis, Religionis ingressus vocatur secundus baptismus; *secundo*, hostiam pacificam, quæ significabat Deum Religiosorum precibus facile placari et annuere; *tertio*, holocaustum, quod significabat Religionem non esse aliud quam holocaustum, uti docet D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVI, art. 7, quia sicut in holocausto tota hostia cremabatur, ita Religiosus nihil habet quod Deo non offerat. Nam externas opes offert per votum paupertatis, bonum corporis offert per votum castitatis, bonum animæ offert per votum obedientiæ. Denique, ut religioni nullum genus sacrificii desit, ipsa quoque illustrissimum quoddam est martyrium. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*, « devotæ mentis immaculata servitus quotidianum est martyrium; » et S. Bernardus, serm. 1 *in festo omnium Sanctorum* : « Vere, ait, martyrii genus est paupertas voluntaria. »

Religio est secundus baptismus.

Religiosus est holocaustum.

Religio est martyrium.

Munia Religiosi. Audi qualia sint munia et martyria monachi, ex S. Hieronymo *ad Rusticum* : « In monasterio, ait, hic te silentium, ille doceat mansuetudinem; non facias quod vis; comedas quod juberis, vestiare quod acceperis; operis tui pensum persolvas. Subjiciaris cui non vis; lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, et necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur; servias fratribus, hospitum laves pedes, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut patrem; credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt; feminæ nomen tuum noverint, et cultum tuum nesciant; multo tempore disce quod doceas, nec credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus. »

Hæc et plura Viegas in *Apocal.* IX, 2, sect. 11. Vide et Hieronymum Platum, *De Bono status religiosi*, lib. II, cap. XIX, et cap. XII et XV.

Vers. 9. 9. SIN AUTEM MORTUUS FUERIT SUBITO QUISPIAM CORAM EO, POLLUETUR CAPUT CONSECRATIONIS EJUS.

Nazaræus pollutus, si quis coram eo moriatur. — Cur hoc? Respondet Lyranus, ut Nazaræus ejusmodi mortem suis peccatis attribueret. Tanta enim debet esse humilitas in viro religioso, ut quidquid mali contingit, suis peccatis attribuat.

Us polluebatur si quis coram eo moreretur, cur? Prima responsio.

Secundo, Viegas supra : Censetur, ait, Nazaræus pollutus, si quis coram eo moriatur, quia existimari poterat ipse esse ejus interfector; ut significaretur viro religioso vel ipsam mali speciem ac præsumptionem, etiam expertem culpæ, omnibus modis fugiendam esse, juxta illud I *Thessal.* V : « Ab omni specie mala abstinete vos. »

Secunda.

Tertio et plane genuine, Abulensis : Polluebatur, ait, Nazaræus, si quis coram eo moreretur, quia ipse debebat immunis esse ab omni contaminatione; erat enim largiter sanctissimus, in mortuis autem illa lege maxima erat contaminatio. Unde perinde si in Nazaræum casu cadaver aliquod, vel ossa mortui incidissent, aut si ipse casu in domum mortui delapsus aut delatus fuisset, pollutus fuisset, idque ut per hoc significaretur virum religiosum ab omni peccato (hujus enim typus erat cadaver), etiam casuali et subreptitio, etiam alieno, remotissimum esse debere.

Tertia et genuina.

QUOD (caput pollutum) RADET ILLICO IN EADEM DIE PURGATIONIS SUÆ (*q. d.* Radet caput eodem die quo pollutum est, ut eodem die hac rasione purgetur a contaminatione mortui), ET RURSUM SEPTIMA — die radet caput, idque ad majorem munditiem. Verum Hebræi et Vatablus putant non primo, sed septimo die tantum radendum fuisse caput Nazaræi; hoc enim innuunt Hebræa, quæ sic habent : *Radet caput suum in die purgationis suæ, in die septima radet illud.* Sed noster Interpres sagaciter intellexit, more Hebræo subaudiri copulam *et*, *q. d. Et* in die septima radet illud. Nec enim verisimile est Nazaræum in sua pollutione permansisse usque ad septimum diem, sed illico purgari et radi debuisse, illudque satis innuit Hebræum *vau*, id est *et*, quod Noster recte vertit *illico*; sic enim habent Hebræa, *et polluetur et radet*, id est mox ut pollutus fuerit, radet.

Nota : Hæc rasio tantum facienda erat a Nazaræo temporali : nam perpetuus nunquam radebatur, quomodocumque pollueretur, ac consequenter nec offerebat turtures vel pullos columbarum ad sui expiationem, uti docet Abulensis, Quæst. XI in cap. XIII *Judicum*. Omnia enim hoc cap. præscripta tantum spectant Nazaræum, qui talis est ad certum tempus, ut patet vers. 4, 5, 6, 13 et 18.

10. IN INTROITU FOEDERIS TESTIMONII, — id est in introitu tabernaculi testimonii. Ita Hebræa, Chaldæa, Septuaginta. Tabernaculum ergo hic dicitur fœdus metonymice : quia signum erat fœderis inter Deum et populum per Mosen initi. Vers. 10.

11. FACIETQUE SACERDOS UNUM (turturem) PRO PECCATO. — « Faciet, » id est sacrificabit et jugulabit; carnes vero ejus cedent sacerdoti. Nam in sacrificio pro peccato adipes tantum adolendi et cremandi erant juxta legem *Levit.* VII, 1. In turture autem et columba nullus est adeps : ergo solus Vers. 11.

eorum sanguis Deo libandus et effundendus erat.

QUIA PECCAVIT SUPER MORTUO, — quia contaminatus est super mortuo, puta quia pollutus est ex funere mortui. Peccatum enim hic significat non culpam, sed immunditiem legalem. Vide dicta *Levit.* XV, 15.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. SANCTIFICABITQUE CAPUT EJUS IN DIE ILLO, ET CONSECRABIT DOMINO DIES SEPARATIONIS ILLIUS,— Hebraice, *dies Nazaræatus illius*, id est ex eo tempore incipiet rursus numerare tempus Nazaræatus illius, sive tempus quo voverat alter se fore Nazaræum, *q. d.* Sacerdos restituet hac lustratione caput Nazaræi pristinæ sanctitati et consecrationi, ut ab illa die lustrationis rursum incipiant dies voti et consecrationis ejus : nam primi dies per pollutionem secutam facti sunt irriti.

Vers. 13. 13. CUM DIES, QUOS EX VOTO DECREVERAT, COMPLEBUNTUR, ADDUCET (supple sacerdos : hic enim est minister tabernaculi et omnium rerum sacrarum) EUM (Nazaræum) AD OSTIUM TABERNACULI FOEDERIS, — ut pro eo offerat omne, id est triplex, genus sacrificii, scilicet « agnum in holocaustum, arietem in hostiam pacificam, et ovem pro peccato, » non certo aliquo et determinato, sed pro peccato, id est pro peccatis in genere, si quæ ante, præsertim in Nazaræatu suo, admisit. Ita Abulensis.

Nazaræus in fine voti offerebat omnis generis victimas.

Vers. 15. 15. CANISTRUM QUOQUE PANUM AZYMORUM, QUI CONSPERSI (id est subacti) SINT OLEO (cum farina pinseretur et subigeretur), AC LIBAMINA SINGULORUM (1); — quæ præscribuntur cap. XV, 4.

Vers. 18. 18. TUNC RADETUR NAZARÆUS ANTE OSTIUM TABERNACULI FOEDERIS, etc., TOLLETQUE (sacerdos) CAPILLOS EJUS, ET PONET SUPER IGNEM. — Comburuntur capilli Nazaræi in honorem Dei, tanquam ei jam ante sacri et consecrati : per capillos enim, qui sunt velamen capitis, significabatur caput ipsum Nazaræi Deo esse consecratum; cumque caput ipsum sine interemptione hominis Deo offerri et comburi non posset, hinc loco capitis capilli Deo dati et combusti sunt, ut hoc symbolo « perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent, » inquit Isidorus. Pari modo Gentiles capillos suos diis, id est dæmonibus, dedicasse, cum se iis offerebant, testatur Theodoretus in cap. XIX *Levit.* Quæst. XXVIII, et Cyrillus, lib. XVI *De Adoratione.* Aliter hæc mystice, uti dixi vers. 7, accipit S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. VI, et Rupertus, scilicet capillos significare superfluas et præsumptuosas cogitationes, ideoque eos juberi comburi et absumi ad honorem Dei.

Capilli Nazaræi Deo comburebantur.

Tonsura Ecclesiastica cœpit a Nazaræis.

Porro a Nazaræis cœpisse usum tonsuræ Ecclesiasticæ docet Isidorus, *De Divin. Offic.* : « Hujus, inquit, exempli (Nazaræorum) usus ab Apostolis introductus est, ut qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur; ut hoc signo et religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis : quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare; quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Hinc et tiara apud veteres constituebatur in capite sacerdotum, quia vos estis genus electum, regale sacerdotium. »

Cujus et alia datur causa, nimirum ob jugem memoriam spineæ coronæ Christi : idque ab Apostolis factitatum, et Ecclesiæ traditum certa assertione docet Beda, lib. V *De Gest. Anglor.* cap. XXII : « Neque, ait, ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est : idcirco et nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice gestamus. Sicut ergo fideles signum crucis gestant in fronte, contra malignos spiritus, et ut doceantur se carnem cum vitiis crucifigere debere : ita clerici et monachi gerunt formam coronæ, quam Christus in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret, et auferret a nobis : ut ipsi se irrisiones et opprobria pro Christo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant; ut coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper se exspectare, proque hujus perceptione, et adversa mundi et prospera contemnere designent. » Hæc et plura Beda, atque Albinus Flaccus, *De Divinis Officiis.*

Monachis vero jam a tempore S. Dionysii Areopagitæ, ut ipse testatur *Eccl. hierar.* part. II, III, caput radi consuevit : capitis enim abrasio monitio est et symbolum, *primo*, lugentis et mœrentis hominis; *secundo*, casti et « ornatu pudicitiæ inornati, » ut ait S. Paulinus, *epist.* 7; *tertio*, terrena contemnentis, et cœlestia meditantis. Plura vide apud Baronium anno Christi 58.

Vers. 20. 20. SANCTIFICATA (id est elevata, et oblata Deo) SACERDOTIS ERUNT, SICUT PECTUSCULUM (ita) ET FEMUR, — armus dexter, uti habent Hebræa; hic enim armus, uti et pectusculum, in hostiis pacificis cedebant sacerdoti, eique ex hostia separabatur, uti patet *Levit.* VII, 31 et 32.

Vers. 21. 21. ISTA EST LEX NAZARÆI, CUM VOVERIT OBLATIONEM SUAM DOMINO, TEMPORE CONSECRATIONIS SUÆ, — cum scilicet voverit Nazaræatum, seu esse Nazaræus, et per consequens cum voverit oblationem faciendam in fine voti, quam ego hic Nazaræis præscripsi : voverit, inquam, eam in die consecrationis, id est in die qua se Deo consecravit, cœpitque esse Nazaræus.

EXCEPTIS HIS QUÆ INVENERIT MANUS EJUS (*q. d.* Offeret hostias jam vers. 14 præscriptas, præter eas, quas sponte offerre voluerit, juxta opes et facultates suas; idque) AD PERFECTIONEM SANCTIFI-

(1) *Singulorum*, scil. trium victimarum, de quibus antea dicebatur.

CATIONIS SUÆ. — Hebraice, *juxta legem Nazaræatus sui*, quæ videlicet spectat perfectionem ejus in sanctitate status illius temporis, puta veteris Testamenti.

Vers. 23 et 24. Benedictio est copia bonorum.

23 et 24. LOQUERE AARON ET FILIIS EJUS : SIC BENEDICETIS FILIIS ISRAEL : BENEDICAT TIBI DOMINUS,— id est det tibi Dominus copiam omnium bonorum temporalium et spiritualium; hoc enim significat benedictio apud Hebræos (1).

Vers. 25. Formula benedictionis sacerdotalis. Illuminatio Dei duplex. Prima.

25. OSTENDAT DOMINUS FACIEM SUAM TIBI. — Hebraice, *illuminet Dominus faciem suam super te*, id est benignum, hilarem, propitium, liberalem se Deus ostendat tibi. Hoc enim significat lux et illuminatio in Scriptura ut *Psalm.* XCVI, 11 : « Lux orta est justo, et rectis corde lætitia; » et *Psalm.* XLIII, 4 : « Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. »

Secunda.

Secundo, melior magisque genuinus sensus est, *q. d.* Dominus sit tibi instar lucis et lucernæ, ut dirigat omnes actus tuos. Id ita esse patet ex eo quod *Psalm.* LXVI, 1, ubi hæ benedictiones iterantur, cum dixisset Psaltes : « Illuminet (Deus) vultum suum super nos, » mox illud explicans subjungit : « Ut cognoscamus in terra viam tuam. » Unde et *Psalm.* IV, 7, dicitur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » *q. d.* Lucerna rationis et fidei in nobis accensa est a lumine tuo divino, o Domine. Simili sensu dicitur *Psalm.* XVII, 29 : « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; » et *Psalm.* CXVIII, 135 : « Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas; » et *Luc.* I, 79 : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; » et *Psal.* LXXXIX, vers. ult. : « Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos. »

Vers. 26.

26. CONVERTAT DOMINUS VULTUM SUUM AD TE, — *q. d.* Consoletur Dominus, adjuvet et protegat te. Metaphorice Deo tribuitur vultus conversio, uti et aversio, significans opem ejus præsentem, uti aversio significat ejus derelictionem. In hac sacerdotum benedictione, ait Rabanus, tripliciter formata, tertio inditum et repetitum est nomen Domini, ut SS. Trinitas, ex qua, per quam, et in qua sunt omnia bona, significetur : unde et jam apud Christianos, et Ecclesiastica benedictio per nomina personarum SS. Trinitatis confertur, dicendo : Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; vel, ut Deus sit in corde tuo, et in ore, ut rite annunties ejus Evangelium, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Benedictio fit per SS. Trinitatem.

Vers. 2

27. INVOCABUNTQUE NOMEN MEUM SUPER FILIOS ISRAEL, — Hebraice, *et ponent nomen meum super filios Israel*, scilicet illud super eos invocando; unde Vatablus et Hebræi sic exponunt, *q. d.* Cum benedicent sacerdotes filiis Israel, adjungent benedictioni suæ nomen meum tetragrammaton.

Efficacia benedictionis sacerdotalis.

ET EGO BENEDICAM EIS. — Nota hic efficaciam et effectum benedictionis sacerdotalis, etiam in lege veteri. Promittit enim hic Deus se benedictionem hanc exauditurum, ac reipsa præstiturum, atque benedicturum, id est benefacturum populo ita a sacerdote benedicto. Ita benedictio parentum, maxime moribundorum, data filiis olim erat efficax, ideoque avide a filiis expetebatur, ut patet in benedictione Isaaci, *Gen.* XXVII, et Jacobi, *Gen.* XLIX, et Mosis, *Deut.* XXXI. Et hoc est quod ait Sapiens, *Eccli.* III, 11 : « Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. » Quid mirum ergo, si benedictio sacerdotum novi Testamenti sit efficax? præsertim si ea fide et devotione petatur et suscipiatur, qua par est. Unde veri Catholici religiose eam petere et excipere solent. Ita Angli plerique, etiam nobiles, ingrediente domum sacerdote, se cum tota familia in terram prosternunt, ab eoque benedictionem supplices efflagitant. Ita a S. Patribus et Anachoretis olim Christiani, etiam principes, benedictionem postulabant, magnumque ejus fructum experiebantur. Ita denique Christus summus sacerdos, ascendens in cœlum suis benedixit, *Luc.* cap. ult. vers. 51. Plura de hac Pontificum benedictione dixi *Eccli.* XXXVI, 19.

(1) Errant igitur Buxtorf, Leusden, etc., qui docent a solo summo sacerdote, semelque in anno, scil. secunda die Expiationum festi, nomen tetragrammaton apud Judæos pronuntiatum fuisse. Cf. Drach, *de l'Harm. entre l'Egl. et la Synag.* tom. I, pag. 370.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Principes duodecim tribuum offerunt tabernaculo recens erecto sua dona, scilicet primo, simul sex plaustra; secundo, seorsim singuli vicissim suas victimas, et vasa ad usum tabernaculi, vers. 12.

1. Factum est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus. 2. Obtulerunt principes Israel et capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique

eorum qui numerati fuerant, 3. munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces et unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. 4. Ait autem Dominus ad Moysen : 5. Suscipe ab eis, ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui. 6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos Levitis. 7. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium; 8. quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, secundum officia et cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis; 9. filiis autem Caath non dedit plaustra et boves, quia in Sanctuario serviunt, et onera propriis portant humeris. 10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum, est oblationem suam ante altare. 11. Dixitque Dominus ad Moysen : Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. 12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda; 13. fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 14. mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso; 15. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 16. hircumque pro peccato; 17. et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab. 18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar, 19. acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 20. mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso; 21. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 22. hircumque pro peccato; 23. et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar. 24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, 25. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 26. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 27. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 28. hircumque pro peccato; 29. et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc est oblatio Eliab filii Helon. 30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur, 31. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 32. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 33. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 34. hircumque pro peccato; 35. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur. 36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai, 37. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 38. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 39. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 40. hircumque pro peccato; 41. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai. 42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel, 43. obtulit acebatulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 44. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum

incenso; 45. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 46. hircumque pro peccato; 47. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Eliasaph filii Duel. 48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud, 49. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 50. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 51. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 52. hircumque pro peccato; 53. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud. 54. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur, 55. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 56. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 57. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 58. hircumque pro peccato; 59. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur. 60. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis, 61. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 62. et mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 63. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 64. hircumque pro peccato; 65. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis. 66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, 67. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 68. mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso; 69. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 70. hircumque pro peccato; 71. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai. 72. Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran, 73. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; 74. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 75. bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, 76. hircumque pro peccato; 77. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran. 78. Die duodecimo princeps filiorum Nephtali, Ahira filius Enan, 79. obtulit acebatulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium; 80. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso; 81. bovem de armento, et arietem et agnum anniculum in holocaustum, 82. hircumque pro peccato; 83. et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. 84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die qua consecratum est, acetabula argentea duodecim : phialæ argenteæ duodecim : mortariola aurea duodecim; 85. ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, et septuaginta siclos haberet una phiala, id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarii. 86. Mortariola aurea duodecim plena incenso,

denos siclos appendentia pondere Sanctuarii, id est, simul auri sicli centum viginti : 87. boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, et libamenta eorum : hirci duodecim pro peccato. 88. In hostias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est. 89. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim : unde et loquebatur ei.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM IN DIE QUA COMPLEVIT MOYSES TABERNACULUM, ET EREXIT ILLUD, — non per se, sed per Beseleel et socios ejus : unde patet Hysterologia. hic esse hysteron proteron. Oblatio enim principum, quæ hoc capite narratur, facta est ante censum populi, qui descriptus est cap. I. Nam erectio et consecratio tabernaculi expleta fuit die prima mensis primi anni secundi, ut patet *Exodi* XL, 18. Eademque die facta est consecratio Aaronis pontificis, et filiorum ejus sacerdotum, uti patet ex eodem cap. *Exodi*. Eodem quoque die (1) cœpit oblatio principum, in tabernaculo jam erecto facta, uti hic dicitur. Ergo juxta historiæ ordinem, caput hoc proxime subnectendum fuisset Exodo. Quare hic non tam historiæ, quam materiæ spectatur ordo : cum enim Moses tabernaculum et altaria descripsisset in Exodo, subtexuit in Levitico descriptionem sacrificiorum, consecrationes sacerdotum, eorumque functiones obeundas in tabernaculo ejusque altaribus; deinde in Numeris subjunxit censum populi, et Levitarum, ut eorum ministeria distingueret, mox Nazaræorum ritum et oblationem : erant enim Nazaræi Deo consecrati, sicuti sacerdotes et Levitæ; ac demum occasione oblationum Nazaræis præscriptarum, apposite transit, imo redit ad oblationem principum, licet ea multo ante esset facta. Simile hysteron proteron videbimus duobus cap. sequentibus.

Lyrani opinio refellitur. Quod ergo R. Salomon, et ex eo Lyranus, ponunt duplicem tabernaculi erectionem : unam quotidianam, quæ quotidie facta sit primis septem diebus consecrationis sacerdotum; alteram stabilem et permanentem, quæ facta sit octavo die a prima erectione tabernaculi, quo finiebatur consecratio sacerdotum : itaque ab hac stabili, puta ab octavo die, inchoandam esse hanc duodecim principum oblationem : hoc, inquam, commentitium videtur, et S. Scripturæ hoc loco repugnat. Illa enim quotidiana tabernaculi erectio frustranea fuisset et permolesta, imo in tot tabulis, columnis et cortinis pene impossibilis, ut recte ostendit Abulensis.

Objicit Lyranus : Ante octavum diem necdum peracta erat consecratio Aaronis et filiorum sacerdotum; ergo primis septem diebus, victimas principum immolare debuit Moses, non Aaron, nec filii ejus, utpote quorum consecratio nondum esset peracta : atqui Moses solus id facere non potuit; quisque enim princeps quotidie offerebat viginti et unam victimas immolandas.

Respondeo : Primis septem diebus Moses solus immolabat, id est mactabat et jugulabat victimas, quod facile ipse solus facere poterat : Aaron vero et filii, post immolationem victimæ, eam excoriabant, concidebant, lavabant, aræ imponebant. Hæc enim facere quoque poterant Levitæ tunc, cum ad ea non sufficerent sacerdotes, ut patet II *Paral.* XXIX, 34.

Nota : Cum duodecim essent principes 12 tribuum, hæc eorum oblatio duravit per totidem dies; quolibet enim die unus princeps sua dona offerebat. Primis ergo septem diebus, cum Aaronis et filiorum consecratio nondum erat perfecta, Moses per se obtulit septem principum sacrificia : in die autem octavo, cum obtulit princeps filiorum Manasse, scilicet Gamaliel, tunc Aaron, utpote jam consecratus pontifex, tam ejus, quam quatuor sequentium principum reliquorum sacrificia obtulit. Ita Abulensis. Moses primis septem diebus immolavit victimas principum.

Vers. 2. 2. OBTULERUNT PRINCIPES ISRAEL, etc., PRÆFECTIQUE EORUM QUI NUMERATI FUERANT (*q. d.* Obtulerunt 12 principes, qui erant præfecti duodecim tribuum, puta Israelitarum omnium, qui recensiti et numerati fuerant, non hic cap. I : illa enim numeratio posterior fuit hac principum oblatione, uti jam dixi; sed anterius, nimirum in priori censu populi, qui factus est *Exod.* XXXVIII, vers. 25. Hi ergo 12 principes, sive præfecti obtulerunt simul prima die) DOMINO (ad vasa tabernaculi per desertum subvehenda) SEX PLAUSTRA TECTA. — « Tecta, » ne videlicet vasa hæc sacra conspici possent a populo, neve læderentur ab imbre, grandine, etc.

Vers. 3. 3. CUM DUODECIM BOBUS. — Quodque enim plaustrum a duobus bobus trahebatur. Bobus enim et asinis, potius quam equis usi sunt Judæi, uti dixi *Exodi* XIII, 13.

UNUM PLAUSTRUM OBTULERE DUO DUCES, — duo principes : cum enim oblata fuerint sex plaustra a duodecim principibus, sequitur duos principes quosque obtulisse unum plaustrum. Boves vero singuli, utpote duodecim, a singulis principibus oblati sunt.

Vers. 8. 8. QUATUOR ALIA PLAUSTRA, ET OCTO BOVES DEDIT FILIIS MERARI, — quia hi graviora habebant onera,

(1) יום hic notat in universum *tempus*, uti sæpius. Quod hic narratur, ait Allioli ad h. l., secundo die secundi mensis anni secundi factum est.

videlicet columnarum omnium, præter alia onera tabularum, basium, etc., adeo ut Abulensis putet omnia eorum onera non potuisse hisce quatuor plaustris imponi, sed quædam ab eis debuisse portari. Vide dicta *Exodi* XXXVIII, in fine.

CULTUM, — id est ministerium; hoc enim est hebraice עבודה *aboda*.

SUB MANU (sub cura, potestate et præfectura) ITHAMAR, — *q. d.* Ithamar præerat Gersonitis et Meraritis, eorumque vasis.

Vers. 9. 9. FILIIS AUTEM CAATH NON DEDIT PLAUSTRA ET BOVES, QUIA IN SANCTUARIO SERVIUNT. — « In Sanctuario, » id est, in Sancto, et in Sancto sanctorum, *q. d.* Caathitæ serviunt Sancto et Sancto sanctorum, custodiendo nimirum vasa quæ erant in Sancto et in Sancto sanctorum : quare hæc vasa non in plaustris, sed in humeris eorum portari volo, idque ob vasorum sanctitatem et reverentiam.

Vers. 11. Consecratio altaris holocaustorum. 11. SINGULI DUCES (principes tribuum) PER SINGULOS DIES OFFERANT MUNERA IN DEDICATIONEM ALTARIS, — holocaustorum scilicet, quod præter unctionem cum aliis tabernaculi vasis communem, habebat aliam specialem dedicationem per septem dies, videlicet quotidianam unctionem et sacrificia, *Exodi* cap. XXIX, vers. 36 et 37, præscripta. Unde et quotidie in tabernaculi quidem totius, sed maxime altaris hujus dedicationem offerebant principes vicissim et viritim sua munera.

Oblatio principum. Cœpit ergo hæc oblatio prima die erectionis et consecrationis tabernaculi, et duravit per 12 dies. Duodecim enim erant principes offerentes, ex quibus quotidie unus sua dona offerebat. Nam dona communia, puta sex plaustra et duodecim boves, primo die omnes principes simul obtulerunt. Porro hi principes sua dona obtulerunt eo ordine, qui erat in ipsis castris et vexillis, *Numer.* II : unde *primo* die obtulit princeps tribus Juda; *secundo*, princeps Issachar; *tertio*, princeps Zabulon, et ita deinceps. Denique obtulerunt eadem munera, ne qua inter eos oriretur æmulatio vel ambitio.

Cur facta ? Nota : Jussit Deus principibus, nomine tribuum suarum, hæc dona offerre, *primo*, ut in eis acueret studium religionis et sacrorum; *secundo*, ut ostenderet laicos et populum jure naturæ divino obligari ad victimas hasce, et ad sumptus tam tabernaculo, quam sacerdotibus alendis necessarios præstandos. Sacerdotes enim nomine totius populi sacra munia obibant : quare ab eis ali, omnesque sumptus Dei cultui necessarios accipere debebant. Denique ut doceret principes maxime decere liberalitatem. Artaxerxes Longimanus dictus, eo quod alteram manum haberet longiorem, dicebat, « magis regium esse addere quam detrahere. » Longimani ergo in dando sint reges et principes. Hac de causa Hebræi principes vocant נדיבים *nedibim*, a radice נדב *nadab*, id est spontaneus, ultroneus, liberalis fuit. *Nedibim* ergo idem est quod εὐεργέται, id est benefici. Et hoc est quod ait Christus, *Lucæ* XXII, 25 : « Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. » *Benefici*, hebraice *nedibim*, id est principes, quia eos maxime decet beneficentia. Ita Ptolemæus Ægypti rex cognominatus est Evergetes, id est beneficus, eo quod idola patria a Cambyse ablata, armis in Ægyptum reportasset.

14. MORTARIOLUM. — Hebraice est כף *caph*, quod noster Interpres alibi *phialam* vertit; sed quia alia vox, quæ phialam significat, hic præcessit, hinc Noster *caph* vertit *mortariolum*, quasi dicas, parvam phialam ad capiendum incensum. *Caph* enim significat parvum vas curvum et concavum (כפף *caphaph* enim significat *curvare*), in quo thus, vel incensum, aut aliud hujusmodi ponebatur. Ita Vatablus et alii. Vers. 14.

15. BOVEM DE ARMENTO. — Nota : Præter vasa, quisque princeps obtulit 21 victimas, easque omnis generis, scilicet bovem, arietem et agnum in holocaustum; hircum pro peccato; pro pacificis vero duos boves, arietes quinque, hircos quinque, et agnos quinque : quas primis septem diebus immolavit Moses; octavo vero die Aaron cœpit fungi sacerdotio, immolavitque victimas octavi principis. Eadem die Aaron immolavit quoque populi victimas, quas scilicet populus offerebat ob novam consecrationem sacerdotum. Eadem quoque die venit ignis de cœlo, qui sacrificia Aaronis absumpsit. Eadem denique die occisi sunt Nadab et Abiu, *Levit.* IX et X. Vers. 15.

18. SECUNDO DIE OBTULIT NATHANAEL. — « Obtulit » eadem, sive talia, qualia primo die obtulerat Nahasson : quæ more Hebræo hic fuse per singulos principes recensentur et repetuntur. Unde Hebræi in suo textu hic non substituunt puncta, utpote quæ semel initio in prima Nahasson oblatione substituerunt. Sic videmus in Exodo, omnia quæ in fabrica tabernaculi jussa sunt fieri cap. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, fuse repeti et narrari tanquam jam facta cap. XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX. Idem repetendi mos est apud Orientales, Moscovitas et alias gentes. Vers. 18.

84. HÆC IN DEDICATIONE ALTARIS OBLATA SUNT A PRINCIPIBUS, IN DIE QUA CONSECRATUM EST. — « In die, » id est, in tempore consecrationis, vel « in die oblata sunt, » id est, offerri cœperunt : nam oblatio hæc duravit per duodecim dies; consecratio vero altaris primo die peracta est. Vers. 84.

89. CUMQUE INGREDERETUR MOYSES TABERNACULUM FOEDERIS, UT CONSULERET ORACULUM, — scilicet Dei sedentis in Sancto sanctorum, super propitiatorium. Hinc patet Mosi in dubiis semper patuisse accessum ad Sanctum sanctorum, cum alias pontifici tantum semel in anno pateret aditus ad Sanctum sanctorum, nimirum in die expiationis. Erat enim Moses legislator et legatus assiduus Dei ad populum : unde Deus humana et sensibili voce, manante ex propitiatorio, cum Mose loquebatur, Vers. 89.

Rectores cum Mose sæpe consulant Deum.

uti hic dicitur. Hac re significabat Deus Principes, Prælatos et Pastores, ut bene populum regant, debere sæpe recurrere ad Deum per orationem, ut ab eo in dubiis edoceantur. Ita enim Moses recurrebat ad oraculum, uti docet S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. v. Sic Minos legislator et rex Cretensium novem annis Jovis fuit collocutor, ait Plato ; hoc enim de eo finxerunt Gentiles.

Refert Plutarchus in *Convivio septem sapientum,* eos inter se quæsivisse : « Quis bonus ac beatus foret princeps. *Primus* Solon, ait, respondit : Qui unius imperium in popularem reipublicæ statum civibus convertit. Subjecit Bias : Qui primus paret legibus patriæ. *Tertius* Thales : Qui naturæ ordine senex moritur. *Quartus* Anacharsis : Qui solus est prudens. *Quintus* Cleobulus : Qui familiarium nemini fidit. *Sextus* Pittacus : Qui subditos ita condocefacit, ut non ipsum, sed ipsius causa metuant. Ultimus Chilo optime : Qui nihil mortale, sed omnia immortalia meditatur. » Hoc didicit Moses assidue versans cum Deo in tabernaculo. Ita B. Thomas Morus, sapientissimus et rectissimus Angliæ Cancellarius, quotidie multum temporis orationi, piæ lectioni et meditationi colloquens cum Deo tribuebat : adeoque cum negotium aliquod arduum tractandum erat, sumebat S. Synaxin, ut ex ea quasi oraculo dirigeretur, et corroboraretur ad rem illam rite et fideliter ex Dei lege et mente perficiendam ; testis est Stapletonius in *Vita Mori.*

Porro, ut quis Sanctuarium et oraculum Dei adeat, tres obices removendi sunt. « Tria sunt, ait S. Bernardus, serm. 5 *De Assumpt. B. Virginis,* quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque a contemplatione veri luminis excludunt : tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorumdem, et cura terrenorum affectuum. Contra triplicem hunc morbum triplex est remedium. Nam primus per confessionem, secundus per orationem, tertius per quietem curatur. »

Idem serm. 23 *in Cantic.* : « In hoc arcanum, ait, et in hoc sanctuarium Dei, » orationis scilicet et contemplationis, « si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi, et sic abscondi contigerit, ut minime avocet aut perturbet vel sensus agens (ut in ægro), vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amoventur, irruentium imaginum corporearum phantasmata ; poterit hic quidem cum ad nos redierit gloriari et dicere : Introduxit me rex in cubiculum suum. » Unde Cassianus, *Collat.* X, cap. IX et XIII, monet, « ut quales orantes volumus inveniri, tales simus ante tempus orandi : necesse est enim mentem in tempore supplicationis suæ, de statu præsenti formari. » « Cum enim, ut S. Gregorius ait, X *Moral.* cap. XVII, se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit Deus candelabri et lucernarum situm. Secundo, vers. 7, dat ritum consecrationis Levitarum.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere Aaron, et dices ad eum : Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis : contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt. 3. Fecitque Aaron, et imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi. 4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur : juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum. 5. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel ; et purificabis eos, 7. juxta hunc ritum : Aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua et mundati fuerint, 8. tollent bovem de armentis, et libamentum ejus similam oleo conspersam : bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato : 9. et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel. 10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos. 11. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. 12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. 13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filio-

rum ejus, et consecrabis oblatos Domino, 14. ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei. 15. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini : quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel. 16. Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. 17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi : 18. et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel : 19. tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium. 20. Feceruntque Moses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi : 21. purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis, 22. ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 24. Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. 25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt : 26. eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

Vers. 2. 2. CUM POSUERIS SEPTEM LUCERNAS, CANDELABRUM IN AUSTRALI PARTE ERIGATUR, — *q. d.* Candelabro septifido impone septem lucernas, easque accende, ipsumque candelabrum colloca in australi parte tabernaculi.

Nota : Pro *posueris* hebraice est העלות *haalot*, quæ vox tam elevare et imponere, quam accendere significat. Noster tamen Interpres cum Septuaginta sæpius vertit ponere, collocare, concinnare. Unde videtur quod septem hæ lucernæ, sive lampades, non fuerint ductiles, aut continuæ ipsi candelabro, sed quod ab eo fuerint separatæ, ita ut ei, id est ejus septem calamis, imponi possent, et de facto imponerentur, quoties accedebantur a sacerdotibus. Commodius enim erat, ut possent eximi, ad hoc, ut melius purgari, repleri et concinnari possent.

HOC IGITUR PRÆCIPE, UT LUCERNÆ CONTRA BOREAM E REGIONE RESPICIANT AD MENSAM PANUM PROPOSITIONIS. — Hæc omnia non sunt in Hebræo, sed paraphrastice a nostro Interprete et Exodo, explicationis gratia, supplentur et adduntur. In Hebræo enim tantum est id quod sequitur, scilicet : *Contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebunt*, *q. d.* Constitue candelabrum cum suis lucernis in australi parte tabernaculi, ita ut lumen suum ejaculetur in partem borealem oppositam, in qua est mensa panum propositionis, ut eam illuminet. Hæc enim est mensa in qua quasi convivatur Deus; nemo autem convivatur in tenebris, sed in lumine : tabernaculum autem undique cortinis tectum, nullamque habens fenestram, tenebrosum erat, ideoque ad illud illuminandum positum erat in eo candelabrum : cujus proinde septem lucernas Deus hic jubet obverti, non Sancto sanctorum, sed mensæ panum, ita ut luceant versus eam partem, quam respicit candelabrum, id est, scapus ipse medius sive truncus candelabri, ut scilicet tam truncus hic candelabri, quam singulæ ejus lucernæ, ex æquo respiciant hanc mensam, quo melius et copiosius eam illuminent.

Candelabrum illuminabat mensam, cur ?

Vers. 3. 3. FECITQUE AARON, ET IMPOSUIT LUCERNAS SUPER CANDELABRUM. — Imposuit et accendit lucernas Aaron octavo die, cum jam perfecta esset ejus consecratio : nam primis septem diebus, Moses tam lucernas has imposuit et accendit, quam adolevit thymiama, et sacrificavit, uti dixi cap. VII.

Hinc patet hic etiam esse hysteron proteron : nec enim hæc hoc loco ordine historico recensentur, quia secundum illum ponenda fuissent *Levitici* IX. Ibi enim primitias suas celebrat Aaron, quarum pars erat hæc lucernarum accensio et compositio. Verum quia ibi fere de sacrificiis agitur, hinc in hunc locum, post oblationem principum, quæ simul fere contigit, rejecta sunt.

Vers. 4. 4. EX AURO DUCTILI (erat) TAM MEDIUS STIPES, QUAM CUNCTA QUÆ EX UTROQUE CALAMORUM LATERE NASCEBANTUR, — *q. d.* Candelabrum non erat per fragmenta et membra compositum et insertum, sed totum erat ex auro ductili, id est totum ex una auri massa malleatione erat diductum; totum, inquam, id est tam stipes, quam terni utrimque calami, et quæ utrimque ex calamis nascebantur, puta flores, scyphi et sphærulæ tertio repetiti et in tres ordines distributi, hæc omnia ex eodem auro erant diducta (1) : secus erat de lucernis, uti dixi vers. 2.

(1) Hebræa redde, *usque ad ejus scapum, usque ad ejus florem* (candelabrum) *opus fuit tornatum.*

Vers. 6. 6. TOLLE LEVITAS ET PURIFICABIS EOS.— Hæc contigerunt simul cum electione et oblatione Levitarum loco primogenitorum Israel, de qua cap. III, vers. 45. Tunc enim Levitæ selecti a Deo, et simul a Mose Deo Deique cultui applicati sunt: sed ibi eorum electio, hic consecratio, quæ tamen eodem tempore facta est, describitur.

Vers. 7. 7. ASPERGANTUR AQUA LUSTRATIONIS,— quæ mixta est cineribus vitulæ rufæ, de quibus cap. XIX; hebraice hæc aqua vocatur *aqua peccati*, id est expiatoria peccati, per metonymiam.

Ritus et ordo consecrationis Levitarum. Nota: Hic fuit ritus consecrationis Levitarum, ut ex textu patet: *primo*, Moses aspergit eos aqua lustrationis; *secundo*, raserunt ipsi omnes pilos carnis suæ; *tertio*, laverunt vestes suas; *quarto*, obtulerunt boves duos, unum immolandum pro peccato, alterum in holocaustum; *quinto*, Moses eos stitit Deo in tabernaculo, coram toto populo; *sexto*, filii Israel suas manus eis imposuerunt; *septimo*, Aaron ritu *tenupha*, de quo vers. 15, obtulit Levitas, quasi munus populi, Deo, ad serviendum ei in tabernaculo; *octavo*, Levitæ suis bobus duobus imposuerunt manus, quos deinde Aaron immolavit orans pro Levitis.

Tropologice. Tropologice S. Gregorius, lib. V *Moralium* cap. XXIII, et ex eo Rupertus: « Pili carnis, ait, sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Oportet ergo Levitas pilos carnis radere; quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Unde et Levitarum pili radi præcepti sunt, non evelli: rasis enim pilis in carne radices remanent, et crescunt iterum, ut recidantur; quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen funditus amputari non possunt: semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. »

Vers. 8. 8. TOLLENT BOVEM DE ARMENTIS,— ut tibi, o Moses, eum offerant immolandum in holocaustum, sicuti alterum offerent, quem tu pariter ab eis accipies, immolandum pro peccato.

Vers. 10. 10. CUMQUE LEVITÆ FUERINT CORAM DOMINO, PONENT FILII ISRAEL MANUS SUAS SUPER EOS, — ut hac manuum impositione significent et testentur, se Levitas contribules suos a se abdicare, et Domino quasi munus aut sacrificium offerre, in ejusque dominium et ministerium transferre (1). Erant enim Levitæ munus et oblatio populi, perinde ac bos erat victima. Vide dicta *Levit.* I, 4. Unde sequitur:

Vers. 11. Aaron consecravit Levitas, non Moses. 11. OFFERET AARON LEVITAS. — Hinc colligitur Aaronem obtulisse et consecrasse Levitas, non vero Mosen. Idem patet vers. 21. Hæc enim consecratio Levitarum proprie ad pontificem pertinebat; pontifex autem erat Aaron. Quod ergo dicitur Mosi vers. 12, « facies, » id est, immolabis, bovem « pro peccato, » et vers. 14, « consecrabis, » intellige, jubebis immolari et consecrari, scilicet per Aaronem. Obtulit ergo Moses Levitas Aaroni: Aaron autem obtulit et consecravit eos Deo, comprecante tamen simul Mose.

Vers. 15. 15. POSTEA INGREDIENTUR TABERNACULUM FOEDERIS. — Hebraice, *ingrediantur ad ministerium suum in tabernaculo fœderis*, videlicet ut illud portent, ut dictum est capite IV: nec enim aliud erat officium Levitarum; nam sacrificare, accendere lucernas, adolere thymiama, ponere panes propositionis in mensa, hæc, inquam, solorum sacerdotum erant munia.

Ritus tenupha. CONSECRABIS EOS IN OBLATIONEM,— Hebraice, *elevabis*, vel *agitabis eos agitatione*, sive *ritu et cæremonia tenupha*, scilicet agitando, et modice elevando eos ad quatuor plagas mundi, in modum crucis, ut significetur eos offerri Deo, qui totius mundi est dominus, de quo ritu dixi *Levit.* VII, 30. Hic patet hoc certo ritu elevatos fuisse Levitas, quo et victimæ elevabantur. Idem clarius indicat noster Interpres vers. 21. Hinc etiam verisimile est non omnes Levitas hoc tempore esse consecratos, sed eos tantum, qui ipso actu tabernaculo erant deservituri: cæteros vero postea in Chanaan consecratos esse. Nam non potuisset Aaron commode tot millia Levitarum viritim Domino hoc ritu offerre, siquidem uti consecratio sacerdotum novellorum propria et peculiaris erat singulorum capitum, ut patet *Exodi* XXIX, 29, et II *Paralip.* XXIX, 34, ita fuit et peculiaris singulorum Levitarum, ut patet eodem loco *Paralip.* Excipe tempus peregrinationis in deserto: nam uti post egressum ex Sina, nunquam deinceps in deserto sacrificatum est, ita post hanc consecrationem Levitarum, nulla fuit alia in deserto; sed succedebant Levitæ, cum trigesimum annum attigissent, ad onera portanda, etiam non consecrati, quinquagenariis emeritis. Ita Abulensis.

Vers. 19. 19. NE SIT PLAGA,— *q. d.* Levitæ erunt in ministerio sanctuarii, ne populus illud in se suscipere velit, itaque plectatur a me, eo quod, cum sit laicus et profanus, sacro officio se immiscuerit contra præceptum meum.

Vers. 21. 21. ELEVAVITQUE EOS AARON.— Hebraice est, *agitavit eos agitatione*, vel *ritu tenupha*, de quo dixi vers. 15.

Vers. 24. 24. A VIGINTI QUINQUE ANNIS ET SUPRA, INGREDIENTUR (Levitæ) UT MINISTRENT IN TABERNACULO FOEDERIS. — Nota: Cap. IV, vers. 3, et I *Paralip.* XXIII, 3, numerati sunt ab anno trigesimo Levitæ ii, qui proprie ministrabant tabernaculo, illudque cum suis vasis portabant; quod ergo hic a 25 anno jubentur ingredi, ut ministrent in tabernaculo, intellige eos anno 25 consecratos fuisse ad hoc, ut subservirent Levitis senioribus, seque aptarent, ut anno 30 proprie ministrarent in tabernaculo, illius vasa portando, idque usque ad annum 50. Nam post annum 50 emeriti erant in

(1) Eos Deo, loco primogenitorum suorum offerentes, et in eos munus, quod primogenitis, quippe Deo sacris, alioquin incubuisset, transferentes. Cf. vers. 19.

hac militia tabernaculi, neque onera ferebant, sed tantum custodiebant, ut dicitur vers. ult.

Porro Davidis tempore, cum quiescerent Hebræi in Chanaan, nec amplius gravia illa tabernaculi onera per desertum Levitis essent ferenda; cumque pluribus opus esset personis ad officia janitorum, cantorum et similium, quæ David instituit, tunc jussit David a vigesimo ætatis anno Levitas numerari, et ministrare in tabernaculo, ut patet I *Paralip.* XXIII, 27 (1).

26. SIC DISPONES LEVITIS IN CUSTODIIS SUIS, — ut scilicet custodiant vasa tabernaculi, ea ætate et modo quo jam præscripsi. Vocat *custodias* in plurali, quia variis familiis varia custodienda dabantur, unde plures erant custodiæ. Sic Franciscani in variis provinciis varias habent Custodias, uti ipsi appellant (2). Vers. 26.

(1) Hic locus Vatero et aliis satis est, ut totam hanc pericopen ab alio auctore consignatam statuant, sed absque, ut patet, idonea ratione. Tam præter modi solutionem a Cornelio nostro supra expositam, aliam affert Meignan, eamque simplicissimam : Nonne potuit Moses, ait, legem antea (cap. IV, vers. 3) latam mutare postea, Levitasque a vigesimo ætatis quinto anno numerare, quemadmodum, imo iisdem de causis, eos recentiori tempore a vicesimo anno David numeravit?

(2) Hebr. est, *ministrabit* is, qui quinquagesimum annum superavit, scil. in rebus facilioribus, *una cum fratribus suis, ad custodiendum custodiam*. Per *custodiam* indicantur excubiæ agendæ et res concreditæ custodiendæ, curandæ, parandæ, etc. : quibus rebus sufficiebat ætas infirmior. Per *opera* vero, quæ sequuntur, designatur ministerium operosius, ut erat comportatio victimæ majoris, vasorum tabernaculi et lignorum, etc.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Hebræos in Sina celebrare pascha, quod ordine fuit secundum (primum enim celebrarunt Hebræi in Ægypto, Exodi XII). *Secundo, vers.* 15, *describitur nubes, quæ fuit dux itineris et quietis.*

1. Locutus est Dominus ad Moysen, in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens : 2. Faciant filii Israel Phase in tempore suo, 3. quarta decima die mensis hujus ad vesperam juxta omnes cæremonias et justificationes ejus. 4. Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent Phase. 5. Qui fecerunt tempore suo quarta decima die mensis ad vesperam, in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel. 6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron, 7. dixerunt eis : Immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? 8. Quibus respondit Moyses : State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 10. Loquere filiis Israel : Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino, 11. in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam, cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud : 12. non relinquent ex eo quippiam usque mane, et os ejus non confringent : omnem ritum Phase observabunt. 13. Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo : peccatum suum ipse portabit. 14. Peregrinus quoque et advena si fuerint apud vos, facient Phase Domino juxta cæremonias et justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ. 15. Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane; 16. sic fiebat jugiter : per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis. 17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel, et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. 18. Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco : 19. et si evenisset ut multo tem-

pore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini, et non proficiscebantur 20. quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant. 21. Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur : et si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria. 22. Si vero biduo, aut uno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, et non proficiscebantur : statim autem ut recessisset, movebant castra. 23. Per verbum Domini figebant tentoria et per verbum illius proficiscebantur : erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN IN DESERTO SINAI, ANNO SECUNDO POSTQUAM EGRESSI SUNT DE TERRA ÆGYPTI, MENSE PRIMO, DICENS : FACIANT FILII ISRAEL PHASE. — Hinc patet rursum historiæ et temporis ordinem hic non spectari : nam secundum illum hoc caput ponendum esset ante caput primum; illa enim quæ narrantur capite I, contigerunt mense secundo, ut ibi dicitur; hæc autem facta sunt mense primo ejusdem anni : nimirum voluit Moyses librum hunc *Numer.* a numeratione populi et Levitarum, quam præcipue hoc libro spectabat, inchoare, et alia, etiamsi prius contigissent, deinde subtexere.

Edixit ergo Deus hæc mense primo, ante decimam quartam mensis diem, jussitque ut decima quarta die celebrent phase, sive pascha : idque ad hoc, ut sciret populus hoc festum, ejusque ritum legalem esse, neque tantum usurpatum fuisse semel pro ipso egressu ex Ægypto, sed duraturum semper in terra Chanaan.

Phase post egressum e Sina non est celebratum in deserto.

Dico in Chanaan : nam in deserto post discessum e Sina non videntur amplius celebrasse phase, eo quod ibi incerti essent quando movenda essent castra. Unde nec circumcisionem, nec alia cæremonialia in deserto observarunt, exceptis iis quæ nominatim exprimuntur, uti hic exprimitur, anno secundo mense primo celebratum fuisse phase.

Nota : Hebræi in Sina celebrarunt solum pascha, non pentecosten, non festum tabernaculorum, non tubarum, etc., quia discesserunt e Sina antequam festorum illorum tempus adveniret; nam post erectionem tabernaculi, quæ facta est die primo mensis primi anni secundi egressus ex Ægypto, manserunt tantum in Sina per 50 dies. Ex Sina enim moverunt castra die 20 mensis secundi, ut patet cap. X, vers. 11; ergo ex Sina discesserunt ante pentecostem : hæc enim incidebat in diem sextum mensis tertii.

Vers. 3. 3. JUSTIFICATIONES, — Hebraice, *judicia*, id est debitum et præscriptum ritum. Simile est vers. 14.

Vers. 5. 5. QUI FECERUNT (phase) TEMPORE SUO, — puta decima quarta die mensis primi. In hoc phase non servarunt legem de azymis panibus, quia in deserto vescebantur azymo manna quotidie innovato.

Nota : Hoc phase manducarunt tantum illi, qui egressi erant ex Ægypto. Nam qui in deserto nati erant, erant incircumcisi; unde non licebat eis comedere phase : quanquam nec poterant per ætatem, erant enim infantes tenelli unius anni. Hæc enim contigerunt anno secundo egressus ex Ægypto.

Vers. 7. 7. IMMUNDI SUMUS SUPER ANIMA. — « Anima, » id est, cadavere, per antiphrasin, quia videlicet tetigimus cadaver hominis. Tales enim, *Levit.* XXII, 4, arcentur ab omni sacrificio : ac consequenter ab agno paschali. Pari modo leprosi, seminiflui, et laborantes fluxu sanguinis, utpote immundi, nunquam celebrabant pascha.

QUARE FRAUDAMUR, — quare privamur? hebraice, *cur prohibemur et arcemur a phase* (1)?

Vers. 10 et 11. 10 et 11. HOMO QUI FUERIT IMMUNDUS SUPER ANIMA, SIVE IN VIA PROCUL IN GENTE VESTRA, FACIAT PHASE DOMINO IN MENSE SECUNDO, — *q. d.* Qui immundus est in via proficiscens, remotus a Judæa, et a Jerusalem (nam in ea sola licebat facere phase, ut patet *Deuter.* XVI, 2) tempore paschatis, hic suum pascha celebret mense secundo. Judæi ergo qui peregrinabantur mense primo, sive paschali, hi debebant se comparare, si poterant, ut ante 14 diem, quo celebrandum erat pascha, domum redirent facturi pascha. Idem judicium est de quibusvis immundis, nam par omnium est ratio; quod si facere non poterant, debebant se parare in mensem secundum, ut ejus die decima quarta celebrarent pascha. Pari modo qui jam ob absentiam, vel aliam causam non possunt communicare in paschate, tenentur mox ubi redierint, vel potuerint, communicare et celebrare suum pascha.

Vovens abstinere a carnibus debebat edere carnes phase.

Hinc patet quod, si quis Judæus vovisset toto anno a carne abstinere, hic tamen non obstante voto, debuisset in paschate carnes agni comedere, quia hoc a Deo præceptum erat, unde per votum elidi non poterat; imo si quis vovisset non comedere carnes in paschate, peccasset, irritumque fuisset ejus votum, utpote Dei præcepto repugnans. Ita Abulensis.

Nota : Τὸ *in gente vestra*, referendum est, non ad τὸ *in via*, sed ad τὸ *homo q. d.* Homo e gente

(1) Proprie, *quare diminuemur*, sive *detrahemur*, scil. a numero eorum, qui celebrant pascha?

vestra, qui fuerit procul in via, hic faciat pascha mense secundo.

Quæres : Quid, si secundo mense adhuc immundi fuissent, vel procul a Jerusalem abfuissent, peregre agentes in via, licuissetne eis celebrare phase mense tertio, aut quarto? Respondeo id non licuisse, tum quia hic tantum præscribitur secundus mensis ad phase; tum quia alioqui ordo festorum turbatus fuisset, atque phase fuisset celebratum cum pentecoste, aut festo tabernaculorum, tubarum, etc.; tum quia temporis, quo Hebræi sunt educti ex Ægypto, id est primi mensis, aut certe proximi, in hoc paschatis festo maxima habetur ratio : quia festum paschæ expressum erat memoriale liberationis ex Ægypto, olim factæ hoc eodem tempore; itaque practicarunt Judæi, ut patet II *Paralip.* XXX, 15, collato cum vers. 18.

Dices : S. Augustinus hic, *Quæst.* XV, immundis et peregrinantibus pascha prorogat usque ad tertium mensem.

Respondeo : S. Augustinus disjunctive loquitur; ait enim tales aut celebrasse pascha tertio mense, aut certe si pascha illo anno non egissent, non peccasse, quod posterius verum est.

Vers. 13. 13. PECCATUM SUUM (pœnam peccati sui, est metonymia) IPSE PORTABIT.

Vers. 14. 14. PEREGRINUS QUOQUE ET ADVENA, SI FUERINT APUD VOS, FACIENT PHASE. — Pro *peregrinus et advena*, hebraice est unica vox גֵּר *ger*, significans eum qui peregre venit, id est advenam; intellige, si is judæus sit, aut Judaismo initiatus : hic enim solus poterat et tenebatur celebrare pascha; ideoque omnes, etiam peregrini et proselyti, qui poterant, tenebantur in paschate venire Hierosolymam : multi tamen in locis ab ea remotis habitantes, ob varia impedimenta excusabantur. Unde ait : « Si fuerint apud vos. »

Vers. 15. 15. IGITUR DIE QUA ERECTUM EST TABERNACULUM, OPERUIT ILLUD NUBES. — « Nubes, » id est columna nubis, quæ castra præibat quasi dux indicans viam per desertum in Chanaan, uti dixi *Exodi* cap. XIII, vers. 12.

Quæ et qualis fuit columna nubis? Servetus deliravit eam increatam fuisse.

Quæres, an columna hæc nubis creata et vera fuerit nubes. Calvinus in *Exodi* cap. XIII, insectatur execrabile Serveti discipuli sui delirium : finxit enim Servetus nubem hanc increatam fuisse, ac si esset ipsa deitas Christi, quam unam ipse pro tribus personis SS. Trinitatis, quas negabat, substituit; quasi tunc corporea fuerit deitas, quam filium figurativum ipse appellat, qui postea factus sit caro, non quod carnem induerit, sed quia tanquam homo apparuit, ex tribus elementis increatis et semine Davidis conflatus. Quot hic errorum sunt monstra! tales discipulos nobis dedit Calvinus; ex ovo corvum agnosce : fuit enim Servetus mali corvi (Calvini) malum ovum, quia a Calvino hæresiarcha non nisi hæreses confingere didicit.

Dico ergo *primo* : Certum est hanc nubem non increatam, sed creatam fuisse, quæ columnæ specie et figura porrigeretur in altum, cui ceu navi angelus quasi nauclerus assistebat, et per eam Dei nomine loquebatur, inclinando eam ad terram, vel ad tabernaculum, *Num.* XII, 5. Hinc dicitur *Psal.* XCVIII, 7 : « In columna nubis loquebatur ad eos. »

Columnæ præsidebat angelus, uti nauclerus navi.

Dico *secundo*, columnam hanc nubis similem fuisse nubi quoad materiam, et quoad colorem : erat enim candida et lucida, instar nubis candidæ; a nube tamen differebat, quia erat nube, *primo*, purior et lucidior; *secundo*, densior et solidior; *tertio*, semper retinebat figuram columnæ, cum nubes sæpissime figuram mutent. *Quarto*, nubes a ventis, hæc columna ab angelo movebatur. *Quinto*, hæc columna semper erat sui similis, cum nubes sæpissime vel colorem, vel locum, vel crassitiem mutent. *Sexto*, nubes resolvuntur in pluviam, hæc columna manebat columna. *Septimo*, nubes motu circulari moventur cum cœlo, hæc nubes movebatur motu recto, nunc antrorsum, nunc retrorsum, nunc ad latus. Nam cum castra moverentur, nubes hæc collocabat se super, vel ante vexillum tribus Judæ (hæc enim erat prima et dux cæterarum, ut patet cap. X, vers. 13 et 14), et ejus motum et ductum sequebantur omnia castra : cum autem locanda essent castra, columna hæc redibat a vexillo tribus Judæ ad tabernaculum, quod erat in medio castrorum, ut patet cap. II, vers. 2. *Octavo*, columna hæc accommodabat se, suumque motum ad vires Hebræorum, ut non celerius præcederet, quam illi subsequi possent : moderabatur ergo suum motum secundum vires et gressum tot mulierum, parvulorum, senum, ovium, agnorum, etc., quot erant in castris Hebræorum, quæ lento passu procedere solent.

Columna similis erat nubi, ab ea tamen differebat. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo. Octavo.

A VESPERE AUTEM SUPER TENTORIUM ERAT QUASI SPECIES IGNIS USQUE MANE, — *q. d.* Columna hæc per diem habebat speciem nubis, per noctem vero habebat speciem ignis, qui castra omnia illuminabat. Hebræi putant duas fuisse columnas, unam nubis per diem, cui altera ignis sub noctem succedebat; sed verius est unam eamdemque fuisse columnam, quæ per diem apparebat id quod revera erat, puta nubes erecta instar columnæ : noctu vero splendebat ut ignis. Nam hoc loco dicitur noctu fuisse quasi species ignis, eo quod nubes hæc columnaris noctu flammea videretur. Quin et Philo eamdem columnam fuisse narrat, sed quæ interdiu luceret splendore solari, noctu vero flammeo. Rursum id patet ex eo quod *Exodi* cap. XIV, vers. 20 et 24, eadem vocatur columna nubis et ignis, quæ se interposuit inter castra Hebræorum et Ægyptiorum, atque Hebræos illuminavit quasi ignis, Ægyptios vero obscuravit quasi nubes. Ita Abulensis, Cajetanus, Pererius et alii, *Exodi* XIII. Hinc liquet verius esse ignem hunc columnæ nocturnum non fuisse verum ignem, sed quasi ignem, id est,

An duæ fuerint columnæ, una nubis, altera ignis? Respondeo, unam eamdemque fuisse.

habuisse speciem ignis, ut dicitur cap. XV et XVI.

Objectio. Dices : Quomodo ergo *Exodi* XIII, 12 et 22, columna hæc nocturna vocatur ignis, si revera non erat ignis, sed nubes? Respondeo : Ignis vocatur,

Resp. quia intuentibus videbatur ignis esse : splendebat enim ut ignis, et hunc splendorem nocte nubi huic indebat Deus, per diem vero subducebat. Familiare enim est Scripturæ vulgari hominum more loqui, et rem vocare talem qualis apparet, etiamsi revera in se talis non sit. Sic deos alienos vocat idola, quæ revera neque dii, neque alieni sunt, sed ab alienis, sive alienigenis Gentibus habentur dii. Sic *Exodi* III, vocatur rubus ar-

Triplex ignis. dens, qui videbatur ardere ; revera tamen non ardebat. Sic enim Plato in *Timæo*, triplicem distinguit ignem : primum, qui est in corpore ignito, puta in carbone, vel ferro candente ; secundum, qui dicitur flamma, estque urens et lucens ; tertium, qui lucet, et non urit : talis est lux solis et stellarum. Hinc Poeta :

> Vos, æterni ignes, et non violabile numen
> Testor.

Ignis hic non erat aliud quam lux Ignis ergo hic non erat aliud quam lux, et splendor mirificus noctu columnæ inditus, qui tota castra illuminabat, instar lunæ vel solis ; unde et sol vocatur *Sap.* XVIII, 3. Ubi nota lucem hujus columnæ fuisse rubeam instar flammæ, ut ait Philo. Inde enim vocatur ignis, indeque *Sap.* XVIII, 3, columna hæc ardens, id est flammea, non a calore, sed a colore nuncupatur.

Erat ergo hæc una columna, sed duplex habebat officium, ac proinde et duplicem speciem, sive figuram. Nam per diem obumbrabat castra, quasi nubes ; noctu vero eadem illuminabat, quasi fax ignis.

Allegorice. Ita, allegorice, Christus et Spiritus Sanctus nos protegit ut nubes, et accendit ut ignis. « Spiritus Jesu, ait S. Bernardus, Spiritus bonus, Spiritus Sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quidquid in hoc sæculo nequam, difficile et angustum videtur, leve facit : hic illatum opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. »

Hoc duce ascendimus ad terram promissam, quia, ut ait Venerabilis Beda : « Sancti per Spiritus Sancti septiformem gratiam aditum vitæ cœlestis inveniunt : per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. » Merito ergo S. Augustinus invocat Spiritum Sanctum, dicens : « Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem : compelle, ut faciam : suade, ut te diligam : confirma me, ut te teneam : custodi me, ne te perdam. »

Tropologice. Tropologice, columnæ lucis sunt fortes et illustres sancti. Venit aliquando Abbas Hilarion ad Abbatem Antonium, et dicit ei Abbas Antonius : « Bene venisti, lucifer, qui mane oriris. » Et respondit Abbas Hilarion : « Pax tibi, columna lucis, quæ sustines orbem terrarum. » Uti habetur in *Vitis Patr.* lib. V, tract. 17, num. 4.

Talis columna lucis fuit quoque Simeon Stylites, qui ut omnes a terra traheret ad cœlum, stetit in columna, per octoginta annos, vix comedens et dormiens, semperque vel orans, vel accedentibus dans monita salutis. Sic Petrus, Jacobus, Joannes in Ecclesia videbantur esse columnæ, ait Paulus, *Galat.* II, 9.

Hac de causa Christus, *Apocal.* III, 12, Angelo, id est Episcopo, Philadelphiæ promittit : « Qui vicerit, ait, faciam illum columnam in templo Dei mei, » *q. d.* Faciam ut firmus sit, magnus et gloriosus tum in Ecclesia, tum in cœlo. Alludit ad duas columnas templi Boos et Jachin, III *Reg.* VII, ut fuse ostendit ibi Viegas, sect. VI. Unde Richardus de S. Victore *primo*, sic exponit, *q. d.* « Efficiam ut qui vicerit persecutiones et tentationes, sit instar columnæ in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis. » Et Primasius : « Columna, ait, in fabricis munimini congruit et decori ; sic et mundi rectores in Ecclesia eminent munere dignitatis, et portant alios officio charitatis. »

Secundo Ambrosius : « Faciam illum columnam, » id est, prædicatorem in Ecclesia ; quomodo Paulus, *Galat.* cap. II, Petrum, Jacobum et Joannem vocavit columnas. Verum quia Origenes, Tertullianus et alii, qui erant quasi columnæ, ceciderunt, melius, inquit Ambrosius, « faciam illum columnam, » id est excelsum in cœlo, ex quo non egredietur amplius.

Tertio, Abbas Joachim : « Faciam illum columnam, » id est, Prælatum. Hic enim *primo*, corpore terram, mente cœlum tangit ; *secundo*, per vitam activam inferioribus inhæret, et tamen per contemplativam sursum aspicit ; *tertio*, multis tunsionibus expolitur ; *quarto*, inter procellosos ventorum turbines, superpositam suæ curæ machinam infatigabiliter portat ; *quinto*, tranquillus et immobilis est ut columna.

Notat ibidem Pererius in columna octo res spectari et laudari : scilicet rectitudinem, altitudinem, crassitiem, firmitudinem, rotunditatem, lævorem, colorem et materiam, quæ facile est accommodare prædicatori, Prælato et cuilibet excellenti Sancto in Ecclesia, et maxime in cœlo, ubi Sancti hi quasi columnæ nulli mutationi obnoxii, in æternum stabunt excelsi et gloriosi.

Quocirca S. Ephrem orans Deum, ut sibi revelaret, « qualis esset Magnus Basilius, in exstasi vidit columnam ignis, cujus caput pertingebat ad cœlum, et vox desursum dicens : Ephrem, Ephrem, quemadmodum vidisti columnam hanc ignis, talis est et Magnus Basilius, » inquit Amphilochus in ejus Vita.

Recte ergo S. Gregorius, XVII *Moral.* XIV : « Quisquis, ait, in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritalis erigitur; ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit et decori. »

Vers. 18. 18. AD IMPERIUM DOMINI PROFICISCEBANTUR. — « Domini, » scilicet moventis per angelum columnam nubis quæ dux erat itineris, et per hoc monentis et jubentis castra moveri et proficisci.

Vers. 19. 19. ET SI EVENISSET UT MULTO TEMPORE MANERET (nubes) SUPER ILLUD (tabernaculum), ERANT FILII ISRAEL IN EXCUBIIS DOMINI, — id est, sistebant quasi excubantes, et advigilantes ad motum nubis, quando videlicet Deus moveret nubem, et per hoc juberet eos movere castra.

Columna tota nocte quiescebat, et per diem in prandio et cœna. Nota : Hæc columna nubis quotidie bis quiescebat, etiam in motu castrorum, nimirum in prandio, et in cœna : tum enim cibos coquere, seque iis reficere debebant, tam homines quam animalia. Adde vespere et noctu eam semper quievisse : tum enim somnum capere debebant homines et animalia. Unde nusquam legimus eos noctu movisse castra; cum vero diutius quiesceret, figebant ibi tentoria, talisque quies vocatur mansio vel statio, quales quadraginta duas Hebræi habuerunt in deserto, ut patet cap. XXXIII.

Unde scirent Hebræi figenda esse castra? Quæres, unde sciverint Hebræi quietem hanc fore diuturniorem, ibique figenda esse castra? Respondeo, ex eo : Si post meridiem absoluto jam prandio quiescebat columna, signum erat ibi figenda esse castra; similiter si post nocturnam quietem, mane adhuc quiesceret columna, signum erat ibi hærendum esse saltem usque ad prandium (1).

Vers. 20. 20. AD IMPERIUM DOMINI ERIGEBANT TENTORIA. — Nota : Quoties columna movebatur et præibat castra, sacerdotes elevabant et portabant arcam Domini; Moyses autem Deum invocabat, dicens : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua, » quasi diceret : Surge, et proficiscere nobiscum, Domine, atque castra præi, hostesque nostros, æque ac tuos, fuga et dissipa, ut nos invadere non audeant. Cum vero columna rursus quiesceret, sacerdotes deponebant arcam, et Moses Dominum arcæ quasi insidentem invitans ad inibi cum Hebræis manendum, sic eum precabatur : « Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel, » ut patet cap. X, in fine.

Quando desiit hæc columna ? Putant Hebræi defecisse columnam ignis et nubis statim post mortem Aaron, quæ accidit in quinto mense anni 40, aliquot mensibus ante mortem Mosis, et ingressum Hebræorum in Chanaan. Sed errant; nam *Deut.* XXXI, 15, paulo ante mortem Mosis, dicitur hæc columna apparuisse Mosi et Josue. Columna ergo hæc perduravit usque ad ducatum Josue, eumque ac Hebræos deduxit in ipsam Chananæam, ibique, æque ac manna, defecit et disparuit.

Vers. 21. 21. DISSIPABANT (id est deponebant) TENTORIA, — suaque omnia convasabant.

Vers. 23. 23. PER VERBUM DOMINI FIGEBANT TENTORIA, — *q. d.* Per imperium Domini datum Mosi, ut videlicet quando moveretur columna nubis, moverent castra; quando sisteret, figerent castra, Hebræi movebant vel figebant castra. Ita, tropologice, Religiosi sequentes ductum obedientiæ, et viri pii sequentes sanctas inspirationes suas, agunt ex ductu et imperio Domini; unde decet eos esse in excubiis Domini, ac dicere : Audiam quid loquatur in me Dominus. Tropologice.

ERANTQUE IN EXCUBIIS DOMINI, — excubantes ad motum columnæ, et consequenter castrorum, uti dixi vers. 19.

(1) Vers. 20. Pro *quot dies* hebr. est ימים מספר, proprie *dies numeratio,* per tot, quot numerari possunt, dies, id est per *paucos* dies.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus fieri duas tubas, earumque usus. Secundo, vers. 11, *ad motum columnæ nubis Hebræi, instructa acie, movent castra ex Sina in Pharan. Tertio, vers.* 29, *Moses detinet Hobab sororium suum. Quarto, vers.* 35, *arca præit castra, comprecante Mose.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra. 3. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. 4. Si semel clangueris, venient ad te principes, et capita multitudinis Israel. 5. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. 6. In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem, et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. 7. Quando

autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt. 8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 10. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis, et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri, ego Dominus Deus vester. 11. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis elevata est nubes de tabernaculo fœderis, 12. profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan. 13. Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi. 14. Filii Juda per turmas suas, quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. 15. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar. 16. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. 17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari. 18. Profectique sunt et filii Ruben, per turmas et ordinem suum, quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. 19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 20. Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. 21. Profectique sunt et Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. 22. Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. 23. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. 24. Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis. 25. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Amisaddai. 26. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. 27. Et in tribu filiorum Nephtali princeps fuit Ahira filius Enan. 28. Hæc sunt castra, et profectiones filiorum Israel per turmas suas, quando egrediebantur. 29. Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo : Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis : veni nobiscum, ut benefaciamus tibi; quia Dominus bona promisit Israeli. 30. Cui ille respondit : Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. 31. Et ille : Noli, inquit, nos relinquere; tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. 32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. 33. Profecti sunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. 34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent. 35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua. 36. Cum autem deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

Vers. 2. 2. FAC TIBI DUAS TUBAS ARGENTEAS DUCTILES, — ut iis convoces populum : *primo,* ad movenda castra; *secundo,* ad festa; *tertio,* ad sacrificia; *quarto,* ad bella; præcipit autem Deus duas tantum tubas fieri, ne Hebræos gravet sumptu præstando, non autem quod plures fieri vetet. Unde plures esse factas, si non tubas, certe buccinas, sive jam, sive postea; patet *Josue* VI, 4, ubi septem numerantur buccinæ; quibus clangentibus prostrati sunt muri Jericho (1).

Nota : Jubet Deus eas fieri argenteas, tum ob reverentiam cultus divini, tum ut sint magis sonoræ.

Forma tubarum. Formam harum tubarum describit Josephus, lib. III *Antiquit.* cap. XI : « Canna, ait, erat tibia paulo crassior, longitudine paulo minus cubitali, cujus os tantum patebat quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem, sicut tuba. » Porro sacerdotum erat hisce tubis clangere, ut patet vers. 8.

Allegorice. Allegorice, Rupertus per duas tubas accipit duos Christi adventus, scilicet primum in carnem, secundum ad judicium. *Primo* enim Christus insonuit : «Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum

(1) Pro *ductiles* in hebr. est *opere tornato.*

cœlorum.» *Secundo* insonabit: « Ite, maledicti, in ignem æternum.» Unde alii per tubas accipiunt minas, verbi gratia inferni; et promissiones, verbi gratia cœli, quas populo jugiter insonare debent concionatores, ut æternitatis et metu et spe corda hominum feriant et compungant. Ita fecit S. Chrysostomus, S. Antoninus, S. Dominicus, S. Vincentius, et alii maximi præcones, qui non phaleratas, sed efficaces habuerunt conciones quibus homines converterunt. Maximus enim hominum stupor, et inter omnes mundi insanias maxima est, quod plerique omnes res caducas et temporarias toto studio et conatu sectentur, divinas vero et æternas negligant, et vix de iis cogitent, cum tamen ab iis omne et æternum eorum bonum pendeat. Unde S. Hilarius ait, « concionatores debere esse satores æternitatis.»

Concionatores sint satores æternitatis.

Talis præco fuit S. Joannes Baptista: « Progenies, inquit, viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?» etc. «Ventilabrum in manu ejus, et permundabit aream suam; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.» Vide ejus concionem, *Matth.* III, quæ tota huc spectat. Talis fuit vox clamantis in deserto, quæ petras et saxa contrivit, ex eisque aquas lacrymarum elicuit, quibus eos præparavit ad gratiam et justitiam Christi.

Talis præco fuit Christus: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum,» *Matth.* IV; et cap. XXIV et XXV tota ejus concio est de consummatione sæculi, de signis judicio præviis, de judicio, de vita æterna piis, et gehenna impiis irroganda.

Talis fuit S. Petrus: « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Salvamini a generatione ista prava,» *Act.* II, 20 et 40.

Tales fuerunt Jacobus et Joannes, qui proinde a Christo vocati sunt « Boanerges,» id est, « filii tonitrui,» *Marc.* III. Hanc vocem, puta hoc tonitru, describens Psaltes, *Psalm.* XXVIII: « Vox Domini, ait, super aquas, Deus majestatis intonuit: vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros: vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum: vox Domini præparantis cervos,» ut pavore tonitrui dilatata matrice facilius pariant; « et in templo ejus omnes dicent gloriam.» Hæc enim novissimorum prædicatio, quasi tonitru aquas, id est populos multos, commovit ad pœnitentiam et lacrymas: cedros, id est superbos confregit: divisit ignem, id est charitatem et linguas igneas in pentecoste distribuit: concussit desertas Gentium regiones: cervos, id est timidos et tardos ad partum virtutum, pavore judicii Dei præparavit; induxit diluvium, tum baptismi, tum contritionis, quo peccata mergantur. Ita ibi explicant S. Basilius, Theodoretus, Augustinus, Didymus et Origenes.

Talis fuit S. Paulus, qui, ut ait S. Hieronymus, fuit « tuba Evangelii, tonitru Gentium, rugitus leonis.» Audi eum in Areopago: « Deus nunc annuntiat omnibus hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis,» *Act.* XVII, 30; et *Act.* XXIV, 25: « Disputante illo (Paulo) de justitia et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix,» etc. Et cap. XXVI, 24, prædicans resurrectionem mortuorum, audivit a Festo præside: « Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt. Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor.»

Talis fuit S. Franciscus, cujus assidua erat concio: « Labor modicus, voluptas æterna; voluptas modica, pœna perpetua; multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.»

Tropologice.

Tropologice Cyrillus, lib. V *De Adorat.*, pag. 97, per has duas tubas ductiles, duplex genus prædicationis in Ecclesia usitatum accipit: *primum*, quod fidem roborat et dilatat; *secundum*, quod mores corrigit. Argenteæ sunt ob splendorem, summamque sinceritatem. Ductiles sunt, quia necesse est ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus et ductibus crescant, inquit S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. VII. Sic et Procopius: Una, inquit, tuba doctrinalis est, secunda moralis.

Symbolice, pro tubis judaicis Ecclesia utitur campanis, quæ majores sunt, fortiores, magisque sonoræ ac durabiles, ideoque significant prædicationem Evangelicam toto orbe resonantem, et duraturam usque ad finem mundi, cum Judaismus uno Judææ angulo fuerit conclusus. Ita Amalarius Trevirensis Episcopus anno Christi 820, lib. III *De Eccl. offic.*, cap. I. Porro campanæ dictæ sunt a Nola civitate Campaniæ, ubi primum majores campanæ formatæ sunt. Ita Walefridus Strabo, lib. *De Rebus Eccles.* cap. V. Porro campanæ usus multiplices Poeta his versibus complexus est:

> Laudo Deum verum; plebem voco; convoco cœtum;
> Defunctos ploro; pestem fugo; festa decoro.

Vide Jodocum Coccium in *Thesauro Cathol.* part. II, lib. III, art. 6.

QUANDO MOVENDA SUNT CASTRA. — Hebraice, *et quando movenda sunt castra;* unde in Hebræo videntur hic duo officia tubarum significari, videlicet *primum*, ad cœtum populi adunandum; *secundum*, ad movenda castra. Verum noster Interpres τὸ *et* non accepit copulative, sed expositive et determinative, *q. d.* Ad convocandam multitudinem, ut ordinata serie sub suo quisque vexillo, suo clangore excitus moveat castra.

Vers. 4.

4. SI SEMEL CLANGUERIS, — id est, *si una tuba clanxeris*, uti habent Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Josephus, qui ait et addit: Moses duas buccinas fecit, quarum una plebs ad concionem vocabatur, altera principes ad consultandum de

republica excitabantur; utraque vero clangente universus populus convocabatur. Sicut ergo utraque clangente duplex erat clangor, bisque clangere dici poterant, ita una clangente, semel dicuntur clangere. Denique si clangerent תרועה *terua*, id est sonitu inciso et confracto (quem noster Interpres *ululatum* vocat), movebant castra; nam alias sonus harum tubarum erat planus et æquabilis. An autem in motione castrorum una, an duabus tubis clanxerint, non liquet.

Ululatus tubarum quis?

Vers. 6. 6. ET JUXTA HUNC MODUM RELIQUI FACIENT, — ut videlicet, sicut primo tubæ clangore castra moverunt, et profecti sunt Judas, Issachar et Zabulon, qui erant ad Orientem tabernaculi; secundo vero clangore profecti sunt Ruben, Simeon et Gad, qui erant ad Meridiem tabernaculi : ita tertio clangore castra moveant Ephraim, Manasse et Benjamin, qui erant ad Occidentem; quarto denique castra moveant Dan, Aser et Nephtali, qui erant ad Septentrionem : patet ex dictis cap. II.

ULULANTIBUS (id est concise clangentibus) TUBIS, — uti est ululatus bestiarum concisus.

Vers. 9. 9. SI EXIERITIS AD BELLUM, etc., CLANGETIS, etc., ET ERIT RECORDATIO VESTRI CORAM DOMINO, — *q. d.* Dominus recordabitur vestri in prœliis, cum clangetis juxta hoc ejus præceptum, ut eruat vos ab hostibus, vobisque det victoriam.

Vers. 10. 10. SI QUANDO HABEBITIS EPULUM, — solemne et sacrum ex hostiis pacificis, sive epulum quod fit prævio sacrificio, illudque claudit, quale erat in consecratione regum, tunc clangetis hisce tubis. Similiter et in Calendis, id est in neomenia sive novilunio, puta primo die mensis lunaris; hic enim dies Judæis erat festus.

UT SINT VOBIS IN RECORDATIONEM DEI VESTRI, — ut Deus iis, vel potius obedientia vestra, quam hoc clangore præstatis, excitus recordetur vestri, id est cogitet de vobis, benigne acceptet sacrificia vestra, et adsit vobis ope sua, uti recordantes solent facere. Antropopathῶς enim Deus recordari dicitur, non proprie. In Deo enim, cui omnia sunt stabilia et præsentia, nulla est memoria, sed jugis omnium, tam præteritorum et futurorum, quam præsentium visio et intuitus.

In Deo non est memoria, sed intuitus.

Vers. 11. 11. ANNO SECUNDO (ab egressu Hebræorum ex Ægypto), MENSE SECUNDO, VIGESIMA DIE MENSIS ELEVATA EST NUBES. — « Nubes, » id est columna nubis, cœpit moveri et præire castra, quæ proinde mota sunt. Hinc patet Hebræos mansisse in Sina (quæ duodecima fuit mansio Hebræorum in deserto) per annum integrum, exceptis tredecim diebus. Nam venerunt in Sina tertia die mensis tertii anni primi, ut patet *Exod.* XIX, 1; discesserunt vero ex Sina die vigesima mensis secundi, anni secundi. Omnia ergo quæ a cap. XIX *Exod.* narrantur hucusque, gesta et dicta sunt in Sina. Quare *primo* omnes leges morales, judiciales et cæremoniales latæ sunt in Sina. *Secundo*, ibidem fabrefactum est tabernaculum quasi templum. *Tertio*, ibidem consecrati sunt sacerdotes et Levitæ. *Quarto*, ibidem ordinata sunt castra, adeoque instituta et formata est tam respublica quam Ecclesia vetus Hebræorum, perinde ac in Sion promulgata est lex nova, cœpitque respublica et Ecclesia Christianorum, *Act.* II, 1, et *Hebr.* XII, 22.

Hebræi in Sina hæserunt per annum.

Notat Torniellus, hoc anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto, mortuum esse S. Job; idque dicendum est, si ponamus quod ipse et alii plures docent, S. Job vixisse 217 annos : tot enim sunt ab anno 130 Jacobi, quo natus videtur S. Job, usque ad hunc annum secundum, uti dixi *Genes.* XXXVI, 33.

Mors S. Job juxta Torniellum.

Vers. 12. 12. PROFECTIQUE SUNT FILII ISRAEL, etc., DE DESERTO SINAI, ET RECUBUIT NUBES IN SOLITUDINE PHARAN, — puta in loco qui postea dictus est *Sepulcra concupiscentiæ*. In eo ergo fuit decima tertia Hebræorum mansio, quæ fuit in vasto illo deserto Pharan, quod in se unum est, sed multa partialia complectitur : hujus enim deserti Pharan pars est desertum Sin, in quo trigesima tertia fuit mansio, de qua cap. XXXIII, vers. 36 (licet S. Hieronymus, tract. *De 42 mansion.*, Pharan terminet in Sin, et in Pharan ponat tantum octodecim mansiones sequentes, quæ fuerunt usque ad Sin et Cades). Ubi intuere, mirare et celebra mirabilem Dei erga suos providentiam, utpote quæ Hebræos per hoc desertum vagabundos, per triginta octo annos deduxit, quo tempore *primo*, nunquam eis manna nec aqua defecit. *Secundo*, columna nubis semper viam præivit. *Tertio*, nunquam vestimenta vel calceamenta eorum detrita sunt, imo cum parvulis crescentibus crescebant et ipsa; non enim vestes mutarunt vel innovarunt in deserto. *Quarto*, hic de cœlo acceperunt coturnices, et aquam de petra, omniaque portenta quæ deinceps in Numeris enarrantur, hic contigerunt. *Quinto*, in hoc deserto omnes egressi ex Ægypto, videlicet plusquam sexcenta millia, ob murmur perierunt et mortui sunt. Qui desertum hoc accurate lustrarunt, tradunt esse *primo*, solitudinem amplissimam : extenditur enim a monte Sina usque ad Cadesbarne, per iter undecim dierum; *secundo*, esse inviam et inaquosam; *tertio*, sterilem et inarabilem; *quarto*, hominibus juxta ac bestiis inhabitatam; *quinto*, carere herbis et arboribus : hinc inde tamen eas habet, ut patebit vers. 33. *Sexto*, esse asperam præruptis rupibus et montibus. *Septimo*, esse siccissimam et ardentissimam ob solis æstum. *Octavo*, in ea assidue luctandum esse cum tenacissimo sabulo, quod prœaltum et vestigiis cedens ingressum vehementer impedit et remoratur. Per hoc tamen desertum Hebræi, etiam parvuli, Deo duce, commode per triginta octo annos ambularunt : vide Adrichomium, Borchardum, Zieglerum et alios in *Pharan*.

Mira Dei providentia erga Hebræos in deserto. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Deserti hujus octo qualitates, et difficultates.

Vers. 13 et 14. 13 et 14. MOVERUNTQUE CASTRA FILII JUDA. — De ordine singularum tribuum et acie horum castrorum dixi *Numer.* II. Ex hoc loco, puta ex vers. 17, patet Gersonitas et Meraritas incessisse post primam aciem Juda; Caathitas vero post secun-

dam Ruben, uti dixi cap. II : licet alii aliter sentiant putentque hic esse hysteron proteron. Verum non recte ; nam distincte et ordinate tota acies, tam populi quam Levitarum, hic describitur (1).

Ubi nota : Voluit Deus Hebræos per quadraginta annos in deserto, in armis et castris vitam agere, ut inter hostes positi, perpetuo excubarent, paratique essent ad pugnam, ne otio et inertia diffluerent. Ita Epaminondas cupiens Bœotos, otio dissolutos semper in armis continere, cum se Bœotarcham, id est principem suum deligerent, hortari solebat ut denuo consultarent ; se enim si crearent ducem, militandum illis fore, regionemque ipsorum supinam atque apertam, belli orchestram appellabat, quod eam tenere non possent, nisi manu clypei ansæ inserta. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Tropologice, hæc castra significabant vitam fidelium esse militiam, ut ait S. Job, in qua armati et assidue depugnantes tendimus ad patriam cœlestem. « Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, » *Ephes.* VI, 12.

JUXTA IMPERIUM DOMINI IN MANU MOYSI, — quod scilicet dedit vel edixit per Mosen, ministrum et organum suum ; hujus enim symbolum est manus.

Vers. 21. 21. CAATHITÆ PORTANTES SANCTUARIUM, — puta vasa sancta Sanctuarii, id est Sancti et Sancti sanctorum.

TAMDIU TABERNACULUM (vasa tabernaculi, id est Sancti et Sancti sanctorum, jam dicta) PORTABATUR, DONEC VENIRENT AD ERECTIONIS LOCUM. — Hebr. est, *erexerunt tabernaculum* (Gersonitæ et Meraritæ), *donec venirent* (advenirent) *ipsi* (Caathitæ) ad vasa sacra in illud inferenda. Unde rursum patet Gersonitas et Meraritas præcessisse, ac primam aciem secutos esse, ut tabulas et cortinas tabernaculi erigerent, puta Sanctum et Sanctum sanctorum, ut Caathitæ sequentes secundam aciem, adventantes invenirent tabernaculum jam erectum, in quod sua vasa inferrent ; hoc enim congrua omnium providentia, dispositio et ordo exigebat.

Vers. 29. An Hobab sit Jethro ? Asserunt Septuaginta.

29. DIXITQUE MOYSES HOBAB FILIO RAGUEL MADIANITÆ, COGNATO SUO. — Quæritur, an Hobab hic fuerit ipse Jethro socer Mosis, an vero Jethronis filius ? Septuaginta asserunt Hobab esse ipsum Jethro ; ita et Abulensis. Habuit ergo Jethro quatuor nomina : *primo* enim dictus est Jethro ; *secundo*, Raguel ; *tertio*, Hobab ; *quarto*, Cinæus, ut patet *Jud.* I, 16. Jethro enim cum filia sua Sephora, uxore Mosis, venit ad Mosen in Sina, *Exod.* XVIII, 1.

Si dicas : Hobab hic vocatur filius Raguelis, ergo non fuit ipse Raguel.

Respondent, Hobab fuisse filium senioris Raguelis, sed fuisse ipsum Raguelem juniorem, qui et Jethro est dictus ; patris enim nomen filio fuisse inditum, sive tanquam proprium, sive tanquam patronymicum, uti apud Hollandos et Anglos fit : inde enim vocant suos Robersonios, id est Roberti filios ; Petersonios, id est Petri filios ; Jansonios, Andrisonios, etc.

Verius est Hobab fuisse filium Jethronis. Prob. Primo.

Alii, ut Paulus Burgensis, Cajetanus et Oleaster, verisimilius censent hunc Hobab esse filium Jethronis sive Raguelis. Nam *primo*, expresse hic ita vocatur : Raguel enim hic idem esse videtur cum eo qui ita nominatus est *Exod.* II, 18 : ille autem fuit Jethro, socer Mosis ; neque solet Scriptura Gentilium (qualis fuit Jethro) patres vel avos recensere.

Secundo.

Secundo, quia Jethro reversus est in Madian, ut patet *Exod.* XVIII, ult. ; hic autem Hobab persuasus a Mose, videtur cum eo mansisse, et profectus esse in Chanaan, ut colligitur ex vers. 31 ; idque magis confirmatur ex eo quod Madianitæ omnes paulo post, puta anno ab hoc 38, qui fuit quadragesimus et ultimus peregrinationis in deserto, ab Hebræis jamjam Chanaan ingressuris prorsus deleti sunt. Si ergo in Madian rediisset Hobab, pariter ibi cum sua familia deletus fuisset ; hoc autem est falsum, uti mox ostendam. Nam quod aliqui respondent, Mosen, cum bellum illaturus esset Madianitis, prius inde evocasse Hobab cum familia sua, gratis et sine auctore vel teste dicitur. Solus ergo Jethro, utpote senex centenarius (Moses enim gener ejus, jam erat 81 annorum), in Madian rediit, ibique paulo post mortuus est, antequam Madianitæ delerentur.

Tertio.

Tertio, quia Hebræa sic optime vertunt : *Et dixit Moses Hobab filio Raguelis, soceri sui*, et ita forte verterunt Septuaginta, non autem *socero suo*, uti jam habent Græci codices. Noster tamen Interpres vertit, *cognato*, id est affini, *suo*, quia Hebræum חותן *choten* et socerum et cognatum, id est affinem, significat ; tam enim Hobab quam Raguel sive Jethro, erat affinis Mosis. Hobab enim erat sororius, Raguel vero erat socer Mosis.

Posteritas et hæreditas Jethronis et Hobab.

Videtur ergo quod Jethro redeunte ex Sina in vicinam Madian, Hobab filius ejus cum sorore sua Sephora manserit cum Mose, cum eoque perrexerit in Chanaan : ibi enim fertilem terram agri Jericho accepit in sortem suam ; et inde postea conniventibus Hebræis migravit in optimam sortem tribus Juda, ut patet *Judic.* I, 16, ubi dicitur : « Filii Cinæi (id est Jethro) cognati (id est soceri) Moysi ascenderunt de civitate Palmarum (id est Jericho) cum filiis Juda in desertum sortis ejus, et habitaverunt cum eo ; » aliquos etiam ex eis migrasse ad sortem Nephtali, patet *Judic.* IV, 10 et 11, ubi Haber Cinæus (cujus uxor Johel occidit Sisaram principem) habitasse dicitur juxta Cedes, quæ erat in sorte Nephtali, ut patet *Josue* XIX, 36. Horum quoque Cinæorum mentio fit I *Reg.* XV, 6, qui tandem in captivitate communi ab Assyriis, puta a Salmanasar, vastati et capti sunt. Id enim futurum prædixit Balaam,

(1) Pro *primi*, alii vertunt *prima vice*, ut significetur, primam castrorum motionem factam esse.

Num. XXIV, 22: «Assur, inquit, capiet te,» o Cinæe.

A Jethro orti sunt Rechabitæ et Essei.

Denique ab hoc Jethro et Hobab prognatus est Rechab, cujus filius fuit pius Jonadab, qui cum Jehu Baal et Baalitas evertit, IV *Reg.* X, 23. Ab hoc Jonadab orti sunt Rechabitæ, quos adeo abstinentia, obedientia et sanctitate dilaudat Jeremias, cap. XXV; Rechabitas enim esse Cinæos patet I *Paralip.* II, 25. Rechabitæ ergo non fuerunt Judæi, sed Madianitæ, puta posteri Jethro. Rursum Rechabitarum posteri fuerunt Essæi, quos a temperantia et continentia commendant Philo, Eusebius et alii, ait Suidas. Vide hic sanctam progeniem, et sanctorum parentum sanctos filios: hoc facit et præstat pia parentum educatio, et cum probis conversatio.

Vers. 30. 30. REVERTAR IN TERRAM MEAM, — in Madian.

Vers. 31. 31. NOLI, INQUIT, NOS RELINQUERE: TU ENIM NOSTI IN QUIBUS LOCIS PER DESERTUM CASTRA PONERE DEBEAMUS. — Erat enim Madian monti Sina, et deserto huic vicina; unde Moses cohabitans Jethro in Madian, ejus oves in deserto hoc pascebat. Dixit vero hoc Moses ad Hobab, non quasi opera et ductu ejus indigeret, utpote qui columna nubis forinsecus, et intrinsecus Deo, vel angelo dicente erudiebatur, discebatque quo loco ponenda essent castra; quique in ea regione, puta in deserto hoc, per 40 annos pascens oves, tam, vel magis versatus erat, quam Hobab. Voluit ergo Moses Hobab apud se detinere, ut eum, utpote sororium suum, Gentilem in veri Dei religione et cultu erudiret, eumque a gentilismo ad Judaismum traduceret (1).

Moses detinuit Hobab, ut eum converteret ad Judaismum.

Morale.

Ubi nota charitatem et prudentiam Mosis in persuadendo Hobab: nam, ut ait Rabanus et Rupertus: « Vir providus (Moses) elato auditori (Hobab) colloquens, solatium petiit ut daret, ducem requirebat in via ut dux ei fieret ad vitam; plerumque enim persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius quam illis profuturum dicamus, sique id quod petimus, nobis potius quam ipsis impendi postulemus. » Cum enim Hobab noluisset acquiescere Mosi dicenti: « Veni nobiscum, ut benefaciamus tibi; » instat Moses ut maneat, quasi eo indigeat dicens: « Noli nos deserere. »

ERIS DUCTOR NOSTER, — hebraice, *eris nobis in oculos*, id est eris nobis dux, ut ostendas ubi sunt fontes, ubi pascua pro pecoribus nostris, ubi ligna, etc. Tacet Hobab: unde verisimile est eum acquievisse et mansisse cum Mose, uti dixi vers. 29.

Vers. 33. 33. PROFECTI SUNT ERGO DE MONTE DOMINI (de Sina) VIAM TRIUM DIERUM, ARCAQUE FOEDERIS DOMINI PRÆCEDEBAT EOS, — *q. d.* Profecti sunt per tres dies, nec ante castra fixerunt: quibus diebus arca in qua erant tabulæ fœderis, puta tabulæ decalogi, antecedebat eos, arcæque incumbebat columna nubis, quæ erat dux itineris, idque ad religionem arcæ, et ad observationem decalogi, arcæ contenti, populo commendandam (2).

Arca præcessit castra, cur?

An autem semper deinceps arca castra præcesserit non omnino liquet. Abulensis ex Josepho affirmat: si enim hic præcessit, cur non et alias deinceps? Portabatur autem arca a quatuor Levitis Caathitis, ut patet cap. III et IV, et I *Paralip.* XV, 15. Licet enim subinde, in gravi causa, arca portata sit a sacerdotibus, ut in transitu Jordanis et in demolitione murorum Jericho, *Josue* VI, 6, tamen ordinarie portabatur a Levitis: neque enim eam continuo et semper portare potuissent sacerdotes, utpote qui tunc tantum essent duo, scilicet Eleazar et Ithamar, cum patre suo Aarone pontifice, qui arcæ, et omnibus Levitis, vasisque sacris superintendere debebant.

Arcam portabant Levitæ.

PROVIDENS CASTRORUM LOCUM, — hebraice, *ad explorandum*, vel *investigandum illis requiem*, id est, locum in quo commode quiescerent et figerent castra, ubi scilicet erant gramina et pabula pro ovibus, bobus et jumentis, ubi erant fontes et aquæ, aer salubris, etc. Faciebat hoc columna nubis, utpote dux itineris, et consequenter arca, cui nubes incumbebat. *Secundo*, arca providebat castrorum locum, quia præeundo tollebat serpentes, feras et cætera viarum incommoda, ait Abulensis. Verum prior sensus genuinus est, eumque exposcit vox hebræa תור *tur*, quæ proprie explorare significat, non tollere.

Vers. 35. 35. CUMQUE ELEVARETUR ARCA, — ad portandum eam in motu castrorum. Rabbini hoc versu 35, et cap. seq. vers. 1, scripserunt duas litteras *nun* inversas in textu Hebræo, scilicet unam in verbo בנסע *binsoa*, id est cum proficisceretur, alteram in verbo כמתאננים *kemitonenim*, id est cum murmurarent. Priori *nun* inverso significant benevolam Dei conversionem ad populum, ob preces Mosis; posteriori, impietatem et ingratitudinem populi, volentis reverti in Ægyptum. Hoc rabbinicum et cabalisticum est.

DICEBAT MOYSES: SURGE, DOMINE, ET DISSIPENTUR INIMICI TUI. — Nota: Deus olim se maxime repræsentabat per arcam: orat ego hic Moyses ut, surgente arca, surgat etiam Deus, quasi qui hactenus cum Hebræis in arca quievisset, et jam ex-

(1) Allioli: Hobabo, homini Madianitæ, per ea deserta cum gregibus sæpe vagato, notissima erant omnia loca, in quibus erant pascua et fontes, quos Arabes summo studio obtegere solent.

(2) Visuntur hodienum prope Sinai montem aliquæ rupes innumeris pergrandibusque characteribus insculptæ (Vid. Delaborde et Linant, *Voyage dans l'Arabie Pétrée*), quas inscriptiones ab ipsis Israelitis dum ibi duce Mose commorarentur, exaratas fuisse, quidam existimaverunt. Ita censuit primus Cosmas, Alexandriæ monachus (sæc. VI), in *Topographia Christiana;* recentius autem Forster in opere cui titulum fecit, *The voice of Israel from the rocks of Sinai*, 1851. Tuch e contra harum inscriptionum auctores habet Sabæos paganos. Melius, ut opinor, post Montfaucon, Beer in *Studiis Asiaticis*, fascicul. 3, et Lenormant in *Journal Asiatique*, januar. 1859, statuunt eas ibi insculptas fuisse ab Arabibus christianis hæc in loca IV vel V sæculo peregrinantibus

surgere rogetur ad viam præeundam et præmuniendam, dissipandosque hostes suos, id est gentes vicinas, quæ populi sui erant hostes, a facie sua, ut videlicet coram arca Domini, vel ea visa metu correpti diffugiant. Hinc ea Israelitis in arca Domini fuit confidentia, ut eam producerent ad castra tempore belli, idque magno hostium pavore, tumque Deum sibi præsentem, seque adjuvantem crederent, ut patet ex gestis tum Josue cap. VI, tum Heli, I *Reg.* IV, 3.

Fiducia Hebræorum in arca.

Ex hisce verbis et oratione Mosis, ait Abulensis, inolevit in Ecclesia mos, ut initio Horarum Canonicarum dicatur : « Deus in adjutorium meum intende, » scilicet ad nos adjuvandum et dirigendum in psalmodia.

Rursum Abbas Marcellus in *Prato spirituali*, cap. CLII, ait nihil ita esse utile nihilque ita contristari dæmones, ac psallere. Nam « cum psallimus, ait, partim nobisipsis, Deum laudando, oramus, partim dæmonem maledictis incessimus, ut cum dicimus : Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. » Magis mirabile, magisque ad praxim redigendum est, quod scribit S. Athanasius ad Anthiochum, *Quæst.* XIV : « Non existit, ait, in toto tam veteri, quam novo Testamento, verbum terribilius, atque magis nostram disperdens potestatem (id est diabolum), quam initium *Psalmi* LXVII (quod ex hisce Mosis verbis et precibus desumptum est) : quamprimum enim dicto verbo : Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; mox ululans evanescit et disparet diabolus, ostendens hujus orationis virtutem et operationem. »

Hinc Angelus apparens, psallensque cum orationum interjectione, monachos docuit modum psallendi; indeque Psalmi duodecim in Horis nocturnis et diuturnis per totam Ægyptum cantantur, inquit Cassianus, lib. II *Instit.* cap. V. Sicut angeli alternis canentes visi a S. Ignatio, docuerunt chorum alternis canere, quod Græci vocant ἀντιφώνως ψάλλειν; unde Antiphonarum nomen et origo, ut alibi ex veteribus historicis ostendi. Ita nocte et die psallebat sine intermissione Isidorus Presbyter in *Vitis Patrum*, libro V, titulo XI, num. 17.

36. CUM AUTEM DEPONERETUR (arca) AIEBAT : REVERTERE, DOMINE, — ad castra videlicet, quæ arcam et Dominum sequebantur. Nam cum columna nubis sisteret, arcaque deponeretur, ibi simul castra figebantur circumcirca : in medio enim castrorum fixorum erat arca. Orat ergo Moses ut Dominus redeat ad medium castrorum, ut omnia castra tueatur (1). Vers. 36.

AD MULTITUDINEM EXERCITUS ISRAEL. — Hebraice, *ad myriades millium Israel.* Tradunt enim Hebræi tres milliones hominum cum Mose ex Ægypto exiisse, et peregrinata esse per desertum versus Chanaan. Tres milliones peregrinantium in deserto.

(1) Ante רבבת alii subaudiunt אל, *ad*, cum Vulgato. Maurer שוב transitive capiendum existimat, ut sensus sit, *reduc Jova, myriadas familiarum Israelis.*

CAPUT UNDECIMUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Murmurant Hebræi, petuntque carnes et cæpas Ægypti : hinc vers. 10, *turbatur Moses, et queritur apud Deum; Deus autem, vers.* 25, *onus illius in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetant. Denique, vers.* 31, *Deus populo corturnices afflat, sed eidem ob murmur plagam infligit; inde locus dictus est Sepulcra concupiscentiæ.*

1. Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. 2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis. 3. Vocavitque nomen loci illius, Incensio : eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. 4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait : Quis dabit nobis ad vescendum carnes? 5. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis : in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cæpe, et allia. 6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 7. Erat autem Man quasi semen coriandri coloris bdellii. 8. Circuibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. 9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et Man. 10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est

furor Domini valde; sed et Moysi intoleranda res visa est, 11. et ait ad Dominum : Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? 12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi : Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum. 13. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes : Da nobis carnes ut comedamus. 14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. 15. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 16. Et dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri; et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, 17. ut descendam et loquar tibi : et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris. 18. Populo quoque dices : Sanctificamini; cras comedetis carnes, ego enim audivi vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis, 19. non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, 20. sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo, dicentes : Quare egressi sumus ex Ægypto? 21. Et ait Moyses : Sexcenta millia peditum hujus populi sunt, et tu dicis : Dabo eis esum carnium mense integro : 22. numquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? 23. Cui respondit Dominus : Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. 24. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. 25. Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. 26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit Spiritus; nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum. 27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Moysi, dicens : Eldad et Medad prophetant in castris. 28. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait : Domine mi Moyses, prohibe eos. 29. At ille : Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum? 30. Reversusque est Moyses, et majores natu Israel in castra. 31. Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. 32. Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros : et siccaverunt eas per gyrum castrorum. 33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus : et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. 34. Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ : ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de Sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, et manserunt ibi.

Vers. 1. 1. INTEREA ORTUM EST MURMUR POPULI (Hebr. est, *et erat populus murmurans mala.* Ita et Septuaginta et Chaldæus), QUASI DOLENTIUM PRO LABORE, — præ fatigatione itineris, puta quia tres dies continuos cum parvulis, jumentis et sarcinis ambularant. Pro *quasi dolentium*, hebr. est כמתאננים *kemitonenim*, id est, quasi causantium laborem et dolorem. Unde patet eos non tam murmurasse ex vera fatigatione (lente enim ambulabant, et Deus confortabat eos), quam eam prætexuisse suæ gulæ, et ollis Ægypti, ut patet vers. 5. Quocirca Vatablus vertit : *Contigit autem, cum populus molestiam et dolorem quemdam causaretur, ut ea res displiceret in auribus Domini. Mitonenim* enim, cum

sit Hitpael, significat actionem reflexam, puta *dolentium*, id est, causantium dolorem; imo aliqui, ut Forster in *Lexico*, *mitonenim* vertunt *concupiscentium*, scilicet carnes et cæpas, ut patet vers. 5. Radix enim אוּן *on*, et concupiscentiam significat, et dolorem : illa enim hujus est causa, uti culpa causa est pœnæ. Alii, ut R. David, Pagninus, Mercerius *mitonenim* vertunt, *mentientium*, scilicet fatigationem et dolorem, cum revera non tam fatigati essent, quam concupiscerent ollas Ægyptias, more suo. Marinus vertit, *perverse agentium*. Favet *Deut.* VIII, 4, ubi dicitur : « Pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. » Adde, cum hi murmuratores causam murmuris et doloris sui exprimunt, non nominant fatigationem, sed concupiscentiam carnium et cæparum. « Quis dabit, inquiunt vers. 4, nobis ad vescendum carnes? » etc. Denique alii passim *mitonenim* vertunt non *dolentium*, nec *fatigatorum*, sed *murmurantium*, hoc est causantium fatigationem, cum revera concupiscerent carnes. Et ita vertunt Septuaginta et noster, *Thren.* III, 39 : « Quid murmuravit (hebr. יִתְאוֹנֵן *iitonen*) homo vivens vir pro peccatis suis? » *q. d.* Quid murmurat homo causando et incusando Dei providentiam, quasi illa prædestinarit et decreverit ejus excidium et perditionem, cum incusare debeat peccata sua, quæ vera sunt perditionis cujusque causa (1)?

Murmur hoc contigit anno, non 40, sed 2.

Abulensis putat hoc murmur contigisse sub annum quadragesimum ab egressu ex Ægypto : sed longe verius est illud contigisse anno secundo ab egressu. Nam contigit mox ab egressu ex Sina, in decima tertia mansione : ex Sina autem egressi sunt Hebræi anno secundo mense secundo. Rursum hoc murmur contigit ob manna; manna autem cœpit dari anno primo : ergo paulo post illud, puta anno secundo, murmur hoc accidit, cum ex continuo ejus esu illud fastidire cœperunt.

ET ACCENSUS IN EOS IGNIS DOMINI, — id est a Domino. Ita Septuaginta et Chaldæi. *Secundo*, « ignis Domini, » id est ignis ingens, vehemens et terribilis; sic enim vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, id est cedri magnæ, montes excelsi. Est hic hysteron proteron. Hæc enim plaga inflicta est post murmur carnium, uti ostendam vers. 4; quare hic versus et sequens juxta historiæ ordinem, ponendi fuissent post vers. 33 (2).

Murmurantes puniuntur igne.

Nota : Igne puniuntur et cremantur hic murmurantes. Ita Deo displicet murmur et rebellio.

Vers. 3.

3. VOCAVITQUE NOMEN LOCI ILLIUS, INCENSIO. — Locus hic ab igne vocatus est, Incensio : sed a pœna gulæ vocatus est, Sepulcra concupiscentiæ, ut patet vers. 34. Est enim hic unus idemque locus, uti et murmur. Nota : Hæc non in itinere, sed in castris, seu castrorum fixione contigisse, significatur vers. 1 : hoc enim significat Hebræum הַמַּחֲנָה *hammachane*, id est, castrorum metatio.

Vers. 4.

4. VULGUS QUIPPE PROMISCUUM, etc., FLAGRAVIT DESIDERIO. — Nota τὸ *quippe* (licet enim in Hebræo sit *et*, tamen *et* Hebræis sæpe est causale, significans *quia*, *quippe*) : hæc enim vox causalis significat causam præcedentium, cur scilicet Hebræi murmuraverint, et cur puniti sint igne, videlicet quod nonnihil ex labore itineris fatigati, cœperint suspirare ad carnes et ollas Ægypti : unde sequitur unum idemque esse murmur, quod vers. 1 breviter, hic vero fuse enarratur. Voluit enim Moses *primo*, tam murmur, quam ejus pœnam perstringere; deinde fuse et ordinate hoc versu historiam totam rei gestæ enarrare. Id ita esse rursum ex eo confirmatur, quod non sit verisimile Hebræos ob solum murmur, vel querelam fatigationis punitos esse igne, aut post hanc pœnam et cladem statim hic iterum murmurasse, ob desiderium carnium. Timuissent enim rursum puniri igne. *Tertio*, idipsum indicat Psaltes, *Psal.* LXXVII, vers. 20, cum hoc murmur eorum ita describit : « Numquid et panem (id est cibum, hoc enim hebr. est *panis*; unde Genebrardus ex R. Kimchi, per panem intelligit carnes) poterit dare, aut parare mensam in deserto? » Deinde pœnam subjungit : « Ideo audivit Dominus, et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel. » Vides hic ignis pœnam inflictam esse, ob murmur non tam querentium de fatigatione, quam desiderantium cibos et carnes (3).

Idem fuit murmur ob laborem viæ, et ob desiderium carnium.

Moral. de vulgi sensu et moribus.

Disce hic ingenium vulgi. Quid et quale est vulgus?

Primo, Philo, lib. *De Josepho* : « Sicut coci, ait, omnia esculenta ad suavitatem oris comparant, utilia negligunt : sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantum voluptatem venatur. Et sicut cocus nihil aliud curat, quam inutiles ac supervacaneas ventris voluptates : sic et vulgus, » etc.

« Vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione, » inquit Thucydides. « Vulgus est voluptatum cupiens, et, si eo princeps trahit, lætum, » ait Tacitus, lib. XIV.

Secundo : « Plebs otio lascivit, » ait Livius, *Decad.* I, lib. II.

Tertio : « Id omni multitudini natura insitum est, ut rerum novitate et immutatione lætetur, » inquit Agathias, lib. III.

(1) Hebr. est, *et fuit populus quasi* (Gesenius hic *caph* veritatis deprehendit) *conquerentes* (אָנַן *mœruit*, hithpo. pro *mœstum se gessit*, hinc *conquestus est*) *malum in aures Jovæ*.

(2) *Extremam castrorum partem*, quam, ut videtur, murmurantes occupabant.

(3) Rosenmullerus tamen, cum multis, particulam ו hic vertendam vult, *non ita multo post*. *Promiscuum* hoc *vulgus* erat hominum, qui sese cum Israelitis Ægyptum relinquentibus conjunxerant. Pro *sedens et flens*, hebr. est, *redibant et flebant*, id est, iterum flebant, iterum queritabant : Hebræi enim verbo שׁוּב utuntur, si alicujus rei iterationem exprimere volunt. Septuaginta et Vulgatus legerunt יָשֻׁבוּ.

Quarto : « Omni populo inest malignum quiddam et querulum in imperantes, » inquit Plutarchus in *Polit.*

Quinto : « Multitudo vulgi more magis quam judicio, post alium alius quasi prudentiorem sequitur, sicut ovis ovem, » inquit Sallustius *ad Cæsarem.*

Sexto : « Vulgus ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum, cupidum rerum novarum, quieti et otio adversum, » inquit idem in *Jugurtha.*

Septimo, Antisthenes apud Laertium, lib. VI : « Vulgus, inquit, hominum tantum probat ea quibus assuevit (ut Hebræi hic ollas Ægyptias), ab exoticis (a manna) abhorret, non quod mala, sed quod peregrina sint. »

Octavo, Ovidius, lib. I *Trist.*, eleg. 8, sic canit de vulgo :

Utque comes radios per Solis euntibus umbra est;
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit :
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

Idem rursus :

Vulgus amicitias utilitate probat.

Nono, Polybius, lib. XI *Hist.* : « Ut mare, inquit, natura sua placabile est; cum vero irruunt venti, tale est quales sunt venti quibus agitatur: ita ignobile vulgus per se placabile est, sed agitatur, et tale redditur, quales habet duces et consiliarios. »

Decimo, Plutarchus in *Moral.* : « Qui captat aves, inquit, earum voces imitatur ut alliciat in laqueos : sic ut multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes et observias oportet. »

Undecimo, Themistocles affectus contumelia ab Atheniensibus, quos multis beneficiis affecerat, aiebat, similem se esse platanis, sub quarum umbra ut lateant, accurrunt homines tempestate afflicti, et easdem, mox ut abiit tempestas, vellunt. » Sensit vir prudentissimus vulgi mores esse, ut in belli periculis implorent virorum fortium opem : in pace vero contemnant eos, imo vexent et vellicent. Ita Plutarchus in *Apophth.*

Duodecimo, cum Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea civitate unum esse virum, qui cunctorum sententiis adversaretur, ac populus vociferans juberet eum inquiri ut occiderent, Phocion in medium procedens : « Ego, inquit, sum ille quem designavit oraculum. Mihi enim omnia ea displicent, quæ vulgus dicit et agit. » Quo dicto ostendere voluit inconditam multitudinem, quoniam affectibus regitur, nihil sani agere aut loqui. Ita Plutarchus ibidem. Hinc Antisthenes, quodam die theatrum ingressus, adversus populum nitens progrediebatur. Rogatus cur id faceret : « Hoc, inquit, in omni vita facere studeo. » Sentiens hoc sapientis esse viri, in omnibus a multitudine dissidere. Ita Laertius, lib. VI. Nihil enim præstantius quam ne pecorum ritu sequamur gregem antecedentium, pergentes non quo eundum est, sed quo itur.

Decimo tertio, S. Basilius apud Antonium in *Melissa,* part. I, serm. 18 : « Sicut nebulæ, ait, juxta mutationes statuum, nunc huc, nunc illuc feruntur : sic vulgus quovis vento nunc in hanc, nunc in illam partem sese flectit. »

Scinditur incertum studia in contraria vulgus :

est enim bellua multorum capitum.

Decimo quarto, Joannes XXIII, Pontifex Romanus, interrogatus aliquando : « Quid foret a veritate remotius? » respondit : « Vulgi sententia. Quidquid enim laudat, vituperio dignum est : quidquid cogitat, vanum : quidquid loquitur, falsum : quod improbat, bonum est : quod approbat, malum : et quidquid extollit, infame. »

FLAGRAVIT DESIDERIO — carnium et cæparum Ægypti, patet ex vers. seq. Licet enim oves non comederent Ægyptii, ut patet *Genes.* XLVI, 34, nec cæpas, utpote quas ut deos colerent; unde eos ridens Juvenalis, *Satyr.* penult. ita canit : Ægyptii oves et cæpas colebant.

Porrum et cæpe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ :

tamen alia animalia comedebant : imo oves et cæpas alii comedebant, ut patet ex hoc loco, alii ex religione iis abstinebant. Aliquorum enim tantum erat hæc religio, vel potius superstitio.

Dices : Hebræi habebant sua pecora, quæ poterant occidere et comedere; cur ergo hic carnes a Mose poscunt, et murmurant?

Respondeo : Illa pecora erant pauca, nec suffecissent ad tot hominum millia, vel pauco tempore alenda. Vide vers. 22. Rursum pecora hæc servare volebant ad sobolem, in terra promissa procreandam. Denique, non omnes habebant pecora, præsertim ex illa colluvie, a qua cœpit murmur. Ita Abulensis. Addit S. Augustinus eos desiderasse coturnices : hisce enim datis, Deus sedavit eorum murmur. Verum Scriptura hoc non exprimit, sed tantum carnes, porros et cæpas : nec vulgus hoc in Ægypto assuetum fuerat coturnicibus.

Moraliter S. Bernardus, tract. *Ecce nos reliquimus omnia,* docet argumentum incultæ mentis esse concupiscentiam et sollicitudinem temporalium : « Ut exercitii spiritualis, inquit, et cura cordis indicium evidens est contemptus exteriorum : sic eorumdem sollicitudo, certum nihilominus signum mentis incultæ. Scriptum quippe est : In desideriis est omnis otiosus. »

SEDENS.— Ita et Septuaginta legentes aliis punctis וישבו *vaiescebu*, id est, *et sederunt.* Jam Massoretæ et moderni Hebræi cum Chaldæo legunt *vaiascubu*, id est, et reversi, vel aversi sunt.

5. IN MENTEM NOBIS VENIUNT CUCUMERES, etc. — Vers. 5.

Morale. Moraliter S. Gregorius, XX *Moral.* cap. XVI : « Quid, ait, signatur per ollas carnium, nisi carnalia vitæ opera in tribulationum doloribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros et cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ a dilectoribus suis et non sine luctis agitur, et tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cæpasque quæsierunt : quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt : contemnunt habere, ubi spiritualiter gaudeant : desideranter appetunt, ubi et carnaliter gemant. Horum itaque vecordiam veridica voce Job reprehendat : quia nimirum perversi judicio perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt. »

GRATIS, — pretio vili, et quasi nullo.

Vers. 6. 6. ANIMA NOSTRA ARIDA EST, — quasi dicant : Appetitus noster languet, nauseat, et quasi exarescit, eo quod sicco, et eodem semper manna vescamur, nihil viride, nil succulentum comedamus.

Dices : Manna exhibebat eis omnem saporem, ut dicitur *Sap.* XVI, 20; ergo etiam saporem carnium et cæparum : cur ergo murmurant?

Respondent aliqui, solos justos sensisse varietatem saporis in manna, idque ad libitum : impios autem, qui erant in peccato mortali, in manna non sensisse, nec sapuisse nisi saporem naturalem, qui erat mellis, aut panis oleati, ad quem facile nauseamus. Verum, *Exodi* XVI, 31, ostendi hoc beneficium tam impiis, quam piis, fuisse commune.

Respondeo ergo, nauseam hanc et murmur ortum esse, non ex nativa dulcedine (hæc enim si crebro gustetur, nauseam movet) manna, nec ex tædio ejusdem semper cibi, utpote qui ad libitum eorum saporem variabat : sed quia odor, color, forma, tenuitas, et similes aliæ qualitates eædem semper perseverabant in manna, quarum qualitatum jucunda quædam diversitas allicit magis gustatum. Unde et gulones, præsertim pueri, sæpe non tam os et ventrem, quam oculos, phantasiam et manus cibo saturare et implere cupiunt (1).

Vers. 7. 7. COLORIS BDELLII. — Hebraice, *oculus ejus sicut oculus bdellii; oculus*, id est color, qui est objectum oculi; est metonymia : vide *Can.* 30. Bdellium est colore unguis, teste Plinio, lib. XII, cap. IX, et Dioscoride, lib. I, cap. LXIV, puta candidum est et lucidum. Unde Septuaginta vertunt, *simile crystallo*; hinc et bdellium hebraice vocatur בדלח *bedolach*, quod onychem, sive lapidem onychinum significat. Vide dicta *Exodi* XVI, 31 (2).

Vers. 8. 8. SAPORIS QUASI PANIS OLEATI, — ita et Septuaginta et Chaldæa. Sed recentiores vertunt, *saporis quasi recentis*, vel *humentis olei*.

Vers. 9. 9. CUMQUE DESCENDERET NOCTE SUPER CASTRA ROS, DESCENDEBAT PARITER ET MAN. — Hebræa, Chaldæa et Septuaginta addunt, *super eum*, scilicet rorem. Ros ergo hic non significat rorulentum vaporem, sed condensatum et conglaciatum, id est pruinam, quæ substernebatur ipsi manna, ne manna terræ tactu fœdaretur, uti dixi *Exodi* XVI, 13. Ros hic est pruina.

Vers. 10. 10. MOYSI INTOLERANDA RES VISA EST, — quod videlicet omnis populus ulularet, et a Moyse carnes posceret. Unde tantum ipse hic populi sensit onus, ut morte gravius ipsi videretur, optaretque mori. Hoc est ingenium pusillanimitatis : quod pulchre describens Victor Abbas apud Sophronium cap. CLXIV : « Pusillanimitas, ait, passio animæ est. Sicut enim capti oculis, quanto magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri; qui vero sanos habent oculos, modicum : ita et pusillanimes ex modica tentatione cito perturbantur, qui vero anima sani sunt, magis gaudent in tentationibus. »

Vers. 11. 11. ET AIT AD DOMINUM, etc. : CUR IMPOSUISTI PONDUS UNIVERSI POPULI HUJUS SUPER ME? — « Pondus » vocat onus et curam regendi populum, eique de omnibus providendi.

Morale. Regnum est splendida servitus. Quare vere sapiens ille : « Rex bonus, ait, servus est publicus. »

Et Pompeius : « Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus. »

Sensit hoc Antiochus, Syriæ rex, qui a Romanis bello victus, testatus est se magna cura liberatum, quod modicis regni finibus inclusus esset.

Themistocles dicebat se malle ad sepulcrum quam ad tribunal ire, inquit Ælianus, lib. VI.

(1) אין כל, etc. Hæc quo minus cum Rosenmullero aliisque interpretibus vertas, *nil quidquam præterquam ad mannam oculi nostri*, vetare videtur accentus *athnach*. Redde, *nihil quidquam adest : tantum* (proprie *in nihil, nisi*) *in mannam oculi nostri*, scil. convertuntur.

(2) Burckhardt, qui vere anni 1816 peninsulam montis Sinai peragravit, in suorum itinerum commentariis, *Travels in Syria and the Holy Land*, pag. 600, refert, in ea deserti parte, quæ Sinai monti ad Occidentem est, mannam junio mense defluere ab illa tamarisci specie quæ Arabibus *tarfa* dicitur, et frequens illis in locis nascitur. Guttas deciduas in grana coagulatas e subjectis istis arboribus plantis, ramisque Arabes ante solis ortum colligunt, et in utribus in annum proximum servant, et mellis loco pani illiniunt. Hanc tamen mannam *naturalem*, quæ nec quovis anni tempore, nec magna copia colligitur, ab illa *mirabili et prodigiosa* Mosis manna multis discrepare, nemo non videt. « Si manna, inquit Deyling, Israelitarum victus, fuisset naturalis et vulgaris, vix dici potuisset, eam tum iis ipsis (Israelitis), tum eorum patribus prorsus incognitam fuisse. Credibile enim non est, in tanta hominum multitudine vix unum alterumque fuisse, qui mannam Arabicam vulgarem, circa ea loca quotidie depluentem, nunquam viderit. Si extraordinaria non fuit, cur Moses tam sollicite colorem, saporem formamque ejus descripsit? Quid opus est tam accurata descriptione rei quotidianæ, vulgaris et omnibus notæ? » Cf. de Laborde, *Commentaire géographique sur l'Exode et les Nombres*. Paris, 1841.

Seleucus, Asiæ rex, teste Plutarcho, dicere solebat: « Si sciret vulgus quam laboriosum sit legere ac scribere solum tot epistolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur. »

Alfonso, Aragonum regi, in cœna importunius quidam instabat; rex nihilo commotior, « asinos tantum regibus beatiores esse » dixit: « illis enim dum comedunt, clitellas auferunt agasones, mihi vero senex iste cœnanti imponit. »

Meminerunt Belgæ Caroli V, qui senescens onerum et curarum reipublicæ pertæsus cum Bruxellæ principatum Belgii in filium Philippum II transferret, illacrymans dixit: « O fili, magnum tibi onus impono. Ego enim toto tempore principatus mei, nunquam quadrantem horæ magnis curis et anxietatibus vacuum habui. » Secedens ergo, quatuor ultimos vitæ annos sibi et Deo vixit.

Adrianus Papa II, teste Petrarcha, nullum supplicium majus de hoste poscebat, quam ut Papa fieret.

Pius V, Pontifex sanctus, dicere solebat: « Cum essem Religiosus, sperabam bene de salute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui; nunc Pontifex creatus, pene despero. » Idem sensit Clemens VIII.

Non mirum ergo si S. Gregorius, Nicolaus I, Clemens III, Cælestinus V, et alii adeo papatum fugerint.

Lucianus ait Myronis et Praxitelis colossos foris multo nitere ebore et auro, ad hæc fulmen aut tridentem dextra tenere, ut Jovem, aut numen aliquod repræsentent; cum intus nihil appareret præter picem, clavos, araneas, mures et sordes. Atque talem esse principum vitam affirmat, quorum si strepitum et apparatum inspicias, nihil felicius, nihil deorum vitæ similius; sin curas, suspiciones, odia contemplere, quibus intus discruciantur, nihil calamitosius. Merito ergo Antigonus rex ad filium insolescentem: « An ignoras, inquit, o fili, regnum nostrum non esse aliud; nisi splendidam servitutem? » Principum ergo sors non ambienda, non invidenda, sed compassione digna est.

Vers. 12. 12. UT DICAS MIHI. — Hebraice, *quia dicis mihi;* ita et Septuaginta. Unde patet Deum dixisse Mosi: « Esto populo huic ut nutrix et mater, » id est diligentissimam, et quasi maternam ei curam exhibe; licet id nusquam alibi expresse scribatur, aut narretur.

PORTA EOS IN SINU TUO, — hoc est officium Pastorum, imo Sanctorum omnium. Talis fuit Elias, cui proinde ascendenti in cœlum acclamavit Elisæus: « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. » Hinc rex dicitur βασιλεὺς quasi βάσις, et Adonai quasi אדן *eden*, id est fulcrum populi; hoc est quod ait Paulus: « Alter alterius onera portate. »

Prælatorum et Sanctorum est

Vis exempla et documenta Sanctorum? Accipe e *Vitis Patrum*, lib. V, cap. XVI *De Patientia* (sequor ultimam editionem P. nostri Heriberti): Quidam, inquit, videns quemdam Religiosum portantem mortuum in lecto, dicit ei: « Mortuos portas? Vade, viventes porta; » quia pacifici filii Dei vocabuntur.

portare alios.

Ibidem, cap. XV *De Humilit.*: Abbas Anuph septem fratres suos docuit modum vivendi concorditer inter se. Nam per totam septimanam faciem statuæ cujusdam mane lapidabat; vespere autem dicebat: Ignosce mihi. Rogatus cur id faceret, ait: Propter vos hoc feci. Quando me vidistis lapidantem faciem statuæ, num locuta est, num furuit? Et dixerunt: Non. Iterum quando apud eam pœnitentiam egi, num turbata est? num dixit: Non ignosco? Et responderunt: Non. Tum ille dixit: Ergo et nos qui sumus septem fratres, si vultis ut maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbatur. Illi autem prostraverunt se dicentes: Quod jubes faciemus; manseruntque simul per totam vitam operantes et facientes juxta verbum Anuph. Constituit autem ipse unum ex eis dispensatorem, qui quodcumque eis apposuisset, comedebant, nec quisquam dicebat: Affer aliquid aliud, aut nolo istud manducare; et sic transegerunt vitam suam cum pace et quiete.

Ibidem Abbas Nestero, rogatus quomodo in cœnobio pacifice vixisset, atque in quavis turbatione didicisset servare silentium et patientiam, respondit: Quando intravi initio in congregatione, dixi animo meo: Tu et asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat, et non loquitur; injuriam patitur, et non respondet: sic et tu; sicut et in *Psalm.* legitur: « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. »

Ibidem, lib. VI, cap. IV: Abbas Moyses dixit: Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui. Rursum Abbas Agatho dixit: Si habitas cum proximo tuo, esto sicut columna lapidea, quæ, si injuriatur, non irascitur, si glorificatur, non extollitur. Ibidem in *Sententiis Patrum Ægyptiorum*, sent. 107, dicebant de Abbate Macario seniore: quia sicut Deus protegit totum mundum et portat peccata hominum, ita et ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta eorum, et ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns, et non audiens.

15. SIN ALITER TIBI VIDETUR, OBSECRO UT INTERFICIAS ME. — Moses hic tantis premebatur angustiis, ut hanc sibi gratiam fieri cupiat, videlicet ut mori sibi liceat; amarissime ergo afflictus, et perturbato animo existens, neque satis sibi præsens hæc dixit, mortemque petiit: unde vel nullum, vel leve pusillanimitatis tantum peccatum admisit; quare et a Domino non correptionem, sed consolationem accepit. Vers. 15.

16. ET DIXIT DOMINUS AD MOYSEN: CONGREGA MIHI SEPTUAGINTA VIROS DE SENIBUS ISRAEL, — ut videlicet in eos partiar onus tuum, ut ipsi te sublevent in populi regimine. Licet enim *Exodi* XVIII, ex suggestione Jethro Moses in populo constituis- Vers. 16.

set decanos et tribunos, qui lites populi decide-
rent, tamen ultima appellatio semper erat ad Mo-
sen. Adhæc, majores causæ ad Mosen referebantur. Denique ea quæ Deum Deique cultum spectabant, solus Moses decernebat; quare grave ipse sustinebat onus : ad quod levandum Deus hic jubet deligi septuaginta viros, qui hæc tria, æque ut Moses, præstarent : ideoque eos æque ac Mosen spiritu prophetico insignivit, ut familiariter Deum consulerent in dubiis, et ab eo edocerentur.

Septuaginta senes Mosi adjutores a Deo dantur.

Nota : Hi septuaginta non fuerunt iidem cum illis septuaginta, qui non tam delectu, quam quasi fortuito occurrentes, vel offerentes se comitati sunt Mosen, euntem ad colloquium Dei in Sina, *Exodi* XXIV, 1; sed ex iis et aliis hi septuaginta a Mose delecti, et a Deo confirmati fuerunt. Manserunt hi septuaginta deinceps, et continuos habuere successores, etiam in Chanaan, sed carentes spiritu prophetico. Nam solo consilio suo aderant pontifici, qui *Deuter.* XVII, 9, summus Hebræorum statuitur judex, erantque ejus consiliarii. Unde concilium horum cum pontifice summum erat, et ab Hebræis vocatum est *Sanhedrim,* græce συνέδριον, de quo videri potest Josephus, et Galatinus, lib. IV, cap. V. Atque hi seniores fuerunt, qui in magno illo suo συνεδρίῳ, sive concilio, Christum mortis reum proclamarunt, et Pilato occidendum tradiderunt, de quo *Matth.* cap. XXVI et XXVII.

Hinc ortum est concilium Sanhedrim.

Rursum Mosen communicasse hisce 70 senioribus legis sensum, præsertim secretiorem et mysticum posteris tradendum (quem legem spiritalem et archetypum vocat Philo, lib. *De Plantat. Noe,* et Nazianzenus, orat. 1 *Apol.*), docent Hebræi, uti refert Genebrardus, lib. II *Chronologiæ* : « Moses, inquit, accepit legem de Sinai, et tradidit eam Josue; ipse vero senioribus, seniores Prophetis; Prophetæ vero eam tradiderunt viris magnæ Synagogæ, qui fuerunt Esdras cum reliquis. » Idem confirmat S. Hilarius in *Psalmo* II : « Moses, inquit, quamvis veteris Testamenti verba litteris condidisset, tamen separata quædam et occulta legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangelio meminit, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; doctrina vero eorum mansit in posterum. » Hisce ergo senioribus videntur succesisse Scribæ in officio explicandi legem et interpretandi S. Scripturam; qui proinde in *Evang.* Legisperiti, et Seniores vocantur. Tradunt Hebræi ab hisce celebratam esse magnam synodum 120 hominum, sub Artaxerxe Longimano, in qua constitutus est ordo 22 librorum Canonicorum: cui Synodo, si credimus Eliæ, præfation. 3 *Massoreth,* præfuit Daniel, cum Anania, Misael, et Azaria, Esdra, Nehemia, Mardochæo, Zorobabele, Aggæo, Zacharia et Malachia.

Nota *secundo,* sub hoc idem tempus, quo hi septuaginta judices Hebræorum constituti sunt, institutos esse apud Græcos judices Areopagitas, qui causas tum criminales, tum civiles judicabant : Areopagum enim institutum esse quinto anno ab egressu Hebræorum ex Ægypto, docet Eusebius in *Chronico.*

Hoc tempore instituti sunt Areopagitæ.

QUOS TU NOSTI, QUOD SENES POPULI SINT, AC MAGISTRI. — Hinc patet senes hic intelligi non tam ætate, quam prudentia et moribus, qui « senes populi sint, » id est, qui a populo graves et sapientes habeantur. Nam alii senes, ipsa ætate, non autem Mosis judicio et delectu secernendi fuissent, cum canities eorum omnibus esset conspicua. Ita S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* XIII. Adde parvi interesse an vir quis sit ætate, an senex, modo moribus sit senex. De hac senectute ait Sapiens cap. IV, vers. 8 : « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » E contrario puer dicitur, qui prudentia et vita bona destituitur, id est, qui insipiens est et impius, etiamsi centum sit annorum, de quali dicit Isaias, cap. LXV, vers. 20 : « Quoniam puer centum annorum morietur : » *puer,* id est peccator; posterior enim versus more Hebræo priorem explicat : ita S. Gregorius, libro XIX *Moral.* cap. XIII.

Notat Abulensis in hisce septuaginta judicibus, et aliis quibusvis tria requiri : *primo,* prudentiam tum humanam, tum divinam; *secundo,* justitiam et rectam conversationem; *tertio,* gravitatem et reverentiam personæ. His adde *quarto,* fortitudinem et zelum boni communis, ut nec potentes vereantur, aut iis adulentur, nec sua, sed reipublicæ commoda quærant. Crœsus, quia dives, putabat se felicem; cumque rogaret Solonem an non idem sentiret, respondit Solon neminem ante mortem felicem esse dicendum, eo quod opibus ac felicitate spoliari possit. Ægre hoc accepit Crœsus, sicceque ac indotatum dimisit Solonem. Vidit hoc Æsopus et indoluit, dixitque : « O Solon, cum regibus aut quam minime, aut quam suavissime colloquendum est. Nequaquam vero, ait Solon, sed vel minime vel rectissime. » Captus tandem a Cyro Crœsus et rogo adjudicatus, exclamavit : O Solon, nunc experior tuam sententiam esse verissimam.

Tria in judice requisita.

Themistocles, cum esset prætor, Simonidi Ceo petenti aliquid iniquum, respondit : « Neque vero aut tu bonus poeta, si præter carmen aliquid caneres, aut ipse bonus prætor essem, si præterquam quod leges permittunt, tibi gratificarer. »

Pelopidas in bellum domo exiens, uxori ipsum deducenti, ac oranti cum lacrymis ut saluti suæ consuleret : « Privati, ait, o mulier, de hoc monendi sunt; magistratum vero gerens, ut suos incolumes præstet : » ita refert Plutarchus in Solonis, Themistoclis et Pelopidæ Vita.

17. DESCENDAM, — inclinando columnam nubis, in qua quasi auriga et dux deliteo et residco. Vers. 17.

Quomodo Deus abstulerit aliquid de spiritu Mosis, quod dedit septuaginta?

AUFERAM DE SPIRITU TUO, — non quasi partem tui spiritus diminuam et auferam, atque in hosce septuaginta transferam : hoc enim impossibile est, maxime in accidentibus et actibus vitalibus; hi enim a subjecto uno in aliud, puta ab anima una in aliam, transferri nequeunt; hoc etiam tibi, o Moses, foret incommodum; æque ac si solus, majori et ingenti spiritu plenus populum regeres : facilius enim mille magno, quam centum parvo et exili spiritu reguntur. Sed « auferam, » id est accipiam, et noviter producam aliquid « de spiritu tuo, » id est, de spiritu qui est in te, ut habent Hebræa et Septuaginta : aliquid, inquam, non idem numero, sed specie, hoc est, aliquid spiritui tuo simile producam, et dabo illis septuaginta senioribus, ita tamen ut tuus spiritus tibi integer maneat : quia æque ut prius totius populi cura tibi deinceps incumbet, etiamsi hos tibi dem adjutores. Sic accipitur et aufertur lux a lucerna, cum candela in ea accenditur : lux enim candelæ in lucerna accensæ, nil de lucernæ luce diminuit, sed potius eam adauget et propagat. Nam spiritus in Mose erat quasi in lucerna, fonte, capite et exemplari, indeque quasi in alios septuaginta derivatus est. Unde Chaldæus vertit : *Augebo de spiritu qui est super te, et ponam super eos.* Ita Theodoretus, *Quæst.* XVIII, et S. Augustinus hic, *Quæst.* XVIII, et lib. V *De Trinitate,* cap. XIV, qui et addit dicens : Sic spiritus Eliæ requievit super Elisæum, IV *Reg.* II, 15, id est, datus est Elisæo spiritus Dei, qui per eum talia operaretur, qualia per Eliam operabatur.

Utitur vero Deus hac phrasi elegantiæ causa, quasi Deus, sicut partem oneris ab humeris Mosis ablatam, in alios septuaginta dispertiit, ita similiter ex spiritu Mosis, ad sustinendum illud onus comparato, aliquid acceperit, similemque spiritui Mosis spiritum in eos dispertierit.

Spiritus propheticus quintuplex.

Porro spiritus hic propheticus intelligitur, ut satis colligitur ex vers. 25. Ille enim in industria regendi populi primas tenet. Prophetia enim hic et alibi generalis est, multaque complectitur, ut dixi I *Corinth.* XIV, scilicet : *Primo,* prudentiam regendi; *secundo,* doctrinam et consilium, ad dubia tam juris et justitiæ, quam cæremoniarum et religionis, aliaque quælibet resolvenda; *tertio,* occultorum cognitionem, ad decidendas lites et causas occultas; *quarto,* proprie futurorum prænotionem, ad ea vel accersenda, vel præcavenda, et arcenda a populo; *quinto,* Dei laudes et hymnos, uti dicam vers. 25.

Vers. 18. 18. SANCTIFICAMINI, — id est, ut Chaldæus, præparamini, mundando videlicet, et lustrando vos ad epulum cœleste, quasi ad divinas sacrasque coturnicum carnes comedendas, quas cras vobis afflabo.

UT DET VOBIS DOMINUS CARNES, — scilicet ob gulam, et murmur vestrum, ideoque dabit ille quidem vobis carnes, sed in vestram perniciem : ita Vatablus et Abulensis. Estque enallage personæ : loquitur enim Deus de se in tertia persona, *q. d.* Itaque ego Deus dabo vobis carnes.

18 et 20. ET COMEDATIS, etc., MENSEM DIERUM, — id est mense integro, seu omnibus mensis diebus : ita Vatablus. Vers. 18 et 20.

20. DONEC EXEAT PER NARES VESTRAS, ET VERTATUR IN NAUSEAM, — *q. d.* Donec ex nimia voracitate stomachus vester carnes eructet, naresque vestræ eas efflent, tandemque carnes sint vobis in nauseam et alienationem. Hoc enim proprie significat Hebræum זרה *zara,* licet Chaldæus vertat *offendiculum,* Septuaginta *choleram* : sed hi non tam verbi propriam significationem, quam paraphrastice sensum, et rem ipsam interpretantur. Vers. 20.

Docet Ulysses Aldrovandus, *Ornithol.* lib. XIII, cap. XXII, coturnices, præsertim pinguiores, si sæpius et largius comedantur, generare sanguinem putredinalem, atque crassos, pituitosos et viscosos humores, qui nati sunt epilepsiam, tetanum similesque morbos procreare. Hinc Hebræis iis se ingurgitantibus nauseam aliosque morbos pepererunt. Ita S. Hieronymus, Fracastorius, lib. II *De Morbo Gall.,* cum ait :

Viteturque gravi coturnix tarda sagina.

Veteres coturnices a mensis removebant, quod veneno alantur, putarentque se pariter veneno inficiendos, si eas ederent. Sed hoc refellit Aldrovandus; ubi et refutat sententiam Galeni et Plinii dicentium se multos observasse, qui ex coturnicum esu musculorum distensionibus et spasmo corriperentur, quoniam veratro, inquiunt, vescuntur aves istæ.

Remedium gulæ efficax.

Est hoc singulare remedium ad aversandam libidinem, gulam et crapulam, si quis intueatur sordes, phlegmata, vomitus, nauseam, et cætera quæ ex ea sequuntur. Ita in *Vitis Patrum,* lib. V, tit. V, num 22, fecit Eremita ille, qui tentatus spiritu fornicationis circa certam feminam, ubi eam mortuam audivit, adiit et aperuit sepulcrum ejus, atque pallio suo detersit saniem putrefacti cadaveris; mox rediens in eremum, ingruente fœda suggestione, fœtorem illius infecti pallii intuitus est dicens : « Ecce habes quod quærebas, satia te ex eo. » Et ita hoc fœtido panno cruciabat se, donec recederet ista libidinosa cogitatio. Si enim corpus gulosum iis sordibus punitur, quibus punietur gulosa anima? Recte ergo dixit Augustinus apud Possidonium in Vita ejus, cap. XXII : « Non ego immunditiem obsonii timeo, sed immunditiem cupiditatis. »

Hinc in *Vitis Patrum,* lib. V, tit. V, num. 23, monacho cuidam, qui carnalem tentationem labore et jejunio superaverat, apparuit dæmon carnalis concupiscentiæ incentor, specie Æthiopissæ turpis et fœtidæ, ita ut fœtorem ejus ferre non posset; porro Æthiopissa hæc dicebat ei : « Ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo, sed propter obedientiam tuam, et laborem quem

sustines, non permisit Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum. »

Ita B. Jacoponus, orexi bubulæ carnis tentatus, eam comparavit, ac in cubiculo servavit, donec putresceret, et horrende fœteret per totum ambulacrum, quam ille deinde olfaciebat, et quasi rem odoratissimam basiabatur. Ob hunc fœtorem excitatum, a Superiore in locum fœtentissimum est dejectus, ubi Deo assidue gratias agebat. Apparuit ei Christus eum consolans, dicensque : « Posce quod optas, et impetrabis. » Tum ille : « Peto, Domine, ut me in locum isto longe fœtidiorem conjicias, ut in eo mea expiem peccata; nam hic mihi nimis tolerabilis est. » Mox Christus insolita eum perfudit consolatione, eique gratiam dedit, ut deinceps omnibus malis, ærumnis et tormentis hujus vitæ esset superior; atque in assidua quasi Dei contemplatione defixus, et quasi raptus existeret. Idem initio ut gulam domaret, absynthio, quasi sale, ad cibos utebatur, eosque inficiebat, donec eo perveniret, ut saporem cibi in unum Deum referret, ita ut tandem nihil, nisi Deus, illi saperet.

EO QUOD REPULERITIS DOMINUM,—eo quod manna, utpote ingens Domini donum, repulistis, et quia liberationis, qua Dominus ex Ægypto vos eduxit, vos pœnitet.

Vers. 21. 21. SEXCENTA MILLIA PEDITUM HUJUS POPULI SUNT. — « Peditum, » scilicet armatorum Hebræorum : nam feminarum, puerorum, servorum et Ægyptiorum numerus facile excrescebat ad trigesies centena millia.

Vers. 23. 23. NUMQUID MANUS (id est potestas) DOMINI INVALIDA EST? — Deus hic per omnipotentiæ suæ oppositionem respondet dubitationi Mosis. Ipse enim perturbatus, motus quosdam dubitationis et diffidentiæ in Deum ostendit, licet ob perturbationem et inconsiderationem non graviter peccarit. S. Augustinus tamen putat Mosen non de re promissa, sed de ejus exequendi modo tantum dubitasse, uti dubitavit B. Virgo dicens : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? »

Vers. 25. 25. PROPHETAVERUNT. — Quæres, quid et quomodo? Respondent Rabbini hos septuaginta seniores prophetasse de morte Mosis in deserto, et de successione Josue in principatu populi; id conjiciunt ex eo quod Josue dixit Mosi : « Prohibe eos. » Sed hæc sunt eorum commenta, imo figmenta.

Alii verisimilius respondent eos prophetasse aliquid de eo, quod pertinebat ad gubernationem populi. *Tertio* et optime, Abulensis : Prophetabant, inquit, id est ex Dei instinctu Deum Deique laudes celebrabant. Sic enim Saul dicitur prophetasse, cum quasi enthusiasmo actus Dei laudes cecinit, I *Reg.* X. Sic et cantores atque psalmistæ vocantur Prophetæ, dicunturque prophetare in citharis, psalteriis et cymbalis, I *Paral.* XVI : hic enim spiritus signum erat et pars prophetiæ generalis, de qua dixi vers. 17.

Prophetæ vocantur cantores.

NEC ULTRA CESSAVERUNT. — Pro *cessaverunt*, Hebraice יספו *iasaphu*, id est addiderunt : ita Septuaginta, Theodoretus hic, *Quæst.* XX, et Vatablus. Unde sequitur hos septuaginta illo die tantum prophetasse, non ultra. Verum noster Interpres et Chaldæus, aliis punctis legerunt *iasupu*, id est defecerunt, cessaverunt, a radice סוף *soph*, vel אסף *asaph*, id est finivit, defecit, cessavit. Idque verius est : nam hoc spiritu (licet non quoad Dei laudes et cantum, tamen quoad alias ejus partes, de quibus dixi vers. 17) continuo indigebant hi septuaginta ad regimen, et ad lites populi decidendas. Semper ergo habuerunt spiritum propheticum, quasi in habitu sibi paratum et assistentem; licet actu non semper prophetarent, sed tunc tantum, cum quæstionibus populi respondere debebant. Tunc enim Deus eis interius loquebatur, et inspirabat quid dicendum vel agendum esset, perinde ut inspirabat Prophetis ea quæ dicere vel agere debebant (1).

27. ELDAD ET MEDAD PROPHETANT IN CASTRIS. — Vers. 27. Fabulantur Judæi hos duos fuisse fratres Mosis, ex eodem patre scilicet Amram, sed ex alia matre. Amram enim post datam legem, *Levit.* capite XVIII, vers. 12, repudiasse Jochadeb uxorem suam, utpote amitam suam, tuncque aliam duxisse, ex eaque genuisse Eldad et Medad. Nam, ut alia taceam, quæ hic congerit Abulensis, si id esset verum, Eldad et Medad fuissent hoc tempore infantes unius anni, quomodo ergo prophetassent? nam lex illa, *Levitic.* cap. XVIII, data est hoc eodem anno qui fuit secundus ab egressu ex Ægypto.

Nota τὸ *in castris*; alii enim sexaginta octo prophetabant præsente Mose in tabernaculo, idque videbat Josue : unde eis non invidit, quia videbat Mose volente et agente eos prophetare, nec per eos aliquid Mosis honori decedere, utpote qui Mosi conjuncti et subjecti, ab eo hunc spiritum acciperent; alii vero duo in castris prophetantes, a Mose erant disjuncti, eoque absente et inscio, saltem uti putabat Josue, prophetabant : unde timebat Josue ne auctoritati et gloriæ Mosis officerent : ita Abulensis.

Exstabat olim liber oraculorum Eldad et Medad, ex quo Hermas, Pauli discipulus, in I libro qui dicitur *Pastor*, cap. II, hæc habet : « Prope est Dominus his, qui se ad eum convertunt, sicut scriptum est in Eldad et Medad, qui vaticinati sunt in solitudine populo. »

28. STATIM JOSUE FILIUS NUN, MINISTER MOYSI, ET ELECTUS E PLURIBUS : — Licet enim Moses plures haberet famulos, nullum tamen fideliorem, familiariorem, magisque strenuum habebat quam Vers. 28.

(1) Vers. 26. *Ipsi descripti fuerant*, id est, qui etiam erant inter conscriptos, scil. 70 viros, qui ad Mosem transgressi eum adjuvarent. Aliter Allioli : Ipsi erant e principibus populi, inter quos septuaginta Mosis adjutores sorte electi fuerant. Quamvis sors super eos non cecidisset, æque tamen prophetabant.

Josue, unde et eum sibi successorem designavit (1).

AIT : DOMINE MI MOYSES, PROHIBE EOS. — Æmulatione aliqua vel invidia dixit hoc Josue, timens scilicet ne Mosis gloria et auctoritas minueretur, si alii etiam æque ut Moses prophetarent, maxime in castris, nescio vel invito Mose, uti putabat Josue. Venialis tamen fuit hæc culpa, quia non suam, sed Mosis ducis et domini sui spectabat gloriam, et populi bonum. Patent hæc ex responsione Mosis. Chaldæus vertit, *mitte eos in carcerem*, et ita ex Hebræo verti potest.

Vers. 29. 29. AT ILLE : QUID, INQUIT, ÆMULARIS PRO ME? QUIS TRIBUAT UT OMNIS POPULUS PROPHETET? — Hunc spiritum charitatis imitentur omnes Prælati, Doctores, concionatores, qui non suam, sed Dei unius gloriam quærunt, petuntque quod Martha petiit a Christo : « Dic sorori ut adjuvet me (2). »

Hic liberalis et regius est animus, qui suos honores cum amicis communicat : ita Alexander, cum Darii uxor captiva salutasset Hephæstionem pro Alexandro, illaque cognito errore pudefieret, dixit : « Non errasti, et ipse Alexander est. » Rursum Mazæi, cujus apud Darium summa fuerat gratia, filio, Satrapiæ præfecto, alteram adjecit ampliorem. At ille recusans, ait : « Tunc, o rex, unus erat Darius; nunc tu multos effecisti Alexandros. » Ita Plutarchus in *Alexandro*.

Vers. 30. 30. REVERSUSQUE EST MOYSES IN CASTRA, — scilicet ex tabernaculo, quod erat in medio castrorum, ad ipsa circumjacentia populi castra egressus est.

Vers. 31. 31. VENTUS AUTEM EGREDIENS A DOMINO, — *q. d.* Ventus a Domino recenter, præter naturæ ordinem, productus afflavit coturnices. Similis phrasis est *Genes.* I, 2; *Exod.* X, 19. Fuit hæc alia missio coturnicum ab ea de qua *Exod.* XVI, 13. Illa enim paulo post egressum ex Ægypto, primo anno contigit in octava mansione, quæ fuit in Sin; hæc vero contigit secundo anno, in decima tertia mansione, quæ fuit in Sepulcris concupiscentiæ.

Bis coturnices datæ Hebræis.

ARREPTANS TRANS MARE (Rubrum, quod jam transierant) COTURNICES DETULIT. — Unde *Psalm.* LXXVII, 26, ventus hic afflans coturnices dicitur fuisse Africus sive Libycus, qui partim Occidentalis, partim Meridionalis est; nam mare Rubrum tali situ respiciebat desertum. Unde et Josephus has coturnices, non ex Ortygiis insulis, utpote quæ longe aberant (erant enim sitæ in Græcia), sed ex sinu Arabico, qui iis abundat, afflatas asserit. Hic ergo ventus non tam naturalis fuit quam miraculosus, et opus potentiæ Dei. Nam Plinius, lib. X, cap. XXIII, asserit coturnices naturaliter volare flante, non Austro, utpote humido et graviori, sed Aquilone.

Nota : Hic ventus, et consequenter hæ coturnices afflatæ sunt ab angelo, vel potius angelis pluribus : imo Abulensis putat singulas coturnices a singulis angelis esse adductas. Nam unus angelus, inquit, non poterat virtutem suam impulsivam extendere per multas, eo quod essent discontinuæ. Verum hoc est falsum; sic enim multa millia, imo milliones angelorum occupari debuissent in hac coturnicum adductione : idem ergo angelus poterat multas adducere, videlicet omnes quæ erant intra sphæram suæ activitatis, esto essent discontinuæ. Si enim homines simul movere possunt plura, quæ sunt discontinua, ergo multo magis angeli.

Abulensis putat singulas coturnices a singulis angelis adductas.

COTURNICES. — Septuaginta vertunt, *ortygometram;* ita vertit et noster Interpres *Sapient.* XVI, 2 : licet enim Ulysses Aldrovandus ortygometram a coturnice distinguat, tamen Scriptura pro eodem hic et alibi accipit.

Quæres, cur coturnices vocantur ortygometra? *Primo*, Isidorus, lib. XII *Etymolog.* cap. VII, et Abulensis hanc dant causam, quod hæc avis primum sit visa in insulis Ortygiis, hinc dici ὄρτυγα; sed cur dicitur ortygometra?

Coturnices dicuntur ortygometra, cur? Resp. Primo.

Secundo, Jansenius in *Sap.* cap. XVI, respondet ortygometram dici ducem cortunicum, quasi μέτρον ὄρτυγος, eo quod metron, id est mensura et moderatrix, sit coturnicum; verum μέτρον per epsilon, ὀρτυγομήτρα vero per η scribitur. Secundo.

Tertio ergo et genuine, ortygometra dicitur quasi ὀρτύγων, id est coturnicum, μήτηρ, id est mater, vel μήτρα, id est matrix; unde et Aristoteles, lib. VIII *Hist. animal.*, eam absolute μήτραν vocat. Est enim ortygometra ipse rex coturnicum, qui aliis coturnicibus major et nigrior cæteris præit; quem ipsæ sequuntur ut ducem, non aliter quam apes suum regem. Sub duce ergo totum exercitum coturnicum accipe; ubi enim est dux, ibi est exercitus. Unde Isidorus : « Ortygometra, ait, est coturnix quæ gregem ducit; » et Plinius eam « coturnicum ducem » vocat; unde et vulgo gallice eam vocamus : *roi* ou *mère des cailles*. Tertio, et vere.

Quarto, Hesychius in *Lexico*, et Petrus Nannius in *Sap.* cap. XVI : Video, inquit, illud parelcon μήτρα adjungi quibusdam animalibus, quando grandiora in eo genere designantur, ut echinometra est echinus grandior et spinosior, de quo Plinius, lib. IX, cap. 21; leonimetra est leo grandior, de quo Gesnerus in leone; sic ortygometra est coturnix major. Satis enim est verisimile coturnices hasce miraculosas, quasi Dei opus, fuisse aliis majores et excellentiores. Verum sic potius vocarentur ortygometræ in plurali, jam autem vocatur ortygometra in singulari : quare tertia explicatio jam data verior est et solidior. Quarta.

Quæres *secundo*, cur Deus Hebræis petentibus carnes, potius coturnices dedit quam columbas, oves, anseres, etc.? Respondeo *primo*, quia coturnices in copia ad manum erant; abundant enim in sinu Arabico, qui Hebræis vicinus erat, teste Josepho. *Secundo*, quia coturnicum caro ex- Cur Deus coturnices dedit, non anseres?

(1) Pro *electus e pluribus*, multi cum Syro hebr. vertunt, *inde ab juventute sua*, quod non displicet.

(2) Pro *æmularis* Maurer vertit, *propugnabis*, id est, num te juris mei defensorem ac propugnatorem esse jussi?

cellens et delicata est, præsertim eo loco; Deum autem decet dare excellentia. Ita Abulensis.

Addit Galenus et Aldrovandus coturnices epilepsiæ mederi, ideoque Herculem coturnices secum vexisse, quocumque iter faceret, ut per eas epilepsiæ suæ mederetur; unde Poeta :

. Servavit Herculem coturnix strenuum.

Mystice S. Cyrillus, lib. III *in Joan.* cap. XXXIV, docet coturnices denotasse legem veterem. « Nunquam enim, inquit, avis hæc volatu effertur, sed prope terram semper volat. Nam et disciplina legis terrestris quodammodo est, animalium oblationes et purificationes continens judaicas, quibus illi non multum a terra levabantur. »

Rursum Beda, in cap. XXIII *Exodi*, per coturnices intelligit prædicationes divinitus missas, quæ transcurrunt per verba sonantia, quasi per aera volatilia pennata, quibus per fidem pascantur hi qui ad patriam regni cœlestis pervenire contendunt. Atque subjungit : « Potest, ait, et volucrum esca significare legis eloquia, quæ plebem carnalem tanquam carne alebat, per verba divinitus missa quasi volatilia. »

Tropologice, coturnicum ex una regione in aliam migratio significat eos qui se hic æstimant peregrinos, et toto corde ad cœlum suspirant. Illæ enim gregatim volant et ducem eligunt itineris; hi simul degere gaudent, et ducem unum sequuntur. Illæ Austrum vitant, et Aquilonem quærunt : hi carnales hujus mundi prosperitates fugiunt, abstinentiam et pœnitentiam sectantur. Illæ duce gregis ab accipitre occiso, alieni generis alium sibi in ducem adoptant : hi, Adamo parente et duce a diabolo seducto et occiso, ducem alterius generis et naturæ, scilicet Christum, eligunt et sequuntur. Ita Aldrovandus, *Ornitholog.* lib. XIII, cap. XXII.

DEMISIT IN CASTRA, — decidere fecit in castra circumcirca, per spatium unius diætæ (1).

Eas comederunt non tantum impii, sed et pii.

Notat Abulensis, non tantum impios murmuratores, sed etiam viros justos ex hisce coturnicibus comedisse. Erat enim hoc Dei beneficium generale omnibus, et vel maxime justis datum ad fruendum. Totus enim populus ex hisce coturnicibus comedit; neque eas comedendo ulli (etiamsi ante murmurassent) peccarunt, nisi forte gulosius eas comedendo, sed tantum peccarunt murmurando, et murmuratorie eas flagitando. Idem fuit in manna, quod pariter ob murmur datum est : illud tamen postea omnes licite comederunt per quadraginta annos, *Exod.* cap. XVI. Nam, ut ait Abulensis, populus quidem peccavit, per murmur petendo manna et carnes; causa tamen ea a Deo impetrandi, non fuit peccatum (peccatum enim murmuris hujus rei non causa fuit, sed tantum occasio), sed bonitas Dei, et bonitas quorumdam justorum non murmurantium, nec petentium escas, quibus Deus voluit compati, et liberaliter benefacere. Unde Rabanus ait : « Carnalis populus Judæorum spreto cœlesti cibo carnes desideravit, sed Deus ita judicium contemperavit, ut puniret malos, nec fragilibus alimoniam denegaret. »

32. CONGREGAVIT COTURNICUM MULTITUDINEM; QUI PARUM, DECEM COROS. — Corus continebat triginta modios, sive mensuras olim communes; decem ergo cori faciebant 300 modios Romanos : quisque enim collegit tantum quantum ad mensem victui sufficeret; jam si quisque tantum collegerit, cogita quam immensa fuerit coturnicum multitudo : nam colligentes eas erant facile duo milliones hominum. Demus enim in quolibet modio fuisse tantum viginti coturnices, perinde ac modius continet viginti libras frumenti : hinc sequetur quod quisque colligens 300 modios, collegerit sex millia coturnicum, ac consequenter, quod unus hominum millio collegerit sex millia millionum, duo vero milliones hominum collegerint duodecim millia millionum coturnicum (2). Ecce quam dives in misericordia et liberalis in beneficiis suis est Deus : tales simus et nos in eleemosynis. Deus enim hic Judæorum non tantum fami et gulæ, sed et oculis avaritiæque abunde satisfacere volens, tantam copiam coturnicum eis misit, quæ non tantum ad mensem, uti promiserat Moses vers. 20, sed et ad multos menses sufficere posset. Divide enim sex millia coturnicum per dies, tribuendo cuique diei viginti et quinque coturnices (quis enim plures voret uno die?), invenies sex millia coturnicum suffecisse cuique ad victum per 240 dies, qui faciunt menses octo. Si enim uno mense absumpsissent sex millia, quolibet die vorare debuisset quisque ducentas coturnices, quod ne Polyphemus quidem vorare potuisset. Mensem ergo statuit esui earum, vers. 20, quia mense exacto statuerat hanc earum gulam et murmur castigare, et morte punire. Vers. 32.

Quot coturnices quisque per diem comedit?

ET SICCAVERUNT EAS. — Hebraice, *expandendo expanderunt eas per gyrum*, scilicet siccandi causa, ut eas asservarent in futurum, ne putrescerent; nam per mensem integrum eas comederunt.

33. ADHUC CARNES ERANT IN DENTIBUS EORUM, NEC DEFECERAT (3) HUJUSCEMODI CIBUS, ET ECCE FUROR DOMINI CONCITATUS IN POPULUM, PERCUSSIT EUM PLAGA Vers. 33.

(1) Τὸ *volabantque in aere* non est in hebræo textu. Vulgatus putavit, coturnices ita se demisisse, ut a terra non abfuerint plus quam duobus cubitis, quasi captantium manibus ultro se offerrent. Censent alii verbis hebr. indicari, bicubitales acervos hinc illinc fuisse dispersos, ut vacua subinde spatia remanserint, per quæ populus, coturnices collecturus, ire potuerit.

(2) Corus continebat 284 *litres;* decem igitur Cori = 2840. At multi interpretes catholici per חמרים h. l. non intelligunt hujusmodi Coros, mensuræ genus decem ephas continens, tum ob enormem coturnicum numerum, tum quia corturnices nemo modio metitur. Itaque cum Onkeloso, Arabe utroque, etc., vocem hebræam vertunt *acervi*. Cf. *Exod.* VIII, 10.

(3) Hebr. est, *necdum conscissæ*.

MAGNA NIMIS, — *q. d.* Continuo vescebantur Hebræi carnibus, nec deficiebant, videlicet ad mensem integrum, ut promiserat Dominus vers. 20; voluit enim Deus prius præstare promissum suum, quam punire murmuratores: quos demum in fine mensis, carnibus etiam tunc dentibus suis inhærentes, punivit plaga lethifera. Hinc videtur plerosque murmurantes gulose comedisse has coturnices, Deumque tam gulam quam murmur eorum punivisse morte.

PLAGA MAGNA NIMIS. — Fuit hæc plaga ignis, qui deinde precibus Mosis repressus et absorptus est, uti dictum est vers. 3. Illa enim ad hunc vers. referenda esse, ibidem ostendi: plaga hæc non tetigit justos, sed solos murmurantes.

Vers. 34. 34. VOCATUSQUE EST ILLE LOCUS, SEPULCRA CONCUPISCENTIÆ: IBI ENIM SEPELIERUNT POPULUM, QUI DESIDERAVERAT — carnes. Visant sæpe hæc Sepulcra concupiscentiæ gulosi, et maxime ebriosi, qui uti rationem, ita et animam et corpus vino sepeliunt: quorum proinde animam cum divite epulone mox sepelietur in inferno; caro vero ita saginata sepelietur in ventre vermium et bufonum.

Sepulchra concupiscentiæ gulosum.

Audiant illud Plutarchi: « In victu luxuria mortis supplicio castigatur. » Legant crebro epitaphium Sardanapali, jam sepulti et putidi:

> Hæc habeo quæ edi, quæque exsatiata libido
> Hausit; opes, et quæ quondam me cuncta beabant,
> Non sunt, sum cinis.

Hic est ergo concupiscentiæ fructus, ut scilicet, sicut ait Apostolus, I *Tim.* VI, 9, mergat homines in interitum et perditionem. Quare recte monet S. Petrus, *epist.* II, cap. I, 4, fugere concupiscentiæ, quæ in mundo est, corruptionem; et *Eccli.* XVIII, 30: « Si præstes, inquit, animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. »

Carolus Magnus Imperator ebriosum jussit submergi: quia, inquit, hic vini perditor meretur, non vino, sed aqua sepeliri; ut qui vino se mersit, aqua mergatur, et aqua sitim suam expleat.

Alexander Magnus vino se sepelivit, et occidit: cum enim poculum ingens (duos congios capiebat) a Protea homine bibacissimo propinatum, bis exhausisset, concidit, decubuit, interiit; testis est Athenæus, lib. X, cap. XI.

Ita gula Israelitas in cultu Beelphegor repentina morte mulctavit, *Num.* XXV; gula ab Esau jus primogenituræ in Jacob transtulit, *Genes.* XXV; gula Ela gladio Zambri interficiendum objecit, III *Reg.* XVI, 9; gula per Judith caput Holofernis abscidit; gula Simonem Machabæum cum filiis in convivio occidit, I *Machab.* XVI. Denique Baltasar vino sepultus vidit manum conscribentem mortis et excidii sententiam: *Mane, tekel, phares;* eademque nocte regno et vita spoliatus est, *Daniel.* capite V, vers. 25.

Nota: Josephus hæc subticet, aliaque aliter narrat, uti et alias sæpe, quia scribit Gentilibus, quibus suam gentem et religionem commendare cupit. Unde ea quæ gentem, vel religionem Judæorum Gentibus vilem et contemptibilem, efficere poterant, vel præterit, vel palliat et colorat, uti recte advertit Abulensis hic *Quæst.* ult.

VENERUNT IN HASEROTH. — Hæc est decima quarta mansio Hebræorum in deserto (1).

(1) Puteum *Hhadrah* dictum in isto tractu offendit Burckhardt, *travels in Syria*, etc., pag. 495, quem conjicit eumdem locum esse, qui hic memoratur.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Maria ob murmur contra Mosen lepra corripitur, et castris ejicitur; sed, orante pro ea Mose, post septem dies sanatur et revocatur.

1. Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, 2. et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus 3. (erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabuntur in terra), 4. statim locutus est ad eum, et ad Aaron et Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, 5. descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron et Mariam. Qui cum iissent, 6. dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. 7. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: 8. ore enim ad os loquor ei et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? 9. Iratusque contra eos, abiit: 10. nubes quoque recessit quæ erat

super tabernaculum : et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepra, 11. ait ad Moysen : Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus, 12. ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ : ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra. 13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens : Deus, obsecro, sana eam. 14. Cui respondit Dominus : Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur. 15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus : et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

Vers. 1. Uxor Mosis Æthiopissa quæ?

1. LOCUTAQUE EST MARIA ET AARON CONTRA MOYSEN, PROPTER UXOREM EJUS ÆTHIOPISSAM. — Quæres, quænam hæc Æthiopissa? Josephus, lib. II *Antiq.* X, et ex eo Eusebius, Isidorus et alii narrant Mosen, cum adhuc in paterna Pharaonis domo ageret, gessisse bellum pro Ægyptiis contra Æthiopes, eosque subjugasse proditione Tharbis, filiæ regis Æthiopum, quam proinde Moses uxorem duxerit, et hanc esse Æthiopissam.

Est Sephora Madianitis.

Verum hujus belli et victoriæ, æque ac uxoris Mosis, non meminit Scriptura, sed solius Sephoræ. Dico ergo Saphoram hic vocari Æthiopissam, quia erat Madianitis. Madianitæ enim in Scriptura vocantur Æthiopes, ut patet *Habacuc* cap. III, vers. 7, et II *Paral.* XIV, 10, 12. Duplex enim in Scriptura est Æthiopia, scilicet una Occidentalis ultra Ægyptum, puta Abyssia, ubi modo regnat Preto-Joannes, quæ sola jam vocatur Æthiopia; altera Orientalis, quæ est Arabia, in qua habitabant Ismaelitæ, Amalecitæ, Madianitæ, etc.: hi ergo vocantur Æthiopes. Ita S. Augustinus hic, *Quæst.* XX, Theodoretus, *Quæst.* XXII, Rabanus, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Eugubinus, Vatablus et Oleaster.

Æthiopia duplex.

Allegorice.

In hoc conjugio Mosis cum Æthiopissa, figurabatur allegorice conjugium Christi cum Ecclesia Gentium; tropologice, conjugium Verbi cum anima peccatrice, inquit S. Bernardus, serm. 39 *in Cantica.*

Tropologice.

Causa murmuris Mariæ.

Quæres *secundo*, cur contra Mosen ob Sephoram insurrexerit Maria, et Aaron? Verisimile est quod ait Abulensis, Sephoram more muliebri (hic enim sexus, cum sit imbecilis ingenii et judicii, ambitiosus est, et sui honoris studiosus) voluisse se præferre Mariæ, eo quod uxor esset Mosis, Mosenque suum, quasi populi ducem, verbis extulisse, ac præposuisse Mariæ et Aaroni : qua re primum concitata Maria, deinde Aaron, se erigere cœperunt, volentes se non tantum Sephoræ, sed et Mosi æquare, jactitando se tam nobiles esse prophetas quam erat Moses. Id ita esse colligitur tum ex versu seq., tum ex vers. 6, ubi Deus hanc murmuris causam indicat et præscindit, docetque eos in ambitione sua falli, eo quod Moses præstantissimus, fidelissimus, Deoque familiarissimus sit Propheta, cui nec quis alius comparari possit.

Maria percussa est lepra, non Aaron, cur?

Nota : In hoc murmure maxime peccavit Maria, utpote mulier Sephoræ æmula, videturque ipsa concitasse Aaronem contra Sephoram et Mosen, unde et ipsa sola punita est lepra, non Aaron. Addit Abulensis, Aaronem non esse percussum lepra, eo quod esset pontifex, in quo summa requirebatur munditia, auctoritas et reverentia. Gravis enim infamia fuisset in cultu Dei, si ejus pontifex Aaron fuisset aliquando leprosus. Discant hic Principes et Prælati, a suis præfectis et Parochis arcere omnem infamiam, nec eos qui aliquando infamia laborarunt, etiamsi jam se emendarint, promovere, et præficere populo : hic enim ob præteritam infamiam tales contemnet, imo ridebit.

Allegorice S. Ambrosius, lib. X, *epist.* 82 : « Ad typum, ait, Synagogæ hæc Mariæ admurmuratio pertinet, quæ Æthiopissæ, id est Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ sacramentum ignorans, quotidiano immurmurat convicio, et invidet ei plebi, cujus fide et ipsa exuetur a perfidiæ suæ lepra, in fine sæculi. » Ita et S. Prosper, part. II *De Prædict.* cap. IX, Rupertus et S. Hieronymus *ad Fabiolam*, in Mansione 14. Ubi nota ex S. Hieronymo hoc murmur contigisse, et hanc lepram inflictam esse Mariæ in decima quarta mansione, puta in Haseroth, ut patet ex capite præcedenti, vers. ult.

Vers. 3.

3. ERAT ENIM MOYSES VIR MITISSIMUS SUPER OMNES HOMINES, QUI MORABANTUR IN TERRA, — *q. d.* Quia Moses erat mitissimus hominum istius ætatis, hinc Mariæ et Aaron sibi obtrectantibus et jurgantibus non respondit, ideoque Deus eum tuendum suscepit, et pro eo respondit.

Nota : Moses pro sorore detractrice, rogatu Aaronis, orans et deprecans, in veteri Testamento fuit mitissimus; sed in novo mitior eo fuit S. Stephanus, ait Abulensis, qui pro suis etiam lapidatoribus, et Saulo, nemine rogante, oravit; unde et Paulum Ecclesiæ impetravit, et ex Saulo Paulum effecit. Quin et hac mansuetudine Moses meruit colloquium et familiaritatem quasi continuam cum Deo. Audi S. Dionysium, epist. 8 *ad Demophilum* : « Hebræorum tradit historia, Mosen eximiæ mansuetudinis merito divina amicitia et familiaritate dignatum; ac si quando ipsum divino aspectu excidisse commemorat, non id ei

priusquam a mansuetudine defecerit contigisse describit. Erat enim, inquit, mansuetus valde, atque ideo Dei famulus dicitur, digniorque Prophetis omnibus, cui Deus visionis suæ gratiam largiretur. »

Morale de mansuetudine. Vide quid apud Deum impetret mansuetudo, vide quanta sit virtus, vide quam sit magnanima. Recte Seneca in sapiente : « Affectum, ait, doloris movet humilitas animi contrahentis se ob factum dictumve inhonorificum ; sapiens autem a nullo

Nil magnum nisi quod placidum. contemnitur, magnitudinem suam novit. Fructus contumeliæ est in indignatione, et in sensu patientis ; » et lib. *De Ira* : « Invalidum omne natura querulum est ; nec quidquam magnum, nisi quod simul et placidum. »

Exempla mansuetudinis Nimirum hæc æquanimitas et mansuetudo in tolerandis injuriis, Christiani et vere sapientis ac magni animi est indicium. Audi rursum Senecam, in lib. *De Ira* : « M. Catonem in balneo quidam percussit imprudens ; postea satisfacienti Cato : Non memini, inquit, percussum me ; melius putavit non agnoscere, quam ignoscere. Magni animi est, injurias despicere : pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem, ut mures et formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt : imbecilla se lædi putant, si tanguntur. » Et

Catonis. Aristidis. in Consolat. *ad Helviam* : « Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides ; cui quisquis occurrebat, ingemiscebat, non tanquam in hominem justum, sed tanquam in ipsam justitiam animadverteretur ; inventus est tamen, qui in ejus faciem spueret ; at ille abstersit faciem, et subridens ait comitanti se magistratui : Admone istum, ne postea tam

Cæsaris. improbe oscitet. » De Julio Cæsare dixit Cicero, « quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias, » uti refert S. Augustinus, epist. 5 *ad Marcellinum*. Audi S. Basilium, hom. *De Legendis libris Gentilium* :

Periclis. « Homo quidam in foro Periclem probris omnibus incessebat ; is autem minime curare visus, toto die sustinuit : deinde vesperi jam discedentem cum lumine comitatus est. Rursus quidam

Euclidis. Euclidi mortem se illaturum juravit : ille vero contra juravit se patienter eam laturum, et ei

Socratis. quamvis infesto se conciliatum iri. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit ; Socrates, nihil commotus, aliud non fecit, quam quod propriæ fronti inscripserit : Talis fecit ; uti statuæ

Aristotelis. nomen auctoris inscribitur. » Aristoteles, teste Ælіano, Alexandro Magno, natura iracundo, consilium dedit, ut omnibus se superiorem æstimans maledicta contemneret. Hæc fecerunt Gentiles, quid facient Christiani ? Verum hisce omnibus longe sublimior, purior, fortior et constantior fuit mansuetudo Mosis, per 40 annos populum tam rebellem tolerantis. Fidelium exempla aliqua mox subtexam.

Scripsit hanc de se laudem Moses tanquam calamus Spiritus Sancti ad hoc scribendum impellentis : sicut S. Joannes de se scripsit, quod erat discipulus quem diligebat Jesus. *Secundo* et verius, videntur hæc post Mosen, illi ab aliquo alio scriptore hagiographo, qui hæc ejus diaria digessit, esse addita, et intexta, uti dixi in proœmio Geneseos.

Moraliter Origenes : Est, ait, quædam familia mitium, cui præest Moses ; quædam patientium, cui præest Job ; quædam continentium, cui præest Daniel ; et unusquisque in morte congregabitur ad familiam suam, mitis cum mitibus, virgo cum virginibus, iracundus cum iracundis, luxuriosus cum luxuriosis, juxta id quod dicitur *Levit.* XXV, 10 : « Unusquisque rediet ad familiam pristinam, quia jubileus est. » Rursum propria Sanctorum virtus est mansuetudo : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Audi Sapientem *Eccli.* III, 19 : « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris. » Audi Christum : « Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem. »

Injurias ferre illustris est sanctitas.

Exempla et gemmæ. Sanctus ille senior apud Cassianum, exagitatus ab infidelibus Alexandrinis, rogatusque ecquæ mira Christus supra naturam fecisset : « Hæc, inquit, quod ego conviciis et injuriis vestris lacessitus, ad indignationem non movear. »

Alter in *Vitis Patrum* hanc discipulo suo disciplinam, et viam ad perfectionem præscripsit : *primo*, ut toto triennio aliorum onera ferret ; *secundo*, ut altero triennio daret mercedem iis, a quibus contumeliis et conviciis appeteretur ; fecit ille imperata ; tum senior : Adesdum ergo, ut experiar quid profeceris. Ductus Athenas, cum ad portam contumeliis incesseretur, cœpit ridere juvenis. Miratus alter : Quid hoc rei, inquit, quod a me irrisus, et sannis explosus rideas ? Non rideam ? inquit discipulus ; tres annos mercedem solvi iis, qui me maledictis onerarunt ; hodie gratis id abs te patior. Attonitus Atheniensis : Ingredere, inquit, urbem, dignus es cœtu sapientium.

Tertius : Doce me, Pater, inquit, unum aliquid quod custodiam, ut potiar cœlo. « Potesne, inquit senior, convicia pati ? » perinde quasi caput salutis in miti tolerantia contemptus et despicientiæ consisteret, idque merito, cum Christus dicat : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. »

Quarta, S. Amma in monasterio virginum quasi stulta, risibus et ludibriis omnium exposita, cum id mansuete et hilariter ferret, a S. Pitirione Dei instinctu declarata est esse totius monasterii sapientissima, æque ac sanctissima, uti refert Palladius in *Lausiaca*, cap. XLII.

Quintus, Abbas Pimenius in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXXVII : « Injuriam, ait, ferre, nec paria respondere, est animam ponere pro proximo. »

Sextus, Abbas Macarius ibidem : « Culpa, ait, est monachi, si læsus a fratribus, primus in charitate purgato corde non occurrit. Sicut enim Sunamitis suscepit Elisæum, quia cum nullo cau-

sam habebat : ita anima quieta recipit Spiritum Sanctum, si cum nullo litem aut offensam servet. »

Septimus, Abbas Joannes ibidem, lib. VI, cap. IV, num. 12 : « Porta cœli, ait, est injuriarum perpessio, et patres nostri per multas injurias in ea gratulantes ingressi sunt. »

Octavus, senex alius rogatus a discipulo : « Da mihi, Pater, unam rem, quam custodiam, et salver per eam? » Respondeo : « Si potueris injuriari et affici conviciis, et portare ac tacere : magna est res hæc, et super alia mandata. » Ibidem lib. III, num. 85.

Nonus, Abbas Antonius fratrem aliis laudatum tentavit, et reperit quod non sufferret injuriam, dixitque ei : « Tu similis es ædificio, quod quamvis habeat ingressum ornatum, per posticia tamen a latronibus expugnatur. » Ibidem num. 88.

Decimus, Monachus post convicia alapa cæsus a philosopho, mox aliam maxillam ei præbuit; tum ille adoravit eum, dicens : « Vere monachus es. » Ibidem lib. V, cap. XVI, num. 16.

Undecimus, Ammonius audivit sibi prædici a S. Antonio : « Tu ad hanc mensuram pervenies, ut nullam tibi fieri arbitreris injuriam, sed ad omnem insensibilis fias ut lapis. » Ibidem lib. VII, cap. IX.

Vers. 6. 6. SI QUIS FUERIT INTER VOS PROPHETA DOMINI, IN VISIONE APPAREBO EI, VEL PER SOMNIUM. — « In visione, » id est in imaginaria, vel intellectuali repræsentatione et raptu. Tacite hic innuit Deus Mariam et Aaronem fuisse Prophetas, eosque nonnullas a Deo visiones et revelationes accepisse, sed non tot, nec tales, quales in dies accipiebat Moses.

Prophetiæ species quinque juxta Eugubinum. Notat Eugubinus quinque hic distingui prophetiæ species : *prima* est, quæ fit במראה *bemare,* id est *in visione; secunda,* per somnium; *tertia,* in ænigmate, cum aliud videtur, aliud innuitur, uti erat cum Jeremias, cap. I, vidit ollam accensam, cum librum comederet, Ezechiel cap. II, 8, et S. Joannes, *Apoc.* X, 10; *quarta,* per figuras, cum rerum imagines intuemur, cum acies, cum choros, cum pompas, cum præclarissima quædam conspicimus : hæ quatuor fiunt per abstractionem a sensibus, qua fit ut neque audiamus, neque tangamus, sed tota mens in visiones has abripiatur; *quinta* est, cum sensu et statu corporis immutato, allocutio divina fit homini : quo modo Deus angelos alloquitur, et allocutus est Mosen et paucos alios.

Moses præcelluit omnibus Prophetis, in quo? In hoc ergo sui temporis Prophetas dicitur hic superasse Moses, quod palam et ore ad os, præsens cum præsente passim et familiariter cum Deo colloqueretur, et, ut ex hoc loco videtur, corporea specie etiam Deum (id est angelum, Deum repræsentantem) videret, maxime postquam vidit ejus gloriam in Sina, *Exodi* XXXIV, 6; cæteris vero Prophetis Deus rarius loqueretur, et non familiariter, neque per se, sed per alias species et figuras, quas Prophetis objiciebat.

Judæi in suæ fidei Symbolo, quod edidit Genebrardus in fine Chronologiæ, ultim. edit., asserunt Mosen præcelluisse aliis Prophetis in hisce quatuor : *primo,* quod Deus Mosi per se, aliis vero per angelum loqueretur; *secundo,* quod aliis noctu, Mosi interdiu loqueretur; *tertio,* quod omnes alii audientes angelum horrore et tremore concutiebantur, ita ut pene exanimarentur, uti contigit Danieli, cap. X, vers. 8 : Moses nil tale patiebatur; *quarto,* quod Moses prophetabat quandocumque volebat, cæteri non nisi eo tempore quo afflabantur Spiritu Dei : unde sæpe multos menses et annos cessabant, quia a Spiritu non docebantur. Verum hæc partim falsa, partim futilia et Judaica sunt : quædam tamen vera iis de more permixta sunt.

Ex dictis patet nullum ex hoc loco argumentum posse colligi pro eorum sententia, qui volunt Mosen hic vidisse divinam essentiam. Nam nihil novi hic de Mose dicitur, nec ulla nova ejus visio hic profertur, sed usitatum ejus cum Deo colloquium (quod *Exodi* XXXIV, 6, et alibi sæpe descriptum est) iterato hic commemoratur; vide dicta *Exodi* XXXIII et XXXIV.

7. QUI IN OMNI DOMO MEA FIDELISSIMUS EST, — *q. d.* In tota Ecclesia mea, id est in toto cœtu Israel, nullus est Mose fidelior; hebraice est, *fidelis ipse,* ubi τὸ *ipse* emphasim habet, quasi dicat : Fidelis ipse est antonomastice et per excellentiam. Vers. 7.

8. ET (per) FIGURAS DOMINUM VIDET. — Hæc in Hebræo secernunt recentiores accentu distinguente a præcedentibus, vertuntque, *et similitudinem Domini videt, q. d.* Moses videt speciem Dei corpoream, in qua Deus se illi videndum exhibet. Ita et Chaldæus et Septuaginta, qui vertunt, *et gloriam Domini vidit,* videlicet *Exodi* XXXIV, 6. Verum Hebræa non habent præteritum, sed futurum, quod hic, uti alias sæpe, pro præsenti capitur. Omnium versionum, licet verbis discrepantium, sensus eodem redit. Vers. 8.

10. NUBES QUOQUE RECESSIT, — non procedendo et præeundo : sic enim signum fuisset movenda esse castra; sed ascendendo supra tabernaculum : sic enim signum erat Dei irati, et abeuntis a Maria et Aarone. Vers. 10.

ET ECCE MARIA APPARUIT CANDENS LEPRA QUASI NIX. —Vide hic lepram esse pœnam rebellium et murmurantium contra Prælatos, uti dixi *Levitici* XIII initio. Porro congrua hæc est murmuris pœna; nam murmur instar lepræ proserpit, et inficit totum corpus, puta totam congregationem et cœtum. Unde sicut leprosi, *Levit.* XIII, jubentur e castris ejici, et seorsim extra castra habitare : ita ejicitur hic e castris murmuratrix Maria, ne illa suo murmure suaque lepra inficiat.

Moral. de malitia detractionis. Audi S. Ephrem agentem de morbo linguæ : « Ex teterrima, inquit, Mariæ prophetissæ lepra docemur, quam grave ac detestabile vitium sit

obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est quomodo hominis detractoris corrumpatur animus; nam sicut illa defecerat a fratre suo, ita et ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret. » Vide Origenem hic, *homilia* 7, item S. Chrysostomus, hom. in *Psalm.* C, ubi inter cætera ait : « Grave malum est detractio, turbulentus dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur : sine ulla causa hostem reddit, qui paulo ante amicus erat : universas domos subvertit, et pacatas urbes ad bellum excitat : pulchræ pacis vincula dissolvit, magnæ charitatis nodum infringit. Qui detractioni studet, diabolo servit : utpote qui calumniæ opera exequatur. Quare detractor tanquam mendax et fur est propellendus. »

S. Hieronymus *ad Rusticum* : « Nulli, ait, unquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione laudabilem te videri velis; magisque vitam tuam ordinare disce, quam alienam carpere. »

S. Augustinus, teste Possidonio in ejus Vita, cap. XXII, contra pestilentiam humanæ consuetudinis, hoc distichon suæ mensæ adscripsit :

Quisque amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

« Unde et coepiscopos quosdam sibi familiarissimos, illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, ut diceret aut delendos illos versus de mensa, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum : quod ego et alii qui mensæ illi interfuerunt, experti sumus. » Ita Possidonius. Vide adversus detractores eumdem S. Augustinum, *epist.* 137, et in *Psalm.* LIV et XCII.

S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, etiam publice peccantes taxari vetabat : « Nam fieri, ait, potest ut peccatum pœnitendo deleverint. Iniquum est autem id ab homine petulanter exprobrari, quod a Deo clementer est condonatum. »

Vere Sapiens linguam maledicam comparat serpenti : « Si mordeat, inquit, serpens in silentio, nihil minus habet, qui occulte detrahit, » *Eccli.* X.

« Detractor, et libens auditor, uterque diabolum portat in lingua, » inquit S. Bernardus in *sermon.* Hoc est officium dæmonis, qui inde vocatur diabolus, id est calumniator.

Idem : « Lingua detractoris, inquit, est vipera ferocissima; est lancea, quæ tres penetrat ictu uno : » occidit enim animam *primo*, dicentis; *secundo*, audientis; *tertio*, famam ejus cui detrahit. Audi eum, serm. *De triplici custodia, manus, linguæ et cordis* : « Numquid, inquit, non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius quidem anceps, imo triceps est lingua detractoris : imo deterior, ait, mucrone, quo Dominicum latus confossum est. Levis, quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit. »

Audi et Gentiles. Cicero in *Offic.* : « Detrahere, inquit, alteri, et hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera quæ possunt corpori accidere, aut rebus externis. Nam tollunt convictum hominum et societatem. »

Horatius in *Serm.* :

Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit : hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

11. NE IMPONAS NOBIS HOC PECCATUM, — ne imputes nobis peccatum quod commisimus, ne nobis offendaris, neve punias, vel puniri nos a Deo permittas aut consentias; sed parce, et miserere et ignosce, atque ora ut Maria a lepra curetur, utque lepra ejus me, utpote murmuris ejus participem, non invadat et corripiat. Vers. 11

12. NE FIAT HÆC QUASI MORTUA. — Tum quia lepra serpens, et exedens Mariam, eam sensim mortuæ vel abortivo mutilo et deformi similem efficiebat; tum quia lepra erat quasi mors quædam civilis : separabat enim hominem ab habitatione et convictu hominum (1). Vers. 12

14. SI PATER EJUS SPUISSET IN FACIEM EJUS, etc., — *q. d.* Si pater Mariæ sororis tuæ iratus spuisset in faciem ejus, illa præ rubore et reverentia patris, non auderet accedere ad patrem ante septem dies; quanto magis decet illam ipsam jam, cum ob peccatum a me lepra notata sit, confundi, et castris arceri, neque ad me in tabernaculum accedere ante septem dies? Vers. 14

SEPARETUR SEPTEM DIEBUS EXTRA CASTRA, ET POSTEA REVOCABITUR. — Itaque reipsa per septem dies Maria quasi leprosa, castris exclusa est : iis elapsis a Deo curata est ac revocata. Ubi nota in ejus revocatione non fuisse observatas cæremonias, et expiationes leprosis præscriptas, *Levitic.* cap. XIV. Nam ipsa Dei miraculosa sanatio et revocatio Mariæ, erat sufficiens ejusdem lustratio et expiatio, ut alia legali non indigeret. Ita Abulensis.

Vide hic justam arrogantiæ pœnam. Erexerat se superbe Maria supra fratrem suum Mosen, ducem castrorum, eumque despexerat : ergo juste hic

(1) Hebr. est, *ne fiat, quæso,* soror *instar mortui* fœtus, *cujus, cum egreditur utero matris suæ dimidia pars carnis*

humiliatur, ut quasi infamis et indigna non tantum conspectu fratris, sed et populi, a castris separetur.

Simile exemplum, et multo magis admirabile refert Raderus noster ex Pratico Græcorum, tract. *De Simplic.*, cap. v, de Stylita Edesseno, qui quod fratrem suum germanum aurum spernentem simplicem judicasset, et contempsisset, eo quod ipse idem aurum prudenter, ut sibi videbatur, in viros Religiosos et pauperes erogasset, ab angelo redargutus, ac a fratre suo germano in omnem vitam separatus, jussusque 49 annos stare in columna; post tam longam et duram pœnitentiam, tandem veniam meruit anno quinquagesimo, sive jubileo : tunc enim apparens ei angelus, peccatum ei remissum, eumque Dei gratiæ restitutum nuntiavit, atque insuper mira consolatione et nova Dei benedictione cumulavit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses mittit duodecim exploratores in Chananæam : referunt illi in vecte botrum; sed narrantes urbium et incolarum robur, Hebræos ab ea absterrent, frustra renitente Caleb.

1. Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan, 2. ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 3. Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus. 4. Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina. 5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. 6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. 7. De tribu Juda, Caleb filium Jephone. 8. De tribu Issachar, Igal filium Joseph. 9. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. 10. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu. 11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. 12. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. 13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. 14. De tribu Aser, Sthur filium Michael. 15. De tribu Nephtali, Nahabi filium Vapsi. 16. De tribu Gad, Guel filium Machi. 17. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram : vocavitque Osee filium Nun, Josue. 18. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos : Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes, 19. considerate terram, qualis sit; et populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus : si pauci numero an plures : 20. ipsa terra, bona an mala; urbes quales, muratæ an absque muris : 21. humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt. 22. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath. 23. Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai filii Enac; nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. 24. Pergentesque usque ad Torrentem botri, abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, et de ficis loci illius tulerunt, 25. qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israel. 26. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, 27. venerunt ad Moysen et Aaron, et ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terræ; 28. et narraverunt, dicentes : Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest; 29. sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. 30. Amalech habitat in meridie, Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis : Chananæus vero moratur juxta mare, et circa fluenta Jordanis. 31. Inter hæc Caleb compescens mur-

mur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait : Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. 32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant : Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. 33. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes : Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. 34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo : quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

Vers. 1. 1. PROFECTUSQUE EST POPULUS DE HASEROTH (ubi fuit decima quarta mansio Hebræorum), FIXIS TENTORIIS IN DESERTO PHARAN, — *q. d.* Pergendo figere castra in vasto illo deserto Pharan (1) : nam in eo deinceps sequentes fuere mansiones usque ad trigesimam tertiam; hæc porro decima quinta, in quam proxime ex Haseroth venerunt, fuit Rethma, ut patet *Num.* XXXIII, 48.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. IBIQUE LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : MITTE VIROS QUI CONSIDERENT TERRAM CHANAAN. — Dixit hoc Deus, postquam populus iste diffidens promissis Dei, petiisset mitti exploratores in Chanaan, qui referrent qualis esset terra, quam fertilis, et quam munita, ut patet *Deut.* I, 22. Cum enim populus id peteret, Moses consuluit Dominum, qui Mosi annuit, jussitque ut faceret idipsum quod populus petebat, ut ex hoc loco patet. « Optimus » enim « est Imperator, qui maxime cognitas habet res hostium, » ait Chabrias; in bellis enim plurimum valet secretum. Unde Metellus rogatus a centurione, quid esset facturus, respondit : « Si scirem tunicam meam consilii mei esse consciam, eam statim exurerem, » ait Plutarchus.

Vers. 3. 3. SINGULOS DE SINGULIS TRIBUBUS, EX PRINCIPIBUS, — non primis et summis, puta ex 12 illis, quorum quisque toti tribui suæ præerat; nam illi aliter vocabantur, ut patet cap. X, vers. 14; sed ex aliis inferioribus, qui primis illis subordinati erant; et forte ex illis, qui consilio Jethro constituti erant, *Exodi* XVIII, 25.

Vers. 12. 12. DE TRIBU JOSEPH SCEPTRI MANASSE, — Hebraice *de tribu Joseph tribus Manasse*, seu quoad tribum Manasse. Tribus enim Joseph duplex erat, scilicet Ephraim et Manasse : ut ergo certam tribum designet, tribum Joseph determinat per tribum Manasse.

Vers. 17. 17. VOCAVITQUE OSEE FILIUM NUN, JOSUE. — Nota : Pro *Nun*, Septuaginta et passim veteres, qui eos sequuntur, legunt *Nave*, sed corrupte; nam Hebræa, Chaldæa et Latina habent *Nun*, et facile Græcum ν in η depravari potuit, ut pro Νοὺν (quomodo videntur vertisse Septuaginta) irrepserit Ναυή. Rursum pro *Osee*, vel ut Hebraice est, *Hosee*, Septuaginta vertunt *Ausem*, et ita veteres Septuaginta secuti, sæpe Josue vocant *Ausem*. Videntur ergo Septuaginta legisse nomen Hebræum aliis punctis, quasi descendens ab imperativo passivo niphal., verbi ישע *iasca*, id est salvum fecit; videlicet הושע *hivvasce*, id est salvare, salvus sis : unde crasi factum est nomen *hause*, quod Moses mutavit in activum *Iehoscua*, id est salvator, vel qui salvum faciet : nisi quis vetus mendum suspicetur cum S. Hieronymo, initio Comment. *in Osee*, ut pro ὡσέε legatur αὐσή, ω depravato in αὐ, quod charactere ei est affine. Noster enim et Chaldæus et alii passim *Osee* vertunt, non *Ause*. Moses vero *Hosee* nomen mutavit in *Iehoscua*, addita et præfixa ad nomen *Osee* littera *iod*, *primo*, ut certiorem ipsi Josue, et populo per ipsum, salutem et victoriam de Chananæis promitteret, quam hac exploratione inchoabat : *Hosee* enim verbum significat *salva* (unde *hosanna* idem est quod salva quæso), *iehoscia* vero, quo alludit *iehoscua*, significat *qui salvabit; secundo*, ut innueret multa ei bona largiturum Deum, cui primam litteram nominis sui tetragrammati, scilicet *iod*, addidisset. Quo respexisse videtur S. Hieronymus in *Aggæi* cap. I, et Eusebius, IV *Demonstr.* cap. ult., dicens : *Iehoscua* idem est quod *iaho iescua*, id est Dei salus, aut salvator, hoc est, datus a Deo ad salutem populi : nam nomen tetragrammatum ipse legit hisce punctis, ut sonet *iaho; tertio* denique, quia spiritu prophetico prævidebat Moses, Josue expressum typum gesturum Jesu Christi, uti nomine, ita re ipsa, et felicissima traductione populi electi in terram promissam. Hinc Eusebius, lib. IV *Demonstr.* XXXVII, docet Aaron pontificem a Mose vocatum esse Christum, quia typus erat sacerdotii Christi : Ausen vero (vitiose enim in Eusebio legitur *Nausen*) vocatum a Mose Josue, quia typus futurus erat principatus Christi; sic et Theodoretus, *Quæst.* XXV, et Tertullianus *Contra Judæos*, et Clemens Alexandrinus in lib. I *Pædag.* VII, Justinus *Contra Tryphonem*, pag. 84, Lactantius, lib. IV *De Vera sapientia*, cap. XVII, Prosper, par. II, *Præd.* cap. IV, Origenes, homilia 1 *in Josue*, Ambrosius in *Psalmo* XLVII, Hieronymus *ad Paulinum*, Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XVIII. Ita Abram futurus pater multorum populorum, a Deo vocatus Abraham. Præcursor Christi futurus primus gratiæ et Evangelii Christi præco, dictus est Joannes, id est gratiosus.

Hinc rursum notant Lactantius, lib. IV, cap. XVII, Origenes, hom. 11 *in Exod.*, et alii Patres Græci et Latini, quos citat Serarius, præfat. *in Josue*, quod

Nun depravatum græce in *Neva*.

Josue dictus est Auses, unde?

Cur Moses Hosee vocavit Josue? Prima causa.

Secunda.

Tertia.

Josue fuit typus Jesu Christi.

(1) Desertum *Sin* haud diversum esse a deserto *Pharan*, aut ejus partem fuisse, apparet inde, quod *Cades* infra vers. 26, in deserto Pharan, et XX, 1, in deserto Sin situm dicitur.

Moses ei mutarit nomen, eumque pro *Hosee* vocarit *Josue*, eo tempore, quo dux militiæ contra Amalecitas est constitutus, eosque debellavit. *Josue* enim significat Salvatorem, qui tanquam dux populi salvavit populum suum : sicut Jesus salvavit homines, pugnando et debellando dæmones, *Coloss.* II, 15. Hujus rei indicium est, quod *Josue* nomen primum legatur *Exodi* XVII, 9, ubi Josue dux belli contra Amalec a Mose constituitur. Alii tamen censent Osee nomen mutatum fuisse in Josue hoc tempore, quo designatus est explorator terræ sanctæ. Tunc enim anceps, et periculosum terram hostilem explorandi officium suscipiens, evidenti mortis ignominiosæ et acerbæ discrimini (ne scilicet quasi explorator, et proditor a Chananæis torqueretur et excarnificaretur) ultro pro populo se obtulit. Tunc ergo acer, magnanimus et interritus apparuit, ideoque dignus, qui novo hoc et augusto nomine donaretur. Ita censent Justinus *Contra Triphonem*, S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XIX, Anastasius Nicænus, *Quæst.* LV, Abulensis et Oleaster. Addit S. Augustinus, Josue tunc gessisse typum Jesu Christi, qui abiturus in cœlum suis discipulis ait : « Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et assumam vos ad meipsum, » *Joan.* XIV, 3.

Sic Antiochus primus hujus nominis Syriæ rex, ob victoriam de Galatis reportatam, σωτήρ, id est salvator, est appellatus : atque in pugna tulit in vexillo figuram pentalpha, cum verbo ὑγιεία, id est salus, ut in numismatibus cernitur; atque usus est pro militari tessera verbo ὑγιαίνειν, quod *salvum esse* significat; eamque ab Alexandro Magno se in somnis jussum usurpare dixit : testis est Lucianus, *Apol. de Lapsu in salut.*, et Pierius, *Hierogl.* 47.

Josue idem est quod Jesus. Ex quibus omnibus patet, *Jehoscua*, vel per crasin *Josue*, idem prorsus nomen esse quod *Jescua*, id est Jesus, non vero diversum, ut volunt Galatinus, Pagninus, et Jansenius, cap. VII *Concord.* Idque convincitur ex eo quod passim Septuaginta, Josephus, et Philo, lib. *De Charitate*, Hebræum *Jescua*, sive *Josue*, vertunt Ἰησοῦς, id est Jesus : nam Ἰησοῦς Græcis trisyllabum est, eo quod iota apud eos sit vocalis, quæ Hebræis et Latinis est consonans; deinde punctum tsere sub iod in *Jescua* vertunt in η : olim enim η sonabat ut ε; ac tertio gutturalem ע vertunt in ς, lenioris pronuntiationis causa, uti pro *Maschiach* vertunt *Messias*. Deinde idipsum patet ex Aggæo, cap. I, vers. 1, 12, 14, et cap. II, vers. 3, 5, et ex Zacharia, cap. III, vers. 1, 3, 8; nam hi duo Jesum pontificem, filium Josedec (qui etiam fuit typus Christi, qua Pontifex est summus novi Testamenti, ut patet *Zachar.* III, versibus citatis) Jesum nominant, qui tamen ab Esdra, lib. I, cap. III, 2, 8, 9, et cap. IV, vers. 3, in Hebræo et nostra versione, *Josue vel Jesus* vocatur *Josue*. Denique, utriusque hujus nominis in Hebræo eædem sunt litteræ, et eadem radix videlicet ישע *iasca*, id est salvum fecit; unde *Josue* vel *Jesus* idem est, quod Salvator. *idem est quod Salvator. Jesus est nomen Hebræum, non Syrum.*

Hinc patet *primo*, falli eos qui nomen Jesus a Græco verbo ἰάω, id est sano : vel a Syro אסא *asa*, id est sano, deducunt; quasi Ἰησοῦς idem sit quod ἰατρός, id est medicus; ita Epiphanius, *hæresi* 29 : « Jesus, ait, Hebraica lingua curator appellatur, aut medicus et salvator. » Sic et a Græco ἰάω nomen Ἰησοῦς deducit Basilius in *Asceticis*, et Cyrillus, *Catechesi* 10, sub finem. Ubi tamen nota quod, licet hæc non sit vera etymi ratio, recta tamen nominis sit adaptatio et accommodatio.

Patet *secundo*, hebraice scribendum esse ישוע *Jescua*, ut ultima sit *ain*, non vero ישו *Iesu*, uti Judæi scribunt, vel ob contemptum, vel ob Syram decurtationem; non etiam scribendum esse ישועה *Jescuah*, per *he* in fine : quia hoc salutem, Jesus autem Salvatorem significat.

Patet *tertio*, nomen Jesus non esse idem cum nomine tetragrammato, nec ab eo sola littera *schin* inserta differre, uti quidam e Novatorum grege, puta Lucas Osiander in *Matth.* I, sensit; ac proinde neque scribendum esse יהשוה *Jehescuh* per *he* in fine præcedente *vau*, ut ipse vult, quasi Christi Domini nomen *Jesus*, a *Josue*, vel *Jescua* sit omnino diversum. Nam id jam refutatum est; et idipsum aperte convellit S. Matthæus, I, 21, qui de Christo ait : *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet*, etc. Unde patet nomen Jesus idem esse quod *Jescua*, vel *Josue*, id est salvator; neque scribendum esse *Jehescuh* Hebraice, sed *Jescua*, quia *Jehescuh* non significat salvatorem, sed *Jescua*; imo *Jehescuh* confictum est nomen, nec proprie ullam radicem Hebræam habet. Denique in titulo crucis Dominicæ, qui Romæ servatur in templo Sanctæ Crucis, ישוע *Jescua*, non *Jehescuh* scribitur nomen hoc, ut testatur Pagninus oculatus testis, in interpretatione nominum Hebræorum. *Jesus non est idem quod Jehova.*

Dices : Etiam *Jescua* non significat salvatorem, sed salvatum, quia habet formam participii passivi *paul*. Respondeo, *Jescua* non esse *paul cal*, sed esse nomen, significans salvatorem, æque ut Josue; nomina vero multum a participiis et punctis et significatione differunt; alludit enim *jescua* ad ישיע *ioschia*, id est qui salvabit, vel certe ad ישועה *iescuah*, id est salus, quasi dicas, ipsa salus, id est salvator per essentiam. *Objectio prima solvitur.*

Dices *secundo*: *Isaiæ* VII, 14, et *Matth.* I, 23, dicitur quod Christus vocandus sit *Emmanuel*, id est nobiscum Deus : hoc autem significat *Jehescuh*, non *Jescua*, vel *Josue* : nam *Jehescuh* continet omnes litteras nominis Dei tetragrammati, inserta tantum littera *schin*. Respondeo : Etiam *Jehuda* continet omnes litteras nominis tetragrammati, uti et multa alia nomina, non tamen idcirco significat idem quod tetragrammaton. *Secundo*, ut fingas significare idem quod nomen tetragrammaton, neutiquam tamen significare potest, *nobiscum Deus* : quia nomen tetragrammaton hoc *Objectio secunda.* *Solvitur.*

non significat, sed simpliciter Deum significat. Addo *Jehoscua*, quod idem est cum *Jescua*, habere omnes litteras nominis tetragrammati, easque conjunctas, non dissectas, ut *Jehescuh*. Quod ergo ad Isaiæ et S. Matthæi locum attinet, respondet Justinus in *Quæst. ad orthodox.*, Quæst. CXXXV; Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. IX; Lactantius, lib. IV *De Vera sapientia*, cap. XII; Cyrillus, lib. *De Incarnatione Unigeniti*, cap. III, τὸ *et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, non significare Christum ita nominandum (nunquam enim Emmanuelis nomen ipsi inditum legimus, sed Jesu tantum, idque in circumcisione), sed fore Emmanuelem, ut jure Emmanuel vocari possit; nam *vocari* in Scriptura sæpe significat esse, ut *Isaiæ* IX, 6, *Isaiæ* LX, 14, *Zachar.* VIII, 3, *Jerem.* III, 17. Deinde, ut recte Tertullianus supra : *Emmanuel et Jesus idem sunt, non sono, sed sensu.* Nam esse Deum nobiscum, est esse salvatorem : salus enim nostra et redemptio Dei ad nos descensu peracta est, nec alio modo perfici potuit.

Vocari significat esse.

Fateor tamen, quod, sicut Deus Abraham et Saræ addidit litteram *he* nominis sui tetragrammati, ut significaret se ex iis nasciturum hominem : ita et Josue eamdem litteram addidit, ut *Jehoscua* in se contineat omnes litteras nominis tetragrammati : quia per hoc significare volebat Jesum Christum, cujus typus erat Josue, fore *Jehova*, id est Deum.

Quapropter hoc nomen Jesu revelatum est Prophetis, qui eo appellandum fore Messiam prædixerunt, ut patet *Habacuc* III, 18 : « Exultabo in D[illegible] Jesu meo. » *Isaiæ* XLV, 8 : « Aperiatur terra et g[illegible]minet salvatorem, » et passim Septuaginta. Hebræi nomen משיח *masciach*, id est Messias, vertunt σωτήρ, id est *salvator*.

Jesu nomen prædixerunt Prophetæ.

Unde et prisci Rabbini ante Christi tempora Messiæ nomen fore Jesus prædixerunt, ut ex R. Haccados docet Galatinus, lib. III, cap. XX.

Rabbini.

Idem prophetarunt Sibyllæ, ut docet acrostichis illa versuum Sibyllæ Erythrææ, quorum primæ litteræ hæc verba reddunt : Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς Θεοῦ, σωτήρ, σταυρός, *Jesus Christus Filius Dei, Salvator, crux*, quæ exstat in fine Sibyllinorum oraculorum tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, et eam citat Cicero, lib. II *De Divin.*, indeque probat poema Sibyllæ non esse furentis, sed attenti animi, artisque et cogitationis. Eamdem citat et Constantinus Imperator apud Eusebium, in fine Vitæ hujus, et fuse S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXIII. Idem prædixit, sed ænigmatice Sibylla Cumana, quæ, ut refert Sixtus Senensis, lib. II, verbo *Sibylla*, vaticinata est numerum litterarum nominis Messiæ fore 888, dum ita canit :

Et Sibyllæ.

Nomen Jesu continet 888.

Sed quæ sit numeri totius summa docebo :
Namque octo monades, totidem decades super ista,
Atque hecatontades octo, infidis significabunt
Hominibus nomen : tu vero mente teneto.

Cur ?

Hunc enim numerum continent 4 litteræ Græcæ nominis Jesus, cujus numeri mysterium explicat Venerabilis Beda, in cap. II *Luc.* : « Videlicet significari per Jesum resurrectionem, et viam in cœlum esse patefactam. Octonarius enim sive simplex, sive multiplicatus per decem, id est octoginta, sive per centum, id est 800, significat octavam resurrectionis. »

Atque hinc forte dæmon, qui simia est Dei, et tantus Salvatoris nostri æmulus, apud Romanos et Græcos Jovem et Minervam Soterem, Jovem Eleutherium, Salutem deam, Minervam Sospitam, et similes deorum larvas sibi induxit, de quibus multa Giraldus, lib. *De Diis Gentium*, syntagm. I, p. 35, et syntagm. II, p. 106 et 107, et syntagm. III, pag. 121. Denique Justinus, *Apolog.* I *pro Christianis*, ante finem, scribit Christianos suo tempore energumenos curare, et a dæmonibus liberare solitos invocatione nominis Jesu; vide Gretserum, lib. III *De Cruce*, cap. XXVII.

Est enim hoc nomen Jesus sanctissimum et augustissimum, adeoque venerabilius nomine tetragrammato, ut recte probat Abulensis, *Quæst.* VII, in cap. XX *Exodi*. Nam est proprium nomen Verbi incarnati, ut docet S. Augustinus, tract. 3 in I *epist. S. Joan.*, tom. IX, ideoque alia omnia Christi nomina, quæ plurima et præstantissima ei Scriptura attribuit, in se complectitur. Significat enim totam incarnationis Dominicæ œconomiam (in qua præ cæteris operibus, omnia attributa Dei relucent), bonaque omnia, quæ inde nobis sive in animo, sive in corpore, tum in hac vita, tum in futura per omnem æternitatem obvenient. Vide Origenem, hom. 22 hic, et hom. I *in Josue*, Bernardum, serm. 15 *in Cant.*, ubi ait veteres Jesus inanibus nominibus gloriatos esse; nec enim veram salutem præstitisse, sed adumbrasse : hanc enim solus præstitit Jesus noster. De nomine Jesu plura dixi *Philip.* II, 10.

Jesu nomen venerabilius est quam *Jehova*.

Jesus quid, et quantum significat ?

20. URBES QUALES, MURATÆ, AN ABSQUE MURIS. — Clare Interpres vertit Hebræa, quæ sic habent : *An in castris, an in munitionibus*, sive *locis inclusis, habitent incolæ*. Castra hic opponuntur locis muro inclusis : castra ergo hic sunt loca patentia, sive municipia, in quibus turmatim habitant incolæ (1); sic enim milites in castris non includuntur muris, sed in tentoriis campestribus degunt. Ita Oleaster. Loca inclusa sunt quæ vulgo *Burgos* vocamus; unde Burgundiones sunt dicti, quod in burgis se continerent, ut ab hostium incursione essent tuti.

Vers. 20.

21. ERAT AUTEM TEMPUS QUANDO JAM PRÆCOQUÆ (id est primo maturæ) UVÆ VESCI POSSUNT, — *q. d.* Exploratores a Mose missi explorarunt Chanaan, quando ibi erat tempus primarum uvarum : unde et botrum inde ad Hebræos extulerunt. Exploratio ergo hæc contigit sub initium junii (tunc enim in Palæstina, utpote regione calida, maturæ

Vers. 21.

Exploratores missi sunt in

(1) Qualia erant Arabum Scenitarum, et eo tempore Hebræorum.

Chanaan mense junio. sunt uvæ), anno secundo exitus ex Ægypto. Transierat enim jam annus unus, et tres menses ab hoc exitu, tuncque post paucos dies Hebræi ingressuri fuissent Chanaan, nisi murmurassent. Hæc enim murmuratio ingressum eorum distulit ad 38 annos: ita Abulensis.

Vers. 22. 22. EXPLORAVERUNT TERRAM A DESERTO SIN, USQUE ROHOB, INTRANTIBUS EMATH, — *q. d.* Qua itur et intratur in Emath regionem, in qua potens fuit urbs, quæ postea ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, ait S. Hieronymus in *Amos* VI; eratque in Syriæ finibus, terminans ab Aquilone terram sanctam; unde sæpe in Scriptura Emath inter terminos terræ promissæ commemoratur. Erat et altera Emath magna, quæ postea dicta est Antiochia, urbs Syriæ celeberrima.

Emath est Epiphania.

Vers. 23. 23. UBI ERANT FILII ENAC. — « Filii, » id est, nepotes et posteri Enac gigantis: vide vers. 30; unde ab hoc Enac gigante gigantes in Scriptura vocantur *filii Enakim*.

NAM HEBRON SEPTEM ANNIS ANTE TANIM URBEM ÆGYPTI CONDITA EST. — Omnes consentiunt, ait Adrichomius, Cajetanus et Oleaster, Tanim esse nobilem Ægypti urbem, non longe a Memphi sitam, quæ antea dicebatur Titannis, a 10, vel, ut Adrichomius ait, 17 Titanibus, filiis Noe, constructa, sed præcisa prima syllaba Tanis, vel urbs Taneos dicta est, estque celebris in Scriptura, utpote in qua Moses coram Pharaone fecit sua signa, et plagas decem Ægypto immisit, ut patet *Psal.* LXXVII, 12, ubi dicitur : « Fecit mirabilia in terra Ægyptii in campo Taneos; » et vers. 33 : « Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. » Unde videtur quod Tanis tunc fuerit regia regum Ægypti; idem colligitur *Isaiæ* XIX, 11. Sita erat juxta Nili ostium, quod ab ea Taniticum dictum est, estque proximum ostio Pelusiaco. Ad Tanim hanc cæso Godolia profugerunt Judæi cum Jeremia propheta, ibique Jeremias a Judæis, quorum idololatriam corripiebat, lapidatus est: unde et crebra Tanis, sive Taphnis, apud Jeremiam est mentio, ut cap. II, XLIII, XLIV et XLVI.

Tanis urbs quæ, et unde dicta?

In Tani ergo Hebræos etiam stirpem gigantum vidisse indicat conjunctio *nam*, quam noster Interpres hoc versu habet, *q. d.* Non mirum in Hebron esse gigantes, quales vidistis in Tani, cum Hebron antiquior sit urbe Tani, ita ut a primis gigantibus potuerint incoli, ut ait Lyranus et Abulensis.

Vers. 24. 24. ABSCIDERUNT PALMITEM CUM UVA SUA. — Philo etiam diserte asserit, non plures, sed unam tantum uvam fuisse. Hebræa et Chaldæa habent *palmitem et botrum uvarum unum*, id est unum palmitem cum botro uno; dicit autem *uvarum*, quia sunt et botri cypri, aliorumque fructuum. Quare necesse est dicere uvas in Chanaan fuisse prægrandes : utpote quarum unam in vecte a duobus viris portari opus fuerit, quod indicium erat, terram illam esse fertilissimam. Sic Plinius, lib. XIV, cap. I, ait in interiore Asia nasci uvas magnitudine uberis vaccini, ollæ, imo pueri infantis. Amplius narrant Euphorus et Metrophanes apud Stephanum, lib. *De Urbibus*, scilicet in Eucarpia minoris Asiæ oppido tam immanes nasci racemos, ut singuli justa sint singulis curribus pondera, ita ut unius tantum racemi vectura quandoque currus confractus conciderit, atque inde urbem Eucarpiam, id est fertilem esse dictam, ideoque veteres dictitasse urbem hanc a Jove datam fuisse Cereri et Baccho ad inhabitandum; sed puto currum istum crassiore mendacio, quam uva onustum jam pridem concidisse, et evanuisse. Ecquid mirum? Nota est Græcorum fides, Græcosque græcari et fabulari solitos scimus. Credibilius Strabo, lib. II, botros uvarum commemorat, qui singuli bipedali sunt longitudine. Idem, lib. XI et lib. XV, tradit in Mauritania et Carmania botros nasci, qui ad duos cubitos in longum extendantur.

Eucarpiæ uvæ miræ magnitudinis.

Allegorice, sicuti sponsa Christo dicit: « Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi, » idque ob dulcedinem et gloriam resurrectionis Christi : ita pariter hic uva pendens in vecte, est Christus pendens in cruce : hæc nata est ex terra promissa, id est B. Virgine, quam promisit Isaias cap. VII, vers. 14 : « Duo bajuli sunt duo testamenta : præeunt Judæi, sequuntur Christiani; salutem hic (Christianus) ante conspectum suum gerit, ille (Judæus) post dorsum : hic obsequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergo, ne a cervicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus. » Ita S. Augustinus, serm. 100 *De Tempore;* S. Ambrosius, serm. 72 *De S. Cypriano;* S. Hieronymus *ad Fabiolam*, in mansione 15; Prosper, par. II *Præd.* cap. IX; Rupertus hic, et S. Bernardus, serm. *44 in Cantic.*

Allegorice.

QUEM PORTAVERUNT DUO VIRI. — S. Ambrosius, loco jam citato, ait hosce duos botri bajulos fuisse Josue et Caleb : cui favet, quod hi duo soli terram Chanaan Hebræis commendarint, ut patet vers. 31, et cap. seq. vers. 6.

Duo bajuli botri fuerunt Josue et Caleb.

Vers. 26. 26. REVERSIQUE EXPLORATORES TERRÆ POST QUADRAGINTA DIES. — Per 40 ergo dies exploratores lustrarunt terram Chanaan, quibus non comederunt manna; illud enim tantum inveniebatur in castris Hebræorum : sed frugibus terræ Chanaan vescebantur, quas vel in agris carpebant, uti hic botrum carpserunt, vel a Chananæis in villis emebant. Ita Abulensis.

Vers. 27. 27. VENERUNT AD MOYSEN, etc., IN DESERTUM PHARAN, QUOD EST IN CADES, — *q. d.* Venerunt exploratores redeuntes ad suos in Cades, sive Cadesbarne, quod est in deserto Pharan; est hypallage.

An Cades hoc sit idem cum Cades in quo 33 fuit mansio?

Dubium est an Cades hoc, ex quo missi sunt exploratores, idem sit cum Cades trigesima tertia mansione, de qua *Num.* XX, 1, et cap. XXXIII, vers. 36.

Abulensis putat esse eumdem locum, et eamdem mansionem, ac consequenter exploratores

Affirmat Abulensis. missos esse non ex decima quinta, sed ex trigesima tertia mansione, in eaque, vel juxta eam Hebræos hæsisse 38 annos, scilicet usque ad mortem Mariæ, quæ in Cades mortua est, sub initium anni quadragesimi exitus ex Ægypto, *Num.* XX, 1. Probat idipsum ex *Deut.* I, 46, ubi dicitur : « Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore. » Censet ergo Abulensis, Hebræos anno secundo citissime percurrisse omnes mansiones a Sina, quæ fuit duodecima, usque ad Cades, quæ fuit trigesima tertia, atque in Cades hæsisse ab anno secundo usque ad quadragesimum.

Negant alii et verius. Primo. Secundo. Verum non est verisimile Hebræos tamdiu in una mansione mansisse, præsertim cum dicat Scriptura eos per 40 annos vagatos esse in deserto, vers. 33. *Secundo,* quia *Num.* XX, 1, demum in Cades, trigesimam tertiam mansionem, venisse narrantur; ergo hoc cap. est alia mansio. *Tertio,* quia *Deut.* II, 14, Hebræi 38 annos ambulasse dicuntur in deserto : ergo iis non hæserunt in Cades.

Tertio.

Dico ergo aliam esse hanc mansionem ab illa de qua cap. XX et XXXIII, ac consequenter Cades hoc diversum esse ab illo Cades, uti docent Zieglerus, Wolfgangus, et Adrichomius in *Descriptione terræ sanctæ.* Si tamen idem Cades utrobique esse velis, uti volunt Cajetanus, Oleaster et Andreas Masius in *Josue* cap. XV, dicendum est Hebræos bis venisse in Cades, scilicet *primo* hic; *secundo, Num.* XX, 1. Vagabantur enim Hebræi, et a Deo circumducebantur, maxime post murmur hoc exploratorum, per inviam solitudinem perplexis gyris et mæandris. Unde eos, eo unde discesserant, puta in Cades, rursum rediisse non est mirum. Hinc et Chaldæi pro utroque Cades vertit *Recem,* quo nomine solet appellare Petram, nobilem Arabiæ urbem, vel certe locum urbi illi vicinum. Verum prius est verius, uti dicam cap. XX, vers. 1.

Vel si est idem, bis in Cades venerunt Hebræi.

Missi ergo sunt hi exploratores ex decima quinta mansione, quæ fuit in Rethmat, *Num.* XXXIII, 18; porro Rethmat erat juxta urbem Cades : unde exploratores hic in Cades, vel, ut dicitur *Josue* XIV, 7, *Deut.* I, 20 et 22, in Cadesbarne reversi dicuntur.

Vers. 28. 28. QUÆ REVERA FLUIT LACTE ET MELLE, — *q. d.* Terra Cha aan est fertilissima; est hyperbole.

Vers. 29. 29. URBES GRANDES ATQUE MURATAS — *nimis,* uti addunt Hebræa, Chaldæa, Græca et Rabanus. *Deut.* cap. I, 28, dicitur eas munitas, id est muratas, fuisse in cœlum, hoc est altissimos habuisse muros; est hyperbole. Hi muri terruerunt Hebræos pusillanimes : magnanimi enim non curant muros, sed bellatores et propugnatores validos (1). Unde Agesilaus rex, roganti cur Sparta muris careret : « Hi, ait, sunt Spartæ muri, » cives armatos commonstrans. Alteri hac ipsa de re percunctanti respondit : « Urbes non lapidibus et lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas. » Monstrabat ei quidam urbis alicujus muros admodum validos, et quærebat pulchrosne eos judicaret, respondit : « Ita sane, sed non ut viri, verum ut mulieres intus habitent. » Ita Agis rex eorumdem Lacedæmonum, muros Corinthiorum perambulans, cum spectasset eos sublimes et validos : « Quænam, ait, in hoc gynæceo habitant mulieres? » Ita Antalcidas muros Spartæ aiebat esse juvenes, terminos autem hastarum cuspides. Sic et Scipio Africanus militi vallum tollenti, et admodum se premi dicenti : « Non injuria, inquit : ligno enim huic magis fidis, quam gladio. » Idem adolescenti pulchrum clypeum ostentanti : « Clypeus quidem, inquit, o adolescens, pulcher est, cæterum Romanum virum magis decet fiduciam suam in dextra sua, quam in sinistra collocare. » Testis est Plutarchus in eorum Vita.

(1) Urbes *grandes* videbantur exploratoribus, qui non in urbibus, sed tuguriis habitare consueverant. Revera enim perquam exiguæ erant, et singulæ vix mille aut bis incolas habebant. Videntur tamen dolose etiam egisse exploratores, et urbes istas permagnas eo quoque consilio dixisse, ut populares suos ab iis capiendis deterrerent.

Vers. 30. 30. AMALEC HABITAT IN MERIDIE. — Dicunt hoc exploratores, non quasi terra Amalecitarum pertinuerit ad terram Hebræis promissam; sed quia ei vicina erat, ita ut Amalecitæ ingressum Hebræorum in eam facile impedire, atque Hebræos bellis impetere et divexare potuissent, uti conati fuerant *Exodi* XVII. Hanc enim difficultatem hostium fortissimorum in terra promissa, et in ejus vicinia commorantium, proponunt hic exploratores populo, ut eum ab ingressu in Chanaan absterreant.

Vers. 31. 31. INTER HÆC CALEB COMPESCENS MURMUR POPULI. — Tacente Josue, unus Caleb omnibus se opponit, murmurque sedare conatur : quia Caleb erat animosior zeloque plenus; unde eum solum Deus ab hoc heroico actu mire laudat cap. seq. vers. 24, dicens : « Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc. » Ob eamdem causam eidem Deus, per Mosen peculiarem quamdam terræ Chanaan partem, puta montana Hebron, ubi erant gigantes hi, promisit sub juramento, quam et ipse Caleb a Josue petiit, et obtinuit, ut patet *Josue* XIV, 6, 9 et 12, et *Josue* XV, 13.

Caleb constantia, et laus.

Et præmium.

MURMUR QUI, — murmur quod : est antiptosis.

Vers. 32. 32. NEQUAQUAM AD HUNC POPULUM VALEMUS ASCENDERE. — Hinc patet hos exploratores in sua ad populum relatione peccasse, *primo,* dissuadendo et divertendo populum ab ingressu in Chanaan, itaque resistendo promissis et voluntati Dei, qui Hebræos in eam inducere volebat. Fecerunt idipsum ex pusillanimitate et timore bellorum cum Chananæis, cum ipsi vitam quietam, inertem et deliciosam agere mallent in Ægypto, etiam sub jugo Pharaonis; *secundo,* mentiendo, idque in multis:

Exploratorum peccata et mendacia, quinque.

Primo, quia asseruerunt Chananæos tam esse potentes, ut eis prævalere non possent Hebræi; aiunt enim : « Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. »

Primum.

Secundum. *Secundo*, imponendo falsa crimina terræ Chanaan, dicendo : « Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos. »

Tertium. *Tertio*, amplificando ea quæ viderant, supra veritatem, ut cum dicunt : « Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, quibus comparati quasi locustæ videbamur. »

Quartum. *Quarto*, asserendo omnes passim Chananæos proceræ esse staturæ præ Hebræis : « Populus, inquiunt, quem aspeximus, proceræ staturæ est, » cum tamen Chananæi ordinarie non essent proceriores quam Ægyptii, Hebræi et alii populi eis vicini.

Quintum. *Quinto*, quia subticent veritatem, ut quod tres tantum vidissent in Chanaan gigantes, aliaque multa, quæ potuissent populum in spem potiundæ Chananææ erigere, metumque Chananæorum illi adimere, vel minuere. Ita Abulensis.

Vers. 33. Terram devorare incolas quid ? Resp. Primo. Secundo. 33. TERRA QUAM LUSTRAVIMUS, DEVORAT HABITATORES SUOS. — Aliqui hoc intelligunt de bonitate terræ, quasi dicant : Terra Chanaan tam fertilis est, ut omnes illi inhient, ejusque possessores vicissim ejiciant et occidant. Alii sic explicant, quasi dicant : Terra Chanaan tam bona est, ut nullus ex ea exire cupiat; unde quicumque in ea nascuntur, in eadem vivere et mori volunt; itaque quasi a terra sua devorantur. Verum hæc non fuisset detractio, sed potius laus terræ.

Tertio et vere. Dico ergo : « Terra devorat habitatores suos, » hoc est, terra Chanaan ex aeris intemperie insalubris est, noxia et pestilens, ita ut morbos generet, et mortem citam incolis afferat. Id dixerunt, forte eo quod lustrantes terram, invenerint tum pestem in ea grassari, eamque ipsi attribuerint conditioni, et malæ qualitati terræ, cum potius tribuenda esset Deo, qui *Levit.* cap. XVIII, 24, promiserat Hebræis se facturum, ut terra ipsa evomeret Chananæos ob scelera eorum. Unde tradunt Hebræi nonnulli, penes quos sit fides, tunc tantam fuisse luem in Chananæa, totque morientes, ut Chananæi occupati circa suorum funera, licet viderent hosce exploratores, eos tamen non caperent, non examinarent, imo non curarent.

IBI VIDIMUS MONSTRA. — Hebraice, ibi vidimus נְפִילִים *nephilim*, id est gigantes, qui dicuntur *nephilim*, id est cadentes, quia ita erant proceri, ut qui eos videbant ex terrore caderent : aut potius *cadentes*, id est cadere facientes (ut *cal* ponatur pro *hiphil*), prosternentes et occidentes passim alios homines; erant enim hi gigantes homines feri et truculenti tyranni. Ridiculum ergo est quod ait R. Salomon, hos gigantes vocari *nephilim*, id est cadentes, quia, inquit, gigantes erant ex genere duorum angelorum cadentium de cœlo, scilicet Aza et Azael. Gigantes vocantur *Nephilim*, id est prosternentes.

QUASI LOCUSTÆ VIDEBAMUR. — Est hyperbole nimia et mendax, ad deterrendum populum ab ingressu in Chanaan. Addit Josephus, ex suo, ut videtur, genio et spiritu paraphrastico, quo res suæ gentis ornare et colorare solet, exploratores dixisse, quod Hebræi non possent Chananæos opibus et armis instructos superare, ob suam paupertatem, et armorum rerumque inopiam, quodque prius deberent flumina impervia, et montes insuperabiles transire. Addit insuper Hebræos ad tantum murmur his verbis concitatos fuisse, ut Mosen et Aaronem voluerint occidere, itaque in Ægyptum reverti.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ad relationem exploratorum murmurant Hebræi, frustra renitente Caleb et Josue : hinc Deus vult eos perdere; verum orante Mose parcit, sed cum hac pœna, ut nemo murmurantium terram promissam ingrediatur. Denique, vers. 40, Hebræi contra jussum Domini conscendentes in montem, cæduntur a Chananæis.

1. Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, 2. et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel dicentes : 3. Utinam mortui essemus in Ægypto, et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi ! Nonne melius est reverti in Ægyptum? 4. Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum, 5. Quo audito Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. 6. At vero Josue filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, 7. et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra quam circuivimus, valde bona est; 8. si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. 9. Nolite rebelles esse contra Dominum : neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare; reces-

sit ab eis omne præsidium : Dominus nobiscum est, nolite metuere. 10. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel. 11. Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis? 12. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam : te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est. 13. Et ait Moyses ad Dominum : Ut audiant Ægyptii de quorum medio eduxisti populum istum, 14. et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem ; 15. quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant : 16. Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat ; idcirco occidit eos in solitudine. 17. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens : 18. Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. 20. Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. 21. Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. 22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, 23. non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. 24. Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit : et semen ejus possidebit eam. 25. Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 27. Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi. 28. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. 29. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, 30. non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun. 31. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam : ut videant terram, quæ vobis displicuit. 32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine. 33. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto, 34. juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram : annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam : 35. quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me : in solitudine hac deficiet, et morietur. 36. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod esset mala, 37. mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. 38. Josue autem filius Nun, et Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram. 39. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, et luxit populus nimis. 40. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt : Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est ; quia peccavimus. 41. Quibus Moyses : Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? 42. Nolite ascendere : non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris. 43. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum. 44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca au-

tem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris. 45. Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte, et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

Vers. 2. 2. MURMURATI SUNT, — murmuraverunt. *Deut.* cap. I, vers. 27, additur eos dixisse : « Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Ammorrhæi, atque deleret. »

Vers. 3. 3. IN HAC VASTA SOLITUDINE UTINAM PEREAMUS! — Ita hæc legunt et conjungunt Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Latina Romana. Tollenda ergo est negatio *non*, et distinctio quam habent Biblia Plantiniana. Optarunt enim Hebræi hic mori in deserto : unde et Dominus votum eorum exaudiens, pœnam eamdem quam postularunt, eis irrogavit vers. 28, omnesque reipsa confecit et sepelivit in deserto. Idque ita disposuit, quia omnes hi Hebræi enutriti fuerunt in Ægypto, ubi servierant quasi mancipia, ideoque timidi erant et pusillanimes, non habentes animos ad bella cum Chananæis gerenda : unde hæc filiis eorum, quos in deserto instruxit, et generose educavit, reservavit. Ita Abulensis.

Cur omnes Hebræi qui in Ægypto servierant, mortui sint in deserto?

Vers. 4. 4. REVERTAMUR IN ÆGYPTUM. — Nota Hebræorum murmurantium stoliditatem. Redire enim in Ægyptum erat eis impossibile, tum ob defectum annonæ in deserto : Deus enim rebellibus suum manna subtraxisset; tum quia rursum eis transeundum fuisset mare Rubrum, aut certe illud circumeundum per gentes hostiles, quæ Hebræos per suos fines transire non permisissent. Ita Abulensis.

Quare senior ille, apud Sophronium in *Prato spirit.* cap. CCVIII, fratri qui impugnabatur a tristitia, dicens : Quid faciam? quia cogitationes meæ insurgunt contra me, dicuntque : Inutiliter et importune renuntiasti sæculo, salvari non potes; prudenter respondit : « Scis, frater, quia, etsi non possumus terram promissionis ingredi, expedit nobis, ut cadamus potius in deserto, quam ut revertamur in Ægyptum. » Nam, ut ait Cassianus, lib. X, cap. XXV, « experimento probatum est acediæ impugnationem non declinando fugiendam (si enim fugeris, sequetur, teque gravius impugnabit), sed resistendo superandam esse. »

Vers. 5. 5. QUO (murmure populi volentis redire in Ægyptum) AUDITO MOYSES ET AARON CECIDERUNT PRONI IN TERRAM, CORAM OMNI MULTITUDINE, — videlicet ad deprecandum Dominum, ne immitteret vindictam in murmuratores, uti fecerat in Sepulcris concupiscentiæ, cap. XI, 33.

Vers. 8. 8. SI PROPITIUS FUERIT DOMINUS, INDUCET NOS IN EAM. — Vocula *si* non est dubitantis, sed astruentis rationem et modum victoriæ, scilicet quod Deus eam daturus esset Hebræis, si ipsi Deum sequerentur, eoque niterentur : Deus enim certo promiserat eis hanc victoriam, imo possessionem Chananææ. Rursum, Deum esse Hebræis propitium facile ipsi videre poterant per manna, quod jugiter dabat, et per columnam quæ eos ducebat; si enim hæc eis gratis præstabat Deus, præstitisset utique et ingressum in Chanaan, quem promiserat.

Vers. 9. 9. RECESSIT AB EIS OMNE PRÆSIDIUM. — Hebraice, *recessit ab eis umbra eorum; umbra*, id est præsidium, et, ut Chaldæus vertit, *fortitudo* : quia sicut umbra nos a sole protegit in æstu, ita et præsidium protegit a periculis et hostibus. Deus ergo, qui hactenus Chananæos conservaverat, jam ad adventum Hebræorum subducebat eis suam protectionem, ut caderent coram Hebræis. Septuaginta vertunt, *recessit ab illis tempus*, quod scilicet datum erat impiis Chananæis ad regnandum et florendum, ait S. Augustinus. Sic numeratum et sublatum fuit tempus Baltasari, et monarchiæ Chaldæorum, *Dan.* V, 26. Notat hic S. Augustinus, Josue non dicere : « Tempus recessit ab eis, » et nostrum successit; sed « Dominus nobiscum est : » *Dominus* scilicet, qui temporum omnium creator, ordinator et dispensator est (1).

S. Job suis precibus sustentabat Chananæos.

Tradunt Hebræi sub hoc tempus in Chanaan mortuum esse S. Job, cujus precibus, dum viveret, placatus Deus parcebat Chananæis; nunc autem illo mortuo, recesserat umbra eos protegens, puta merita et preces S. Job, omneque præsidium : unde S. Hieronymus in *Locis Hebr.* ait tradi in Carnea trans Jordanem fuisse domum S. Job; et Abulensis : « Sepulcrum, ait, S. Job alte structum in planitie Jordanis, in magno honore a Græcis et Gentibus usque hodie permanet. » Ita et Bredenbachius, Saligniacus, Borchardus, Adrichomius, et ex iis Pineda in *Job* cap. I, vers. 1, num. 27, tradunt quod terra Hus, sive Ausitis, in qua habitavit Job, fuerit in finibus Arabiæ et Idumææ in Traconitide regione, juxta Jordanem, in sorte quæ postea tribui Manasse attributa est, ibique pyramidem ad sepulcrum S. Job, more veterum erectam, etiamnum ostendi juxta Suetam urbem.

Domus et sepulcrum S. Job in Traconitide.

Rursum S. Job paulo ante egressum Hebræorum ex Ægypto esse defunctum, ostendi *Gen.* cap. XXXVI, 33; imo alii volunt eum hoc ipso anno esse mortuum, uti dixi cap. X, 11.

Vers. 10. 10. ET LAPIDIBUS EOS (Caleb scilicet, et Josue, qui murmurantibus resistebant) VELLET OPPRIMERE.

APPARUIT GLORIA DOMINI, — puta nubes lucida et gloriosa, significans Dei præsentiam et majestatem : ita Septuaginta et Josephus.

SUPER TECTUM FOEDERIS, — super tabernaculum fœderis : est synecdoche.

(1) *Sicut panem.* Adagialis formula. Sic et Græci *crudos comedere hostes* dicunt, pro *eos cædere. Iliad.* IV, 35 : *Crudum comedisses Priamum Priamique liberos.*

Vers. 11. 11. USQUEQUO DETRAHET MIHI POPULUS ISTE (*detrahet*, id est irritabit me; hoc enim est Hebræum נאץ *niets*)? QUOUSQUE NON CREDENT MIHI IN OMNIBUS SIGNIS? — *In*, id est *per*, vel propter omnia signa et portenta quæ eis exhibui : hebraice enim ב *beth*, id est *in*, sæpe significat *per*.

Vers. 12. 12. TE AUTEM FACIAM PRINCIPEM SUPER GENTEM MAGNAM. — Hebraice tantum est : *Faciam te in gentem magnam*, ut scilicet gens magna ex te nascatur; sic enim Abraham dicitur factus in gentem magnam. *Secundo*, et genuine : « Faciam te in gentem magnam, » id est constituam te ducem super magnam multitudinem Gentilium, qui Hebræis hisce tuis meliores et fortiores sint; ita enim vertit noster Interpres.

Vers. 13. 13. UT AUDIANT ÆGYPTII, — *q. d.* Si, ut minaris, Domine, deleas Hebræos, consequetur ut Ægyptii id audientes blasphement nomen tuum; unde Septuaginta et Chaldæus pro *ut*, vertunt *et* : est aposiopesis ad pathos, tam Dei irati, quam Mosis, iram Dei brevi et leni hac suggestione mollientis, significandum. Qui enim ira fervent, torrentes verborum et minarum effundunt, quibus vir prudens se non directe opponet; sed hinc inde leniter verbulum aliquod interjiciet, quod eam mitigare possit (1).

Vers. 14. 14. QUOD TU, DOMINE, IN POPULO ISTO SIS, ET FACIE AD FACIEM (hebraice est, *oculo ad oculum*) VIDEARIS, — quod scilicet Hebræi clare te, et tua præsentia fruantur, dum jugiter intuentur columnam nubis, quæ te repræsentat, qua et iter eis ostendis, et obumbras castra eorum, cum proficiscuntur, eaque ab æstu protegis, uti ostendi *Exod.* XIII, 21.

Vers. 17. Quomodo Deus a nobis magnificetur? 17. MAGNIFICETUR ERGO FORTITUDO DOMINI. — *Magnificari* duo significat : *primo*, magnum fieri; *secundo*, magnum apparere. Dei fortitudo major fieri nequit : habet enim in se omnem fortitudinem possibilem et imaginabilem, imo ultra quam quis imaginari potest, quia in se est immensa et infinita : ergo tantum magnificatur Dei fortitudo, cum magna, vel major nobis apparet; quasi dicat : Ostende, Domine, nobis totique mundo magnam tuam fortitudinem, inducendo tuum populum in terram Chanaan; expulsis Chananæis; *secundo*, fortitudo hic sumi potest pro clementia, inquit Abulensis. Qui enim iram vincit, quique offensam hosti, quem punire potest, quemque in manu sua habet, ignoscit; hic magni, fortis et leonini est animi; hunc enim sensum videntur exposcere ea quæ sequuntur : « Sicut jurasti dicens, Dominus patiens, et multæ misericordiæ, » etc. Verum melius hæc ipsa, juxta priorem et proprium sensum, per aposiopesin sic expones, ut intelligantur hæc verba : « Ideoque ostende te nobis clementem et propitium; » quasi dicat : Ostende, Domine, tuam fortitudinem, inducendo nos in Chanaan, ideoque ne irascaris, et perdas nos; sed ostende te talem, qualem te aliquando esse dixisti, imo jurasti, dicens *Exodi* XXXIV, 6 : « Dominus patiens, et multæ misericordiæ, » etc. In orationibus enim patheticis, ex affectu multa concise dicuntur, multaque tacentur, et in corde retinentur, dum affectus alio rapit, quæ auditori supplenda sunt.

Clementia est fortitudo.

Discant hic a Mose Principes et Prælati, quam sæpe ingrata, mobilis et temeraria sit plebs eis subdita, quamque ejus vitia tolerare et excusare debeant. Scipio Africanus, qui Annibalem devicit, ob calumnias tandem a suis Romanis in exilium actus, rogatus « quomodo quis se gerere debeat erga patriam ingratam, » respondit : « Sicut filius se gerit erga matrem ægram. »

Prælati tolerent subditorum ingratitudinem. Exempla.

Themistocles, a suis Atheniensibus expulsus, fugit ad Artaxerxem quem antea oppugnaverat, dixitque ei : « Abutere fortuna mea potius ad probandam virtutem tuam, quam ad explendam iram : conservabis enim supplicem tuum, et perdes Græcorum hostem; » verum cum Artaxerxes eum contra Græcos mitteret, ipse ne patriam oppugnaret, hausto taurino sanguine mortem oppetere maluit, natus annos 65.

Epaminondas, qui Thebas ad imperium evexit, cum ultra tempus sibi decretum, republica ita exigente, exercitum et imperium servasset, accusatus, et ad mortem postulatus a suis : « Occidite, ait, me, sed sepulcro meo inscribite, quid patriæ præstiterim tum alias, tum hac ipsa in causa; » testis est Plutarchus in eorum Vita.

Præclariores fuerunt fideles. Theodosius Imperator neminem eorum a quibus læsus fuerat, ultus est unquam; miranti id cuidam, dixit : « Utinam eos in vitam revocare possem, qui jamdudum mortui sunt! » Ad alium quemdam eadem prope referentem dixit : « Nihil esse novi, si quis homo cum sit, e vita excedat; unius autem Dei esse, eum qui semel mortuus sit, per pœnitentiam ad vitam æternam revocare. » Ita Nicephorus, lib. XIV, cap. III.

S. Bernardus a quodam suo pugno percussus, cum alii in eum involare vellent, inhibuit, dicens : « Oportet eum aliis ignoscere, cui toties a Deo ignoscitur. » Testis est auctor Vitæ, lib. III, cap. VI.

SICUT JURASTI, — sicut testificatus es, sicut certo et firmiter affirmasti : nec enim hoc proprie jurasse legitur Deus, sed tantum dixisse, *Exodi* cap. XXXIV, 6. Dei enim dicere, est virtute et implicite jurare : quia jurare non est aliud, quam Deum, qui infallibilis et prima est veritas, in testem vocare. Hæc autem prima veritas loquitur, cum Deus loquitur : cum ergo loquitur Deus, tunc ipse reipsa dictis suis testimonium perhibet, itaque se quasi in testem vocat, et consequenter implicite jurat, quia verborum suorum testis

Dei dicere est jurare.

(1) Vers. 13-14. *Tum vero audient Ægyptii, te virtute tua hunc populum ex ipsorum finibus eduxisse,* 14, *et dicent habitatoribus hujus terræ, se audivisse, te Jovam in hoc populo versari...* 15. *Quod si igitur hunc populum ad unum omnes interfeceris, dicent,* etc. Ita ex hebr. Maurer.

est, imo auctor et confirmator. Sic jurare sumitur pro constanter asseverare et promittere, *Psalm.* LXXXVIII, 4 : « Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum : » neque enim in libris *Regum* aut *Paral.* id jurasse legitur Deus, sed tantum promisisse Davidi; et *Psalm.* CXVIII, 106 : « Juravi, et (id est) statui, custodire judicia justitiæ tuæ. »

Jurare pro asseverare.

Vers. 18. 18. NULLUMQUE INNOXIUM DERELINQUENS, — *q. d.* Omnes homines noxii et peccatores et sunt, et censentur apud te : omnes ergo indigent tua misericordia. Posset *secundo*, innoxius hic, uti et *Exodi* XX, 7, significare impunitum, ut Hebræa littera hic, uti et alibi, duplicem habeat sensum litteralem, et priorem expresserit Interpres *Exodi* cap. XXXIV, vers. 6, posteriorem hic. Vide dicta *Exodi* XXXIV, 6.

QUI VISITAS PECCATA PATRUM IN FILIOS. — Non quod Moses hoc optet, cum contrarium postulet; sed quia Deus *Exodi* XXXIV, 6, hæc sibi epitheta dedit, iisque cum invocatur nominari voluit, idque ad premendum, humiliandum, et metu Dei percellendum durum Judæorum populum.

Vers. 21. 21. VIVO EGO (id est juro ego per vitam meam) : ET (quod) IMPLEBITUR GLORIA DOMINI UNIVERSA TERRA, — quod scilicet gloria Dei, quæ apparuit in mira et potenti eductione vestri ex Ægypto, et continua ejusdem gubernatione et protectione in deserto, dando scilicet manna perenne, atque perpetuam columnam itineris ducem; gloria, inquam, hæc Dei deinceps non minuetur, sed perseverabit vobiscum, usque ad ingressum terræ promissæ : itaque omnis terra hoc audiens glorificabit nomen meum, puta meam in promissis præstandis bonitatem, fidelitatem, fortitudinem, etc., quando nimirum hæc gloria, puta gloriosus hic meus ducatus, spargetur per universam terram.

Vers. 22. 22. ATTAMEN; — Hebraice est כִּי *ki*, id est quod, quia, quoniam. Unde Vatablus hæc jungit præcedentibus, hoc sensu, *q. d.* Implebitur gloria Domini universa terra, quæ est, vel potius erit, quod omnes hi, qui viderunt signa mea, et tamen murmurarunt contra me, morientur in deserto. Verum hæc non est gloria, id est, gloriosa Dei clementia et benevolentia in Hebræos, ut patet vers. 20, sed potius terror, et terribilis vindicta Dei. Melius ergo Noster vertit, *attamen*. Hebræum enim *ki* subinde adversative sumitur, et est nota exceptionis, uti probat Forsterus in *Lexico Hebræo* (1).

QUI VIDERUNT MAJESTATEM MEAM, — non in se, sed per signa et portenta, quæ majestatis meæ indices et specula sunt.

Decies Hebræi tentarunt Deum in deserto.

ET TENTAVERUNT ME JAM PER DECEM VICES. — Rabbini has decem Hebræorum tentationes Dei sic enumerant, ut *prima* fuerit ad mare Rubrum, instante eis Pharaone, *Exodi* XIV, 11; *secunda* fuerit in Mara, ob inopiam aquæ, *Exodi* XV, 24; *tertia*, in Sin, deficiente cibo, *Exodi* XVI, 3; *quarta*, cum contra præceptum Dei asservarunt manna in crastinum, ibid. vers. 20; *quinta*, cum manna quæsierunt in sabbato, contra jussum Domini, ibidem versu 27; *sexta*, cum in siti petierunt aquam in Raphidim, *Exodi* XVII, 2; *septima*, in Horeb, cum vitulum aureum conflarunt, *Exodi* XXXII, 4; *octava*, cum murmurarunt ob laborem itineris, *Numer.* XI, 1; *nona*, cum flagitarunt carnes et delicias Ægypti in Sepulcris concupiscentiæ, ibidem vers. 4; *decima* hic, cum murmurarunt ob relationem exploratorum. Verum facilius et planius dici potest hunc esse modum loquendi Scripturæ familiarem, ut ponat numerum certum pro incerto, *q. d. Decem vicibus*, id est sæpius, jam murmuravit hic populus.

Vers. 24. 24. SERVUM MEUM CALEB, QUI PLENUS ALIO SPIRITU, — bono scilicet obedientiæ, magnanimitatis, fidei et spei, ad sperandum terram promissam, et ad confidendum bonitati et potentiæ Dei, eam promittentis; cum alii pleni essent spiritu malo inobedientiæ, pusillanimitatis, infidelitatis et desperationis.

SECUTUS EST ME. — Hebraice, *implevit post me*, id est plene me est secutus, dum meis promissis per omnia credidit et confisus est, atque magnitudinem potentiæ meæ ad delendum Chananæos, et ad Hebræos in Chanaan inducendum, contra alios omnes asseruit et propugnavit. Hisce enim actibus fidei, spei et charitatis colimus et sequimur Deum, teste S. Augustino.

Vers. 25. 25. QUONIAM AMALECITES ET CHANANÆUS HABITANT IN VALLIBUS, CRAS MOVETE CASTRA, ET REVERTIMINI. — Jam ante, *Exodi* XVII, incurrerant Hebræi in Amalecitas : sed quia terra Amalec secundum longitudinem extenditur a terra Chanaan, versus mare Rubrum, hinc ex Ægypto proficiscentes in Chanaan Hebræi, sæpius in Amalecitas, vel potius Amalecitæ in Hebræos incurrerunt; Chananæus autem populus, qui hic vocatur, non erat ex gentibus habitantibus in Chanaan, sed alius ab iis erat, habitans majori parte in vallibus, juxta desertum, in quo castrametabantur Hebræi, cujus rex fuit Arad, cum quo pugnarunt in deserto Hebræi, ut patebit cap. XXI, 1. Jubet autem hic Deus ut Hebræi propter Amalecitas et Chananæos recedant, eo quod ipsi invasuri essent Hebræos, ac superaturi eos, utpote ope Dei indignos, ac proinde ruituros coram hostibus suis : id ita evenisse patet vers. 45.

ET REVERTIMINI IN SOLITUDINEM PER VIAM MARIS RUBRI. — Pervenerant jam Hebræi in Rethma et Cades, atque vicini erant terræ promissæ, tantumque inter eam et ipsos intererant montes Idumææ. Verum quia Dominus ipsos pro murmure puniens, per quadraginta annos vagari, et mori volebat in deserto, hinc jubet eos redire ad soli-

(1) Maurer cum multis, *ita ego vivam, et majestas Jovæ se impleat per universam terram*, 22, *uti nullus hominum*..... 23, *terram videbit*, etc.

tudinem, per viam quæ alio itinere duceret ipsos rursum ad mare Rubrum : unde trigesima secunda mansione venerunt tandem in Asiongaber, ad mare Rubrum. Graphice hæc in suis tabulis describit, et ob oculos ponit Adrichomius.

Solitudo hæc, uti superius dixi, vastissima erat, invia, inaquosa, sterilis, inarabilis, aspera, prærupta, torrida, obsitaque sabulo profundo, tenaci et lubrico : in hac pro sua pœnitentia, ob murmur a Deo inflicta, vagati sunt Hebræi per 38 annos.

Murmuris acris pœna. Vide hic quid mereatur murmur et rebellio, quamque Deo displiceat; ac time ne, sicuti tot centena Hebræorum millia, ob murmur unicum, exclusa sunt terra promissa, perieruntque ac sepulta sunt in hoc deserto : ita pariter et tu, si murmures, et inobediens sis Deo ejusque vicariis, cœlo excludaris, ac sepeliaris in gehenna (1).

Vers. 29 et 30. 29 et 30. OMNES QUI NUMERATI ESTIS (cap. I, vers. 2) A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, ET MURMURASTIS CONTRA ME, NON INTRABITIS TERRAM. — Hinc patet omnes numeratos, scilicet eos qui erant 20 annorum et supra, murmurasse, ideoque omnes hic morte in deserto plectuntur. Ita Abulensis. Hac sententia non comprehenduntur Levitæ, et mulieres, item pueri, qui necdum erant viginti annorum. Hi enim non fuerunt numerati, ut patet cap. I, vers. 2, et cap. II, vers. 33; hi ergo hac sententia et pœna non plectuntur, ac potuerunt ingredi terram promissam. Levitas etiam non murmurasse cum reliquis colligunt aliqui, ex eo quod nullus ex illa tribu missus sit explorator : ita Andreas Masius, *Josue* cap. ult., vers. 4. Ubi tamen nota : præter hosce numeratos, omnes alii, sive feminæ, sive masculi minores viginti annis, qui murmuraverunt, mortui sunt in deserto, æque ac numerati hi : hoc est enim quod dicitur vers. 23 : « Nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. » Ita Abulensis. Lex tamen hæc tantum fertur in masculos, qui erant 20 annorum et supra : quia hos solos sententia hæc generalis designare et determinare poterat.

Omnes murmurantes, etiam minores 20 annis, mortui sunt in deserto.

Porro hæc sententia intelligitur de illis, qui erant viginti annorum, non cum lata est hæc sententia, sed cum facta est numeratio cap. I, vers. 2 : hoc enim significat τὸ *numerati;* ita Abulensis. Denique hi omnes ad mortem temporalem damnati fuere, non ad æternam; imo præsenti redemerunt æternam, quicumque pœnitentes in gratia obierunt in deserto, uti patet de Mose et Aarone, qui exclusi sunt a Chanaan, sed aliam ob causam, de qua cap. XX.

Vers. 30. 30. SUPER QUAM LEVAVI MANUM,— id est pro qua, quasi elata in altum manu, juravi quod eam vobis darem, *Genes.* XV, 18.

(1) Vers. 27. Maurer commodissime ex hebr. vertit, *usquequo cœtui illi* (quæ vis latet in articulo) erit *malitia ista* (substantivum, ut *Osee* X, 15), *qua illi contra me fremunt?* Quam interpretationem ea quæ sequuntur quasi sponte suppeditant.

PRÆTER CALEB FILIUM JEPHONE, ET JOSUE FILIUM NUN. — Hi duo ergo, soli ex tot centenis armatorum millibus, ingressi sunt Chanaan, quia Deum secuti sunt.

Tropologice. Tropologice S. Gregorius in *Psalmo* VII pœnitentiæ, in expositione quinti versiculi, in fine : Nullus, inquit, ad cœlum veniet, « nisi prius per amorem spiritus, in novitate vitæ didicerit ambulare. Duo viri, Caleb videlicet et Josue, caput et corpus designant, Christum scilicet et Ecclesiam, qui soli ingrediuntur illam terram viventium. » *Caleb* enim hebraice significat *omne cor*, ait Procopius. *Jephone* significat *conversionem, Jesus Salvatorem;* qui enim integrum erga Deum cor habent, filii conversionis sunt, per cohabitantem illis Jesum.

Paucitas salvandorum mira. Allegorice, sicut ex tot centenis millibus soli Josue et Caleb ingressi sunt terram promissam, ita ex tot centenis hominum millibus pauci salvantur, euntque ad cœlum.

Cum D. Bernardus Abbas Clarevallensis ex hac vita migrasset, quod contigit anno Domini 1153, indictione 1, XII Calend. septembris, anno ætatis suæ 64, horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus, ante aliquot annos, cum esset Decanus dives et nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quem cum de statu suo et divini judicii districtione interrogasset, ille respondit : « Ea hora, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clarevallensis Abbas, qui eadem hora obiit, una mecum ad cœlos evolavit, tres alii ad Purgatorium missi sunt, cæteri omnes per sententiam justi judicis condemnati, ad infernum perpetuo cruciandi descenderunt. » S. Simeon, et ex eo S. Nilus Abbas apud Baronium, tom. X, anno Christi 976, asserunt ex decem millibus vix unam animam salvari.

Ex annalibus Franciscanorum refert noster Platus, lib. I *De Bono status Religiosi*, cap. V, Franciscanum quemdam nomine Bertoldum, concionatorem insignem, vi et spiritu dicendi mulierem peccatricem eo contritionis adegisse, ut in concione mortua conciderit; hæc postea precibus ejus resuscitata, dixit : « Cum apparui ad Dei tribunal, adducta sunt eo sexaginta animarum millia, quæ toto orbe e vita excesserant, atque ex his tres tantum addictæ fuerunt Purgatorio, reliquæ omnes ad ignem æternum damnatæ; » unum autem ex Franciscanis Fratribus eodem quoque temporis articulo defunctum, per Purgatorii quidem locum transisse asseruit, sed tamen ibi non modo diutius non commoratum, verum etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitia conjunctæ fuerant, secum in cœlum abduxisse. Quam densi ergo flocci nivis in hieme cadunt ex aere, tam densa hominum turba quo-

tidie descendit ad tartara. O res miranda! o hominum stupor! Quis hæc legens non expavescat? quis toto corpore non contremiscat? quis non decernat sancte et pie vivere, suæque saluti consulere, et assecurare sibi, quoad potest, cœli aditum? præsertim cum audit illud Christi : « Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » *Matth.* VII, 13; et iterum : « Multi sunt vocati, pauci vero electi; » hoc cogita, hoc recogita, hoc assidue meditare.

Vers. 33. 33. FILII VESTRI ERUNT VAGI (1) IN DESERTO ANNIS QUADRAGINTA. — Noxiorum parentum innoxii filii, pro peccato et noxa parentum, hic puniuntur quasi exilio quadraginta annorum. Verum hæc parvulorum non tam pœna fuit, quam commodum : serviebat enim *primo*, ad hoc, ut interim ipsi crescerent ad justam ætatem et robur, quo cum Chananæis confligere possent; *secundo*, ut interim crescerent numero, quo parentibus morituris succedere, et Chananæam replere possent. Ita Abulensis.

ANNIS QUADRAGINTA. — Nota *primo* : Ab egressu Hebræorum ex Ægypto usque ad ingressum in Chanaan, fluxerunt non 42 anni, uti habent Septuaginta, *Josue* V, 6, et ex iis S. Augustinus, sed 40 tantum, ut patet *Josue* III, 6, in Hebræo, Chaldæo et Latino textu. Idque rursum omnino convincitur ex *Exodi* VII, 7, collato cum *Num.* XXXIII, 38, et *Deut.* cap. ult. 7; imo hi 40 anni non omnino integri fuerunt. Nam Hebræi egressi sunt ex Ægypto 15 die mensis primi, ut patet *Numer.* XXXIII, 3. Transierunt autem Jordanem, et ingressi sunt Chanaan, decima die mensis primi anni quadragesimi primi ab egressu, ut patet *Josue* IV, 19 : ergo desunt 5 dies ad explendum 40 annos.

Hebræi vagati sunt per 40, non 42 annos. Unde nota *secundo* : Ab hoc murmure errarunt Hebræi per desertum, tantum triginta octo annos cum medio, aut circiter. Nam hæc exploratio, ob quam murmurarunt, contigit anno secundo ab egressu, in junio, uti dixi cap. XIII, vers. 21.

Dices : Quomodo ergo hic non 38, nec 39, sed 40 anni numerantur? Respondent aliqui hos annos computandos esse ab egressu ex Ægypto. Verum dico eos computandos esse a missis exploratoribus, et murmure hoc, uti satis liquet hoc loco, et *Psal.* XCIV, 10 : inde enim fuerunt 38 anni completi, et 39 inchoati, qui more Scripturæ vocantur 40, quia Scriptura solet numerum perfectum exprimere, etiamsi a parte rei paulo major vel minor sit numerus. Sic vocantur 70 discipuli Christi, cum fuerint 72. Vide Riberam in *Amos* V, num. 64.

Adde fuisse præcise 40 annos saltem inchoatos, si annum non sacrum, sed profanum accipias, qui incipiebat a Tisri, id est, a septembri. Nam fuerunt 38 anni completi, cum septem vel octo mensibus. Jam hi menses fracti sunt : primi enim duo præcedebant Tisri primi anni; murmur enim hoc factum est in julio, puta quadragesimo die a missis exploratoribus : hi autem missi sunt in junio; unde duo primi menses usque ad Tisri pertinent ad primum annum, eumque in hac numeratione constituunt : inde ab uno Tisri ad alium, continuo fluxerunt 38 anni integri. Rursum post hos 38 annos, fluxerunt a Tisri ultimo usque martium, quo ingressi sunt Chanaan, sex menses, qui ad novum annum, puta quadragesimum pertinent : ita ergo 40 anni fuerunt, sed fracti tam in principio, quam in fine, juxta computum anni communis sive profani.

R. Salomon fingit omnes in deserto fuisse mortuos anno vitæ 60. R. Salomon hos 40 annos præfixos esse putat, ad ætatem eorum, qui morituri erant in deserto, complendam. Censet enim ipse neminem ex eis mortuum esse ante annum ætatis sexagesimum, ita ut qui citius compleverat annum sexagesimum, citius moreretur : ideoque hic præfigi annos 40, ut illi qui exierant de Ægypto anno ætatis vigesimo, morerentur anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto (et iste erat eis sexagesimus annus), scilicet paulo antequam alii juniores ingrederentur in Chanaan. Sed hæc ipsius de more sunt figmenta, quæ nullo fundamento nituntur : unde hæc multis refellit Abulensis.

ET PORTABUNT FORNICATIONEM VESTRAM, — *q. d.* Portabunt filii pœnam fornicationis vestræ, id est, prævaricationis, ac declinationis a Deo et lege Dei. Sicut enim mulier, a marito devians ad adulterum, fornicari dicitur : ita fornicatur et anima, si a Deo et lege Dei, cui jure plusquam maritali obstringitur, deviet, præsertim si id fiat per idololatriam. Idolum enim est quasi alius maritus, ideoque quasi adulter animæ. Similis phrasis est cap. seq. vers. 39.

34. INIQUITATES, — pœnam iniquitatum. Vers. 34.

ANNUS PRO DIE IMPUTABITUR, — computabitur, *q. d.* Sicut 40 diebus morati sunt exploratores in Chanaan, eam lustrando, ita proportionaliter manebitis, vos Hebræi, 40 annis in deserto, quia ipsi vos murmurare fecerunt : esto non omnibus istis 40 diebus ipsi murmuraverint, aut peccarint. Est enim hæc proportio in numero 40, non dierum culpæ ad annos pœnæ, sed est congruitas quædam numeri dantis occasionem culpæ ad numerum infligentem pœnam; ita Abulensis.

Moraliter. Moraliter Glossa ex Origene : « Timeo, ait, hoc mysterium discutere; video enim quod in hoc comprehenditur ratio peccatorum et pœnarum : si enim cuique peccatori adscribitur annus ad pœnam, pro unius diei peccato, vereor ne forte nobis, qui quotidie peccamus, nec ipsa forte sæcula sæculorum sufficere possint ad pœnas luendas. »

Vers. 36 et 37. 36 et 37. IGITUR OMNES VIRI, etc., QUI REVERSI MURMURARE FECERANT MULTITUDINEM, etc., MORTUI

(1) Pro *vagi* hebr. est *pascentes*, Nomadum more in desertis.

SUNT ATQUE PERCUSSI IN CONSPECTU DOMINI. — Omnes exploratores, præter Josue et Caleb, subita morte puniti fuerunt, *coram Domino*, id est, sententia a Deo in eos lata et plaga ab eo in ipsos immissa, ut omnes viderent judicium et vindictam Dei super illos. Aliqui asserunt pestem in eos immissam esse. R. Salomon ait quod linguæ eorum, quibus detraxerant terræ promissæ, inflatæ fuerint, et venenum stillarint, ipsique subito mortui sint. An id ita contigerit, an vero alia plaga percussi sint, novit Deus. Historia hæc respondet comminationi, eaque de causa per anticipationem hic inseritur, antequam Moses minas Dei retulisset populo.

Exploratores subita morte puniti sunt.

Vers. 39. 39. LOCUTUSQUE EST MOYSES UNIVERSA VERBA HÆC AD OMNES FILIOS ISRAEL. — « Verba, » scilicet sententiam mortis a Deo latam in omnes murmuratores ab anno 20 et supra, vers. 29.

ET LUXIT POPULUS NIMIS, — valde, mirum in modum, tum ob sententiam hanc mortis in se latam, tum ob mortem miserabilem exploratorum, quam oculis conspexerant.

Vers. 40. 40. ET ECCE MANE PRIMO SURGENTES, ASCENDERUNT VERTICEM MONTIS — Idumææ, ut sic statim penetrarent in Chanaan. Ecce stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt : Hebræi ante aversi a Chanaan, jam in eam præcipites ruunt sine consilio, nutu et ope Dei, ideoque utrobique inobedientes, utrobique mulctantur et cæduntur.

Appositum apologum narrat Cleobulus apud Plutarchum in *Convivio septem sapientum* : Luna, ait, a matre petiit ut sibi tunicam congruentem texeret. Cui mater : Quomodo id possim, cum jam te plenam, jam semiplenam, jam corniculatam videam? Sic homini fatuo et vitioso nulla est mensura : stultus enim ut luna mutatur : nunc animosissimus est, nunc timidissimus ; nunc paret, nunc rebellat.

Vere dixit Valerius Maximus, lib. I : « Ducis in consilio posita est virtus militum. » Et Archidamus videns filium suum nimis temere contra Athenienses pugnantem : « Aut vires, ait, tibi sunt augendæ, aut minuenda audacia. » Et Phocion pugnaturus contra Macedones, cum multi juvenes accurrentes suaderent ei ut in colle castra collocaret : « O Hercules, ait, quam multos duces, milites vero perpaucos! » notans juvenilem temeritatem, quæ duci præire conaretur, cum militis sit non dare consilium, sed exequi ; testis Plutarchus in *Apophtheg.*

Apud Macedones injussu ducis arma capere ; in ordines ire, aut hostes invadere, lege militari severe cavebatur, ait Alexander ab Alexandro, lib. III, cap. XX. Philippus rex Archidamum morte mulctavit, quod cum eum perseverare cum armis jussisset, ille deposuisset ; testis est Ælianus, lib. XIV. Sub Lysandro classis Lacedæmoniorum præfecto, Dercyllides accusatus quod ordines non servasset, ignominiæ causa stare jussus est scutum præ se ferens. Hæc enim non servati ordinis pœna est, inquit Xenophon.

PARATI SUMUS ASCENDERE AD LOCUM, DE QUO DOMINUS LOCUTUS EST, QUIA PECCAVIMUS. — Quasi dicant : Fuimus inobedientes Domino, jam facti nos pœnitet, cupimus obedire Deo, nec cogitare de reditu in Ægyptum, sed statim per montes pervadere in terram promissam. Verum rursum peccant inobedientia : jusserat enim Dominus ut reverterentur per viam maris Rubri (1).

Vers. 44. 44. AT ILLI CONTENEBRATI (excæcati (2) inobedientia et cupiditate penetrandi in Chanaan, nolentes acquiescere judicio Mosis) ASCENDERUNT IN VERTICEM MONTIS, — in quo habitabant Chananæi et Amalecitæ, qui invadentes Hebræos ceciderunt. Facile enim erat eis alto loco positis, Hebræos ægre ascendentes dejicere et deturbare. Hinc prudentes belli duces captant et præoccupant loca edita, item secundum ventum, solem et pulverem. Hoc faciebat C. Marius insignis dux Romanorum, qui Cimbros devicit : unde cum Popidius Silo hostium dux Mario significaret : « Si es, o Mari, magnus Imperator, veni, et prælio decerne ; » respondit Marius : « Imo si tu es magnus Imperator, coge me invitum decertare. » Ita Plutarchus in *Mario.*

Vers. 45. 45. PERSECUTUS EST EOS USQUE HORMA. — Est prolepsis : *Horma* enim, id est *anathema*, vocatur hic terra, quæ postea a strage ibi edita ab Hebræis, vocata est Horma, *Num.* cap, XXI, 3 ; *Horma* ergo significat hic terminum, et limites terræ, postea percussæ ab Hebræis. Ita Abulensis. Alii putant hoc Horma alium esse locum, qui æque ut ille cap. XXI, vers. 3, dictus sit Horma, a clade hac et anathemate Hebræorum.

(1) Vers. 43. Pro *eo quod*, Maurer vertit, *nam idcirco*, scil. ut hostium gladio interfecti caderetis, *a Jova*, etc., effectu posito pro causa, ut *Gen.* XVIII, 5 ; XIX, 8.

(2) Melius, *et temere ascenderunt.* עפל *tumuit*, hinc in hiph. *arroganter, confidenter, temere egit.* Adverbialiter sumitur. Vulgatus יעפילו pro יאפילו cepisse videtur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Statuitur certa mensura libaminum singulis hostiis. Secundo, fertur lex de dandis primitiis panum, messis et uvarum, vers. 18. *Tertio, colligens ligna in sabbato jubetur lapidari, vers.* 32. *Quarto, jubet Deus ut Hebræi gestent fimbrias, quæ eos semper admoneant legis Dei, vers.* 37.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, 3. et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus: 4. offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin: 5. et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos 6. et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin: 7. et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino. 8. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas, 9. dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: 10. et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino. 11. Sic facies 12. per singulos boves et arietes et agnos et hœdos. 13. Tam indigenæ quam peregrini 14. eodem ritu offerent sacrificia. 15. Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terræ. 16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 17. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: 18. Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, 19. et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino 20. de cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis, 21. ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino. 22. Quod, si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, 23. et mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit jubere et ultra, 24. oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato: 25. et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se et pro peccato atque errore suo; 26. et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, et advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. 27. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: 28. et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi. 29. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes. 30. Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniam adversus Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo: 31. verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam. 32. Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, 33. obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini. 34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. 35. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. 36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, et mortuus est sicut præceperat Dominus. 37. Dixit quo-

que Dominus ad Moysen : 38. Loquere filiis Israel, et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : 39. quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes, 40. sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo. 41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem Deus vester.

Vers. 2, 3 et 4.

2, 3 et 4. CUM FECERITIS OBLATIONEM DOMINO IN HOLOCAUSTUM, AUT VICTIMAM (pacificam, etc.), OFFERET QUICUMQUE IMMOLAVERIT VICTIMAM, SACRIFICIUM SIMILÆ. — Hinc et ex aliis locis patet libamina tantum addi solere in holocausto et victima pacifica, non vero in victima pro peccato, eo quod in ea nullæ carnes Deo adolerentur. Libamina enim tantum addebantur carnibus, tanquam condimenta earum, utpote quæ erant instar cibi et convivii Dei, quod per talia condiri solet. Excipe tamen libamina hostiæ pro peccato in mundatione leprosorum, de quibus *Levit.* XIV, 11, ubi nota : Libamina erant tanquam appendices, vel condimenta sacrificii, erantque quinque, scilicet primo, simila; secundo, oleum; tertio, vinum; quarto, sal; quinto, thus; sed quia sal et thus modica erant, hinc certa eorum mensura hic non præscribitur, cæterorum autem trium præscribitur.

Libamina erant quinque.

Quando lex de libaminibus sit lata?

Nota *secundo* : Olei et vini in libando, semper eadem mensura statuitur.

Quæres, quoto anno post egressum ex Ægypto, et in quota mansione lata sit hæc lex, et aliæ quæ intexuntur hoc cap. et seq. usque ad cap. XX?

Respondeo : Id incertum est. Nam Moses præterit hic septemdecim mansiones : ultima enim, cujus meminit cap. præced., fuit decima quinta in Rethma; cap. vero 20, vers. 1, narrat eos venisse in Cades, ubi fuit trigesima tertia mansio : reliquas ergo medias, puta septemdecim, silet et præterit. Verisimile tamen est omnia hæc secundo anno egressus ex Ægypto esse dicta et facta. Nam cinere vitulæ rufæ, de quo cap. XIX, non diu caruisse videntur, ob crebras purificationes hoc cinere necessario faciendas, post institutas in Sinai cæremonias, sacrificia, et sacerdotes.

Vers. 3.

3. ADOLENTES ODOREM SUAVITATIS. — cremantes, scilicet victimam; quæ crematio erat in odorem suavitatis, id est Deo erat accepta et grata, uti nobis gratus est odor aliquis suavissimus, v. g. thuris, rosæ, musci, etc.

DE BOBUS SIVE DE OVIBUS, — aut hircis, sive hædis, ut patet vers. 11.

Vers. 4.

4. QUICUMQUE IMMOLAVERIT VICTIMAM, — quicumque obtulerit victimam immolandam. Laici enim offerebant tantum victimas, non autem immolabant : hoc enim erat sacerdotum.

Vers. 5.

5. ET VINUM AD LIBA (id est libamina) FUNDENDA. — Unde Hebraice est, *et vinum ad libationem.* Ita et Chaldæus et Septuaginta.

Nota : Modus et ritus libationis erat hic, uti recte annotavit Abulensis : laicus offerens victimam et libamina, domi suæ in farinam, victimæ suæ præscriptam, superfundebat oleum, idque ea mensura, quæ hic præcipitur, scilicet pro una decima, sive pro uno gomor similæ, fundebat quartam partem mensuræ hin : pro duabus decimis fundebat tertiam partem hin : pro tribus, medietatem hin. Hin erat mensura continens duodecim sextarios Hebræos, sive scyphos, tredecim unciarum aquæ, aut vini, ut ostendam in fine operis. Farina ergo hæc, libanda Deo, non poterat misceri aqua : sic enim habita fuisset immunda, et inepta sacrificio, uti docet Abulensis in cap. XXVIII *Num.* Quæst. XXIII, sed oleo miscenda erat. Deinde farinam ita commixtam afferebat offerens ad Sanctuarium, una cum vini mensura hic præscripta, tradebatque ea sacerdoti, qui ea accipiens, effundebat vini partem in victimam cremandam, uti colligitur vers. 5, et cap. XXVIII, vers. 14; atque ex simila tollebat pugillum, quem cremabat super altare : reliquam vero similam et vinum in suos usus servabat. Libamenta enim semper maxima ex parte cedebant sacerdoti, etiam in holocaustis.

Ritus libandi.

Ritus ergo sacrificandi et libandi erat hic : sacerdos victimæ carnes, vel adipem, si is solus cremandus erat, imponebat altari; deinde ex simila, quæ sale et certa mensura olei commixta et condita erat, tollebat pugillum, eumque victimæ cremandæ imponebat; simulque non super similam tantum, sed et super ipsam victimam, vini portionem hic præscriptam effundebat; denique thus victimæ imponebat, ac mox subjectis lignis ignem excitabat, eoque victimam cum libaminibus Deo adolebat et concremabat.

Ritus plenus sacrificii.

PER AGNOS SINGULOS. — Hæc verba ad præcedentia, cum Bibliis regiis, (Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, referenda sunt, non ad sequentia. Cum agno enim una decima similæ, cum ariete vero duæ decimæ similæ erant offerendæ, uti sequitur.

Mensura libaminum.

Ubi nota : Quo majus erat pecus aut victima, eo majus dandum erat libamen. Nam cum agno (sub quo et hædum intellige) qui necdum excessisset annum, danda erat decima similæ, et quarta pars hin tam olei, quam vini; pro ariete vero, vel hirco dandæ erant duæ decimæ similæ, cum tertia parte hin olei et vini; denique pro vitulo, vel bove dandæ erant tres decimæ similæ, cum medietate hin olei et vini.

Hæc ita esse clare patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta. Ita Vatablus et Hebræi (1).

Anagogice. Anagogice Cyrillus, lib. XVI *De Adoratione in spir. et verit.* pag. 327 : Vinum, inquit, lætitiam, oleum hilaritatem designat, quæ in futura gloria inæqualiter admetietur Sanctis pro diversa mensura bonorum operum Deo oblatorum.

Tropologice. Pari modo tropologice, majori operi pio plus olei et vini, id est plus hilaritatis et devotionis, est dandum, quam minori.

Vers. 13. 13. PEREGRINI, — id est advenæ, puta proselyti conversi ad judaismum. Hic enim Hebraice vocatur גר *ger*, quod Noster nunc peregrinum vertit, nunc advenam, ut patet vers. 13, 14, 26, et alibi.

Vers. 14. 14. UNUM PRÆCEPTUM ERIT, ATQUE JUDICIUM (id est statutum, sive lex; hoc enim est Hebraice משפט *mispat*) TAM VOBIS QUAM ADVENIS (proselytis) TERRÆ (2).

Vers. 19. 19. SEPARABITIS PRIMITIAS DOMINO DE CIBIS, (id est de panibus) VESTRIS, — uti præcessit. Id clarius patebit vers. 20.

Vers. 20 et 21. 20 et 21. SICUT DE AREIS PRIMITIAS SEPARATIS : ITA ET DE PULMENTIS DABITIS PRIMITIVA DOMINO. —

Primitiarum lex. Sub *areis* intellige et torcularia. Sicut enim ex area primitias messis, ita ex vinea vel torculari primitias vindemiæ et uvarum in exitu anni, puta in festo Tabernaculorum, Deo offerre debebant.

Pulmenta sunt panes. Rursum primitiæ dandæ erant « de pulmentis, » id est de panibus. Ita Hebræa, Chaldæa et Septuaginta. Panes ergo hic vocantur *pulmenta*, quia prisci tam Romani, quam Hebræi pultibus pro pane utebantur; unde et Pultiphagi sunt dicti. Nam de aliis cibis omnibus, primitias quotidie dare Deo fuisset pene impossibile. Tantum ergo cum panem pinserent Hebræi, panem aliquem primitiarum dabant sacerdotibus, aut Levitis iis, qui in illorum urbe erant, vel qui ad primitias recipiendas a pontifice et sacerdotibus erant constituti.

Adhuc hodie Judæorum mulieres quoties pinsunt, *challa*, id est placentam aut tortellam, a reliqua pasta separant, et quasi Domino consecrant. Verum quia non habent amplius templum, nec sacerdotes, quibus illa dabatur, hinc eam in clibanum conjiciunt, atque comburunt : dicunt enim quod non liceat ea vesci; melius sane eam darent pauperibus. Porro formula benedictionis, qua utitur mulier in consecratione hujus placentæ, hæc est : « Benedictus sis tu, Domine Deus noster, rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, et præcepisti nobis separare placentam de pasta, » etc. De primitiis hisce plura dicam cap. XXVIII, vers. 12.

Pietas matronarum dantium panem primitiarum. Pie ergo, et juxta consilium, imo legem hanc Dei, faciunt matres familias Christianæ, quæ quoties panem pinsunt, toties panem unum in primitias Deo et pauperibus seponunt.

Vers. 22 et 24. 22 et 24. QUOD SI PER IGNORANTIAM PRÆTERIERITIS QUIDQUAM HORUM, etc. OBLITAQUE FUERIT FACERE MULTITUDO, OFFERET VITULUM DE ARMENTO HOLOCAUSTUM, etc., HIRCUMQUE PRO PECCATO. — Dices : *Levit.* IV, 13, præcipitur ut, si tota multitudo filiorum Israel peccet, offerat vitulum pro peccato, comburendum extra castra : quomodo ergo lex hic præcipit vitulum non pro peccato, sed in holocaustum, hircum vero pro peccato offerri?

Objectio.

Respondet Cajetanus. Respondet Cajetanus, Leviticum loqui de peccatis contra jus divinum naturale commissis, hanc vero legem loqui de peccatis contra jus Dei positivum commissis, ideoque aliam hic, aliam ibi victimam ad expiationem præscribi. Verum hoc non videtur verum : nam illa lex Levitici eodem cap. IV, loquens de victimis et peccatis, tam principis quam particularis cujusque, loquitur de quibuslibet eorum peccatis : ergo pariter cum loquitur de victimis et peccatis totius populi, de quibuslibet ejus peccatis loquitur.

Responsio Auctoris. Dico ergo aliam esse hanc legem ab illa Levitici : ac proinde præter vitulum pro peccato *Levit.* IV præceptum, hic juberi populo peccanti, ut insuper offerat alium vitulum in holocaustum, et hircum pro peccato. Ita Abulensis.

Nota : Hircus hic pro peccato non cremabatur extra castra (nil enim tale hic dicitur), uti vitulus ille *Levit.* IV, quia sanguis hujus hirci non inferebatur in Sanctum sanctorum, uti inferebatur sanguis illius vituli. Solus ergo adeps hujus hirci cedebat Deo, eique adolebatur, carnes vero cedebant sacerdoti : ita enim fiebat in aliis hostiis pro peccato, juxta legem *Levit.* VI, 26.

Vers. 24. 24. ET SACRIFICIUM EJUS, AC LIBA (*sacrificium*, farreum intellige : Hebraice enim est *mincha*; *liba* vero sunt libamina olei et vini, quæ cum vitulo et hirco offerri), UT CÆREMONIÆ (hic a me præscriptæ) POSTULANT.

Vers. 25. 25. QUONIAM NON SPONTE PECCAVERUNT. — Quia si sponte, et per superbiam contemnens præceptum Dei peccaret quis, hic culpam hanc non expiabat sacrificio, sed a judice, si res constaret; sin autem, a Deo puniebatur et occidebatur, ut patet vers. 31.

NIHILOMINUS OFFERENTES INCENSUM DOMINO,—*q. d.* Dimittetur eis peccatum, quia per ignorantiam commissum est; ita tamen ut nihilominus offerant « incensum, » id est, sacrificium sive victimam jam præscriptam, quæ Deo incendatur et adoleatur. Patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. Sic enim « incensum, » vel ut hebraice est, *ignitio*, sæpe in Levitico capitur, non pro thymiamate, sed pro sacrificio et victima animalium.

Incensum vocatur victima incensa

(1) Alii vertunt, *qualem numerum in his feceris, talem quoque numerum facies in illis, q. d.* Tot ferta et libamina afferetis, quot pecora sacrificabitis, ita ut nullum sacrificium fiat sine ferto et libamine.

(2) Priora versiculi 15 verba ex hebr. sunt ita vertenda, *quod ad cœtum* totum *attinet, unum idemque sit institutum omnibus.* Alii, nec male, הקהל pro vocativo habent, *o cœtus.*

Vers. 30. 30. QUONIAM ADVERSUS DOMINUM REBELLIS FUIT.— Septuaginta et Chald., *quoniam Dominum irritavit.*

Vers. 31. 31. PRÆCEPTUM FECIT IRRITUM, — non quoad obligationem præcepti, sed quoad ejus finem et usum, qui est obedire præcepto. Sic Hebræi sæpe dicunt : Irritam fecit legem, id est, legem transgressus est, violavit, illique inobediens fuit; talis enim quantum in se est, infringit, destruit et irritam facit ipsam legem.

Vers. 32. 32. FACTUM EST AUTEM, CUM, etc., INVENISSENT HOMINEM COLLIGENTEM LIGNA IN DIE SABBATI. — Hinc patet in deserto servatum fuisse sabbatum, etsi alia cæremonialia ibidem servata non sint : quia sabbatum, Dei voce in Sina, toti populo promulgatum erat, *Exodi* XX, 8. Servarunt ergo Hebræi in deserto sabbatum, quoad vacationem ab operibus, non autem quoad sacrificia, ut scilicet in sabbato offerrent duos agnos, unum mane, alterum vespere; nec enim post discessum e Sina sacrificarunt, nisi in Chanaan.

Sabbatum servarunt Hebræi in deserto.

Vers. 34. 34. NESCIENTES QUID SUPER EO FACERE DEBERENT. —Hebraice, כי לא פרש *ki lo paras,* id est, *quia non declaratum,* vel, ut Septuaginta, *decretum erat, quid fieret ei.* Licet enim *Exodi* XXXI, 14, pœna mortis lata esset in violantem sabbatum, tamen ignorabant Hebræi an pro tantillo opere, quale erat colligere ligna, morte aliquem plecti vellet Deus; et si id vellet, ignorabant quo genere mortis eum affici cuperet. Jubet ergo hic Deus eum lapidari. Vide hic quam rigide et severe præcepta et festa sua servari mandet Deus.

Puniti sunt violantes festa.

Gregorius Turonensis, lib. I *De Gloria Martyr.* cap. XV, narrat mulieris cujusdam Dominica pinsentis panem, manum protinus divino igne fuisse succensam.

Rodericus Toletanus, part. IV *Histor. Hispan.,* narrat Joannem Castellæ regem victoriosum, cum Dominica die ante prandium equitationi vacaret, ab equo cespitante dejectum et obtritum occubuisse, ut discamus diem festum dare Deo, non venationibus, aut vanis ludis. In Vita S. Austregisili Archiepiscopi Bituricensis, quæ exstat apud Surium 20 maii, cap. IX, narratur quod, cum molitor quidam nomine Monulphus, die Dominica molam reficeret, manubrium instrumenti ejus manui ita adhæserit, ut nullus id inde posset amovere. Prorupit etiam sanguis inter digitos, qui computrescens fœtore suo omnibus movebat nauseam. Sed hic a S. Austregisilo manum ejus tangente sanatus est. Eucherius in Vita S. Mauritii et sociorum Martyrum scribit aurifabrum quemdam Gentilem, quod Dominica die domi laboraret, a Thebæis Martyribus verberatum fuisse, eoque terrore Christianum affectum esse.

Vers. 38. Fimbriæ Hebræorum quales ? 38. DICES AD EOS UT FACIANT SIBI FIMBRIAS PER ANGULOS PALLIORUM.—Hebraice, *ut faciant sibi fimbrias ad alas,* id est, ad extremitatem *vestium,* puta extimarum, quæ pallia vocantur : in iis ergo jubentur Hebræi fimbrias filatim assuere, vel attexere, ut exstent eo modo, quo videmus fimbrias, vel fila reliqua exstare in extremitatibus telarum (1).

Hinc Pharisæi, teste Christo, *Matth.* XXIII, 5, ut viderentur religiosiores aliis; magnificabant hasce fimbrias : imo Christus ipse, more gentis suæ, gestavit has fimbrias, ut patet *Luc.* VIII, 44, ubi mulier hæmorrhoissa tetigisse dicitur fimbriam vestimenti Christi, et continuo sanata esse. Super has fimbrias inducebant Judæi, et extendebant circumcirca filum, vel tæniam, sive vittam hyacinthinam, idque tum distinctionis causa, ut hoc signo a Gentilibus dignoscerentur; tum pietatis ergo, ut scilicet hoc esset quasi mnemosynon mandatorum Dei.

Erant violaceæ, cur ?

Porro erant hæ fimbriæ ianthini, id est, violacei et cœlestis coloris, ut per hoc significaretur Judæorum conversationem et spem debere esse in cœlo, ut cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem et præsentiam semper ob oculos haberent; hoc enim est quod sequitur : « Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini. »

Judæorum *zizioth.*

Judæi, adhuc hoc tempore, in synagogis suis hac cæremonia utuntur. Habent enim inter cæteras vestes unam similem thoraci, nisi quod manicis careat, qua utuntur quotidie in precibus suis, eamque induunt super omnes alias vestes, illamque vocant ארבע כנפות *arba canphot,* id est, quadrangulum; habet enim quatuor alas vel angulos, in quibus pendent *zizioth,* id est, fila illa retorta, sive fimbriæ, quæ ipsi vulgo *zotten* nuncupant, dicuntque eas peculiarem habere vim contra malam concupiscentiam, idque ex eo quod hic subditur : « Nec sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes. » Quare qui inter eos religiosiores vel potius superstitiosiores sunt, hac veste fimbriata semper induuntur sub aliis vestibus, inquit Oleaster et alii. Addit S. Hieronymus in cap. XXIII *Matthæi,* Judæos fimbriis hisce inseruisse acutissimas spinas, ut ambulantes, per earum puncturam legis divinæ semper admonerentur. Quid jam faciant Christiani? quomodo satagent, ut lex Dei eorum oculis jugiter observetur (2) ?

Et spinæ.

Vers. 39. 39. NEC SEQUANTUR COGITATIONES SUAS ET OCULOS, PER RES VARIAS FORNICANTES. — Hebraice, *ne exploretis,* vel *aspiciatis,* aut *investigetis post cor vestrum, et post oculos vestros, post quos vos fornicamini, q. d.* Gerite has fimbrias, ut iis admoniti legis Dei, non sequamini cogitationes, et, ut Chaldæus vertit, תירהור *hirhur,* id est, curiositatem impiam cordis vestri, et concupiscentiam oculorum vestrorum, quos sequentes aberratis a præceptis Dei, et tanquam fornicarii alieno rerum concupitarum amore et peccatis vos polluitis, ait Vatablus.

(1) *Fimbrias,* gall. *houppes.*

(2) Vers. 39. Hebr. est, *et erit vobis ad adspectum,* seu *adspiciendum, et videndum eas.* Verbum ציץ et *prosviciendi* significatum obtinuisse patet e *Cant.* II. 9.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Core, Dathan, Abiron et Hon rebellant Mosi, ambiuntque sacerdotium cum aliis 250. *Unde ipsi vivi a terra absorbentur; socii vero eorum* 250 *thurificantes igne divino afflantur. Hinc, vers.* 41, *murmurat populus : unde Deus ex eo* 14700 *igne consumit; ignem grassantem oratione sua cohibet Aaron.*

1. Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, 2. surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. 3. Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron, dixerunt : Sufciat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini? 4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem; 5. locutusque ad Core et ad omnem multitudinem : Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi; et quos elegerit, appropinquabunt ei. 6. Hoc igitur facite : Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum : 7. et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino ; et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus : multum erigimini, filii Levi. 8. Dixitque rursum ad Core : Audite, filii Levi : 9. Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei? 10. Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis, 11. et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum? 12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt : Non venimus; 13. numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra, quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri? 14. Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum, an et oculos nostros vis eruere? non venimus. 15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum ; tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. 16. Dixitque ad Core : Tu, et omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. 17. Tollite, singuli, thuribula vestra; et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula : Aaron quoque teneat thuribulum suum. 18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron, 19. et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. 20. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron ait : 21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. 22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? 23. Et ait Dominus ad Moysen : 24. Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, et Dathan, et Abiron. 25. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron ; et sequentibus eum senioribus Israel, 26. dixit ad turbam : Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. 27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. 28. Et ait Moyses : In hoc scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. 29. Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et

cæteri visitari solent, non misit me Dominus : 30. sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. 31. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum ; 32. et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum ; 33. descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. 34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens : Ne forte et nos terra deglutiat. 35. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat ; quoniam sanctificata sunt 38. in mortibus peccatorum : producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monimento filii Israel. 39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari : 40. ut haberent postea filii Israel quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen. 41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens : Vos interfecistis populum Domini. 42. Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret, 43. Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini. 44. Dixitque Dominus ad Moysen : 45. Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, 46. dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis : jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit. 47. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama ; 48. et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. 49. Fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum et septingenti, absque his qui perierant in seditione Core. 50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis, postquam quievit interitus.

Vers. 1. Core fuit consobrinus Mosis, ideoque ambivit sacerdotium.

1. ECCE AUTEM CORE FILIUS ISAAR, FILII CAATH, FILII LEVI. — Hinc patet Core fuisse consobrinum Mosis et Aaronis, adeoque Mosen et Core fuisse duorum fratrum, scilicet Amram et Isaar filios. Caath enim genuit Amram et Isaar, Amram genuit Mosen et Aaron : Isaar vero genuit Core, ut patet partim hic, partim *Exodi* VI, 18 (1).

Vers. 2.

2. SURREXERUNT CONTRA MOYSEN, — non tam ejus principatum ambientes, quam Aaronis sacerdotio invidentes, quasi illud inique a se, utpote primogenitis (primogenitis enim in lege naturæ competebat sacerdotium) ablatum esset, et in solum Aaronem a Mose fratre translatum ; maxime vero Core, qui erat primogenitus Isaar, ut patet *Exodi* VI, 21, et consobrinus Aaronis, invidit eum sibi præferri, eumque electum esse in sacerdotem, se vero tantum esse Levitam. Id patet ex vers. 10, ubi Moses eum ambitus sacerdotii arguit ; hinc et jussit litem hanc dirimi thuribulis, adolendo thymiama, quod utique sacerdotii erat.

Permisit Deus hoc Core murmur et seditionem, ut per eam Aaronis sacerdotium confirmaretur et illustraretur. Non enim potest fidelium et sacerdotum Dei gloria resplendere, nisi eam infidelium reprobatio et pœna commendet. Quare Core hic expressus fuit hæreticorum et pseudosacerdotum typus. Ita Origenes, *Rom.* IX.

Rebellio hæc contigit anno 2 ab exitu.

Hinc verisimile est hanc seditionem excitatam esse a Core, paulo post Aaronis consecrationem, scilicet eodem anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto ; id magis patebit cap. XX, vers. 1 (2).

(1) Hebr. est, *et sumpsit Core*. Sed quid sumpsit ? Id ad hunc locum supplere, mire sese exercuerunt interpretes. Rosenmullerus : *Et suscepit*, scil. hoc consilium..... *et insurrexerunt*, etc. Nec huic constructioni obstat, ut norunt omnes, quod verbum *suscepit* in singulari ponitur. Maurer, *et sumpsit secum Core, filius Isaar... Dathanem atque Abironem, filios Eliab* (דתן mendose pro דתן אח), etc., *et surrexerunt*, etc.

(2) Alii : Multum est vobis, nimium vobis arrogatis, quod vos soli adscribitis vobis et usurpastis honorem sacerdotii, quum tamen nos omnes sancti simus, etc.

Magnos invadit invidia.

Moraliter, hic discant ii qui in republica vel Ecclesia ad honores evehuntur, se multorum invidiæ et æmulationi objici, eamque modeste et generose ferant ac superent. Ita Scipio Africanus, Graccho cum suis contra eum clamante interficiendum esse tyrannum : « Merito, inquit, patriæ bellum facientes, me prius sublatum volunt. Roma enim Scipione incolumi cadere non potest, neque vivere Scipio Roma eversa. » Idem a duobus Petilliis de gravibus criminibus accusatus apud populum : « Hac ipsa, inquit, die Carthaginenses et Annibalem devici, itaque nunc coronatus ascendo ad Capitolium, rem ibi sacram facturus : qui volunt, de me ferant suffragia; » atque hæc locutus ascendit, sequente populo, destitutisque qui eum accusabant. Ita Plutarchus in ejus Vita. Nimirum alta petunt venti, feriuntque summos fulmina montes. Hinc suadebat Cato ut potentes parce sua potestate uterentur : sic enim eam diuturnam habituros, et invidiam vel evasuros, vel restincturos.

Vere dixit Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromatum* : « Quidquid est pulchrum sequitur momus, » id est, reprehensor, præsertim æmulus et invidus. Pulchrum Aaronis sacerdotium secutus est momus Core : pulchram Magdalenæ unctionem secutus est momus Judas, sed laudavit Christus. Viri zelosi et religiosi quot hodie habent momos? quot malignos censores? Quisquis aliquid pulchri et magni moliris, scito te secuturum momum : sed eum non cura, cum opus tuum laudat Christus. Cessabunt rodere momi; virtus tua et laus tua in theatro mundi totius celebrabitur, idque in æternum.

PER NOMINA. — Hebraice, *viri nominis*, id est, celebres, puta primores et senatores, qui ad consilium evocari solebant.

Vers. 3. 3. SUFFICIAT VOBIS, — ut privati vivatis, et vestra sorte singuli contenti sitis.

QUIA OMNIS MULTITUDO SANCTORUM EST, — quasi dicant : Omnis hic Hebræorum populus sanctus est, Deoque per veram fidem, religionem, cultum et pactum in Sina initum devinctus, et quasi consecratus, æque ac vos, o Moses et Aaron.

ET IN IPSIS EST DOMINUS. — *Primo*, pluens eis e cœlo manna; *secundo*, præiens iter in columna nubis; *tertio*, habitans cum eis in tabernaculo, quasi dicant : Totus hic populus est Dei, et Deus est in eo; non ergo vos, o Moses et Aaron, gerere debetis quasi reliquis sanctiores, Deoque conjunctiores sitis, ideoque velle eis præesse.

Ambitio est tumultuosa.

Moraliter, disce hic quam tumultuosa sibi et aliis sit ambitio. Præclare S. Paulinus, epist. *ad Romanianum* : « Blandum, inquit, nomen honos, sed mala servitus. » Et Philo, libro *De Joseph* : « Cogitet, ait, qui honorem affectat, tempestatem se affectare. » Et S. Gregorius, I part. *Pastoral.*, cap. IX : « Quid, inquit, est potestas culminis, nisi tempestas mentis? » et lib. XXXII *Moral.*, cap. XVII vel XIX : « Omne, ait, quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet. » Et S. Bernardus, lib. III *De Consid.* : « Ambitio, inquit, ambientium crux, nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat. » Et *epist.* 42 : « Meditantibus, ait, honores blandiuntur, sed onera pensantibus terrori sunt ac formidini. » Et serm. 6 in Psalm. *Qui habitat* : « Veritas, inquit, est, quæ sedula suggestione reducit in mentem quam sit in ambitu frivola consolatio, grave judicium, usus brevis, finis ignotus. » Recte enim ait Seneca : Ambitio scenam et theatrum quærit.

Merito ergo S. Augustinus asserit se inter honores et laudes tremere. Sic enim ait serm. 5 *De Verbis Domini* : « Laudes vestræ gravant nos potius, et in periculum mittunt. Toleramus illas, et tremimus inter illas. » Et *homil.* 50 : « Honor te quærere debet, non illum tu. » S. Hieronymus in *Vita S. Paulæ* : « Fugiendo, inquit, gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui fugiens, sequitur contemptores. » S. Chrysostomus, hom. 5 *in Genes.* : « Gloria, ait, humana, tunc multo uberius fruimur, quando eam despicimus. »

4. QUOD CUM AUDISSET MOYSES, CECIDIT PRONUS IN FACIEM, — humiliter deprecans Dominum ut seditionem hanc Core discuteret, atque in oratione responsum accepit, id quod sequitur : Vers. 4.

5. MANE (1) NOTUM FACIET DOMINUS, QUI AD SE PERTINEANT. — Ad hæc verba alludit Apostolus, I *Timoth.* II, 19, dicens : « Cognovit Dominus qui sunt ejus, » ut ibi dixi. Vers. 5.

ET SANCTOS APPLICABIT SIBI. — « Sanctos, » id est, a se sibi segregatos et electos ad sacerdotium; sic et infra vers. 7 et alibi, *sanctus* vocatur segregatus ad sacerdotium

7. PONITE THYMIAMA CORAM DOMINO, — coram Sancto sanctorum, in altari thymiamatis. Vers. 7.

IPSE ERIT SANCTUS. — « Sanctus, » id est, segregatus et electus a Deo ad sacerdotium, ut dixi vers. 5.

MULTUM ERIGIMINI, FILII LEVI. — Hebraice, *multum vobis*, scilicet sumitis et arrogatis, *q. d.* Tu, o Core Levita, cum tuis valde superbis, quia non tantum in me et in Aaron, sed in Deum, qui hæc ordinavit et constituit, insurgis.

9. NUM PARUM VOBIS EST, QUOD SEPARAVIT VOS DEUS, etc., UT SERVIRETIS EI? — Hebraice est *eis*; Chaldaice, *pro eis;* sed eodem hæc omnia redeunt : Core enim et cæteri Levitæ serviebant *ei*, id est Deo, pro *eis*, scilicet Israelitis. Vers. 9.

Nota hic quanta sit dignitas esse Clericum, esse Levitam, dedicari Dei cultui, servire tabernaculo. B. Thomas Morus hac re gaudebat et gloriabatur : nam in publica supplicatione ipse crucem sacerdoti præferebat, et vulgaris Clerici aut æditui munus obibat, serviebat sacerdoti sacrificanti, eique canenti ipse indutus superpellicium succinebat instar Custodis; cumque Dux Norfol-

(1) Scil. crastinæ diei.

ciæ casu superveniens diceret hoc eum dedecere, esseque præter ejus dignitatem (erat enim tunc Morus Angliæ Cancellarius) regique Henrico displicituram, respondit Morus : « Domino meo regi displicere non potest, quod ipsius regis Domino, Domino, inquam, dominantium, obsequium impendo. »

Vers. 11. 11. ET OMNIS GLOBUS TUUS (congregatio tua, gregales tui) STET CONTRA DOMINUM.

QUID EST ENIM AARON?— *q. d.* Quid fecit Aaron? nec enim ipse se ingessit sacerdotio, sed ad id a Deo vocatus est.

Vers. 12. 12. MISIT ERGO MOYSES, — scilicet legatum, ad absentes Dathan et Abiron, et etiam ad Hon; nam Core solus erat præsens Mosi.

NON VENIMUS, — nolumus venire.

Vers. 14. 14. REVERA INDUXISTI NOS IN TERRAM, QUÆ FLUIT RIVIS LACTIS ET MELLIS. — Est sarcasmus, quasi dicant : Hæccine in deserto est terra fluens lacte et melle, in quam tu, o Moses, nos ex Ægypto inducturum promisisti? Unde Biblia Romana legunt hæc sine interrogatione. Nam Hebræa et Chaldæa habent assertive : *Utique non induxisti nos in terram lactis et mellis.*

AN ET OCULOS NOSTROS VIS ERUERE? — Hebraice, *an oculos hominum horum*, qui videlicet nobiscum sunt, *vis eruere?* ut scilicet non videant tuas fraudes et imposturas, quasi dicant : Ideone vocas nos ad te, ut nobis perstringas, vel excæces oculos, ne videamus tuas technas, quibus per favorem Aaroni, utpote fratri tuo, sacerdotium, nobis ab eo exclusis, inique consignasti? sicut hactenus nobis per dulcia tua verba et promissa oculos perstrinxisti, nosque dementasti, ut te ex opulenta regione Ægypti, sequeremur in sterile et aridum hoc desertum. Aliqui sic interpretantur, quod effossio oculorum fuerit pœna inobedientiæ et rebellionis, *q. d.* Etiamsi nobis pro ista inobedientia et rebellione, quod ad te non venimus, oculos eruere velis, non tamen veniemus ad te.

Vers. 15. 15. IRATUSQUE MOYSES VALDE, AIT AD DOMINUM : NE RESPICIAS SACRIFICIA EORUM.—« Sacrificia » vocat thurificationes : nec enim victimas obtulerunt hi rebelles, sed tantum thymiama, ut patet ex sequenti.

TU SCIS QUOD NE ASELLUM QUIDEM UNQUAM ACCEPERIM AB EIS, — *q. d.* Vide ergo, Domine, quam inique me ambitus, tyrannidis et dominatus accusent.

Vers. 17. 17. TOLLITE SINGULI THURIBULA VESTRA; ET PONITE SUPER EA INCENSUM, OFFERENTES DOMINO DUCENTA QUINQUAGINTA THURIBULA. — Seditiosi proceres, socii Core, erant 250, ut patet vers. 2; totidem hic numerantur thuribula, quia singuli cum Aarone de sacerdotio contendebant, illudque sibi arrogabant. Hinc potius thurificatione, quam mactatione victimarum voluit Deus explorari et declarari suam in hac lite sententiam, quia pretiosa, longa et operosa fuisset 250 victimarum immolatio : thymiama vero et thuribula ad manum erant. Adde thure omnium gentium ritu coli Deum, et thurificationem esse facillimum, æque ac dignissimum Deo sacrificium.

Cur thurificatione explorantur sacerdotes ?

Nota : Hæc 250 thuribula non fuerunt accepta ex tabernaculo, et altari holocaustorum : hæc enim thuribula erant Dei, Mosis et Aaronis; non autem horum rebellium, contra Deum et Mosen certantium; sed quemque sibi suum ex ære, ut patet vers. 39, levi opere fecisse thuribulum, vel antea, cum ad sacerdotium aspirare, et inter se conspirare cœperunt, vel certe mox, ut Moses hanc eis facultatem dedit, edixitque ut quisque suum afferret thuribulum cum incenso. Ita Abulensis.

18. QUOD CUM FECISSENT — 250 proceres seditiosi, Vers. 18. non vero Core, Dathan, Abiron et Hon. Hi enim quatuor noluerunt venire ad Mosen, et ad tabernaculum, sed domi in suis tabernaculis manserunt ex superbia et contumacia : forte etiam, quia timebant ultionem Dei, quam viderant in Nadab et Abiu, quæque 250 eorum sociis thurificantibus postea obvenit, vers. 35.

19. ET COACERVASSENT (hi 250 proceres) ADVERSUM Vers. 19. EOS (eum Mosen) OMNEM MULTITUDINEM. — Hi enim 250 seditiosi convocarunt multitudinem populi contra Mosen, ut singuli viderent hoc experimentum sui sacerdotii, illique applauderent : non dubitabant enim quin facile et egregie thurificaturi essent. Atque hac de causa Dominus omnem multitudinem, quasi iis consentientem et applaudentem disperdere voluit, sed deprecante Mose illi pepercit, solique 250 proceres seditiosi perierunt.

Vide hic quam insipientes sint, qui vocatione sua non contenti, alienam invadunt, quamque sapienter dictum sit, et a sapientibus domorum epistyliis inscriptum :

> Tu (*clerice*) supplex ora : tu (*miles*) protege : tuque (*agricola*) labora.

Si enim suo gradu et officio contentus fuisset Core cum suis, mortem corporis et animæ non incurrisset. Prudenter Theopompus Pyliis, majores honores ipsi deferentibus, scripsit, « Mediocres honores tempore augeri, nimios aboleri. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

APPARUIT CUNCTIS GLORIA DOMINI, — scilicet mirifica lux, et fulgor radiantissimus in columna nubis, repræsentans Deum, Deique gloriam et majestatem.

20 et 21. LOCUTUSQUE DOMINUS AD MOYSEN ET Vers. 20 AARON AIT : SEPARAMINI DE MEDIO CONGREGATIONIS et 21. HUJUS, UT EOS REPENTE DISPERDAM. — Jubet hic Deus Mosen et Aaronem separari a toto populo, ut eum disperdat; unde patet populum applausisse rebellioni Core. Hinc Moses pro eo orat, dicens :

22. FORTISSIME DEUS SPIRITUUM UNIVERSÆ CARNIS, Vers. 22. NUM, UNO PECCANTE, CONTRA OMNES IRA TUA DESÆ-

VIET? — *q. d.* Tu, Domine, es Deus creator, conservator et gubernator omnium spirituum, qui in omnibus corporibus sunt, eosque contines, et medullitus penetras (1), ut scias eorum intima (simili enim phrasi et sensu ait Moses cap. XXVII, vers. 16 : « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc »). Cum ergo videas populum non peccasse rebellione, sed tantum Core cum suis; populum vero ab eo seductum, indirecte tantum peccasse; quia scilicet novitatis avidus, ad novum hoc thurificationis et concertationis spectaculum ex curiositate accurrit, et arrisit : hinc obsecro te ne, propter unum rebellem Core, universum populum non rebellem disperdas.

Vers. 23. et 24. 23 et 24. ET AIT DOMINUS AD MOYSEN : PRÆCIPE UNIVERSO POPULO, UT SEPARETUR A TABERNACULIS CORE, ET DATHAN, ET ABIRON, — intellige *et Hon*, quia hi quatuor erant capita seditionis, ut patet vers. 1, et alios 250 ad seditionem excitarant, hique noluerant venire ad Mosen et tabernaculum, ut ibi thymiama cum 250 sociis suis adolerent; manserunt ergo hi quatuor, singuli in suis tentoriis. Unde Moses ad eos ivit, eosque cum suis tabernaculis a terra absorberi fecit. Id magis patebit vers. 31.

Moraliter de magnanimitate Prælatorum, et suam dignitatem tueantur. Docet hic Moses Prælatos, ut suam dignitatem apud alios, etiam parentes et cognatos, tueantur. Narrat Plutarchus de Fabricio Romano, qui Pyrrhum devicit, quod, cum senex equo ad filium jam consulem contenderet, jusserit eum filius equo descendere et se consulem venerari; quem pater amplexus : « Recte, inquit, sapis, fili, sentiens quibus præsis, et quantam imperii majestatem adeptus sis. » S. Paulus monet Timotheum Episcopum Ephesinum, ne se patiatur contemni : sic enim ait *epist.* I, cap. IV, 12 : « Nemo adolescentiam tuam contemnat; » et Titum Episcopum Cretensem, cap. II, vers. 15 : « Nemo te contemnat. » Ita S. Paulus suam dignitatem contra obtrectatores defendit tota epist. II *ad Corinthios*.

Ita S. Carolus Borromæus, vir humillimus, maledicta in suam personam congesta ferebat et dissimulabat; sed cum tangeretur ejus dignitas et jurisdictio Ecclesiastica, eam intrepide contra reges et principes tuebatur, eosque excommunicabat, atque pro hac causa libens se mortem et martyrium cum S. Thoma Archiepiscopo Cantuariensi subiturum asserebat.

Ita Episcopalem potestatem contra Valentinianum Imperatorem ejusque matrem Justinam constanter defendit S. Ambrosius, pro eaque morti non semel sese obtulit, atque eunucho minanti mortem, ni Imperatori in tradendo ecclesiam Arianis pareret, respondit : « Tu facies quod spadones; ego patiar quod Episcopi. » Ita S. Chrysostomus suam dignitatem propugnavit contra Eudoxiam, S. Basilius contra Valentem, S. Athanasius contra Constantinum, Constantium et Julianum Apostatam, Gregorius I contra Mauritium Imperatorem, Gregorius VII contra Henricum IV.

Anno Domini 552, cum Theodora Augusta instaret, ut Vigilius Pontifex Anthemium Patriarcham, pulso Menna Catholico, restitueret, uti ante pontificatum promiserat, respondit : Malo quodvis suplicium pati, et millies mori potius quam hominem hæreticum, et a prædecessoribus suis damnatum revocare, et sententiam mutare. Et cum mulier cum suis, qui aderant, minis instaret, ad Diocletianum se, non ad Justinianum, quemadmodum arbitrabatur, venisse dixit. Quare ita cæsus est, ut paululum abfuerit, quin tunc occideretur. Fugiens itaque in templum S. Euphemiæ, quod haud procul aberat, inde a grassatoribus trahitur, et injecto in collum fune, tanquam latro per totam urbem, usque ad vesperam, raptatur. Deinde carceri inclusus, pane et aqua aliquandiu ita patienter vixit, ut semper diceret se etiam majora meritum, si digna pro peccatis pœna irrogaretur. Alfonsus Ciacconus in Vita Vigilii.

Anno 25 sui imperii, impurus Anastasius Episcopum Œniandum audiens disertum admodum esse, et qui ora omnibus sententiæ de passo Deo assertoribus obturaret, eum hortatus est ut ad suam factionem descisceret, pollicens eum quidquid petiisset illico accepturum, Cui Episcopus : « Tu, inquit, potius ad Orthodoxos transi, ne, dum opiniones impiorum hominum Severi, Eutychis et Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris, » simulque apprehendens Imperatoris chlamydem : « Hæc, ait, vestis nequaquam te post mortem sequetur, o Imperator; sed sola te comitabitur pietas, ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es, et ratiocinandi ignarus, neque ullum Ecclesiæ decretum perfecte intelligis, tantum imposturis et scurrilibus calumniis fatuos terres. Satis sit tibi dignitatis, quod imperator es : Antistites Ecclesiæ vexare noli. » Ad hæc Imperator pudore suffusus obmutuit. Pauperrimus autem cum esset ille Episcopus, ne obolum quidem ab Imperatore voluit accipere, adeo liber erat, et solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens; ita refert Zonaras, lib. III *Annal.*

Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus, natione Mysus, animo fuit ingenuo adversus omnes, et ore libero. Quodam tempore Concilio indicto, cum Eusebia Constantii uxor, superbia elata, ab Episcopis adoraretur, solus eam adulationem aspernatus domi mansit. At illa irritata, et animo inflammato, mittit ad eum expostulatum, pollicitationibus etiam hominem alliciens; se ecclesiam illi maximam exstructuram esse, et affatim pecuniæ præbituram, si se conveniret. Cui ille hoc modo respondit : « Istorum quidem si quid, imperatrix, exsequi volueris, non tam mihi te scito,

(1) Allioli et Maurer : Qui animantibus omnibus *vim* præbuisti *vitalem*. Cf. *Gen.* XL, 5; *Job.* XII, 10.

quam animæ tuæ gratum facturam; si me vero ad te venire volueris, debita Episcopis reverentia conservata, ut ego quidem ingrediar; tu autem statim de sublimi isto solio descendens, reverenter mihi obviam procedas, et caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura; ac deinde ego sedeam, tu verecunde adstes, cum jussero signo dato, sessura. Si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te; sin alio mŏdo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, ut nos honore Episcopis conveniente neglecto, divinum sacerdotii institutum violemus. » Quæ cum renuntiata essent, exarsit iracundia mulier, non ferendum rata Leontii responsum, et vehementer commota, et multum conquesta, multumque muliebri bile et levi ingenio minitata, rem marito exponit, eumdemque ad supplicium de illo sumendum instigat. Is vero ingenuum Leontii animum magis laudat : placataque ira uxorem in gynæceum ablegat. Ita refert Suidas *Hist.* in *Leontio*, pag. 526.

Vers. 26. 26. RECEDITE A TABERNACULIS HOMINUM IMPIORUM, ET NOLITE TANGERE QUÆ AD EOS PERTINENT, NE INVOLVAMINI IN PECCATIS (id est in pœnis peccatorum) EORUM, — unde hebraice est : *Ne consumamini in peccatis eorum*. Vide quam Deus vitari velit peccatorum consortia, quamque peccatum sit noxium et contagiosum.

Vers. 27. 27. DATHAN ET ABIRON EGRESSI STABANT IN INTROITU PAPILIONUM SUORUM, CUM UXORIBUS ET LIBERIS, OMNIQUE FREQUENTIA, — famulorum scilicet, et ancillarum, eorumque parvulis. Hos enim parvulos proprie significat Hebr. טַף *taph*, quod tamen Septuaginta de more vertunt *supellectilem* (1).

Vers. 28. 28. IN HOC SCIETIS, QUOD DOMINUS MISERIT ME, UT FACEREM UNIVERSA, — quæ scilicet, in vestri ex Ægypto eductione, totoque meo ducatu, ac præsertim circa Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes electionem, feci.

Vers. 29. 29. PLAGA QUA ET CÆTERI VISITARI SOLENT, — quam Deus Judæis infligere solet, puta pestem, gladium, famem, etc.

Vers. 30. 30. SIN AUTEM NOVAM REM FECERIT DOMINUS (Hebraice, *si creaturam*, id est novam plagam, *creaverit Dominus*), UT APERIENS TERRA OS SUUM, — hiatum suum : hic enim mataphorice vocatur *os*. Ridicule ergo et insulse Hebræi ex hoc loco fabulantur terram proprie habere os absconditum, illudque a Deo creatum esse septimo die mundi, puta sabbato ad solis occasum : sabbato enim Deus quievit ab omni opere, uti docet Scriptura, *Gen.* II.

Core blasphemavit, quomodo ? DEGLUTIAT EOS, ET OMNIA QUÆ AD ILLOS PERTINENT, etc., SCIETIS QUOD BLASPHEMAVERINT DOMINUM. — Opus enim Dei, puta Aaronis sacerdotium calumniati sunt, illudque non Deo, sed Mosi, ejusque favori iniquo et injusto attribuerunt; hoc autem est blasphemare : hoc enim erat ingens Dei injuria et contumelia. Blasphemia enim est, cum opus Dei tribuitur diabolo, vel homini, ut patet *Matth.* XII, 31. Ita Abulensis.

Vers. 31 et 32. 31 et 32. CONFESTIM IGITUR UT CESSAVIT LOQUI, DIRUPTA EST TERRA SUB PEDIBUS EORUM, ET APERIENS OS SUUM DEVORAVIT ILLOS, CUM TABERNACULIS SUIS, ET UNIVERSA SUBSTANTIA EORUM. — Nota : Eo tempore, quo 250 proceres, qui in seditione hac erant socii Core, obtulerunt thymiama in tabernaculo, ibique a Deo igne afflati sunt, eodem Dathan, Abiron, Hon et Core rebellionis duces, nolentes ire ad Mosen et tabernaculum, domi suæ cum tentoriis totaque familia a terra absorpti sunt.

Core a terra absorptus est. Nam Core non periisse igne cum 250 in tabernaculo, sed eum domi suæ mansisse, ibique a terra absorptum esse patet ex hoc vers. et vers. 27, in Hebræo, ubi expresse dicitur quod Core cum sua substantia a terra absorptus sit : idem colligitur ex vers. 24, ubi Moses jubet populo, ut recedat a tabernaculo Core, quia scilicet ipse jam jam a terra absorbendus erat; idem expresse dicitur cap. XXVI, vers. 10.

Pœna rebellionis. Nota hic pœnam ambitionis, rebellionis, inobedientiæ et murmuris. Nam non tantum hi quatuor duces, sed et ipsorum uxores, liberi, famuli, ancillæ totæque domus, cum rebus omnibus a terra absorptæ sunt, idque ad detestationem tanti criminis, et ad terrorem populo incutiendum : perinde ac in crimine læsæ majestatis, domus reorum funditus destruuntur. Erant enim hi rebelles et blasphemi, rei læsæ majestatis divinæ. Hinc videtur quod hæ uxores, liberi et famuli dominis suis rebellibus consenserint, ambientes honorem hunc sacerdotii suis dominis, et consequenter sibi, suæque familiæ : si qui non consenserunt, hi perierunt, eo quod non recesserint a tabernaculis eorum, uti jusserat Dominus vers. 24. Parvuli etiam eorum, licet innoxii, absorpti sunt, quia parvuli sunt possessio parentum, ait Aristoteles, lib. V *Ethicor.* : morte ergo parvulorum puniti sunt parentes. Est enim Deus omnium vitæ necisque dominus, qui parvulis ipsis hac morte potius benefecit. Verisimile est enim eos per remedium legis naturæ expiatos fuisse a peccato originali, itaque salvatos esse, qui si diutius vixissent, patrissassent forte, aut etiam parentibus deteriores evasissent.

Parvuli ob peccata parentum, cum iis absorpti sunt, quo jure?

Excipe hic filios Core, de quibus dicitur cap. XXVI, vers. 10 : « Et factum est grande miraculum, ut pereunte Core, filii non perirent, » quia scilicet filii hi Corè patris rebellioni non consentiebant : unde per miraculum Deus effecit, ut Core cum tabernaculo suo absorpto, filii ejus non absorberentur, sed penduli in aere hærerent, quoad terra absorbens tabernaculum Core, sub pedibus eorum rursum se conjungeret, et hiatum concluderet. Unde cap. XXVI, vers. 58, familia Core, quasi superstes, inter Levitas numeratur : atque

(1) Rosenmullerus טַף vertit *impuberes sexus feminei* : Conf. infra XXXI, 18. Alii per בָּנִים intelligentes liberos utriusque sexus, טַף vertunt *impuberes* in genere.

hi filii Core postea sancti habiti sunt inter Levitas, psalmosque plures vel composuerunt, vel decantarunt, qui etiamnum eorum nomine, puta filiis Core, inscribuntur, ut patet *Psalm.* XLI, XLIII, LXXXIV, LXXXVI, et I *Paral.* cap. XXVI, vers. 1.

SUBSTANTIA. — Hebraice רכוש *rechus*, quod opes quaslibet significat: unde ab Hebræo *rechus*, Gallicum *richesses* deducit Vatablus.

Vers. 33. 33. DESCENDERUNTQUE VIVI IN INFERNUM — proprie dictum; perperam enim Abulensis per infernum sepulcrum accipit. Cogita qualis hic fuerit descendentium, cum absorberentur, clamor et comploratio, qua perculsus omnis populus fugit ab eis, ut dicitur vers. 34.

Core cum suis est damnatus, licet de eo dubitet Abulensis. Hinc satis patet eos in æternum damnatos esse et detrusos in infernum; illud enim hic clare dici videtur. Accedit quod hi, in flagranti delicto, a furore Dei subito absorpti sunt : unde non videntur habuisse spiritum aut tempus pœnitendi. Hæ tamen rationes non omnino concludunt : posset enim per infernum accipi Purgatorium, et limbus Patrum. Potuerunt enim ipsi in ipso descensu per tantam cladem compungi, pœnitere et resipiscere, inquit Abulensis : hoc possibile fuit; sed parum probabile est ita evenisse. Unde eos in infernum damnatorum descendisse censet Epiphanius, Hieronymus, Beda, et ex iis Bellarminus, lib. IV *De Christi anima*, cap. X. Vide hic quam puniantur rebelles murmuratores : nam, ut ait S. Ambrosius, *epist.* 82 : « Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro. »

An vivi pervenerint in infernum? Quæres, an hi descendentes vivi pervenerint in infernum? Asserunt aliqui, estque probabile : hoc enim verba Scripturæ hic præ se ferunt. Verum probabilius est contrarium, scilicet eos vivos in infernum non pervenisse, sed vivos eo descendere cœpisse, ut τὸ *descenderunt vivi* significet actum inchoatum, non perfectum. Nam devorante eos terra, et continuo se concludente in via mortui sunt, ibique corpora remanserunt, animabus in infernum descendentibus. Ratio est, quia universalis lex mortis lata est in omnes homines : nam, ut dicitur *Hebr.* IX, 27, « statutum est hominibus semel mori, » a qua lege nemo eximendus est, nisi quid aliud cogat. Rursum, lex resurrectionis omnibus mortalibus statuta est : ergo et hi aliquando resurgent; ergo mortui sunt, non vivi : alioqui enim nunc eorum corpora immortalia essent in inferno, nec resurgerent in die judicii. *Tertio*, idipsum significat Moses, cum ait vers. 29 : « Si consueta hominum morte interierint, » *q. d.* Hi morte non consueta, sed nova et insolita interibunt; et mox : « Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. » Nec enim populus scire poterat eos vivos descendere, id est pervenire in infernum : sed ad hoc satis erat videre terram dehiscentem, et illos deglutientem, ut scilicet vivi descendere inciperent versus infernum : sic enim omnibus apparebat, omnesque videntes censebant et dicebant eos vivos descendisse in infernum. Loquitur enim Scriptura more vulgari hominum. Ita Abulensis, Lyranus, Hugo, Dionysius.

Respondeo negative.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Simili morte plectetur Antichristus, cujus hi rebelles præcursores et typus fuerunt. De eo enim ejusque pseudopropheta dicitur *Apoc.* XIX, 20 : « Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis. » De quo vide ibidem Franciscum Riberam.

OPERTI HUMO. — Humus enim sive terra, iis absorptis, mox se et suum os sive hiatum rursum conclusit.

35. SED ET IGNIS EGRESSUS A DOMINO INTERFECIT DUCENTOS QUINQUAGINTA VIROS, QUI OFFEREBANT INCENSUM. — Hi 250 viri venerunt cum suis thuribulis ad Sanctuarium, quo nolebant venire Core, Dathan, Abiron et Hon, cumque ex altari holocaustorum prunas acciperent, quibus imponerent thymiama, quod ingressi in Sanctum ponerent et adolerent in altari thymiamatis, statim antequam ipsi Sanctum ingrederentur, ex altari holocaustorum ignis a Deo immissus, in eos insiliit, eosque combussit. Unde quod hic dicitur : « Qui offerebant incensum, » intellige, qui offerre volebant et attentabant (similis phrasis fuit vers. 33) : necdum enim obtulerant, imo necdum ingressi erant Sanctum, Deo id nolente, ne illud contaminarent culpa et pœna sua tam infami. Jam eodem tempore, quo hi 250 igne afflati sunt in tabernaculo Domini, Core, Dathan, Abiron et Hon domi suæ cum tabernaculis a terra absorpti sunt, ut dixi vers. 31. Vide ut hic puniantur, qui sacra contrectant, et sacerdotium sibi arrogant, cum a Deo ad id non sint vocati, nec electi, uti dicitur vers. 40. Vers. 35.

37. TOLLAT THURIBULA QUÆ JACENT IN INCENDIO, — in loco incendii, ubi combusti sunt 250 proceres. Vers. 37.

37 et 38. QUONIAM SANCTIFICATA SUNT IN MORTIBUS PECCATORUM, — *q. d.* Thuribula hæc asserventur in monumentum sceleris et ultionis, quia ipsa Deo oblata sunt per ignem sacrum, et thymiama, quod eis hi 250 proceres imposuerunt, ut Deo illud adolerent in altari thymiamatis, licet necdum illud adoleverint, morte præventi : oblata, inquam, sunt ipsa Deo « in mortibus peccatorum, » id est eo tempore, quo Deus hosce 250 viros peccantes et rebelles morte punivit, afflans eos igne. Vers. 37 et 38.

Thuribula rebellium sanctificata dicuntur tripliciter. Primo. Secundo. Hæc ergo thuribula quasi sanctificata fuerunt. *Primo*, per contactum ignis sacri, et thymiamatis, quod eis imposuerunt 250 proceres : hoc enim est quod hic subditur : « Eo quod oblatum sit in eis incensum Domino. » *Secundo*, sanctificata sunt, per sanctam justitiam et vindictam, quam in proceres eis abutentes exercuit Deus, et hoc signifi-

Tertio. cat τὸ *in mortibus peccatorum. Tertio*, sanctificata sunt, id est jussa sunt offerri tabernaculo, ibique asservari ad sanctam et perpetuam hujus ultionis memoriam : unde ex Hebræo vertit Vatablus, *acerræ*, sive *thuribula ista sint peccatorum pro animabus eorum*, ut scilicet serventur in monumentum peccatorum, qui per ea animam, id est vitam, perdiderunt (1).

Vers. 41. 41. MURMURAVIT AUTEM OMNIS MULTITUDO FILIORUM ISRAEL SEQUENTI DIE, CONTRA MOYSEN ET AARON, DICENS : VOS INTERFECISTIS POPULUM DOMINI, — populi scilicet partem, puta 250 viros atque Core, Dathan, Abiron et Hon, cum suis familiis.

Vers. 42 et 43. 42 et 43. CUMQUE ORIRETUR SEDITIO (2), etc., MOYSES ET AARON FUGERUNT AD TABERNACULUM. — Hoc enim tutum est in omni persecutione asylum : atque hic ingens est persecutionis fructus, quod nos ad Deum ire compellat. Unde Jacobus eremita, cum ei dæmon minaretur, diceretque : « Tantam tibi inuram infamiam, ut nemo te aspicere velit, » respondit : « Agam tibi gratias, nam invitus inimicum tuum beneficio afficies, ut qui efficies, ut magis verser in Dei recordatione. Nam quo mihi plus est otii, eo magis occupor in perpetua contemplatione divinæ pulchritudinis. » Ita Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXI.

Vers. 45. 45. RECEDITE DE MEDIO HUJUS MULTITUDINIS, — *q. d.* Vos, o Moses et Aaron, fugite extra castra, ut circumquaque omnia murmurantium castra deleam.

CUMQUE JACERENT IN TERRA — Moses et Aaron supplicantes pro populo; unde sequitur : « Dixit Moses ad Aaron : Tolle thuribulum, etc., mitte incensum, etc., ut roges pro eis. » Dixit hoc Moses ut Propheta, inspiratus a Deo, ex voluntate Dei : nam alias tantum licebat adolere thymiama in altari thymiamatis, non autem extra illud, inter populum et cæsorum cadavera, uti fecit hic Aaron, dispensante Deo (3).

Vers. 46. 46. JAM ENIM EGRESSA EST IRA A DOMINO, ET PLAGA DESÆVIT. — *Et* significat, *id est* : *ira* enim *egressa a Domino*, non erat aliud, quam plaga desæviens; fuit hæc plaga ignis, quæ e populo 14 millia et 700 combussit et incendit, ut patet ex vers. 49. An corpora horum fuerint per ignem plane consumpta et in cinerem redacta, ut vult Abulensis, an vero tantum ambusta, non liquet : neutrum enim hic exprimitur. Vide ut murmur hic rursum puniatur igne.

Vers. 50. 50. INTERITUS, — plaga ignis et incendii jam dicta.

(1) Alii per נפש hic intelligunt *cadaver*, ut vertendum sit, *inter cadavera eorum*.

(2) Hebr. est, *cum congregaret se populus* ad seditionem, *et converterent se* ad eos (Moysem et Aaron) occidendos, ut Jonathan addit.

(3) Pro *pergens cito*, hebr. est ורהוך, *et ire fac, defer*, scil. batillum seu thuribulum. Nam הולך videtur imper. hiphil, non particip. cal.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses duodecim virgas a 12 principibus tribuum accipit : inter eas floret sola virga Aaronis, eoque miraculo et indicio, Aaroni a Deo consignatur et confirmatur sacerdotium.

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum virgas duodecim, et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ, 3. nomen autem Aaron in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit : 4. ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te : 5. quem ex his elegero, germinabit virga ejus : et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. 6. Locutusque est Moyses ad filios Israel : et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus; fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. 7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, 8. sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi : et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. 9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel; videruntque et receperunt singuli virgas suas. 10. Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. 11. Fecitque Moyses sicut

præceperat Dominus. 12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen : Ecce consumpti sumus, omnes perivimus : 13. quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur : num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?

Vers. 2. 2. LOQUERE AD FILIOS ISRAEL, ET ACCIPE AB EIS VIRGAS SINGULAS, PER COGNATIONES (id est tribus) SUAS. — Duodecim enim virgas tantum accepit hic Moses, juxta numerum 12 tribuum, scilicet a qualibet tribu unam, præter virgam Aaronis.

Nota : Ob seditionem et murmur Core cum suis, contendentis cum Aarone de sacerdotio, de quo cap. præcedenti, jubet hic Deus singulas tribus, earumque principes virgas suas afferre, ut per eas novo miraculo, solius virgæ Aaronis florentis, litem hanc dirimat, eique sacerdotium consignet et confirmet. Hinc videtur hoc miraculum contigisse eodem anno, quo contigit seditio Core, scilicet anno secundo egressus ex Ægypto, ut dixi cap. præcedent. vers. 2, qui fuit annus mundi 2455.

ET UNIUSCUJUSQUE NOMEN SUPERSCRIBES VIRGÆ SUÆ. — « Uniuscujusque, » scilicet principis in qualibet tribu. Patet ex Hebræo, qui habet : *Et quisque* (scilicet princeps) *scribat nomen suum super virgam suam.* Erant enim omnes principes primogeniti totius populi; et singularum tribuum, ideoque præ cæteris, ad eos jus sacerdotii spectare videbatur : unde ad omnem de eo litem dirimendam, principum solorum nomina inscripta sunt virgis duodecim, et decimæ tertiæ inscriptum est nomen Aaronis, qui erat primogenitus in tribu Levi; nam Levi primogenitum filium habebat Caath, hic Amram, hic Aaronem : erat enim Aaron senior Mose, fratre suo.

Vers. 3. 3. NOMEN AUTEM AARON ERIT IN TRIBU LEVI. — Hebraice est, *in virga Levi.* Ita et Septuaginta. Quælibet enim tribus, seu, ut sequitur, omnes familiæ unius tribus unam habebant virgam, cui inscriptum erat nomen principis seu primogeniti illius tribus. Quare valde verisimile est virgam hanc Aaronis et Levi aliam fuisse à virga Mosis; qua ipse plagas Ægypto induxit, et mare Rubrum divisit; idque probatur *primo*, quia hæc virga vocatur hic Levi, non Mosis. *Secundo*, quia alioqui impar fuisset virgarum sors, cæterique principes suspectum habuissent Aaronem et Mosen, si ipse fratri consignasset virgam illam, quæ tot portentorum fuerat operatrix, cum alii communem baculum sive scipionem pro virga sua acciperent; et consequenter ipsum miraculum florentis virgæ, non Aaroni, sed ipsi virgæ tribuissent. Virga ergo Aaronis communis fuit virga, et similis virgis aliorum principum. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Unde Hebræi tradunt omnes hasce tredecim virgas fuisse ex eadem amygdalo, et Cyrillus in *Catena Francisci Zephyri* : « Erant, inquit, omnes virgæ amygdalinæ, de more ejus gentis, quæ ex ea potissimum arbore scipionibus utebatur; gerit enim talis arbor vigilantiæ symbolum. » Amygdalus enim excellit in surculis, sive ramis rectis et proceris emittendis : quare valde apta est, ut ex ea scipiones senum, ac sceptra principum exscindantur.

Virga Aaronis florens alia fuit a virga Mosis.

Virgæ hæ fuerunt ex amygdalo.

Cur?

Audi quid de hac virga tradat vel sentiat S. Simeon apud Galatinum, lib. VI, cap. ult. : « Virga, inquit, illa qua Moses et Aaron miracula faciebant in terra Ægypti, et postea in deserto floruit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit in deserto, ut aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in paradiso sita erat, angelorum manibus; quam miserunt Adæ, cum ille misisset Seth filium suum ad paradisum, misericordiam Dei imploraturum de suo peccato. Dixeruntque angeli ad Seth, ut plantaret hanc arborem, quæ quam primum fructum faceret, misericordiæ Dei in eum descenderent, aperirenturque portæ cœli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem arborem, seu potius ramum accepit Seth, plantavitque in deserto, quam postea Moses in deserto invenit, et ex ea virgam suam excidit, ideoque virga Dei dicta est. Cum autem venisset Israel ad Mara, neque illius aquas (erant enim amaræ) bibere posset, Deus ostendit Mosi hanc arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc est arbor illa, in qua Moses serpentem æneum imposuit, per quam Deus universum orbem salvum facere instituit, et mittere misericordiam suam super Adam, cum venerit rex Messias. Tunc enim hæc arbor fructus gestabit, quibus secundo aquæ amaræ efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta quæ fecerunt, facturique sunt homines. » Insinuat crucem Christi ex hac arbore factam esse. Verum hæc redolent Judæorum commenta et fabulas.

Vers. 4. 4. PONESQUE EAS IN TABERNACULO FOEDERIS CORAM TESTIMONIO, — id est coram arca testimonii, in qua scilicet erat testimonium, id est tabulæ legis, quæ testimonium erant, tum fœderis inter Deum et populum initi, tum voluntatis Dei, quid scilicet Deus vellet ab Hebræis fieri. Hinc videtur quod omnes hæ virgæ positæ fuerint in Sancto sanctorum, coram arca : unde et in illud postmodum relata est virga Aaronis, ut patet vers. 10, et *Hebr.* IX, 4, idque in signum et memoriale perpetuum tanti miraculi, quo Aaron designatus et confirmatus est pontifex, sicuti in eodem Sancto sanctorum erat manna, in signum et memoriale perenne alimoniæ, Hebræis datæ in deserto, et tabulæ legis a Deo acceptæ. Atque hac virga Aaronis percussa videtur petra, cum dedit aquas, *Numer.* XX, ut colligitur ibidem vers. 9. De virga Mosis, quonam devenerit, incertum est, maxime cum Apostolus, *Hebr.* IX, 4, tantum virgæ Aaronis, quæ fronduerat, meminerit.

Vers. 5. 5. QUEM EX HIS ELEGERO, GERMINABIT VIRGA EJUS (causas symbolicas hujus germinationis afferam vers. 8), ET COHIBEBO A ME (id est quiescere faciam, et, ut Septuaginta, auferam a me) QUERIMONIAS FILIORUM ISRAEL.

Vers. 6. 6. FUERUNTQUE VIRGÆ DUODECIM, ABSQUE VIRGA AARON. — Eugubinus et Hebræi hunc locum putant male esse versum. Putant enim ipsi, non tredecim hic, sed tantum duodecim fuisse virgas, æque ac tribus. In Hebræo enim sic est ad verbum : *Fuerunt virgæ duodecim, et virga Aaronis in medio virgarum eorum.* Verum duodecim fuisse tribus, et consequenter virgas, præter tribum et virgam Levi et Aaronis, patet *Numer.* I, 5 et seq., et vers. 49. Tribus enim Joseph divisa erat in duas, Ephraim scilicet et Manasse : unde Levi non numerabatur inter duodecim tribus; et hoc noster Interpres hic significari intellexit, cum dicitur : « Et virga Aaron in medio virgarum eorum, » scilicet duodecim virgarum aliarum tribuum et principum erat posita, tanquam decima tertia. Tribus enim Levi, licet in sorte et hæreditate terræ Chanaan dividenda, non numeraretur, numerabatur tamen ubi de sacris et sacerdotio (uti hic) agebatur.

Tredecim fuerunt virgæ, non duodecim.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. QUAS CUM POSUISSET MOYSES CORAM DOMINO, etc., SEQUENTI DIE REGRESSUS, INVENIT GERMINASSE VIRGAM AARON (qui erat primogenitus) IN DOMO (id est tribu) LEVI. — Clarum erat hoc miraculum et indicium electionis divinæ, quod scilicet Aaron a Deo designatus esset pontifex; nam hæ virgæ erant prorsus aridæ et siccæ, erant enim scipiones, quales habent viatores vel pastores ovium : unde naturaliter reviviscere et revirescere non poterant.

Vers. 8. 8. ET TURGENTIBUS GEMMIS (baccis) ERUPERANT FLORES, QUI FOLIIS DILATATIS (folia enim florum dilatantur et decidunt, cum flores in amygdala aliosve fructus convertuntur), IN AMYGDALAS DEFORMATI SUNT, — *q. d.* Forma florum mutata et desinente, gemmæ eorum transformatæ sunt in fructus amygdalarum. Hebraice est : *Et ecce virga protulit germen, et floruit florem, et reddidit amygdalas. Primo* ergo virga hæc protulit germen, mox florem, et statim fructus, eodem pene tempore. Per germen intellige, non frondes et folia, sed baccas sive gemmas, uti vertit Noster. Hæ enim baccæ sive calyculi, mox se aperiendo, et sua folia dilatando, in flores ac deinde in fructus maturuerunt et conversi sunt. Amygdalus enim prius floret quam frondeat; solet enim baccas et flores ante frondes emittere. Hæc ergo virga amygdalina ante frondes, *primo* baccas, *secundo* flores, *tertio* fructus emisit, eosque maturos, idque subito. Unde hebraice est, *et ablactavit amygdala,* id est, habuit amygdala jam matura, et perducta ad justam suam grossitudinem, æque ac maturitatem, uti sunt pueri grandiores et perfecti, cum ablactantur.

Hinc satis liquet virgam hanc Aaronis amygdalinam fuisse; alioqui enim si pomus fuisset, aut pirus, non amygdala, sed poma, vel pira produxisset.

Triplex miraculum in virga florente.

Nota, hic triplex fuisse miraculum : *primum,* quod virga arida germinarit baccas; *secundum,* quod eodem tempore baccæ hæ subito conversæ sint in flores; *tertium,* quod iidem flores subito conversi sint in fructus, puta in amygdala. Censet probabiliter Abulensis, hanc virgam deinceps nunquam fuisse desiccatam, sed semper mansisse cum floribus, vel potius fructibus, tum quia perfecta sunt Dei opera et miracula; tum quia virga hæc perenne fuit memoriale et testimonium apud posteros rei gestæ, scilicet quod per hanc virgam florentem, Aaronis familiæ esset sacerdotium consignatum : hoc enim posteris probari non poterat per virgam siccam, sed virentem. Pari enim modo manna idem semper, suique simile et incorruptum, servatum fuit in tabernaculo, ut posteris certam faceret fidem illius manna, quod Deus patribus eorum dederat in deserto.

Virgam hanc semper mansisse fluentem, censet Abulensis.

Cur Deus usus est virga amygdalina?

Apposite vero amygdalo hic, in declaratione Aaronis pontificis, usus est Deus : quia amygdalus prima inter arbores floret, primaque suas baccas et flores producit : unde hebraice vocatur שקד *scaked,* id est evigilans, quod prima inter arbores post hiemem evigilet et floreat. Hinc illud *Jerem.* I, 10 : « Virgam vigilantem ego video; » alii vertunt, *virgam amygdalinam ego video.* Hæc ergo virga amygdalina apposite significabat jus primogenituræ (hæc enim inter filios est instar amygdali, primo florentis inter arbores), id est sacerdotium, ad Aaronem, cujus erat hæc virga, pertinere. Fertur quoque amygdalus postrema inter arbores sua folia amittere, ait Philo, lib. III *De Vita Mosis* : itaque hic significabat longum, et quasi perennem virorem sacerdotii Aaronici.

Aaron erat 86 annorum, cum virga ejus floruit.

Audi S. Ambrosium, lib. X, *epist.* 82 : « Virga, inquit, illa Aaronis florens « quid aliud ostendit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, et in summa humilitate habeat in suo munere, commissæ sibi potestatis florem. » Addit Ambrosius hoc amygdali florentis signum contigisse Aarone jam sene, et vergente ad mortem (erat enim ipse hoc tempore ut minimum 86 annorum), ut significaretur, quod « populus senior et sacerdotalis, » puta Judaicus et Aaronicus, « longævæ infidelitatis vetustate cariosus, ultimis mundi temporibus, imitatione Ecclesiæ reformatus, in nova studia fidei et devotionis emortuum jam tot sæculis florem, per redivivam gratiam emissurus sit. »

Symbolice amygdalus indicat qualis debeat esse vita Pastoris. Primo. Secundo.

Symbolice et tropologice, hæc virga significat qualis debeat esse Pontifex, et Pastor, scilicet *primo,* eum debere esse vigilantem : amygdalus enim, ut dixi, vigilantiæ est exemplum et symbolum. *Secundo,* activum, agilem, expeditum in omni opere et in profectu virtutum. Sic enim hæc amygdalus subito, et pene simul, baccas, flores et fructus produxit. *Tertio,* laboriosum, patien-

Tertio. tem; fortem et strenuum. Amygdalus enim, cum prima inter arbores floreat, necesse est ut prima frigora, pluvias, grandines et ventos excipiat ac Quarto. superet. *Quarto*, austeræ vitæ et mortificationi addictum. Amygdala enim amara sunt. « Aspera, ait Nyssenus, lib. *De Vita Mosis*, agens de hac virga, et continens duraque debet esse exterius sacerdotis vita; intus autem in occulto, suave quodpiam edulium continere, quod tunc manifestatur, cum maturum fuerit, cumque corruptus fuerit stipticus et circumfusus cortex, et lignea nucli testa defracta. » Amygdalus, inquit Philo, significat opus esse aspero conatu et labore, ut quis dulcem virtutis fructum assequatur : ut quis enim fructu amygdali fruatur, debet prius durum perfringere corticem quo fructus contegitur.

Exempla sanctorum Pastorum Ecclesiæ. Talis virga fuit S. Nicolaus Episcopus Myrensis factus : licet enim pristini ejus mores accurata castigatione essent compositi, haud tamen ignorans aliam esse privati hominis rationem, aliam magistratum gerentis, vitam omnem moresque pro dignitate transformandos putavit. Igitur unica in die refectione, eaque vespertina contentus, totum diem publicis negotiis studiose impendebat. Inter cœnandum nunquam sacrorum librorum aberat lectio, vel certe aderant sacerdotes eruditione et vita probati, a quibus suaviori aliquo animi cibo alebatur. A mensa in cubiculum se recipiens, totus in cœlestium contemplationum campum diffundebatur, et animum diurnis alienisque curis distractum nocturna meditatione collectum refovebat. Inter quas delicias meliore noctis parte absumpta, tandem demissa humi membra brevi admodum somno reficiebat. Tunc etiam cœpit uti veste viliori et neglectiori, quam antea solebat, in qua nullus omnino esset nitor aut fastus, sed castigatæ potius humilitatis et modestiæ significatio : nec enim alio quovis pacto poterat sapientius aut facilius sacerdotum in vestitu luxuriem amputare. Et tamen tantum abfuit, ut ea res aliquid detraxerit de opinione, ut etiam multum auxerit. Ita habet ejus Vita.

S. Andreas Carmelitanus, cujus cum quinquaginta octo esset annorum, unanimem in Episcopum Fesulanum Canonicorum electionem Spiritus Sanctus per os infantis prodigioso confirmavit suffragio; ipse enim ad devotæ semel, sed semper bene tuendæ castitatis custodiam, per magnam sobrietatem corpus suum assidue macerabat, illiusque nuditatem sub vestimentis ferrea cingebat catena, nec alii lecto, quam vitium sarmentis, indormiebat : feminarum præterea colloquia, in illa tam gravi jam ætate non aliter, quam fecunda quædam vitabat semina vitiorum, uti habet ejus Vita.

Laudabile est quod de Pio II Pontifice legimus, cujus tum aliæ multæ virtutes feruntur, tum hæc ipsa, quod mediocri cibo uti solitus esset, non lauto, non delicato, eoque semper fuerit contentus quod apponeretur, quodcumque esset : vino vero parcissime sit usus, eoque bene diluto. Mensam artificiosam ita contempsit, ut apparatu non Pontificio, sed humili ac prope rusticano sit usus. Inter edendum de studiis bonarum artium loquebatur, memoriam veterum repetens. Ejus voluptas omnis, quandocumque a munere publico vacabat, in lectione et scriptione frequenti reposita erat. Libros plus quam sapphiros et smaragdos charos habuit, quibus chrysolithorum magnam copiam inesse dicebat. Rara veste utebatur, et argento frugali magis quam regio. Ita Platina et alii.

De Juliano Cæsarino Cardinale illud memoriæ proditum est, fere illum in suis vestibus cubitasse, interulam intimam, non ex lino, sed ex panno gestasse, longa exercuisse jejunia, omnibus sextis feriis pane et aqua jejunasse, quotidie Missam celebrasse, denique ut hoc etiam addamus, ita in eleemosynis profusum fuisse, ut a suis alter Martinus appellaretur. Ita noster Platus, lib. *De Officio Cardin.* cap. XIII.

Allegorice, virga frondens est Christus puer, florens est adolescens, fructificans est vir nos redimens. Rursum virga est Christus, fructus amygdalinus est Christi doctrina, quæ exterius prima fronte amara videtur, sed interius plena est suavissimo scientiæ et sapientiæ sensu. *Secundo*, Christus in paschate, instar amygdali primo floruit, id est primo resurrexit; ipse enim est primitiæ resurgentium. Ita S. Gregorius, lib. XIV *Moral.* cap. XXIX. Christus ergo a mortuis resurgens est virga per potentiam, flos per fragrantiam, fructus per saporis dulcedinem, frondes per sedulam protectionem, qua suos ab æstu tentationum protegit et tuetur. Ita Rabanus et S. Bernardus, homil. 2 *super Missus*. *Tertio*, idem Bernardus et Rupertus per virgam hanc quoque accipiunt B. Virginem, per florem Christum, juxta illud *Isai.* XI, 1 : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. »

Allegorice virga florens est Christus docens et resurgens.

Item B. Virgo.

Sic et S. Augustinus, serm. 3 *De Tempore*, tom. X : « Virga, ait, Aaron, virgo Maria fuit, qua nobis Christum verum sacerdotem concepit et peperit. Quod ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ unionem, corium, testam et nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium. In testa lignum interserens crucis, quod non discrevit id quod foris et intus fuit, sed quæ terrena et cœlestia fuerunt, mediatoris ligni interpositione sociavit, ut ait Apostolus, *Coloss.* I, 20. »

Anagogice, virga hæc florens significat resurrectionem, in qua baccæ, flores, fructus et frondes sunt quatuor dotes corporis gloriosi, scilicet agilitas, claritas, subtilitas et impassibilitas. Ita S. Augustinus, serm. 99 *De Tempore*.

Anagogice virga florens significat 4 dotes corporis gloriosi.

Vers. 9. 9. PROTULIT ERGO MOYSES OMNES VIRGAS DE CONSPECTU DOMINI, AD CUNCTOS FILIOS ISRAEL. — Requiritur, inquit Origenes; *homil.* 6, et refertur can. *Licet*, VIII, *Quæst.* I, in ordinando sacerdote populi præsentia, ut sciant omnes quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium.

Vers. 12. 12. DIXERUNT AUTEM FILII ISRAEL AD MOYSEN : ECCE CONSUMPTI SUMUS, OMNES PERIVIMUS, — quasi dicant : Magna pars populi consumpta est hisce plagis Dei, puta plus quam quindecim millia, ut patet cap. præced.; itaque omnino timendum est ne omnes pari modo consumamur et pereamus, si vel leviter aliquando Deum offendamus aut murmuremus; maxime cum quicumque ad tabernaculum accedit, ut Deo adoleat aut sacrificet, protinus ab eo occidatur, quasi dicant : Quid ergo consilii, ne moriamur? quibus respondet Dominus, cap. seq., vers. 1, scilicet ut Aaronem, quasi pontificem designatum, deprecatorem apud Deum, in quavis populi offensa adhibeant, ideoque eum cum suis posteris, utpote sacerdotibus, alant dando eis decimas et primitias. Nota : Pro *peribimus*, cum Hebræis, Septuaginta et Romanis corrigendum est *perivimus*, quasi dicant : Ita certo peribimus, ac si jam periissemus, ita certum est nos perituros esse, ac si jam id factum esset, ac si jam essemus in fossa sepulti (1).

(1) Hebr. est, *en exspiramus, interimus, omnes periimus!*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pro sorte hæreditaria, alimonia et stipendio Deus sacerdotibus consignat victimas, primitias et oblationes : Levitis vero, vers. 21, *decimas. Secundo, vers.* 26, *Levitis jubet ut ex decimis suis decimas dent sacerdotibus, easque meliores et selectiores.*

1. Dixitque Dominus ad Aaron : Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum portabitis iniquitatem Sanctuarii, et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri; 2. sed et fratres tuos de tribu Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi : tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. 3. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi : ita duntaxat, ut ad vasa Sanctuarii et ad altare non accedant, ne et illi moriantur, et vos pereatis simul. 4. Sint autem tecum, et excubent in custodiis tabernaculi, et in omnibus cæremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis. 5. Excubate in custodia Sanctuarii, et in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel. 6. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus. 7. Tu autem, et filii tui, custodite sacerdotium vestrum; et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur : si quis externus accesserit, occidetur. 8. Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. 9. Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur et oblata sunt Domino. Omnis oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, et filiorum tuorum. 10. In Sanctuario comedes illud : mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi. 11. Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israel, tibi dedi, et filiis tuis ac filiabus tuis, jure perpetuo : qui mundus est in domo tua, vescetur eis. 12. Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. 13. Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos : qui mundus est in domo tua, vescetur eis. 14. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit. 15. Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit : ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias,

et omne animal quod immundum est, redimi facias : 16. cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere Sanctuarii. Siclus viginti obolos habet. 17. Primogenitum autem bovis et ovis et capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino, sanguinem tantum eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino. 18. Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, et armus dexter, tua erunt. 19. Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis. 20. Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars hæreditas tua in medio filiorum Israel. 21. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis: 22. ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, 23. solis filii Levi mihi in tabernaculo servientibus et portantibus peccata populi : legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, 24. decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. 25. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 26. Præcipe Levitis, atque denuntia : Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, 27. ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus : 28. et universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date Aaron sacerdoti. 29. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. 30. Dicesque ad eos : Si præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias : 31. et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ, quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii. 32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, et moriamini.

Vers. 1. 1. TU ET FILII TUI PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII, — *q. d.* Tu et tui posteri, utpote sacerdotes, dabitis pœnas, si quid peccatum fuerit a quopiam e populo, in cæremoniis Sanctuarii, aut si externus quis eis se immisceat, vestra negligentia, aut timore et dissimulatione. Jam enim vos confirmavi in sacerdotio, auctoritatemque per duo miracula enarrata cap. XVI et XVII, apud populum vobis conciliavi : vestrum ergo est sacra Dei et sacerdotii jura animose tueri.

Sacerdotum est sacra jura animose tueri.

Vers. 2. 2. ET SCEPTRUM PATRIS TUI SUME TECUM. — « Sceptrum, » id est tribum. Hebræum enim שבט *scebet* et *sceptrum* et *tribum* significat. Quælibet enim tribus suam habebat virgam sive sceptrum, uti dixi cap. XVII, 3. Unde Septuaginta vertunt, *populum patris tui,* scilicet Levitas oriundos ex Levi patre tuo.

Vers. 3. 3. EXCUBABUNTQUE LEVITÆ AD PRÆCEPTA TUA, — ut ea impleant, ceu famuli vigiles, qui stant et quasi excubant, exspectantes herorum mandata et imperia ; unde hebraice est : *Custodiant custodiam tuam,* id est exactissime et diligentissime custodient præcepta tua. Hoc enim studium et diligentiam significat hæc repetitio custodiæ.

ET AD CUNCTA OPERA TABERNACULI, — ut scilicet ea custodiant et portent, cum movenda sunt castra; deponant et erigant, cum figenda sunt castra.

NE ET ILLI MORIANTUR ET VOS. — Illi, propter transgressionem, puta contactum sacrorum eis vetitum; vos, propter omissionem et negligentiam, qua eos sacris non prohibuistis.

Vers. 4. 4. ET IN OMNIBUS CÆREMONIIS EJUS. — Cæremoniæ hic vocantur ministrationes religiosæ Levitarum circa tabernaculum ejusque vasa, quas commemoravi vers. 3. Ubi nota : Idem, aut pene idem sunt hæc quinque, scilicet excubiæ, opera, ministrationes, custodiæ, cæremoniæ tabernaculi; hæc enim omnia non aliud significant quam officia et ministeria, quæ obeunda erant Levitis et sacerdotibus circa tabernaculum. In iis enim excubare debent sacerdotes, æque ac milites in castris, atque in iis militare bonam malitiam, ut ait S. Paulus.

EXCUBATE IN CUSTODIA SANCTUARII ET MINISTERIO ALTARIS, NE ORIATUR INDIGNATIO SUPER FILIOS ISRAEL. — Nota : Deus hic minatur se negligentiam sacrorum et sacerdotum ulturum in populum, quia populus cum sacerdotibus unum facit corpus et rempublicam, et populi est alere sacerdotes, itaque curare, ut sacra rite ab eis obeantur. Sacerdotum ergo est rite sacra tractare, itaque mediatores se inter Deum et populum interponere, atque ab eo iram Dei avertere.

Audiant hæc Christiani et sacerdotes novi Tes-

tamenti, illudque quod sequitur : « Tu et filii tui, custodite sacerdotium vestrum, et omnia quæ ad cultum altaris pertinent ; » unde recte ait S. Paulus : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, » II *Timoth.* II, 4, multo minus otio, ambitioni, desidiæ et deliciis. Audiant vani, desides et delicati clerici probrum, quod eis intentat S. Bernardus scribens ad Eugenium Pontificem : « Vides, inquit, nonnullorum in Ecclesia zelum omnem fervere pro dignitate tuenda ; dignitati datur totum, sanctitati parum vel nihil : inter hæc tu, Pastor, incedis circumdatus varietate, et quid interim faciunt oves ? Hoc quippe fateor, pascua sunt dæmonum, non hominum. »

Audiant Hugonem Cardinalem in *Genes.* XLVII, ex S. Bernardo hæc in clericos molles, qui omnium statuum delicias, nullius vero onera et labores sibi accersunt, detonantem : « Habent, inquit, singula hominum officia laboris aliquid, et aliquid quod delectet. Adverte quorumdam prudentiam, qui novo inter hæc artificio discurrentes, totum quod delectat, eligunt et amplectuntur ; quod molestum est, fugiunt et declinant. Cum militibus superbiæ fastus, amplam familiam, phaleras, accipitres, aleas et hujusmodi frequentant. A mulierculis dependentes a collo murium pelles, ornatos thalamos, balnea et omnem mollitiem mutuantur. Caute omnino fugiunt loricæ pondus, et insomnes in castris noctes, et incerta bellorum discrimina ; atque muliebrem verecundiam et disciplinam, et, si quid sexus ille habet laboris, declinant. Cum resurgere cœperint homines in ordine suo, ubi putas generatio ista collocabitur ? Si divertere voluerint ad milites, eos repellent pro eo quod secum minime labores et pericula tolerarunt : sic agricolæ, sic vinitores et cæteri. Quid ergo restat, nisi quia omnis ordo eos expellit et accusat, ut illum sortiantur locum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. » Dixit S. Paulus ex Mose : « Non alligabis os bovi ; » cuinam bovi ? numquid ludenti ? numquid lascivienti ? numquid otio vacanti ? minime, sed « trituranti, » sed in area laboranti ; nam, ut idem ait II *Thessal.* III : « Si quis non vult operari, nec manducet. » Legant clerici qui fructus Ecclesiæ carpunt, et laborem Ecclesiæ non impendunt, S. Bernardum in illud : « Ecce nos reliquimus omnia ; » et S. Gregorium, homil. 17 *in Evang.*

Vers. 6. 6. ET TRADIDI DONUM DOMINO. — « Domino, » id est mihi ; sunt enim hæc verba Domini, qui hic more Hebræo de se loquitur in tertia persona.

Vers. 7. 7. OMNIA QUÆ INTRA VELUM SUNT, PER SACERDOTES ADMINISTRABUNTUR. — « Intra velum, » id est intra Sanctum, et intra Sanctum sanctorum. Duplex enim erat velum : unum, dirimens Sanctum ab atrio ; alterum, dirimens Sanctum a Sancto sanctorum. Levitæ ergo hic arcentur ingressu tam Sancti quam Sancti sanctorum (1).

(1) Pro *per sacerdotes administrabuntur*, hebr. est, *ministerium*, seu *opus doni* singularis *dedi sacerdotium vestrum*, id est, ex singula gratia vos munere sacerdotii donavi.

(2) Seu magis ad litteram, *hæc porro erit tibi sublatio doni eorum quoad omnes agitationes* (oblationes eas, quæ offerebantur Deo agitando eas in omnes partes) *Israelitarum.*

Vers. 8. 8. ECCE DEDI TIBI (o Aaron) CUSTODIAM PRIMITIARUM MEARUM. — « Primitiarum, » id est oblationum ; pro iis enim sæpe capitur vox *primitiæ* tam a Septuaginta quam a nostro Interprete. Unde sequitur explicationis causa : « Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, » id est omnia quæ mihi segregantur et offeruntur. Nam hebraice est, *dedi tibi custodiam oblationum mearum*, puta *omnium sanctitatum*, id est sanctificatorum filiorum Israel, ut videlicet et custodias, id est custodiri jubeas, et cures omnia quæ filii Israel Deo offerunt et consecrant ; sed ea limitatione et determinatione quæ sequitur, ut scilicet ea inter filios tuos, id est inter minores sacerdotes, dividas et distribuas.

LEGITIMA SEMPITERNA, — ut scilicet tibi tuisque sacerdotibus cedant, quasi legitima et jura tibi et sacerdotibus lege perpetua debita : unde hebraice est *lege*, sive *statuto æterno.*

Vers. 9. 9. OMNIS OBLATIO ET SACRIFICIUM, ET QUIDQUID PRO PECCATO ATQUE DELICTO REDDITUR MIHI, ET CEDIT (cedere solet et debet) IN SANCTA SANCTORUM, TUUM ERIT ET FILIORUM TUORUM, — *q. d.* Quidquid mihi offertur et sacrificatur, ideoque est sanctum sanctorum, id est, est sanctissimum, hoc cedet solis sacerdotibus, non Levitis.

Primum donum sacerdotum sunt victimæ legales.

Prima hæc est lex, et primum donum, quasi stipendium a Deo consignatum sacerdotibus, scilicet victimæ quælibet, et sacrificia ex legis præscripto oblata.

Vers. 10. 10. IN SANCTUARIO (in atrio Sanctuarii sive tabernaculi, juxta altare holocaustorum) COMEDES ILLUD. — Omnia enim sacrificia sive victimæ comedi debebant in atrio tabernaculi ; alia vero dona sive oblationes, ut primitiæ et decimæ, poterant domi comedi.

MARES TANTUM EDENT EX EO, — scilicet sacrificio pro peccato et delicto, quod proxime præcessit, quodque, ut dictum est, est sanctum sanctorum, id est, est sanctissimum. Nam ex hostia pacifica, etiam feminæ comedebant, ut patet *Levit.* X, 14, *Deuter.* XII, 18, et XVI, 11.

QUIA CONSECRATUM EST TIBI. — Hebraice, *sanctitas erit tibi*, id est tibi segregata erit, et ad te pertinebit hæc oblatio, utpote sancta ad sanctum, id est consecratum Deo.

Vers. 11. 11. PRIMITIAS AUTEM QUAS VOVERINT ET OBTULERINT FILII ISRAEL, TIBI DEDI, ET FILIIS TUIS. — « Primitias, » id est oblationes ; ita enim habent Hebræa : *Oblationem doni eorum, omnes oblationes quas obtulerint filii Israel, dedi tibi* (2), *q. d.* Dedi etiam tibi, o Aaron, et filiis tuis sacerdotibus, quidquid ad immolandum dono dederint et obtulerint filii Israel. Nam de sacrificiis hic agi patet ex eo quod

Secundum sunt victimæ spontaneæ.

sequitur : « Omnis mundus vescetur ex eo ; » ex primitiis enim, decimis et aliis sponte oblatis, nec tamen immolatis, poterant vesci etiam immundi. Hæc est secunda lex, et secundum donum a Deo consignatum sacerdotibus, scilicet omnes victimæ sponte oblatæ.

Vers. 12. 12. OMNEM MEDULLAM OLEI ET VINI AC FRUMENTI, QUIDQUID OFFERUNT PRIMITIARUM DOMINO, TIBI DEDI.

Tertium, sunt primitiæ frugum. — « Medullam, » hebraice *pinguedinem, q. d.* Quod pinguissimum et optimum est inter frumenta, vina et oleum, dedi tibi. Nam Hebræi pro primitiis debebant offerre, non pessima, sed optima, uti præcipitur vers. 29 et 32. Est hæc tertia lex et tertium donum sacerdotum, scilicet primitiæ frugum.

Primitiæ a decimis distinguuntur duplicitер. Nota primitias distingui a decimis ; primitiæ enim sunt primi fructus, decimæ sunt decima pars fructuum : illæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem, pro frugibus terræ ; hæ proxime sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis, pro ministerio quo serviunt Ecclesiæ et templo.

Judæi ad decimas tenebantur jure divino, Christiani jure canonico. Nota *secundo* : Jure naturali nec Judæi nec Christiani tenentur ad primitias dandas, uti nec ad decimas, nisi quantum eæ necessariæ sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ. Judæi ergo tenebantur ad primitias et decimas jure divino, quod tam hic quam *Levitici* cap. ult. sancitur ; Christiani vero ad decimas tenentur jure canonico.

Decimæ congruunt juri naturæ. Nota *tertio* : Est tamen solutio primitiarum, uti et decimarum, juri et rationi naturali valde consentanea. Ratio enim naturalis dictat decens esse ut Deo prima quæque offeramus. Hinc etiam apud veteres Romanos, non gustabant novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent, ut ait Plinius, lib. XVIII, cap. II. Pari modo Ethnici decimas solvebant. Vide Plinium, lib. XIX, cap. XIV, et Plutarchum in *Lucullo*, et in *Problemat.* cap. XVI. Pluribus idipsum ostendam in fine capitis. Hinc et ante legem, Abraham, ex Dei et naturæ instinctu, decimas dedit Melchisedecho, *Genes.* XIV ; et Jacob vovit decimas cunctorum quæ ab eo acciperet, *Genes.* XXVIII. Recta enim ratio dictat ut justa et decens portio bonorum offeratur Deo ; talis autem est decima. Cui adde causam symbolicam : denarius enim significat perfectionem, est enim terminus numerorum simplicium, omnes illos continens ; cæteri enim ex ipso semel vel sæpius repetito, et ex alio simplici componuntur. Itaque qui decimam Deo in ministris solvit, sibi novem retinens, significat se esse imperfectum, et exspectare perfectionem a Deo per ipsius ministros.

Symbolum denarii in decimis.

Quadruplices primitias solvebant Judæi. Nota *quarto* : Quadruplices primitias pendebant Judæi : *primo*, primitias spicarum die secunda azymorum, *Levit.* XXIII, 10 ; *secundo*, primitias panum in Pentecoste, *Levit.* XXIII, 17 ; *tertio*, primitias panum, quos hebdomadatim pinsebant, uti dixi *Numer.* XV, 21 ; *quarto*, in mense septimo, puta in festo Tabernaculorum, collectis omnibus frugibus, tam ex messe quam ex uvis, earum omnium primitias dabant : et hæ quartæ passim intelliguntur, cum in Scriptura fit mentio primitiarum.

Primitiarum quantitas erat pars fructuum media inter 40 et 60. Ubi adverte : Licet harum quartarum primitiarum quantitas non fuerit definita a Deo, ex consuetudine tamen vel majorum decreto definita fuit, scilicet ut darent inter quadragesimam et sexagesimam partem ; ita ut maximæ essent pars quadragesima fructuum ; minimæ essent pars sexagesima, uti tradidit S. Hieronymus *in Ezech.* XLV, et Abulensis in cap. XVIII *Numer.* Quæst. XIV, et Ribera, lib. III *De Templo*, cap. II, et satis colligitur ex cap. *Decimam*, tit. *De decimis*. Quisque ergo, inter quadragesimam et sexagesimam, dabat eam partem quam volebat.

Ita tropologice, Christianos non tantum vitæ et studiorum, sed et operum et actionum singularum primordia, Deo offerre decet. Hinc et ab olim Imperatores mox a creatione sua, officium et obsequium suum Romano Pontifici, quasi primitias imperii deferebant. Fecit id inter alios Justinus Imperator, ad quem rescribens Hormisda Pontifex : « Debitas, inquit, B. Petro Apostolo imperii vestri primitias reddidistis. »

Vers. 13. 13. UNIVERSA FRUGUM INITIA (« initia, » id est primitiæ), QUI MUNDUS EST IN DOMO TUA, VESCETUR EIS, — si videlicet aliquid ex hisce primitiis fuerit Deo immolatum et sacrificatum ; nam alias, si soli sacerdoti illæ offerrentur, poterant a quibusvis, etiam immundis, comedi (1).

Vers. 14. Quartum donum sacerdotum sunt oblata ex voto. 14. OMNE QUOD EX VOTO REDDIDERINT FILII ISRAEL, TUUM ERIT, — si scilicet voverint illud Deo, non ad immolationem, sed tantum ad oblationem. Est hoc quartum donum sacerdotum, scilicet vota, id est ex voto oblata.

Vers. 15. Quintum, sunt primogenita animalium. 15. QUIDQUID PRIMUM ERUMPIT E VULVA, etc., TUI JURIS ERIT. — Est hoc quintum donum et stipendium sacerdotum, scilicet primogenita animalium.

OMNE ANIMAL QUOD IMMUNDUM EST, REDIMI FACIAS. — « Immundum » intellige, non secundum speciem, uti est equus, mulus, camelus, sed per accidens, uti est avis clauda, manca, cæca, etc., quæ proinde Deo immolari non potest ; nam Hebræi tantum animalium mundorum, puta ovis, bovis, capræ et hominis, non autem immundorum, nisi solius asini, primogenita Deo offerebant, uti ostendi *Exod.* XIII, 12 et 13.

Vers. 16. 16. CUJUS REDEMPTIO ERIT POST UNUM MENSEM, SICLIS ARGENTI QUINQUE. — « Cujus, » scilicet hominis. Nam aliorum animalium primogenita offerri poterant post septimum diem a nativitate, uti patet *Exod.* XXII, 30, *Levit.* XXII, 27, atque ex iis quodque redimendum erat alio et alio pretio, pro sui valore ; pluris enim valet primogenitus

(1) Primitiæ, de quibus vers. 12, sunt *annuæ*, quæ ante omnia ex proventu annuo separabantur ; frugum autem *initia*, vers. 13, videntur esse id quod in arbore, agro, horto primo anno nascitur.

bovis quam ovis. Hominis ergo solius primogenitus post mensem offerri debebat Deo, et redimi pretio statuto, scilicet quinque siclis argenti, id est quinque florenis Brabanticis. Hinc patet infantem primogenitum potuisse offerri Deo et redimi ante purificationem matris (hæc enim fiebat quadragesima die a partu), imo debuisse offerri et redimi, si mater in partu, vel paulo post moriebatur. Communiter tamen exspectabant matres suam purificationem, ut cum ea simul suos infantes primogenitos offerrent et redimerent, uti fecit B. Virgo cum puero Jesu, *Luc.* XXII, 2 (1).

Vers. 17. 17. PRIMOGENITUM AUTEM BOVIS ET OVIS ET CAPRÆ NON FACIES REDIMI, QUIA SANCTIFICATA SUNT, — quia scilicet Deo consecrata sunt, ut ei immolentur juxta legem; ideo redimi non possunt, uti redimuntur alia quæ Deo non sunt immolanda. Primogenita ergo bovis, ovis et capræ Deo immolari debebant, ita scilicet ut sanguis eorum funderetur super altare, atque adeps eorum Deo in altari cremaretur, carnes vero eorum cederent in usum et esum sacerdotum.

Vers. 18. 18. SICUT PECTUSCULUM CONSECRATUM, — *q. d.* Sicut pectusculum et armus dexter ex hostia pacifica, ita tuus est, ut quivis mundus ex tua familia ex iis comedere possit; ita erunt et tuæ, et ad te pertinebunt hæ carnes primogenitorum mihi immolatorum, ut a quovis mundo tuæ familiæ comedi possint: patet ex sequenti.

Vers. 19. 19. PACTUM SALIS EST SEMPITERNUM CORAM DOMINO, TIBI AC FILIIS TUIS, — *q. d.* Hæc dona et oblationes tibi do et consigno, quasi ex promissione et pacto sempiterno.

Nota *primo* : Hæc donatio Dei vocatur *pactum*, quia erat conditionata, et cum onere donatarii; vicissim enim sacerdotes hæc dona recipientes, obligabantur servire Deo et tabernaculo.

Pactum salis est æternum, cur? Nota *secundo* : *Pactum salis* vocatur pactum sempiternum, quia sal est symbolum æternitatis, uti dixi *Levit.* II, 13.

Vers. 20. 20. DIXITQUE DOMINUS AD AARON : IN TERRA EORUM (Hebræorum, fratrum vestrorum) NIHIL POSSIDEBITIS, NEC HABEBITIS PARTEM (hæreditatis) INTER EOS, — scilicet agros, vineas, prata, etc.; possidebant tamen Levitæ urbes 48, sed tantum ad habitandum; et suburbana earum, ad alendum et pascendum sua pecora, ut patebit cap. XXXV, et *Josue* XIV. Inepte ergo Wiclef hinc probare nisus est quod non liceat jam clericis ullas habere possessiones; nam hæc lex cæremonialis est, et jam abolita. Rursum Levitæ, præter urbes et suburbana, habebant decimam partem frugum terræ, cum ipsi vix essent sexagesima pars totius populi.

Deus erat hæreditas unica sacerdotum. EGO PARS, ET HÆREDITAS TUA IN MEDIO FILIORUM ISRAEL, — id est, ego sum pars tua, o Aaron, o pontifex, o sacerdos, et sors hæreditatis tuæ, quam habiturus es inter filios Israel, hoc est, ut explicatur *Josue* XIII, 14, sacrificia, victimæ et oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua hæreditas, nec aliam te habere volo, tum quia hæc abunde tibi sufficit; tum ne culturæ agrorum et vinearum impliceris, sed totum te mihi meisque ministeriis impendas. Nam, ut ait S. Ambrosius, libro *De Fuga sæculi*, cap. II : « Cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere : quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultu, atque huic nostro officio decerpitur, » *q. d.* Ego Deus vobis, o sacerdotes, ero arva, vineta, oliveta, segetes, uvæ, olivæ. Ego absque vomere et aratro, absque fossione et pastinatione, absque labore et cura ulla vestra vobis proferam ac reddam, quæ pinguissima gleba ulla, vitis fertilissima, olea fructuosissima, ingenti labore et cultura reddere posset. Ego ero vobis ager simul et fructus; ego vobis semper, et certo, et abunde procurabo ac largiar necessaria omnia; bono estote animo, in me spes omnes vestras figite, a me bona manant omnia; vobis ne quidquam desit, cura erit mea : imo efficiam ut multo plus vobis, quam fratribus vestris, scilicet cæteris tribubus, quæ terram dividerent, supersit et redundet; uni ergo mihi vacate.

tum, cur? Prima causa.

Secunda hujus sanctionis causa fuit, ut magna veneratione et charitate cæteræ tribus prosequerentur sacerdotes; et vicissim sacerdotes in eorum salutem acrius incumberent : hinc effecit ut, in spiritalibus et sacris, omnes penderent a sacerdotibus; hi vero in corporalibus vitæ subsidiis, penderent ab aliis tribubus, *q. d.* Vultis, o Israelitæ, me Deum vestrum venerari, sacerdotibus meis date quæ ad victum et vestitum requiruntur, date ea quæ mihi a vobis debentur; vultis vicissim, o sacerdotes, ab Israelitis pingues hostias, primitias et oblationes, sacris operamini gnaviter, populum meum sedulo leges meas docete, ipsum vobis vestra religione, doctrina, sedulitate et exemplo devincite, ipsorum liberalitatem ac munificentiam, impietate, inertia, otio, lascivia ne retundite : eorum mens vobis, vestrum iis corpus a me commendatum est. Secunda.

Tertia causa fuit, quod Deus vellet suos ministros populo dare speciem vitæ cœlestis, ut non nimis terræ terrenisque bonis more suo inhiaret, sed ea tantum haberet in usu, cœlestia vero haberet in voto et desiderio. Nam, ut ait S. Augustinus, homil. 23 *De Verbis Apostoli* : « Temporalia bona non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia; concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt; » et S. Bernardus : « Nolite, ait, diligere ea quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. » Tertia.

Huc alludit David, *Psalm.* XV, 5, dicens : « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, » *q. d.* Deus mihi est omne bonum, et omnia; præter

(1) Post *mensem* addunt hebræa, *pro æstimatione tua*, dummodo quinque siclos non excedas : ita Allioli.

Deum nihil requiro, ait S. Augustinus: hanc hæreditatem, quæ tu ipse es, Domine, nemo mihi auferet. Tu enim illam mihi confirmas hic per gratiam, in cœlo vero reipsa confirmabis per gloriam. Hoc imitantur nostri Clerici, qui ideo dicuntur κλῆρος, sive clerus, id est sors et portio Domini, et vicissim quorum sors et hæreditas est Dominus. Ita S. Paulinus Nolæ Episcopus, Nola a Barbaris expugnata, captus precabatur : « Domine, non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim mea sint omnia, tu nosti, » nimirum tu es sors mea, et portio mea in terra viventium. Ita S. Augustinus, lib. I *De Civit.* cap. X.

Clerici unde dicti?

Vers. 21. 21. FILIIS AUTEM LEVI DEDI OMNES DECIMAS ISRAELIS. — Hucusque sacerdotibus Deus pro eorum ministerio dedit victimas, primitias, aliasque oblationes votivas et spontaneas : hic vero Levitis dat decimas. Hinc patet decimas non fuisse datas Levitis et sacerdotibus, ut vult Ribera, lib. III *De Templo*, cap. II, sed solis Levitis : nam Levitæ ex iis rursum dabant decimas sacerdotibus, uti hic dicitur, docetque Josephus et Nehemias, capite X, vers. 37 et 38; quod enim ibi dicit : « Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis, in decimis Levitarum; » mox explicat subdens : « Et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ, in domo Dei nostri ad gazophylacium, in domo thesauri, » ut scilicet in eo custodiatur, indeque distribuatur sacerdotibus (1).

Decimæ datæ fuerunt Levitis, non sacerdotibus.

Narrat R. Eliezer quod Levi fuerit decimæ filiorum Jacob, incipiendo a Benjamin, ideoque oblatus sit per S. Michaelem Deo, ut huic Levitæ servirent in terra, sicut in cœlo angeli : tumque dixisse S. Michaelem Deo, æquum esse ut suos famulos alat rex, sicque Deum decimas Levitis dedisse. An historice ita factum sit, novit Deus : alioqui pia et acuta est hæc contemplatio.

Vers. 22. 22. NEC COMMITTANT PECCATUM MORTIFERUM, — quod sit illis causa mortis, tam præsentis quam æternæ.

Vers. 23. 23. SOLIS FILIIS LEVI, MIHI IN TABERNACULO SERVIENTIBUS, ET PORTANTIBUS PECCATA POPULI. — « Peccata, » id est pœnas peccatorum populi, si videlicet populus insinuet se ministerio tabernaculi, scilicet si id fiat per negligentiam Levitarum. Levitis enim commissa est custodia tabernaculi : unde si ipsi permittant populum ad illud, puta ad Sanctum accedere, ipsos puniam pro peccato hoc populi, quia tabernaculi curam a populo in eos transtuli, eisque commisi, et pro hac cura decimas populi eis assignavi : unde quod in hac re peccatum erit, non a populo, sed a Levitis exigam. Et hoc est quod dixit Deus ad Aaron, vers. 1 : « Tu et filii tui portabitis iniquitatem Sanctuarii, et sustinebitis peccata sacerdotii vestri, » id est patiemini, et puniemini, si permiseritis aliquem e populo, qui non est ex genere vestro, puta ex genere sacerdotali, ministrare præter vos, *q. d.* Nemo cæterorum de filiis Israel accedat ad tabernaculum, quia soli filii Levi in eo debent ministrare, et portare peccata populi; ideoque si quid populus in hoc genere peccet, Levitæ peccatum hoc populi ferent et sustinebunt, quia illud non impediverunt, sed dissimularunt.

LEGITIMUM, — lex et sanctio hæc erit sempiterna.

Vers. 26. 26. PRÆCIPE LEVITIS : CUM ACCEPERITIS A FILIIS ISRAEL DECIMAS, QUAS DEDI VOBIS, PRIMITIAS (id est decimas) EARUM OFFERTE DOMINO (unde sequitur), ID EST DECIMAM PARTEM DECIMÆ. — Jubet hic Deus ut Levitæ decimarum suarum decimas offerant Deo, id est Dei sacerdotibus, idque ad hoc, ut in hisce decimis Levitæ pares essent aliis tribubus, quæ ex labore suo offerebant decimas Domino, uti mox planius dicam.

Levitæ decimam decimæ dabant sacerdotibus.

Vers. 27. 27. UT REPUTETUR VOBIS IN OBLATIONEM PRIMITIVORUM, TAM DE AREIS, QUAM DE TORCULARIBUS, — *q. d.* Vos, o Levitæ, ex decimis Israel quas assignavi versu 21, dabitis decimam earum partem pontifici et sacerdotibus, eamque primo illis separabitis, antequam vos inde quidquam vobis sumatis. Ideoque hæ erunt veræ decimæ et primitiæ vestræ tam frugum, quam uvarum et vini, quas offeretis mihi, dando eas sacerdotibus; easque ego ita accipiam a vobis, ac si vos essetis Israelitæ laici, et penderetis mihi primitias et decimas agrorum et vinearum vestrarum.

Decimæ vocantur primitiæ, cur?

An Levitæ decimas dederint soli pontifici? Asserit Abulensis.

Putant aliqui, ut Lyranus et Abulensis, hanc decimam decimæ, id est, centesimam omnium fructuum totius Israelis, a Levitis datam fuisse summo pontifici. Hoc enim videtur dici vers. 28 : « Date ea Aaron pontifici. » Quod si ita est, fuit sane pontifex ditissimus, utpote quotannis recipiens centesimam partem frugum totius Judææ. Atque hinc D. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVII, art. 4, ad 3, et alii docent par esse ut Clerici omnes, etiam Episcopi, decimas bonorum suorum dent Romano Pontifici. Pontifex vero eas non exigit, sed loco earum, in majoribus beneficiis annatas, id est fructus primi anni, cum illud alicui confert, exposcit.

Decimæ dandæ Romano Pontifici. Annatæ.

Negant alii, et verius.

Verum melius censent alii hanc decimam decimæ a Levitis datam fuisse, non soli pontifici, sed omnibus sacerdotibus. Alioqui enim pontifex valde dives, et sacerdotes, utpote plurimi, valde

(1) Sunt qui magnos Levitarum reditus carpunt, quasi Sacerdotes sibi regias opes arrogassent, quum ipsi tamen reipublicæ vel parum vel nihil profuissent. Iis respondemus, quod ex ipso Mose et ex reliquis veteris Testamenti libris demonstrari potest, sacerdotes Hebræorum non modo sacrificia obtulisse, sed etiam, more Ægyptiaco, ordinem eruditorum constituisse, ita ut ipsi simul etiam fuerint medici, judices, mathematici publici et scribæ, qui tabulas genealogicas Israelitarum curabant : quid igitur mirum, si tantos reditus habuerunt, ut satis commode vivere possent? Hinc etiam intelligitur, quare sacerdotibus nulli agri iique tractu uno continui dati fuerint. Nam si sacerdotes agros habuissent ut alii, iis colendis occupati, suorum munerum curam neglexissent. Cf. Michaelis in *Jure Mos.* part. I, § 52.

pauperes fuissent. Ita docet Josephus, oculatus testis, lib. IV *Antiquit.* cap. IV, et S. Hieronymus in cap. XLV *Ezech.*, et Philo, lib *De Honoribus sacerdotum*, in fine, atque ex iis Ribera, lib. III *De Templo*, cap. II. Verisimile tamen est, ex hac decima decimæ, bonam partem, pro dignitate tantæ personæ, cessisse pontifici.

Vers. 28. 28. QUORUM ACCIPITIS PRIMITIAS, — id est decimas: ita Chaldæa; hæ enim cedebant Levitis: primitiæ vero proprie dictæ cedebant sacerdotibus, ut patet vers. 11 et sequentibus.

DATE EA AARON SACERDOTI, — ut ille ea inter sacerdotes distribuat: est enim ipse sacerdotum caput et princeps.

Vers. 29. 29. OMNIA QUÆ OFFERETIS EX DECIMIS, ET IN DONARIA DOMINI SEPARABITIS, OPTIMA ET ELECTA ERUNT. — Notent hoc Christiani ii, qui in decimis, primitiis aliisque oblationibus vilissima dant Deo, ac proinde et vilissima ab eo recipiunt, meritoque frugum sterilitate et paupertate puniuntur, sicut puniti sunt Judæi, uti testatur Malachias, cap. I, vers. 14, et cap. II, vers. 2; atque in simili casu eosdem punitos esse docet Aggæus, cap. I, vers. 6 et sequent. E contrario Deus solventibus decimas tales, quales oportet, rependere solet fertilitatem. Audi S. Augustinum, *homil.* 48 inter 50: « Majores, inquit, nostri ideo omnibus copiis abundabant, quia Deo decimas dabant, et Cæsari censum reddebant: modo autem, quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci; noluimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur: hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. » Et serm. 219 *De Tempore*: « Hæc est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris. » Vide eum toto illo sermone (1).

Jubet Deus optima dari in decimas.

Dantes bonas decimas Deus ditat.

Vers. 31. 31. QUIA PRETIUM EST PRO MINISTERIO QUO SERVITIS IN TABERNACULO. — « Pretium est, » hebraice, *merces est*, scilicet laboris quo quasi famuli et bajuli, vos, o Levitæ, laboratis in portando, disponendo et dirigendo tabernaculo, etc. Hoc enim ministerium in se corporale erat, merebaturque pretium et mercedem corporalem; esto referretur ad finem spiritualem, scilicet ad cultum Dei: quæ relatio spiritualis erat, nec vendi poterat sine simonia. *Secundo*, « pretium, » id est stipendium sustentationis: hoc enim etiam in lege nova, ex justitia debitum est parochis aliisque Ecclesiæ ministris.

Sacerdotibus et Levitis debetur sustentatio ex justitia.

Vers. 32. 32. NE POLLUATIS OBLATIONES FILIORUM ISRAEL (quod faceretis, si, cum illi optimas decimas vobis dant, vos inde decimam partem pessimam seligatis, ut eam detis sacerdotibus), ET MORIAMINI, — *q. d.* Si id feceritis, occidemini a me. Unde patet quam severe exegerit Deus, non tantum decimas, sed etiam ex iis meliora sibi offerri.

Deus meliora exigit sub pœna mortis.

Circa hoc caput de decimis nota *primo*, Gentiles quoque suis diis perennes dedisse decimas. Id docet Cicero, libro III *De Natura Deorum*: « Herculi, inquit, quisquam decimam vovit unquam, si sapiens factus esset? » et Plautus: « Ut decimas Herculi solveret; » et Herodotus in *Clio*: « Siste, inquit, ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, ut eorum decimæ Jovi necessario reddantur. » Hæc Crœsus ad Cyrum regem Persarum; et Xenophon: « Agis, inquit, Delphos profectus est, ac decimam Deo obtulit. »

Moraliter de decimis.

Notat *secundo* Philo, lib. *De Sacerdotum honore*, sacerdotibus perinde ac regibus, Dei judicio, tributa esse pendenda: unde judicio legis; sacerdotes æquiparari honore ac majestate regibus, imo præferri; nam regibus coacte et invite tributa dant subditi: « At hæc gens (Judaica), inquit, debitam pecuniam lubens gaudensque depromit, quasi non daret, sed acciperet, addens faustas ominationes et gratiarum actiones. »

Notat *tertio* S. Hieronymus in *Malach.* III, primitias et decimas datas Levitis et sacerdotibus legis veteris, adumbrasse et prælusisse, quod eædem dandæ essent sacerdotibus legis novæ; nam, ut ait Origenes hic, *hom.* 11: « Impium est ut qui Deum colit, et scit ejus ministros assistere altari, et verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deservire, de fructibus terræ quos dat Deus, solem suum producendo, et pluvias suas ministrando, primitias sacerdotibus non offerat; non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus quos cepit. » Hinc jam olim Romanum Concilium sub Damaso sanxit, ut decimæ ac primitiæ a fidelibus darentur, et qui detrectarent, anathemate ferirentur. Quin et S. Chrysostomus, homil. 43 in I *ad Cor.*, jubet ut sutores aliique artifices, cum calceos aliaque suæ artis vendunt, aut emunt, decimam saltem pretii partem Deo dependant. Vis exempla?

Exempla.

Meliapore in India a Lusitanis inventum est templum, et sepulcrum S. Thomæ Apostoli, cui priscis litteris inscriptum erat, templum hoc a sancto Dei Apostolo Thoma quondam exstructum esse; in templo tuendo colendoque mercium, quæ in urbem importarentur decimam, ab Sagamo rege attributum: accesserat obtestatio ad posteros, ne quid ex eo vectigali donatione imminutum vellent. Ita refert noster Maffeius, libro VIII *Histor. Indic.*

Cum Carolus Martellus decimas Ecclesiæ in militum stipendia contra Saracenos convertere vellet, restitit ei S. Eucherius Aurelianensis Episcopus, ideoque ab eo in exilium relegatus est, ut habet Joannes Molanus Doctor Lovaniensis in *Annal Sanctorum Belgii*, 20 februarii.

(1) Vers. 30. *Quod si mihi separaveritis optimum ex quoque* frumenti genere, *eodum loco vobis sint* reliqua, *quo proventus ex area aut torculari.* Hoc repetitur ob ea quæ sequuntur, ut intelligerent Levitæ, se posse frui suis decimis, si optima ex iis Deo obtulissent, haud aliter ac alii Israelitæ suo proventu, solutis decimis et primitiis, utebantur.

Cum S. Stephanus Hungariæ rex Hungaros debellasset et convertisset ad fidem, mox ab eo manubiæ S. Martino, qui fuit Hungarus, cujus invocatione victoriam obtinuerat, et decimæ Ecclesiæ addictæ sunt, ut patet ex ejus Vita, quæ exstat apud Surium, 20 augusti, cap. IV et V.

Audi quid de Dania referat Joannes Archiepiscopus Upsalensis in *Historia Gothorum*, lib. XVIII, cap. XIII, Saxo Grammaticus, lib. XI *Histor. Danor.*, Martyrol. Usuardi 6 Idus julii, Joannes Molanus, orat. 2 et 3 *De Decimis*, Jacobus Meyerus, lib. III *Histor. Flandror.*, anno Christi 1088. Canutus rex, cum summo ac pio studio contenderet, ut Christi ministris liberalius et commodius de decimis et primitiis provideretur, insigni cujusdam Blacconis perfidia traditus, ab insana plebe trucidatur. Quo facto, tanta frumentorum penuria universam Daniam invasit, ut maxima populi pars alimentorum inops, inedia consumeretur. Enimvero abunde seges finitimis erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Nec prius Danicis agris fecunditas restituta est, quam populus ad cor conversus, pœnitentiam ageret, se tam sanctum regem occidisse, qui tam justa et honesta pro Christi ministris postulasset. Jamque experimento didicerant se juste novem frumentorum partes amisisse, qui decimam ex eis Deo et Dei ministris reddere noluissent.

De Polonis refert Longinus Cracoviensis Canonicus, et ex eo Baronius, tom. XI, anno Christi 1022, quod, cum nonnulli eorum nobiles ob onerosam decimarum solutionem a Christianismo resilire, et ad gentilismum redire, ideoque decimas non solvere, nec ecclesias frequentare, sed sacerdotes de ecclesiis pellere cogitarent; Boleslaus pius rex auctores sceleris comprehenderit, eosque partim morte, partim verberibus mulctarit.

De Italis refert ex Crantzio, Usuardo et aliis Joannes Molanus, 26 novembris, S. Bellinum Episcopum Paduanum, cum divitem quemdam nomine Thomam Capivacium cogeret ad solvendas decimas, ab eo in itinere interfectum, atque, cum post mortem miraculis multis claresceret, ab Eugenio IV catalogo Martyrum ascriptum esse; homicidam autem a Deo punitum, ad summam egestatem redactum, et ab omnibus derelictum, in carcere misere vitam finiisse : posteros vero ejus templum in honorem S. Bellini Deo dicatum nunquam ingredi potuisse, quin et paulo post omnino defecisse.

De Scotis scribit Hector Boetius, libro XIII, et Joannes Magicus, lib. IV *De Gestis Scotorum*, cap. X, Catanenses Episcopum suum Adamum, decimas de more exigentem, et ad eas anathemate cogentem, in culina ejus combussisse; id audiens rex Scotiæ Alexander, collectis copiis, auctores sceleris comprehendit, et supra quadringentos extremo supplicio affecit; Comitem vero Catanensium, quod Adamo opem ejus invocanti non succurrisset, Comitatu privavit. Sed Deus gravius eum punivit; nam famuli ejus, quod eos asperius æquo tractasset, post paucos annos noctu trucidatum, ac in grabatum impositum (quo facinus occultum maneret) accensis ædibus concremarunt. Periit ergo ille eodem supplicii genere, quo sui Adamum Episcopum affecerant.

De Saxonibus audi Lambertum Scafnaburgensem anno Christi 1059. Halberstadiensis Episcopus Burcardus, decimationes Saxoniæ, quæ ad monasterium Hersveldense pertinebant, sibi vindicabat ratione Episcopalis regiminis. Abbas ejus cœnobii Meginherus jubet Episcopo per Fredericum Palatinum indicari, cum ad furta restituenda nullo jure adduci posset, brevi instare tempus, quo coram Deo esset hæc causa dijudicanda. Moritur paulo post Abbas. Et cum Episcopus ejus rei gratia Synodum indixisset, in itinere lapsus de equo domum relatus est : ubi tum suos domesticos, tum Episcopos se visitantes rogavit, ut decimas istas absque mora cœnobio restituerent, se enim injustitiæ pœnas jam luere.

De Noricis fame punitis, ob non solutas decimas, dicam *Deuter.* XIV, in fine.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur aqua lustrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combustæ, confecta.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 2. Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum : 3. tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium; 4. et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, 5. comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine et fimo flammæ tradi-

tis. 6. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7. Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. 8. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum. 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, et in aquam aspersionis, quia pro peccato vacca combusta est. 10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel, et advenæ qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo. 11. Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, 12. aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. 13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, et aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel; quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. 14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. 16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. 17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas. 18. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam suppellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos: 19. atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die, expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ; quia Sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus. 21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet; et anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

Vers. 2. 2. ISTA EST RELIGIO (id est cæremonia, sive lex cæremonialis: hanc enim significat Hebr. חקה *chucka*) VICTIMÆ, — scilicet expiatricis, ex cujus nimirum cineribus fiat aqua lustrationis.

ADDUCANT AD TE VACCAM RUFAM. — Rufus, sive sanguineus color symbolum est peccati, idque ex eo, quod effusio sanguinis, sive homicidium maximum sit peccatum; hinc peccata in Scriptura vocantur *sanguines*, et *viri sanguinum* vocantur peccatores. Vacca ergo rufa significabat peccatorem reum esse sanguinis et mortis, æque ac combustionis in igne gehennæ; hæc enim vacca comburebatur, ut ejus cineribus lustraretur et expiaretur immundus, qui tetigerat mortuum: hic autem erat typus peccatoris; contactus enim morticini significabat contactum peccati.

Symbolice, vacca rufa significabat peccatorem.

ÆTATIS INTEGRÆ (hebraice *perfectam*, quod noster Interpres commode de perfectione ætatis, ac consequenter staturæ et molis accepit: nam integritas corporis sequenti conditione exprimitur, qua dicitur) IN QUA NULLA SIT MACULA, — videlicet nullum vitium corporis; hæc enim phrasi non significatur macula coloris, sed deformitatis, ut patet *Levit.* XXII, 22.

NEC PORTAVERIT JUGUM. — Neque enim decet servisse homini victimam hanc, quæ serviet Deo ad hominum expiationem.

Vacca rufa combusta fuit in deserto.

Hanc vaccam valde verisimile est, non tantum in Chanaan, sed etiam in deserto immolatam esse, idque ad purgationem leprosorum, seminifluorum et menstruatarum, sed maxime ad purgationem Levitarum et sacerdotum, qui tabernaculum adire, tangere et portare debebant. Hoc enim facere non poterant, si erant immundi: non est autem dubium quin in deserto sæpe Levitæ immunditiem, tum ex funeribus, tum aliunde contraxerint: illa ergo hac victima, id est, aquis lustrationis, ex cineribus hujus victimæ confectis expiari debebat.

Vers. 3. 3. TRADETISQUE EAM ELEAZARO SACERDOTI, QUI EDUCTAM EXTRA CASTRA IMMOLABIT, — quia hæc victima non erat solemnis et festiva, ut Aaron pontifex illam immolaret, sed lugubris et lustralis; unde eam immolare jubetur Eleazar sacerdos, Aaronis filius. Porro, hic eam immolare jubetur

Vacca rufa cremabatur extra castra, cur ?

« extra castra, » quia immolanda erat pro peccatis totius populi, ut scilicet tota cremaretur usque ad cineres, qui essent expiatorii, sive ex quibus cum aqua commixtis, fieret aqua expiationis. Unde hæc vacca, quasi susceptura in se omnes immunditias Hebræorum, censebatur valde immunda : nam sacerdos, qui eam immolabat, censebatur immundus usque ad vesperam, ut et ille qui cremabat eam, et colligebat cineres ejus. Hinc extra castra jubetur immolari et comburi; simul ut per hoc allegorice significaretur Christum extra Jerusalem passurum, ut ait Apostolus, *Hebr.* XIII, 12. Septuaginta vertunt, *et jugulabunt eam coram eo*, Eleazaro scilicet, quasi non ipse Eleazar, sed alii coram eo hanc vaccam immolare deberent. Verum Hebræa, Chaldæa et Noster significant, non alium quam ipsum Eleazarum, hanc vaccam immolasse (1).

Vers. 4.

4. ET TINGENS DIGITUM IN SANGUINE EJUS ASPERGET CONTRA FORES TABERNACULI, — puta versus ingressum tabernaculi, idque eminus; immolans enim hanc vaccam non erat in atrio, vel tabernaculo, ut illud posset contingere; sed erat extra castra, ibique vitulæ immolatæ sanguinem aspergens, obvertebat se versus Orientalem partem tabernaculi, idque ut per hoc significaretur, Deo qui tabernaculo, quasi templo, repræsentabatur, lustrationem a peccatis fieri, illique nos immunditiis et peccatis nostris ad pœnam obstringi, atque per hanc victimam illi quasi satisfieri, hominesque reatu hoc apud illum exsolvi. Hinc patet immolationem et combustionem hujus vaccæ rufæ, in terra Chanaan debuisse fieri eo loco, ubi erat templum, puta Hierosolymæ, sed extra urbem : tum quia hæc immolatio erat functio sacerdotalis, quæ non poterat fieri alibi, quam ubi erat templum; tum quia ex sanguine hujus vaccæ debebant aspergere septies versus Orientalem partem tabernaculi, vel templi; unde non poterant longe ab eo abesse in hac immolatione : ita Abulensis.

Vacca rufa debebat immolari Hierosolymæ, cur ?

Allegorice, vacca rufa fuit corpus Christi in cruce tostum.

Allegorice, vacca rufa, inquit Theodoretus, hic *Quæst.* XXXVI, et S. Augustinus, *Quæst.* XXXIII, et Rabanus, significat corpus terrenum secundi Adami, scilicet Christi Domini, quia nomen Adæ dictum est ab Adama, id est a terra rubra ex qua corpus ipsius formatum est; sexus femineus significat infirmitatem carnis; ætas integra et libera significat perfectam ætatem et staturam, æque ac libertatem Christi : hæc ab Eleazaro, id est a Judæis, immolata est; lignum cedrinum est figura crucis, coccinum sanguinis, hyssopus gratiæ vivificantis.

Tropologice.

Tropologice, vaccam rufam mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus, quam cum hyssopo lignoque cedrino ac cocco offerimus, « quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit; et per Petrum dicitur (*Actor.* XV) : Fide mundans corda eorum. Lignum cedrinum nulla putredine deficit : quia spem cœlestium terminus non consumit. Unde et per Petrum dicitur (I *Petri* I) : Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem. Coccus vero rubro colore flammescit : quia quem implet charitas, incendit. Unde et in *Evang.* Veritas dicit : Ignem veni mittere in terram. Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur, ut videlicet ante interni judicis oculos, charitas nostra, Dei et proximi dilectione coleretur : quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi utilitatemque postponat, nec sic pro amore proximi occupationi inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris exstinguat; » hucusque S. Gregorius, VI *Moral.* XXV.

Vers. 5.

5. COMBURETQUE EAM, — non per se, sed per suos. « Comburet » ergo, id est comburi faciet (patet vers. 8) « eam, » totam cum pelle, carnibus, sanguine et fimo, ut sequitur.

Vers. 6.

6. LIGNUM QUOQUE CEDRINUM, ET HYSSOPUM, COCCUMQUE BIS TINCTUM SACERDOS MITTET IN FLAMMAM, — quia hæc erant expiatoria : causas ob quas cedrus, hyssopus et coccus adhibita sint ad expiationem et ad victimam expiatricem, dedi *Levit.* cap. XIV, vers. 4 et 5.

Vers. 7.

7. COMMACULATUSQUE ERIT, — immundus erit legaliter. Nota : Sacerdos immolans, et alius comburens vaccam rufam, erant immundi usque ad vesperam, quia vacca hæc, dum comburebatur cum fimo, pelle et sanguine, erat aliquid immundum, uti erat cadaver hominis, vel morticina aliorum animalium : ideo mundos eam tangentes faciebat immundos; postquam vero combusta esset, cineres ejus habebant vim expiandi immundos legaliter, Deo ita ordinante. Ridiculum enim est, quod ait Rabbi Gaon apud Abulensem *Quæst.* XIV, scilicet, cineres hujus vaccæ fuisse instar mellis, quod nocet cholericis, et prodest phlegmaticis; sic enim et cinerem hunc alios inquinasse, alios emundasse.

Vacca hæc erat immunda, sed cineres erant mundi, imo mundantes immundos.

Vers. 9.

9. COLLIGET AUTEM VIR MUNDUS CINERES VACCÆ (combustæ), ET EFFUNDET EOS EXTRA CASTRA IN LOCO PURISSIMO, UT SINT MULTITUDINI FILIORUM ISRAEL IN CUSTODIAM (scilicet, diligenter custodiatur cinis hujus vaccæ a filiis Israel, ut sit) IN AQUAM ASPERSIONIS (hebraice est, *in aquam immunditiæ*, qua scilicet se ab immunditia legali expient; unde sequitur) : QUIA PRO PECCATO VACCA COMBUSTA EST. — Hebraice, *quia vacca hæc est peccatum*, id est, est victima expiatrix peccati.

Cinis vaccæ rufæ mittebatur ad

Hinc verisimile est cineres hos vitulæ rufæ in terra Chanaan ex Hierosolymis, ubi immolata et cremata erat, delatos fuisse ad singula oppida, ut singuli contracta immunditia, purificationem

(1) Hebræa cum Septuaginta videntur consentire; habent enim, *et mactabit* eam, scil. mactans quivis minister, id est *mactabitur*, impersonalis loquendi formula, *coram eo*, scil. Eleazare.

omnes urbes. ad manum haberent. Sic legimus *Joan.* II, in Cana Galilææ positas fuisse sex hydrias, ad purificationem. Hydriæ enim hæ continebant aquam lustrationis : perinde ac apud nos chrisma, ab Episcopo in Cathedrali ecclesia consecratum, ad singulas Episcopatus parœcias transmittitur et defertur. Erat enim per cinerem hunc, communis omnium immunditiarum expiatio (licet in multis casibus, aliis insuper egerent purificationibus, et lotione vestium, vel etiam corporis totius); nam alioqui multæ immunditiæ fuissent sublatæ sine purificatione, ut v. g. contactus animalium immundorum : huic enim nulla alia lustratio præscribitur *Levit.* cap. XI, 43 et 44, et quia Apostolus, *Hebr.* IX, 13, generalem carnis emundationem huic cineri attribuit.

Cinis hic expiabat omnes immunditias legales.

Ritus expiandi per hunc cinerem. Contrarium tamen non est improbabile, scilicet cinerem vitulæ rufæ tantum expiasse immunditiam contractam ex contactu mortui; nam hoc tantum hic exprimitur. Ita Abulensis, *Quæstione* XV.

Nota : Hic erat ritus purificandi et expiandi, ut colligitur vers. 19. Cinerem hunc vitulæ rufæ injiciebant in hydriam, vel vas aliud plenum aqua viva, v. g. fontana. Deinde alius quispiam mundus hac aqua aspergebat immundum, sed ita ut ipse adhuc usque ad solis occasum censeretur immundus.

Allegorice, aqua cineralis est sanguis Christi. Allegorice, hæc aqua cineralis et lustralis fuit typus sanguinis Christi. Nam, « si cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? » ait Apostolus, *Hebr.* IX, 13.

Secundo, est aqua lustralis. Rursum, aqua hæc cineralis et lustralis significabat aquam nostram lustralem, sive benedictam, qua utimur ad expiationem peccatorum venialium. Nam, ut recte argumentatur Alexander I Pontifex, qui fuit sextus a S. Petro, *epist.* 1, ad omnes orthodoxos : « Si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, quanto magis aqua, quæ sale aspersa divinisque precibus sacrata est, populum sanctificat atque emundat? »

Miracula facta per aquam benedictam. Scribit Clemens Romanus, lib. VIII *Constit. Apostol.* cap. XXXV, S. Matthæum usum aquæ benedictæ instituisse, ritumque benedictionis ab eo præscriptum recenset. Vim vero et fructum benedictionis hujus Deus multis declaravit miraculis. Nam S. Chrysostomus, aquam benedicens, eaque aspergens filium ægrum, eum sanum matri reddidit, ut habetur in ejus Vita.

S. Quintianus, anno Christi 506, Episcopus Arvernæ civitatis, familiam Hortensii senatoris valida febri correptam sanavit, mittendo ad eam aquam benedictam; testis est Gregorius Turonensis in ejus Vita.

S. Fortunatus cuidam Gotho per aquam benedictam coxam fractam integritati restituit, ut refert S. Gregorius, I *Dial.* cap. X.

S. Malachias, Hibernensis Episcopus, filium regis Scotiæ, et mulierem cancro laborantem aqua benedicta sanavit, uti refert S. Bernardus in ejus Vita.

S. Odilo, Abbas Cluniacensis, anno Domini 1048, lunaticum aqua lustrali curavit, ut refert Petrus Damianus in ejus Vita.

S. Anselmus, anno Domini 1106, cæco per aspersionem aquæ benedictæ visum restituit, uti refert Edinerus in ejus Vita, lib. II.

S. Willebrordus, Episcopus Ultrajectensis, anno Domini 700, per eamdem domum a vexatione dæmonum liberavit, uti refert Albinus Flaccus in ejus Vita.

Magicas præstigias Judæorum per aquam benedictam dissipavit Josephus ex Judæo Christianus, anno Domini 327, uti ex Epiphanio refert Baronius.

S. Marcellus, Apameæ Episcopus, dæmonem impedientem demolitionem templi Jovis Apameni aqua benedicta fugavit, templumque dejecit, ut refert Theodoretus, lib. V, cap. XXI, et Baronius, anno Christi 389.

Audi quid de hac aqua senserit S. Hubertus Leodiensis Episcopus, anno Christi 700 : « Vade, inquit, aqua, quæ sacerdotali consecratione sale admixto benedicta, et ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impregnata est, liquorque olim itidem Apostolica auctoritate benedictus huc inferatur, quorum aspergine atque litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, ut amplius non audeat sua inferre machinamenta. » Ita habet ejus Vita, quæ exstat apud Surium, 2 novembris.

Leo VI Imperator scripsit librum *De Apparatu belli*, ubi cap. XIII ita scribit : « Pridie ejus diei quo prælium est ineundum, curare debet dux exercitus, per sacerdotem universum exercitum ἁγιάζειν, id est aqua lustrali expiari; » refert hoc Baronius anno Domini 911. Hoc sæculo in Indiis per aquam hanc mira facta sunt et fiunt. In Japone curantur passim ægroti ubi aquam hanc hauserint, ut patet ex *epist. Japon.*

Vers. 10. 10. HABEBUNT HOC FILII ISRAEL, etc., SANCTUM JURE PERPETUO. — « Sanctum, » id est firmum et inviolabile, quasi legem jure perpetuo sancitam; patet ex Hebræo.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. QUI TETIGERIT CADAVER HOMINIS, ET PROPTER HOC SEPTEM DIEBUS FUERIT IMMUNDUS, ASPERGETUR EX HAC AQUA DIE TERTIO ET SEPTIMO, ET SIC MUNDABITUR. — Cur septem diebus erat immundus? cur die tertio et septimo erat lustrandus? Respondet Aben Ezra, quia luna in septem diebus facit quadraturam cum sole a tempore conjunctionis. Nam luna 28 diebus peragit suum cursum et ad solem a quo recesserat, redit : pars autem quarta 28 sunt septem; rursum tria sunt quasi dimidium hujus quadraturæ, puta septem :

Cur die tertio et septimo lustrabatur immundus?

quia enim luna est mater humidorum, et ista aspersio fiebat in aqua, quæ est humida, hinc volebat Deus quod tunc luna in eamdem influeret, ad hoc, ut hæc aspersio proficeret. Sed hæc sunt frivola et lunaticæ mentis commenta. Vera causa fuit voluntas Dei, ita ordinans; congruentia fuit quod septenarius sit symbolum perfectionis, in cujus medio, puta die tertio, et fine, puta die septimo, volebat Deus immundum lustrari, ut plena et perfecta censeretur esse lustratio.

Hanc lustrationem imitati sunt Gentiles : quotquot enim in funere, comburendoque cadavere ad rogum tantisper exspectassent, dum collectis conditisque reliquiis funeri finis fieret, non ante a lugubri hoc officio discedebant, quam aqua ter essent lustrati propter contractam a funere pollutionem. Id docet Virgilius rituum scientissimus in funere Miseni, *Æneid.* V :

> Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.
> Idem ter socios pura circumtulit unda,
> Spargens rore levi et ramo felicis olivæ.

Ubi et aspergilli meminit, quod e rore marino et oliva felici constabat.

Vers. 13. 13. OMNIS QUI TETIGERIT HUMANÆ ANIMÆ MORTICINUM (cadaver), ET ASPERSUS HAC COMMIXTIONE (id est hac aqua lustrationis, cum cineribus vitulæ rufæ commixta) NON FUERIT, POLLUET TABERNACULUM DOMINI (quantum in se est, illud si videlicet ingrediatur pollutus et immundus existens, antequam hac aqua lustrationis se expiet; hinc ob violatum sanctuarium) PERIBIT EX ISRAEL, — id est, occidetur a judicibus, si res constet; sin sit occulta, me vindice in mortem improvisam incurret. Ita Abulensis.

Vers. 14. 14. ISTA EST LEX HOMINIS (de homine, circa hominem) QUI MORITUR IN TABERNACULO : OMNES QUI INGREDIUNTUR TENTORIUM ILLIUS, ET UNIVERSA VASA QUÆ IBI SUNT, POLLUTA ERUNT SEPTEM DIEBUS. — Ex hoc loco Judæi istam consuetudinem sibi induxerunt, ut quando aliquis moritur in domo, omnem aquam quæ erat domi in vasis, effundant extra domum, quia judicant eam esse immundam. Alii simpliciores id etiam agunt, ex eo quod putent animam de corpore recenter egressam, lavari in aqua domus, et illam suo contactu inficere. Addunt alii angelum mortis, id est Satanam, gladium suum, quo illum hominem interfecit, in ea aqua rursum lavare. Sed posterius hoc utrumque est ridiculum : prius probum est, et ex hac lege faciendum, si vas non esset coopertum; tunc enim coinquinabatur, ut dicitur vers. 15; sin esset coopertum, non coinquinabatur moriente homine, ideoque non erat necesse aquam eo contentam effundi : ita Abulensis.

Moriente homine aquam omnem domus effundunt Judæi, cur?

Vers. 15. 15. VAS QUOD NON HABUERIT OPERCULUM, NEC LIGATURAM DESUPER, IMMUNDUM ERIT. — Nam, uti moraliter explicat S. Gregorius, XXIII *Moral.* cap. IX : « Tegmen operculi vel ligatura est censura disciplinæ : qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur (1). »

Vers. 16. 16. SI QUIS IN AGRO TETIGERIT CADAVER, etc., SIVE OS ILLIUS, VEL SEPULCRUM, IMMUNDUS ERIT SEPTEM DIEBUS. — Summa apud Judæos immunditia erat cadaverum, adeo ut tangentes sepulcra, essent immundi septem diebus. Hinc ipsi sepulcra habebant non juxta templum, nec in urbibus, ne in ea incurrendo polluerentur, sed extra eas (ut patet *Luc.* VII, 12, et *Joan.* XIX, 41, de sepulcro Christi) in agris et locis separatis. Hinc etiam Josias rex volens idolorum templa profanare, et omnem religionem locis adimere; mortuorum ossa in illa intulit, IV *Reg.* XXIII, 14.

Hinc Judæi sepulcra habent extra urbes.

Et Gentiles.

Sic et Gentiles non in urbe, sed extra suos sepeliebant, tum ne aer in urbe ex fœtore cadaverum putrefieret, tum « ne funestarentur sacra civitatis, » ut ait Paulus, lib. II *Recept. sentent.*, tit. 21; et « ne sanctum municipiorum jus polluereturn, » ut inquiunt Diocletianus et Maximianus in suo hac de re rescripto : putabant enim Romani aliique Gentiles, quidquid diis superis sacrum esset, id vel solo aspectu aut contactu rei funestæ contaminari. Sed nec funere pollutis sacrificare fas erat : quare si utrumque ex causa gravi cuipiam faciendum esset, « elaborabat ut ante sacra efficeret, quam funus agnosceret. Unde etiam Horatius Pulvillus, in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis ejus filius nuntiaretur exstinctus, ait : Cadaver sit, nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret, » inquit Servius in lib. X *Æneidos*. Similis fuit ritus Græcorum, ut patet ex Luciano *de Dea Syria*.

Denique inauspicatum omen erat, si quis forte in sepulcra incideret. Audi Livium; libro XXX : « Jussus e nautis unus ascendere in malum, ut specularetur quam tenerent regionem, cum dixisset sepulcrum dirutum proram spectare, obominatus, » scilicet Annibal. Ex eodem ritu manavit, quod « deus Viduus » ab eis extra urbem colebatur, teste S. Cypriano, lib. *De Vanitate idolorum* : « In tantum, inquit, deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos et Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis et funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur. » Perstringit hanc veterum superstitionem Theodoretus, lib. VIII *De Curandis Græc. affect.*

Deus Viduus quis?

Secus se res habet apud Christianos, qui sepulcra juxta ecclesias habent, ut orent pro defunctis, utque mortis et resurrectionis imaginem et spem perpetuo ob oculos habeant.

Tropologice, cadavera sunt peccata. Hinc S. Paulus, *Hebr.* IX, 14, peccata vocat « opera mortua. » Unde Chrysostomus, homil. 15 *in Joan.* : « Si quis, inquit, tangebat olim mortuum, contaminabatur; et hic si quis tetigerit opus mortuum, id est pec-

Peccatum est cadaver, pestis et vomitus.

(1) Pro *ligatura*, hebr. est *operculum*, v. g. corium, *junctum*, id est, quasi vasis ori arctissime intortum.

catum, inquinatur per conscientiam. » Item : « Si eum qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum, quanto magis qui mortua opera habet? contaminatio enim est pessima ; » statim ergo per confessionem se eluat, nec iterum tangat mortuum, id est ad peccatum non redeat. Et rursum : « Dicitur, inquit, quia pestis, cum generatur, corrumpit corpora, tale est peccatum : a peste nihil differt, non quia aerem corrumpit primum, deinde corpora, sed quia continuo in animam transilit, » etc. Quid vomitu turpius excogitari potest, aut fœdius et horribilius ad edendum? Talis est qui redit ad peccatum. Unde *Prov.* XXVI : « Sicut, inquit, canis qui revertitur ad vomitum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. »

Vers. 17. 17. TOLLENTQUE DE CINERIBUS COMBUSTIONIS, ATQUE PECCATI (id est vitulæ combustæ pro peccatis legalibus expiandis : hinc enim vitula hic vocatur *peccatum*, metonymice), ET MITTENT AQUAS VIVAS SUPER EOS (cineres). — Aquæ vivæ sunt quæ moventur et fluunt, uti fontanæ et fluviales ; mortuæ sunt quæ stant et stagnant.

Vers. 20. 20. SI QUIS HOC RITU NON FUERIT EXPIATUS, PERIBIT ANIMA ILLIUS. — Nota : Immunditia hæc tangentis cadaver durabat tantum septem dies, quibus elapsis per se expirabat et cessabat, inquit Abulensis. Hoc enim est quod dicitur vers 16 : « Immundus erit septem diebus. » Verum contrarium est verius, scilicet non cessasse hanc immunditiam, nisi per expiationem aquæ cineralis. Nam vers. 13 dicitur : « Qui aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. » Debebat ergo immundus hac aqua cinerali se expiare : quod si contemneret, puniebatur morte, ob violatam Dei legem, vel a judicibus, si res constaret, vel a Deo ipso, si res esset occulta. Sin per oblivionem omisisset hanc sui expiationem, illiusque postmodum recordatus fuisset, tenebatur offerre sacrificium pro delicto suo præscriptum *Levit.* V, 3 et 5 ; si non recordaretur, non imputabatur ei ad pœnam. Ita Abulensis.

Judæi jam hoc cinere non expiant se, cur?

Notat Abulensis, *Quæst.* XXI, Judæos nullas amplius expiationes servare, nec iis obligari, etiamsi perstent in judaismo et conscientia sua erronea, qua putant se legibus veteribus adhuc teneri. Nam istæ expiationes præscriptæ erant in ordine ad Sanctuarium, ut scilicet illud non adirent nisi mundi aut expiati ; jam autem nullum habent Sanctuarium. *Secundo*, quia hæc vitula rufa, ex qua fiebat aqua lustrationis, debebat immolari a sacerdote, eo loco ubi erat templum, sanguisque ejus versus templum aspergi; jam autem nec habent sacerdotes, nec templum : unde non possunt hanc vitulam rufam immolare. Eadem de causa lustrationes hasce non servarunt Judæi in captivitate Babylonica ; in ea enim eversum fuit templum.

Vers. 21. 21. OMNIS QUI TETIGERIT AQUAS EXPIATIONIS, IMMUNDUS ERIT USQUE AD VESPERUM. — « Omnis ; » ergo et aspergens immundum, imo et ipse aspersus hac aqua, mundabatur quidem ab immunditia priori, v. g. cadaveris, sed aliam ex contactu hujus aquæ contrahebat, qua censebatur immundus esse usque ad vesperam, uti patet vers. 17. Ita Abulensis. Erat ergo hæc aqua expiatrix, et simul immunda ; perinde ut lixivium, licet sit immundum, pannos tamen emundat.

Aqua hæc quasi lixivium immunda, erat emundans. Vers. 22.

22. QUIDQUID TETIGERIT IMMUNDUS, IMMUNDUM FACIET. — « Immundus, » non legaliter : sic enim immunditia hæc pervasisset statim omnes Judæos ; sed naturaliter, uti erant soli leprosi, seminiflui et menstruatæ. Quidquid enim hi tangebant, hoc faciebant immundum ; sed si quis hæc immunda ulterius tetigisset, non ideo fiebat immundus, uti dixi in *Levitico*. Ita Abulensis. Verum, quia de leprosis, seminifluis et menstruatis hic non agitur, nec de eis ulla hoc capite facta est mentio, hinc verius Lyranus hæc refert ad immundum, qui immundus est ex contactu aquarum cineralium, sive expiationis. Hæc enim verba referenda sunt ad immediate præcedentia, ubi dicitur : « Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperam. » Mox enim subditur : « Quidquid tetigerit immundus (scilicet jam dictus, videlicet ex contactu aquæ expiationis), immundum faciet, » adeo ut immunditiam suam alteri se tangenti afflet et communicet ; hoc enim est quod subditur.

ET ANIMA QUÆ HORUM QUIPPIAM TETIGERIT, IMMUNDA ERIT USQUE AD VESPERUM. — « Horum, » scilicet quæ hoc capite dicta sunt, videlicet vitulam rufam, sanguinem ejus, cineres, aquam lustrationis. Quicumque enim hæc tangebant, immundi erant usque ad vesperam, uti dictum est vers. 7, 10 et 21. Ita Abulensis. Verum quia hic versus pendet a præcedenti, eique ex æquo quasi respondet, hinc *secundo*, genuine Lyranus : Qui tetigerit, inquit, aliquid *horum*, scilicet quæ tetigit immundus (qui immundus est ex contactu aquarum lustrationis), hic ex eorum contactu immundus erit usque ad vesperam. Aquæ enim hæ, utpote cinerales, atque ex fimi et pellis vitulæ combustione confectæ, licet expiatrices essent, censebantur tamen immundæ, adeo ut qui eas tetigisset, non tantum esset immundus, sed et immunditiam suam aspergeret rebus omnibus quas tangebat, ita ut qui illa ab eo tacta, ideoque polluta vicissim tangeret, pollueretur, fieretque immundus usque ad vesperam. Hunc esse sensum patet, tum ex connexione sententiarum, tum ex textu Hebræo et Chaldæo, qui alium sensum non admittunt.

Nota : Hæc immunditia vespere per se, sine alia expiatione desinebat ; alioquin enim in expiationibus progressus fuisset in infinitum. Ita Lyranus.

An sex tantum vaccæ crematæ sint?

Denique tradunt Hebræi, et ex iis Burgensis, quod sex tantum vaccæ rufæ fuerint immolatæ, per totam durationem utriusque templi : scilicet prima, tempore Mosis per Eleazarum, de qua hic

dicitur, ejusque cineres durasse per totum templum primum; secundam, tempore Esdræ, in principio templi secundi; alias autem duas immolasse Simeonem justum, diversis temporibus (fuit enim ipse pontifex per annos 80); alias denique duas immolatas esse per Joannem pontificem, qui fuit pater Mathathiæ, a quo descenderunt Machabæi. Verum difficile est creditu, quod pauci unius vaccæ cineres, per tam multos spargendi, suffecerint tantæ, scilicet innumerabili pene multitudini Judæorum; unius enim vaccæ cineres distribuebantur per totam Judæam. Singuli enim Judæi crebro iis utebantur ad sui expiationem. Quare verisimilius est, quod ait Lyranus, quotannis vaccam unam rufam immolatam fuisse. Quotannis immolata est vacca una rufa.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Maria. Secundo, vers. 3, ob sitim murmurat populus : hinc irritati Moses et Aaron ad aquas Contradictionis offendunt Deum, ideoque ingressu terræ promissæ arcentur. Tertio, vers. 14, Moses a rege Edom petit transitum, negat ille. Quarto, vers. 22, in monte Hor moritur Aaron.

1. Veneruntque filii Israel, et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo; et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco. 2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron; 3. et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino! 4. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur? 5. Quare non fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum? 6. Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. 7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 8. Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et jumenta ejus. 9. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, 10. congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite, rebelles et increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? 11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta. 12. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. 13. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis. 14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, 15. quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros: 16. et quo modo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, 17. obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. 18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. 19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam; et si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio diffi-

cultas, tantum velociter transeamus. 20. At ille respondit : Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, et manu forti, 21. nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos : quam ob rem divertit ab eo Israel. 22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom ; 23. ubi locutus est Dominus ad Moysen : 24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos ; non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas Contradictionis. 25. Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor. 26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus : Aaron colligetur et morietur ibi. 27. Fecit Moyses ut præceperat Dominus : et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. 28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. 29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. 30. Omnis autem multitudo, videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

Vers. 1. 1. VENERUNTQUE FILII ISRAEL, ET OMNIS MULTITUDO IN DESERTUM SIN, MENSE PRIMO, ET MANSIT POPULUS IN CADES.—Hoc desertum Sin aliud est a Sin, in quo pluere cœpit manna, *Exodi* XVI, 1 et 15. Nam in illo octava fuit Hebræorum mansio, sive statio : in hoc vero fuit trigesima tertia; unde in Hebræo hoc *Sin* per *tsade*, illud vero in Exodo per *samech* scribitur.

MENSE PRIMO. — Intellige anni quadragesimi ab egressu Hebræorum ex Ægypto, uti communiter exponunt omnes Interpretes : nam, ut solerter advertit Abulensis, Moses tantum describit gesta trium annorum in deserto, videlicet duorum primorum, idque ab *Exodi* cap. XII, hucusque ; et quadragesimi sive ultimi, ab hoc capite et deinceps. Reliquos ergo triginta septem annos intermedios silentio obvolvit, forte quod nihil memorabile in iis contigerit. Itaque cum mensis hic primus non possit esse anni primi, vel secundi egressus ex Ægypto : de illis enim jam pridem egit in Exodo, Levitico et Numeris hucusque; consequens est hunc mensem primum accipiendum esse de anno quadragesimo : idque secundo plane colligitur ex *Numeris* XXXIII, 37 et 38, ubi Hebræi ex Cades (de quo hic agitur) dicuntur venisse in montem Hor, ubi trigesima quarta fuit mansio Hebræorum, ibique mortuus dicitur Aaron, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto. Unde plane verisimiliter colligitur Hebræos eodem anno quadragesimo venisse in præcedentem mansionem Cades, sed mense primo, uti hic dicitur.

Moses tantum describit gesta anni primi, secundi, et quadragesimi.

Ab hoc loco usque ad finem Deuteronomii describuntur acta anni quadragesimi.

Ab hoc ergo capite usque ad finem Pentateuchi, describuntur gesta anni quadragesimi, qui fuit ultimus peregrinationis Hebræorum in deserto.

Cades hoc aliud est a Cadesbarne.

ET MANSIT POPULUS IN CADES. — Putant Abulensis et Andreas Masius in *Josue* XV, 3, hanc Cades eamdum esse cum Cadesbarne. Verum dico : alia est hæc Cades a Cadesbarne, juxta quam decima quinta fuit Hebræorum mansio, uti dixi cap. XIII, 1 et 27. In hac enim Cades fuit trigesima tertia mansio, ut patet cap. XXXIII, 36. *Secundo*, idipsum docent Chorographi terræ sanctæ, ut Wolfgangus, Zieglerus, Adrichomius et alii. *Tertio*, idipsum demonstrat Torniellus in suis *Annalibus*, pag. 346, ex eo quod Cadesbarne exstiterit in confinio Australi terræ Chanaan, ut patet *Num.* XXXIV, 4, et *Josue* XV, 3, ubi ponitur in sorte tribus Judæ. At Cades hæc longe aberat Chanaan : erat enim posita in extremis finibus Idumææ, ad Austrum vergentibus, uti patet *Numer.* XX, 16, non valde procul a mari Rubro. Nam ab Asiongaber, quæ erat ad mare Rubrum, venerunt Hebræi in Cades, inde in montem Hor, qui est in finibus Idumææ; unde hic ex Cades Hebræi, vers. 20, miserunt nuntios ad regem Edom, ut concederet eis transitum per terram suam; quem cum ille dare nollet, coacti sunt Hebræi longiori via circuire et transire per terminos ejus Orientales, inde per Moabitas et Ammonitas, ut tandem transito Jordane ingrederentur Chanaan, a latere ejus Orientali. Hinc S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*, et *ad Fabiolam*, de 42 Mansion. in 33 : « Cades, inquit, est urbs in deserto, juxta civitatem Arabiæ, quæ dicta est Petra. In Cades cæsus est rex Sodomorum cum suis a Codorlahomor, *Gen.* XIV, 7. Ibi et occubuit Maria, soror Mosis; ibi et Moses ac Aaron, propter aquas Contradictionis offendunt Dominum, et prohibentur transire Jordanem. » Unde et Cades hebraice dicitur per antiphrasin, quasi minime Cades, id est sancta, vel a sanctitate Mosis translata in offensam. Cades quoque vocata fuit Fons judicii, *Genes.* cap. XIV, vers. 7, quia ibi judicatus est rex Sodomorum cum suis ; vel per anticipationem, quia ibi judicati sunt Moses et Aaron, ut patet hoc capite, vers. 12.

In Cades quæ contigerint?

Unde dicta?

MORTUAQUE EST IBI MARIA, — puta in Cades, mense primo anni 40. Mortua est ergo Maria quatuor mensibus ante fratrem suum Aaronem : hic enim mortuus est die primo mensis quinti anni 40, ut patet *Numer.* XXXIII, 38; et undecim mensibus ante Mosen : Moses enim mortuus est sub

Moritur Maria quatuor mensibus ante Aaronem, et

undecim ante Mosen, anno mundi 2493. finem ejusdem anni 40 (ut patebit *Deuter.* ult.), qui fuit annus mundi 2493.

Maria vixit annos 130. Nota : Mortua est Maria anno ætatis circiter 130; erat enim ipsa facile decennio senior Mose, uti dixi *Exodi* II, 4 et 7. Moses autem, qui hoc eodem anno mortuus est, defunctus est anno ætatis 120, ut patet *Deuter.* cap. ult., vers. 7.

Allegorice. Allegorice, videtur in Maria prophetia esse mortua, in Aarone et Mose sacerdotio et legi Judæorum finis esse impositus : eo quod nec ipsi ad terram promissionis transcendere valeant, nec credentem populum ad eamdem de solitudine hujus sæculi educere, nisi solus Jesus, id est, Salvator, verus Dei Filius, inquit S. Hieronymus supra, et ex eo Rabanus.

Vers. 2. CUMQUE INDIGERET AQUA POPULUS. — Erant putei et fontes in Cades : hi, morantibus ibi Hebræis, desiccati fuisse videntur, ideoque Judæi siti ibidem laborantes, contra Mosen murmurarunt.

Fabulantur Hebræi in morte Mosis defecisse manna, in morte Mariæ puteum, in morte Aaron columnam nubis. Tradunt Hebræi, et nominatim Rabbi Salomon, propter Mariam datum fuisse a Deo Judæis aquæ puteum, qui eos præcederet ubicumque consisterent : propter Mosen datum esse eis manna : propter Aaronem, columnam nubis; hinc iis mortuis ea defecisse : hinc et Hebræos impugnatos fuisse ab Arad rege, capite sequenti, eo quod Arad videns post mortem Mariæ subtractum esse Hebræis puteum, cogitaret eos a Deo esse desertos, ideoque facile vinci et delere posse.

Sed hæ sunt fabulæ : certum est enim, nec columnam, nec manna defecisse in morte Aaronis vel Mosis; sed diu post, cum scilicet Hebræi jam ingressi essent Chananæam gustassentque de frugibus terræ, ut patet *Josue* cap. V, vers. 12.

Vers. 3. 3. UTINAM PERIISSEMUS INTER FRATRES NOSTROS, CORAM DOMINO! — Hebraice, utinam expirassemus cum fratribus nostris in deserto, idque « coram domino, » residente et præsidente in columna nubis et in tabernaculo! Dominus enim nos, ob murmur exploratorum, morte damnavit capite XIV, vers. 19.

Vide hic rursus ingratitudinem populi, et magnam Mosis charitatem cum ea luctantem, eamque superantem. Narrat Laertius, lib. IV, cap. I, Antisthenem, cum audiret Platonem de se male loqui, dixisse : « Regium est, cum benefeceris, audire male. » Excelsi enim animi est ingratitudine hominum non deterreri a studio benefaciendi omnibus.

Diogenes rogatus, « quid apud homines citius senesceret : Beneficium, » inquit.

Plato Aristotelem vocabat mulum : quia mulus, cum saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat ergo Plato ingratitudinem Aristotelis, qui edoctus a se scholam in Peripato aperuisset, ejusque ideas et dogmata vellicaret. Ita Ælianus, lib. IV.

Aristoteles roganti, « cur reliquisset Athenas, » respondit · « Ne Athenienses bis peccent in Philosophiam, » subobscure taxans Socratis mortem, et suum quoque periculum. Ita Ælianus, lib. VI.

Demosthenes inter fugiendum subinde respiciens ad arcam Palladis, sublatis manibus dixit : « O Pallas rerum domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone et populo? » Noctua enim Palladi sacra est; eadem draconem habet pro gestamine; populus autem bellua est multorum capitum, pessimam gratiam referre solita optime de se meritis, velut Socrati, Phocioni, Scipioni, etc. Ita Plutarchus.

Epaminondas, accusatus quod imperium quatuor menses ultra tempus sibi præstitutum gessisset, cogente necessitate, catello sibi blandiente dixit : « Hic mihi pro beneficio gratiam reponit, at Thebani de quibus sæpe multumque sum præclare meritus, mortis pœnam mihi judicio constituerunt. » Ita Ælianus, lib. XIII.

Pompeius Marcellino, quem evexerat, hosti facto et convicianti : « Non te pudet, ait, Marcelline, mihi convicium facere, qui te e muto loquentem, e famelico vomentem feci? » Ita Plutarchus in *Apophth.*

Alfonsus rex Aragoniæ, cum objurgaretur quod in Alvarum Lunam hominem sibi plane ingratum tanta contulisset beneficia, quorum ne memor quidem jam esset : « An ignoratis, ait, ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri? » Idem : « Malo, ait, multos mea clementia et mansuetudine servare, quam paucos mea severitate perdere. » Testis est Panormitanus in ejus Vita.

Vers. 6. 6. INGRESSUSQUE MOYSES ET AARON, DIMISSA MULTITUDINE, TABERNACULUM FOEDERIS, — ut Dominum consuleret.

Moraliter S. Gregorius, XXIII *Moral.* XXI : « Relictis turbis ad tabernaculum redire, et postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare : ibi enim Dominus consulitur, et quod foris agendum est publice, intus silenter auditur; hoc quotidie boni Rectores faciunt : cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divinaque lege perspecta, quasi coram posita arca Dominum consulunt, et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt. »

DOMINE DEUS, AUDI CLAMOREM. — Hæc oratio Mosis non habetur jam in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta; vel ergo ex iis excidit, vel certe Interpres noster paraphrastice eam supplevit. Certum est enim Mosen orantem, non alia, sed hæc ipsa orasse, scilicet ut Deus populo murmuranti ob sitim, daret aquam. Ita Abulensis. Pari modo τὸ *egrediamur foras, Gen.* IV, 8, jam non habetur in Hebræo, Chaldæo et Græco.

APERI EIS THESAURUM TUUM, FONTEM AQUÆ VIVÆ. — *Aqua viva* dicitur saliens, vel quæ fluit, sicuti mare Mortuum est stagnans. Vocat autem talem fontem thesaurum, quia quæ latent, et necdum Quæ latent sunt

In thesauris Dei. reperta sunt, dicuntur esse in thesauris Dei : hinc illud *Psalm.* XXXII 7 : « Ponens in thesauris abyssos ; » et *Psalm.* CXXXIV, 7 : « Producens ventos de thesauris suis ; » et *Deuter.* XXVIII, 12 : « Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, ut tribuat pluviam ; » et cap. XXXIII, vers. 19 : « Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. »

UT SATIATI, — scilicet, cum fuerint.

ET APPARUIT GLORIA DOMINI, — puta fulgor columnæ nubis novos et insolitos vibrans radios, columnæ, inquam, incumbentis tabernaculo.

Vers. 8. 8. LOQUIMINI AD PETRAM, — quidnam? verisimile est hoc : « Petra, in nomine Domini Dei, da aquas. »

Vers. 9. 9. TULIT IGITUR MOYSES VIRGAM, QUÆ ERAT IN CONSPECTU DOMINI, — quæ reposita erat in tabernaculo. Virga hæc erat Mosis, tot portentorum operatrix, non autem Aaronis quæ fronduerat : hæc enim tantum erat signum sacerdotii Aaroni consignati, atque ad ejus rei testimonium reposita fuit juxta arcam fœderis : ita aliqui. Verum, cum constet virgam Aaronis repositam esse in tabernaculo, de Mosis virga nesciatur, quonam devenerit, hinc certius hic intelligemus virgam Aaronis, non Mosis.

Vers. 11. 11. CUMQUE ELEVASSET MOYSES MANUM, PERCUTIENS VIRGA BIS SILICEM, EGRESSÆ SUNT AQUÆ LARGISSIMÆ. — Alia est hæc petra, et percussio, ab illa *Exodi* XVII, 6. Illa enim in Raphidim, juxta Sinai, anno secundo; hæc enim Cades anno quadragesimo contigit. Rursum, Deus hic se solo supernaturaliter aquas produxit ex petra, aerem vicinum in aquas convertendo; in Raphidim vero, venam subterraneam aquarum in lapidem a Mose percussum elicuit, quæ lapidem findens, ex eo prosiliret, idque assidue et continuo. Tradunt enim Cosmographi in Raphidim fontem hunc petræ, a Mose percussæ, perdurare, aquasque continue scaturire, inquit Abulensis. Ita Theodosius Abbas prece præmissa, virga petram percutiens, ex ea fontem perennis aquæ elicuit, qui per aquæ ductus vicinum monasterium, ab eo ædificatum in loco arido irrigabat. Hic fons postea, lavacro in monasterio exstructo, exaruit; sed eo destructo, rursum fluere cœpit. Deus enim uti suis non deest in necessariis, ita non redundat in superfluis ; testis est Theodoretus in *Philotheo*, cap. X.

Bis petra dedit aquas.

Allegorice, petra est Christus, I *Cor.* X, 5; aqua est gratia spiritualis a Christo profluens; virga est crux Christi; bis percutitur, quia duo ligna transversa sunt crux. Moses Judæorum typum gerit : sicut ergo Moses petram virga percutiens de Dei virtute dubitavit : ita ille populus, qui sub lege per Mosen data tenebatur, Christum ligno crucis affigens, eum virtutem esse Dei non credidit; sed sicut percussa petra manavit aqua sitientibus, et sanctificatus est per eam Deus : sic plaga Dominicæ passionis effecta est vita credentibus; crux ergo aquam elicit, incredulis contradictionis, credentibus sanctificationis, inquit S. Augustinus hic *Quæst.* XXXV, et lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XV, et Rupertus.

Vers. 12. 12. QUIA NON CREDIDISTIS MIHI UT SANCTIFICARETIS ME CORAM FILIIS ISRAEL, NON INTRODUCETIS HOS POPULOS IN TERRAM QUAM DABO EIS.

Quæres, quænam fuit hic incredulitas, vel peccatum Mosis? Respondent *primo* aliqui, illud fuisse, quod bis percusserit petram, cum semel tantum debuisset.

Quodnam fuit peccatum Mosis ?

Resp. Primo.

Secundo alii, quod, populo id petente, petram aliam ab ea quam Dominus designarat, percusserit; et hoc esse quod ait Moses : « Numquid de petra hac (quam scilicet vos, o Hebræi, designatis, non Dominus) vobis poterimus aquam elicere? » Ita Rabbini.

Secundo.

Tertio alii, quod locutus sit, non petræ, uti jusserat Dominus, sed populo, eum objurgando et exacerbando, vocans eum incredulum et rebellem : unde populus irritatus, videns licet miraculum aquarum, non sanctificavit tamen Dominum, eum laudando, eique gratias agendo. Ita Abulensis, Theodoretus, Oleaster, Lyranus, estque hæc sententia satis probabilis. Durum enim est et difficile creditu, quod Moses de Dei virtute dubitarit, cum toties eam in tot portentis esset expertus.

Tertio.

Quarto alii, quod concitatior, et indignans populo murmuranti, ambigue protulerit interrogando : « Numquid, » etc., quæ absolute et affirmative proferre debuisset, dicendo : « Petra, da aquas; » et hoc est, quod de Mose dicitur *Psal.* CV, vers. 34 : « Distinxit in labiis suis, » id est aliter protulit verba Dei, quam proferenda erant.

Quarto.

Quinto et genuine, peccatum Mosis fuit, quod ipse jam plane senescens (senes enim facile concitantur ad bilem, impatientiam, diffidentiam et pusillanimitatem), irritatus æque ac dejectus, et perturbatus novo et insolito murmure populi (hactenus enim ab anno secundo, usque ad annum quadragesimum, quo hæc gesta sunt, nullum populi murmur legimus), dubitanter petram percusserit : non quod dubitaret de Dei potentia, aut fidelitate in se : ipse enim ex fidei zelo, incredulitatem populi hic arguit, atque in multo majoribus portentis a se editis, adeoque in simili percussione petræ in Raphidim, Deo crediderat, *Exodi* XVII, 6; sed quod populum tam rebellem, Deumque ita irritantem, indignum judicaret hoc miraculo, ac proinde dubitaret an Deus illud esset facturus, et an id vere promisisset, an tantum per ironiam et sarcasmum, vel conditionate, si videlicet Hebræi cessent murmurare, et credant Deum ex petra daturum aquas. Jam vero videns eos incredulos, dubitanter petram percutit, quasi impossibile aut improbabile esset ex petra aquam prodire pro tam incredulis. Hanc enim dubitationem plane significant verba Mosis : « Audite, rebelles et increduli : num de petra hac vobis aquam po-

Quinto et vere, Moses dubitavit, an Deus populo tam rebelli daret aquas.

terimus elicere? » quid clarius? Deus autem non ironice, nec conditionate, sed vere et absolute promiserat se ex petra eliciturum aquam, qua sitim explerent tam Hebræi, quam eorum pecora. Rursum idipsum clare significant verba Dei ad Mosen et Aaronem vers. 12 et 24 : « Quia non credidistis mihi. » Peccarunt ergo aliqua incredulitate, dubitatione et diffidentia circa aquam a Deo promissam. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XIX, Rabanus, Rupertus, Cajetanus et alii.

Cur Deus permisit hunc Mosis lapsum? Prima causa.

Permisit Deus hunc Mosis lapsum, ut in tanto honoris et virtutum fastigio recordaretur se esse hominem, id est labilem et infirmum, non angelum, non Deum. Nam « omnium memoriam habere et in nullo penitus errare, divinitatis potius quam mortalitatis est, » ait Justinianus Imperator. Utque hoc ejus exemplo Sancti, qui diligentissime servierunt Deo, maxime Prælati, se humilient, timentes, dicentesque sibi : Qui stat, videat ne cadat; ut cum metu et tremore pergant salutem suam operari, tanquam qui de perseverantia sint incerti, etiam ipso ultimo die vitæ suæ. In senio cecidit Salomon sapientissimus mortalium, Origenes, Tertullianus, Lucifer Calaritanus; qui et quales viri! Oremus ergo assidue : « Cum defecerit virtus mea, usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. » Hoc nos docet lamentabilis hic Mosis lapsus in fine vitæ; qui, esto non fuerit culpa lethalis, eum tamen a terra sancta ita desiderata exclusit. Mors enim illi fuit irrogata non tam a sententia Dei, quam a necessitate naturæ fatiscentis et deficientis : jam enim agebat annum ætatis 120. Idem dico de Aarone ejus fratre : hic enim Mose tribus annis erat senior. Debebat ergo uterque cito mori; sed Deus fecit ut uterque moreretur ante ingressum terræ sanctæ jam instantem, quia ille utrumque per sententiam excluserat.

Secunda.

Secundo, permisit hunc Mosis lapsum Deus, ob causam et significationem allegoricam, quæ fuit, quod Deus animo destinarat Josue successorem Mosis, ut scilicet ipse, quasi typus Jesu Christi, induceret populum in terram promissam.

Allegorice.

Allegorice, ergo Moses legis, Josue Christi figuram gerit; itaque sicut Moses populum eduxit ex Ægypto, Josue vero eumdem in Chanaan introduxit : ita lex ab impietate liberat credentes, Evangelica autem gratia introducit eos in regnum cœlorum. Ita Theodoretus, Quæst. XLIII *in Deuter.*, et S. Augustinus hic, *Quæst.* LIII, qui ait : « Cum ambobus fratribus Mosi et Aaron dicitur, ut apponantur ad populum suum, patet non esse illos in ira Dei, quæ separat a pace societatis æternæ. Unde manifestatur, non solum officia, sed etiam mortes eorum, signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei. » Ubi plane significat S. Augustinus hoc Mosis peccatum leve et veniale fuisse, ideoque mortem ei non tam supplicium, quam castigationem fuisse, quæ magis esset signum et significatio rei futuræ, jam dictæ : idque omnino est verisimillimum.

Mors Mosi non tam supplicium fuit, quam signum futuri.

UT SANCTIFICARETIS ME CORAM FILIIS ISRAEL, — ut iis ostenderetis me esse sanctum, omnipotentem, veracem et clementissimum, qui etiam impiis et ingratis præstem ea (uti hactenus me sæpius fecisse, meminisse potestis et debetis) quæ promisi, videlicet aquam de petra.

Magnanimi sanctificant Deum.

Nota : Fideles qui in rebus perplexis et arduis sperant in Deum, atque cum Abrahamo contra spem in spem credunt, hi sanctificant Deum; vult enim Deus magna a se sperari : hinc ait *Sapient.* cap. I : « Sentite de Domino in bonitate. »

Moses intravit terram promissam, sed cis Jordanem sitam.

NON INTRODUCETIS HOS POPULOS IN TERRAM, QUAM DABO EIS, — puta in ipsam Chananæam, trans Jordanem : nam alioqui Moses intravit in terram promissam, cis Jordanem sitam, videlicet in regna Og et Sehon, eaque dedit tribui Ruben, Gad, et dimidiæ tribui Manasse; sed non transivit Jordanem in Chanaan, ad terram promissam cæteris omnibus tribubus, cujus termini circumscribuntur *Numer.* 34. Ita Abulensis, *Quæst.* XLVIII, et S. Augustinus. Fuit hæc insignis pœna et mortificatio Mosis, quod terram promissam lacte et melle manantem, adeo concupitam videre non potuerit, quodque ducatus sui longissimi et molestissimi fine et fructu frustratus fuerit. Ita Deus S. Xaverium aliosque Sanctos in ipsa morte mortificavit, ut plene mundo et sibi mori, Deoque vivere discerent, utque hoc suarum levium culparum haberent purgatorium, quo expiati mox in cœlum evolarent.

Vers. 13.

13. HÆC EST AQUA CONTRADICTIONIS, — litigii et contentionis (hæc enim omnia significat Hebræum מריבה *meriba*), ubi contradixerunt et murmurarunt.

UBI JURGATI SUNT FILII ISRAEL CONTRA DOMINUM, ET SANCTIFICATUS EST IN EIS, — id est sanctus, verax, fidelis, clemens et liberalis declaratus est, dando eis, licet incredulis et rebellibus, potum aquæ, itaque superando et confundendo incredulitatem eorum. Ita Dei sanctitatem imitantur, qui inimicos diligunt, et vincunt in bono malum.

Vers. 14.

14. MISIT INTEREA NUNTIOS MOYSES DE CADES AD REGEM EDOM (Cades enim vicinum erat Idumææ, per quam transeundum erat Hebræis, recta ituris in Chanaan) QUI DICERENT : HÆC MANDAT (hæc nobis in mandatis dedit, ut tibi diceremus. Unde Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent : *Hæc dicit*) FRATER TUUS ISRAEL, — frater tuus Jacob, puta Jacobæi, sive posteri Jacobi, qui sunt fratres vestri : parens enim eorum Jacob fuit frater Esau, qui fuit parens vester, omniumque Idumæorum.

Vers. 16.

16. MISERITQUE ANGELUM, — ducem nostrum, nos præeuntem in columna nubis.

ECCE IN URBE CADES POSITI. — « In, » id est juxta : non enim verisimile est Hebræos in deserto urbes esse ingressos; id enim non permisissent incolæ, timentes sibi ab Hebræis : urbes etiam non ce-

pissent tantam hominum multitudinem. Ita Abulensis.

Vers. 17. 17. NON BIBEMUS AQUAS DE PUTEIS TUIS, — gratis scilicet, et sine pretio, sed pretio eas ememus, ut dicitur vers. 19. Est enim in desertis illis magna siccitas, et aquarum penuria : unde ne Idumæi suis aquis extra urbes existentibus, quibus ad sitim suam et pecorum indigebant, timeant, spondent Hebræi se aquas eorum non bibituros, nisi iis volentibus, et dato pretio.

Vers. 18. 18. CUI RESPONDIT REX EDOM : NON TRANSIBIS PER ME, — per meam ditionem (1).

Vers. 20. 20. STATIMQUE EGRESSUS EST OBVIUS CUM INFINITA MULTITUDINE (hebraice, *cum populo gravi*, id est denso, numeroso et plurimo, quem vulgo vocamus *infinitum*) ET MANU FORTI, — magno robore militum.

Vers. 21. 21. QUAMOBREM DIVERTIT AB EO ISRAEL, — ita scilicet, ut reflexo cursu circuiverit Idumæam ad latus Orientale, ac consequenter partem aliquam Idumææ necessario transire debuerit, ut veniret in Moab et Ammon, et inde in Chanaan. Hoc enim est quod dicitur *Deut.* II, 4 et 8 : « Cumque transissemus fratres nostros, filios Esau. »

Vers. 22, 23 et 24. 22, 23 et 24. CUMQUE CASTRA MOVISSENT DE CADES, VENERUNT IN MONTEM HOR, UBI LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN : PERGAT AARON AD POPULOS SUOS, — *q. d.* Moriatur Aaron, et ad patres suos justos, in limbum transeat, iisque aggregetur : hoc enim innuit illa phrasis, pergere, vel congregari ad populum suum, ideoque fere tantum de justis dicitur.

Vers. 26. 26. CUMQUE NUDAVERIS PATREM VESTE SUA. — Hinc patet Aaronem induisse vestes pontificales in castris, atque inde ita indutum exivisse in montem Hor, ut cum decore et gloria occumberet, utque in monte hasce vestes exueret, iisque Eleazarum, primogenitum Aaronis filium, indueret Moses, uti et fecit; itaque Eleazarum hoc solo vestitionis ritu, sine alia unctione vel consecratione, in monte hoc consecravit pontificem, et patris successorem. Ita Abulensis.

Id factum est præter legem et morem. *Primo* enim, vivente patre, filius in lege veteri non poterat fieri pontifex. Erat enim hæreditarius et perpetuus pontificatus apud Judæos, ita ut ne ipsi quidem parentes eum in filios resignare possent, quamdiu officio fungi poterant. *Secundo*, quod extra tabernaculum et castra, idque sola vestitione vestium pontificalium, Eleazarus consecratus sit pontifex. Eleazarus vero, utpote primogenitus, debebat suscipere pontificatum, nec poterat eum in fratrem Ithamar rejicere, quia jusserat Deus ut primogeniti patri succederent in pontificatu, eumque susciperent, sibique in eo deservirent, nisi haberent maculam, de qua *Levit.* XXI, 17.

Vers. 29. 29. ILLO MORTUO IN MONTIS SUPERCILIO. — Moritur Aaron anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto, ætatis 123, in mense quinto, ut dicitur *Numer.* XXXIII, 38, idque extra castra, uti et Moses, ne Hebræi in idola proni, eos, eorumque corpora, quasi numina colerent; atque in monte Hor, id est in monte montis, ut dignus locus meritis ejus monstraretur, inquit S. Hieronymus *ad Fabiolam*, de 42 Mansion. in 34 : Aaron enim hebraice idem est quod montanus, qui in monte recte moritur, quia ut mons, cæteros superavit, tam officio, quam virtute.

Aaron in morte habuit tria privilegia.

Hinc patet Aaronem in morte habuisse hæc tria privilegia : *primum*, quod mortuus sit nullo præveniente vulnere, morbo, aut tædio vitæ, sed in plena sanitate (sanus enim et validus conscendit montem Hor), quasi dormiens de vita hac assumptus sit. *Secundum*, quod viderit filium suum Eleazarum sibi succedere, vestibusque pontificalibus indui, itaque pontificem consecrari. *Tertium*, quod in præsentia et quasi in gremio charissimi fratris sui Mosis, et filii Eleazari expirarit, illique ipsi oculos clauserint; nec vero Moses et Eleazarus assistentes Aaroni morienti, inde legalem immunditiam contraxerunt, quia Deus, hoc ipso quo jubebat eos assistere morienti, in hac lege et legali immunditia dispensabat. Ita Abulensis.

Primum. Secundum. Tertium.

Addit *quartum* R. Salomon, cui credat qui volet, quod isti tres, scilicet Moses, Aaron et Eleazarus, ascendentes in montem Hor, invenerint speluncam, et lectum paratum, et lampadem ardentem, uti solet mortuis aptari, indeque cognoverit Moses illum locum a Deo esse paratum pro dormitione Aaronis. Exutus ergo vestibus, et induto Eleazaro, incubuit Aaron lecto, et clausis oculis susceptus est a Domino in pace : Moses autem videns mortem ita placidam, desideravit similem, quæ et ei promissa est cap. XXVII, 13, et *Deut.* XXXII, 50 (2).

Quartum addit R. Salomon.

Vers. 30. 30. OMNIS AUTEM MULTITUDO VIDENS OCCUBUISSE AARON, FLEVIT SUPER EO TRIGINTA DIEBUS. — Ita et Mosen defunctum flevit triginta diebus, *Deut.* ult., et Joseph cum suis planxit Jacobi patris mortem 30 diebus.

Dices : *Genes.* L, 3, dicitur Joseph eum planxisse 70 diebus.

Respondeo : Ex hisce 70 diebus, primi 40 pertinuerunt ad condiendum corpus aromatibus,

(1) Vers. 19. Pro *tritam*, hebr. est *aggestam*, ut Galli dicunt, *une chaussée*. — Pro *nulla erit in pretio*, etc., alii ex hebræo vertunt, *duntaxat, quod pro nihilo est*, quod tibi nullo modo nocere possit, *pedibus* (recta) *meis transibo*.

(2) Duo montes, qui nomen *Hor* ferunt, sunt distinguendi. Alter borealis ac limitaneus Palæstinæ cisjordanensis, de quo infra cap. XXXIV, 7, 8; alter ab Austro Palæstinæ, proxima a Cades statione, ad ipsos Idumeæ fines, de quo h. l. Aaronis sepulcrum haud procul a ruinis Petræ, celeberrimæ olim Arabiæ Petrææ urbis primariæ, hodienum ostenditur, in monte quodam, ad cujus pedes Arabes in honorem Aaronis victimas mactare solent, uti refert Burckhardt *Travels in Syria*, etc. p. 430. Cf. de Laborde et Linant, *Voyage dans l'Arabie Pétrée*.

juxta morem Ægyptiorum, ut patet ibidem vers. 3; triginta vero ultimi proprie erant planctus. Ab hoc ergo tricenario dierum accepit Ecclesia morem pro defunctis faciendi tricenaria, id est triginta dierum memoriam, preces et eleemosynas. Ita Abulensis.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi cædunt Arad regem. Secundo, vers. 4, murmurat populus, ideoque Deus in eum serpentes ignitos immittit, a quibus morsi sanantur per aspectum serpentis ænei. Tertio, Deus, vers. 16, puteum Hebræis sitientibus ostendit. Quarto, vers. 21, Hebræi debellant Sehon et Og reges.

1. Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens, duxit ex eo prædam. 2. At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. 3. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema. 4. Profecti sunt autem et de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris; 5. locutusque contra Deum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. 6. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, 7. venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, 8. et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet. 9. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. 10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth. 11. Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam. 12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared. 13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi; siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. 14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. 15. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum. 16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et dabo ei aquam. 17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant. 18. Puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis, et in baculis suis. De solitudine, Matthana. 19. De Matthana in Nahaliel; de Nahaliel in Bamoth. 20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. 21. Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: 22. Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. 23. Qui concedere noluit ut transiret Israel per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum. 24. A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, et filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. 25. Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, et viculis ejus. 26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab,

et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat usque Arnon. 27. Idcirco dicitur in proverbio : Venite in Hesebon, ædificetur, et construatur civitas Sehon. 28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, et devoravit Ar Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon. 29. Væ tibi, Moab ! peristi, populе Chamos. Dedit filios ejus in fugam, et filias in captivitatem, regi Amorrhæorum Sehon. 30. Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, et usque Medaba. 31. Habitavit itaque Israel in terra Amorrhæi. 32. Misitque Moyses qui explorarent Jazer, cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores. 33. Verteruntque se, et ascenderunt per viam Basan, et occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. 34. Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum, ac terram ejus : faciesque illi sicut fecisti Sehon, regi Amorrhæorum, habitatori Hesebon. 35. Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius.

Vers. 1. 1. CHANANÆUS REX ARAD HABITABAT AD MERIDIEM — terræ Chanaan. Chananææ enim respectu solet Scriptura situs et plagas mundi consignare. VENISSE SCILICET ISRAEL PER EXPLORATORUM VIAM; — ita et Chaldæus, Vatablus et alii passim, *q. d.* Cum intellexit Arad venisse Hebræos per viam illam, per quam olim anno secundo egressus ex Ægypto, transierant 12 exploratores eorum in terram Chanaan, *Numer.* XIII, tunc ex eo collegit, certoque sibi persuasit eos per suam ditionem in Chanaan tendere : videbat enim illos eamdem nunc inire viam. Septuaginta vertunt, *per viam Atarem* : retinent enim nomen Hebræum tanquam proprium loci esset (1).

Vers. 2. 2. AT ISRAEL VOTO SE DOMINO OBLIGANS, AIT : SI TRADIDERIS POPULUM ISTUM IN MANU MEA, DELEBO URBES EJUS. — Hebraice est, *succidam et anathematizabo eos*. Erat enim hoc votum *cherem* (de quo dixi *Levit.* cap. ult. vers. 20), quo devovebant Deo urbes hostiles et Deo inimicas. Hinc nomen loci appellatum est *Cherem* et *Chorma* ; sive, ut Noster et alii pronuntiant, *Herem* et *Horma*, id est anathema.

Triplex horma. Primum. Notat Abulensis, *Quæst.* IV, Hebræis triplex fuisse *horma*, sive anathema : *primum*, quo tam homines et pecora, quam omnia quæ in urbe hostili erant, consumebantur, nihilque cedebat in usus vel populi, vel templi. Et tale anathema jussit Deus fieri urbes Hebræorum apostatantium a Deo ad idola, ut scilicet occisis omnibus hominibus et pecoribus, congregaretur omnis supellex urbis in platea, ibique tota cremaretur, *Deut.* XIII, 15,

Secundum. et tale hic videtur fuisse. *Secundum*, quo homines et pecora cum supellectile peribant, reservato tamen auro, argento, ferro et ære, ad usus Sanctuarii : tale horma fuit Jericho, *Josue* VI, vers. 24; ibi enim Hebræis sibi aliquid surripere nefas erat.

Tertium. *Tertium*, quo soli homines occidebantur, pecora vero et supellex cedebant victoribus Hebræis : tale horma fuit urbs Hai, *Josue* cap. VIII, 27 (2).

Vers. 4. 4. ET TÆDERE COEPIT POPULUM ITINERIS. — Hebraice, *et populus abbreviatus est anima*, id est, fatigatus cœpit animis cadere, languere et tædere. Est hic novum populi murmur, ob tam longam tot annorum, puta quadraginta, peregrinationem, anhelantis ad quietem et stabilem sedem et domum. Nam alioqui, ut superius dixi, Deus laborem itineris minuebat, ut vix fatigationem sentirent.

Vers. 5. Fabula R. Salomonis de manna. 5. ANIMA NOSTRA JAM NAUSEAT SUPER CIBO ISTO LEVISSIMO, — super manna. Tradit R. Salomon manna fuisse cibum levissimum, qui non gravabat stomachum, nec aliquid emittebat in secessum : unde timuerunt Hebræi ne intra viscera eorum putresceret, itaque morerentur, eaque de causa murmurarunt. Sed hæ sunt solitæ ejus neniæ. Nullus enim cibus est, qui non habeat aliquid impuri, quod natura non convertit in suam substantiam, sed rejicit, et in secessum emittit : ergo de manna idem dicendum est. Ita Abulensis. Alia ergo fuit causa murmuris de manna, quam dedi *Num.* XI, 6.

Vers. 6. 6. QUAMOBREM MISIT DOMINUS IN POPULUM IGNITOS SERPENTES. — Dominus hic fuit tum Deus Pater, tum Deus Filius, puta Christus, uti docet Apostolus, I *Cor.* X, 9. Unde patet contra Arianos et Servetianos, Christum esse verum Deum ac Dominum omnium. Serpentes hi igniti dicuntur, non quod naturæ essent igneæ, sed ab effectu, quod morsu suo tantum calorem inducerent, ut morsi ab eis sibi uri viderentur; quos proinde Plinius *presteres* vocat : hi enim græce idem sunt quod hebraice *seraphim* ; unde Vatablus *urentes* vertit : hebr. enim est שרפים *seraphim*, quo nomine vocatur primus ordo angelorum, ab ardore charitatis. Hos serpentes suscitavit Deus ex ipso Arabiæ deserto : ibi enim, uti et in Libya, abun-

Serpentes ignit: qui ?

(1) Ita et Saadias, quibus nos calculum addimus. Hebr. enim est האתרים, *exploratores* vero dicerentur התרים.

(2) Vers. 3. Pro *interfecit*, hebr. est *devoverunt eos urbesque eorum*, id est, everterunt Israelitæ eorum urbes, quas nempe eo tempore capere poterant, non omnes. Cf. *Jos.* XII, 14; *Jud.* I, 16, 17.

dant. Unde *Deut.* VIII, 15, dicitur : « Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, et dipsas. » Hinc et Cato apud Lucanum, lib. IX, de serpentibus deserti Lybiæ ait :

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti; gaudet patientia duris.

Porro serpentes, sive dracones, aliquando visos esse ignitos, id est, qui ignem vomerent, narrant Historici. Leslæus, in sua *Scotia*, anno Domini 1558, refert apud Marchiam et Landoviam, draconem quemdam tantos ignes vomuisse, ut iis segetes et fruges incenderet; quocirca colonos pervigilare debuisse, ut eos assidue exstinguerent.

Nota : Apte serpentibus puniuntur, qui serpentum virulentiam imitantur. Murmuratores enim et detractores « acuerunt linguam suam sicut serpentis, » inquit Psaltes, ac mordent in occulto ut serpens. Juste ergo eis quasi carnifex dominatur serpens. E contrario humilem, mitem et obedientem Antonium metuebant et fugiebant serpentes, teste S. Athanasio in ejus Vita. Et Boas serpens obedivit pio et S. Hilarioni : cum enim homines et boves deglutiret (unde Boas est dictus), jussit ei S. Hilarion « pyram præparari, et oratione ad Christum missa, evocato præcepit struem lignorum scandere; mox ignem ipse supposuit, immanemque bestiam concremavit, » inquit S. Hieronymus in ejus Vita.

Sic Abbas Paulus manibus illæsis tenebat aspides, serpentes et scorpios, eosque secabat per medium. Rogatus quomodo hanc gratiam accepisset, respondit : « Si quis possederit puritatem, omnia subjiciuntur ei, sicut Adæ quando erat in paradiso ante prævaricationem divini mandati, » ut habetur in *Vitis Patrum*, lib. VI, tit. 2, num. 11.

Vers. 8. Serpens cur æneus ?

8. FAC SERPENTEM. — Hebraice fac שרף *saraph* (unde *seraphim* jam dicti vers. 6), id est serpentem ignitum, hoc est, qui habeat similitudinem serpentis igniti et urentis, qualis est serpens ex ære fabricatus : æs enim candet, vel potius rubet instar ignis. Ita Vatablus. *Secundo*, factus est ex ære : si enim ex auro vel argento factus esset, fuisset ingentis et immanis pretii : erat enim ingens, ut mox dicam.

ET PONE EUM PRO SIGNO. — Hebraice, *pone eum super vexillum* (hoc enim significat hebræum נס *nes*), quasi dicat : Pone eum super hasta, vel pertica vexillari, ut sit instar signi et vexilli, quod ab omnibus videri possit. Unde sequitur serpentem hunc æneum debuisse esse ingentem, atque alte admodum erectum, et, ut Christus ait, exaltatum fuisse, ut scilicet per tota castra, quæ vastissima erant, facileque per sex milliaria extendebantur, a vulneratis circumquaque videri posset.

Fuit ingens et altus.

Nam, QUI PERCUSSUS (a serpentibus ignitis) ASPEXERIT EUM, VIVET, — id est in vita servabitur, et sanabitur. Non quod serpens hic æneus vim aliquam naturalem eos curandi haberet : hoc enim est impossibile, uti fuse hic demonstrat Abulensis; sed quod Deus, hoc signo viso, eos miraculose curaret. Fuit ergo hic serpens signum, simul et instrumentum morale hujus curationis.

Congruum autem signum erat serpens æneus, potius quam bos aut ovis : quia Hebræi morsi erant, non a bobus, vel ovibus, sed a serpentibus, iisque ignitis; æneus autem colorem habet igneum, estque igne conflatus.

Allegorica et potissima causa fuit, ut serpens hic in ligno erectus significaret Christum in cruce erectum, tanquam noxium et sceleratum, cujus intuitu per fidem et contritionem, sanamur a lethalibus peccatorum morsibus. Sicut enim serpens hic habebat formam serpentis, sed non venenum : ita Christus assumpsit formam peccatoris, sed non peccatum; hoc est enim quod Christus de se ait, *Joan.* cap. III, 14 : « Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari (in cruce) oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Ita Theodoretus, *Quæst.* XXXIX, et Nyssenus *De Vita Mosis*, ante finem, et S. Augustinus, serm. 101 *De Tempore*, et Tertullianus, lib. *De Idololatria*, cap. V : « Effigies, ait, ænei serpentis suspensi figuram designavit Dominicæ crucis, quæ a serpentibus, id est ab angelis diaboli, nos erat liberatura, dum per semetipsam diabolum, id est serpentem, interfectum suspendit. » Unde et veteres Hebræi docuerunt quod morsus, per serpentem antiquum Adæ nobisque illatus, sanandus esset in diebus Messiæ. « Non te pigeat, inquit S. Bernardus, videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre regem in solio residentem. »

Allegorice, serpens hic est Christus crucifixus.

S. Antonius magnus contra dæmonum insultus athleta, rogatus a discipulis quænam arma valide et certo diabolicas impugnationes repellerent, respondit : « Signum crucis, et ardens in Christum fides, inexpugnabilis sunt viris Deo dicatis et aheneus murus, adversus dæmonum machinationes. » Testis est S. Athanasius in ejus Vita. B. Magdalena in antro suo pœnitens, tentata a spectris dæmonum, Jesum invocavit. Affuit S. Michael qui eos fugavit, et crucem in ore speluncæ erexit, dicens : « Ne extimescas, custos tui est Altissimus. » Crucem ergo complexa, et ad crucem orans, in eaque Christum salutem suam contemplans, læte et pie ibi triginta annos pœnituit.

« Crux, inquit S. Augustinus, sermone *in Parasceve*, nobis totius causa beatitudinis est : hæc nos a cæcitate liberavit erroris; hæc a tenebris reddidit luci; hæc debellatos reddidit quieti; hæc alienos Deo conjunxit; hæc peregrinantes cives ostendit. Hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc donorum omnium abun-

da largitio. Hodie crux fixa est, et sæculum sanctificatum est. Hodie crux fixa est, et dæmones dispersi sunt. Hodie crux fixa est, et mors subversa est. Hodie crux vicit, et mors victa est. Hodie diabolus vinctus est, homo solutus est, et Deus glorificatus est. » Idem, lib. *De Virg.* : « Inspicite, ait, vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. »

Pie S. Bernardus, serm. 15 *in Cantica* : « Quam dulciter, ait, Domine Jesu, cum hominibus versatus es ! quam abundanter multa magna bona hominibus largitus es ! quam fortiter tam indigna, tam aspera et dura pro hominibus passus es ! dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. O duri et indurati et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit ? » Idem, serm. *De Passione Dom.* : « In passione Domini, ait, tria specialiter convenit intueri : opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur : patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inæstimabilis. »

Æs significat Primo, æternitatem. Secundo, claritatem. Tertio, charitatem Christi.

Addit S. Augustinus serpentem hunc fuisse æneum, ut significaret *primo*, divinitatem et æternitatem Christi : æs enim durissimum est, incorruptibile, et quasi æternum ; *secundo*, crucis Christi claritatem et gloriam, quæ omnes gentes pervasit : Ænea enim vasa, inter omnia metalla, maximum solent edere sonum et tinnitum ; *tertio*, igneam charitatem tum Dei, tum Christi in cruce, tam dolore, quam amore nostri assi et tosti ; hic enim æneus serpens erat *saraph*, id est ignitus, ut dixi. Et hoc est quod S. Joannes, cap. III, vers. 16, mox subdit, dicens : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quæ verba singula novum amoris argumentum et stimulum ingerunt, uti patet ea expendenti. Expendi ea *ad Titum* III, 4. Christus ergo crucifixus est *saraph*, id est ignitus, urens, accendens, et comburens nos sua charitate. « Apte ergo æneus serpens in ligno suspensus est, ut Dominus et in serpente mortuus, et in ære significaretur æternus ; videlicet, ut et indicaretur mortuus per humilitatem, et quasi esse æneus per divinitatem, » ait S. Ambrosius, Ansbertus, lib. V *in Apoc.*, post initium.

Hac de causa Seraphinus ille specie crucifixi apparens S. Francisco, ei in manibus, pedibus, et latere quinque Christi vulnera, quasi sacra stigmata impressit, eumque totum in Christi crucifixi amorem transformavit, et seraphinum, imo Christo confixum cruci effecit, ut deinceps novo mentis ardore, novo corporis martyrio aliud pene non sentiret, aliud non cogitaret, aliud non amaret, aliud non diceret quam, Da Domine, ut amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es mori. Vide S. Bonaventuram in ejus Vita.

Æneum serpentem confregit Ezechias.

Hunc serpentem æneum, in memoriam tanti beneficii, Hebræi secum devexerunt per desertum in Chanaan, ibique mansit usque ad tempora Ezechiæ regis Juda, qui eum, eo quod numinis loco a plebe haberi et coli (ritum et modum eum colendi narrat Philastrius, hæres. *De æneo serpente*, tomo V, pag. 10) inciperet, confringi jussit, eumque pro נחשׁרת *nechoset*, id est æneo, per diminutionem et contemptum vocavit נחשׁתן *nechustan*, vel *noestan*, id est ænulum, quasi dicat : Quid putatis, o miseri Judæi, parum æris habere divinitatem ? ænulum hunc serpentem esse Deum ? IV *Reg.* XVIII, 4.

11. UNDE EGRESSI FIXERE TENTORIA IN JEABARIM, — Hebraice est בעיי העברים *beiie haabarim*, quod Chaldæus accipit, non ut proprium, sed ut appellativum, vertitque, *juxta vadum transeuntium*, scilicet in desertum. Vers. 11.

14. UNDE DICITUR IN LIBRO BELLORUM DOMINI. — Fuit hic vetus liber ante Pentateuchum conscriptus, sed intercidit, sicut et libri Henoch, Gad, Nathan ; addo, et multorum aliorum, quorum meminit Scriptura. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XLII, et Rabanus. Unde patet librum hunc fuisse propheticum ; prophetat enim futuram victoriam sub Mose contra Amorrhæos, ut patebit vers. 24. Posset tamen quis et forsan verius dicere librum hunc posterius esse conscriptum, ut τὸ *sic faciet*, vers. 14, idem sit, quod *sic fecit* : videntur enim hæc ab alio quopiam, qui Mosis diaria hæc digessit, illi esse intexta, uti dixi in procemio Geneseos. Sic enim Proverbia Salomonis ab eo sparsim scripta, ab alio collecta, et in unum librum Proverbiorum digesta esse satis patet ex cap. XXV *Proverb.* vers. 1. Perperam ergo Eugubinus vertit, *ideo dicetur in commemoratione bellorum Domini*. Vers. 14.

Allegorice, Rupertus hunc librum cœlestem accipit, puta notitiam Dei, in qua conscripta est fides Evangelica ; et per oppositos illi torrentes Arnon, accipit eloquentiam hæreticorum. Arnon enim significat maledictionem eorum.

SICUT FECIT IN MARI RUBRO, SIC FACIET IN TORRENTIBUS ARNON. — Vatablus vertit, *urbem Vaheb* (scilicet delevit, vel expugnavit Deus) *in turbine, et torrentes qui adjacent Arnon*. Favent ei Septuaginta ; vertunt enim, *propter hoc dicitur in libro : Bellum Domini combussit Zoob, et torrentes Arnon*. Ubi nota : Pro *Vaheb*, Septuaginta legerunt *Zoob*, scilicet pro *vau* legerunt affine *zain*, idque cum aliis punctis. Verum melius vertit Noster, eique consentit Chaldæus : nam והב *vaheb* positum est pro יהב *iaheb*, id est *dedit*. Sic ergo ad verbum

habent Hebræa, *quæ dedit*, vel *fecit in mari Rubro, sic* (*vau* enim copulativum, cum similia connectit, significat *sic, sicut*) *eadem in torrentibus Arnon*, suppie faciet.

Primus hujus loci sensus et genuinus.

Jam omissa sententiarum varietate, sensus est, *q. d.* Sicut Dominus pugnavit pro Israele contra Ægyptios in mari Rubro : ita et faciet, id est fecit, in Arnon, pro Hebræis pugnando et devincendo Sehon regem Amorrhæorum, *q. d.* Ideo recte dixi vers. 13, Arnon prominere in finibus Amorrhæi, quia ibi cæsus est Sehon Amorrhæus, vosque, o Hebræi, occupastis ejus ditionem, usque ad confinia Moab, ut patet vers. 24. Nam

Vers. 15. SCOPULI TORRENTIUM ARNON INCLINATI SUNT (inclinantur) UT REQUIESCERENT (et requiescunt) IN AR (ita enim legendum est cum Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, non *Arnon*, uti legunt Biblia Regia et Plantiniana : quæ civitas est Moabitarum, ut patet *Deuter.* II, 29; ideoque recumbunt) IN FINIBUS MOABITARUM, — *q. d.* Scopuli Arnon contermini sunt, et prominent in Ar, urbe Moab : unde patet Arnon et Amorrhæos conterminos esse Moabitis; ac consequenter, quod vos, o Hebræi, occupando Arnon et ditionem Sehon Amorrhæi, pertingatis usque ad confinia Moab : omnia enim hæc pendent ab illa sententia vers. 13 : « Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos, » eamque explicant.

Secundus, Hebræorum.

Secundo, Hebræi, quos sequuntur Lyranus, Abulensis, Hugo, Adrichomius et alii, tradunt, Amorrhæos in hisce scopulis Arnon fuisse Hebræis insidiatos, dum illac transirent; sed a Deo miraculose inclinatos fuisse hosce scopulos, et corruisse super ipsos Amorrhæos, itaque iis oppressis, liberos evasisse Hebræos, idque hisce verbis significari, *scopuli torrentium inclinati sunt*, etc. Sed cuperem hujus traditionis antiquiorem habere auctorem : mirum enim videtur Mosen tantum miraculum hic silentio præteriisse, præsertim cum ipse pugnam et victoriam de Amorrhæis enarret vers. 23.

Tertius, Vatabli.

Tertio, Vatablus Hebræum אשד *esced* vertit *effusiones*, *q. d.* Deus expugnavit effusiones torrentium, id est regionem Amorrhæorum, per quam effunduntur et defluunt amnes, ab Arnon usque ad Ar, defluuntque in regionem Moabitidem. Verum potius credendum est S. Hieronymo et Hebræis, qui *esced* vertunt *scopuli*. Primus ergo sensus planus et genuinus videtur (1).

16. EX EO LOCO, — intellige *digressis*; unde hebraice est, *et exinde ad puteum*, scilicet venerunt. Vers. 16.

APPARUIT PUTEUS, SUPER QUO LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN : CONGREGA POPULUM, ET DABO EI AQUAM. — Hinc videtur populum laborasse siti et aquarum penuria; unde Mosen pro ea levanda rogasse Dominum, qui exoratus ostendit ei puteum, dicens : Congrega populum ad puteum hunc, et ex eo dabo ei aquam. Similes aposiopeses Hebrææ crebræ sunt in Scriptura.

17. TUNC CECINIT ISRAEL CARMEN ISTUD : ASCENDAT PUTEUS. — « Puteus, » id est aqua putei, *q. d.* Continuo ebulliat et ascendat aqua e fundo putei, ut omnes nos ex eo bibere possimus, æque ac jumenta nostra. Est hoc carmen gratulatorium exultantium de tanto beneficio et miraculo, qualia multa sunt in Scriptura. Vers. 17.

CONCINEBANT. — Hoc per parenthesin intercipe et accipe : nam interrumpit ipsum carmen; quæ enim proxime sequuntur, sunt verba carminis jam inchoati, illudque complent. Chaldæus tamen, Septuaginta et recentiores, pro ענו לה *anu la*, id est *concinebant de eo*, aliis punctis legunt in imperativo ענו לה *enu la*, id est *concinite illi*, *q. d.* Huic puteo gratulamini, et applaudite, illique hymnum concinite; et sic hæc verba ad carmen pertinent.

18. PUTEUS, QUEM FODERUNT PRINCIPES, ET PARAVERUNT DUCES MULTITUDINIS, IN (id est *cum*) DATORE LEGIS (id est Mose) ET IN (id est *cum*) BACULIS SUIS. — Hinc videtur quod Deus ostenderit Mosi fontem, sive venam aquarum, quam Moses et principes populi, suis baculis, id est ligonibus, terram circumfodientes, dilatarunt et profundiorem effecerunt, ut esset instar putei. Vers. 18.

DE SOLITUDINE, MATTHANA, — *q. d.* De solitudine in Matthana profecti sunt Hebræi, uti addunt Biblia Regia et Plantiniana, et patet ex seq.

19 et 20. DE MATTHANA IN NAHALIEL : DE NAHALIEL IN BAMOTH. DE BAMOTH, VALLIS EST IN REGIONE MOAB, IN VERTICE PHASGA (id est de Bamoth incipit vallis Moab, quæ est in, id est juxta, verticem montis Phasga), QUOD (Phasga) RESPICIT CONTRA DESERTUM, — *q. d.* Hebræi jam venerant ad fines deserti, scilicet ad vallem regionis Moab, quæ est juxta Phasga. Vers. 19 et 20.

Tropologia proficientium.

Tropologice, inquit Rupertus, significantur hic ii qui meritis et gratia proficiunt. Matthana enim hebraice idem est quod donum descendens, scilicet a Patre luminum : ex quo primo ascendunt in Nahaliel, id est in hæreditatem, vel possessionem Dei, per activæ vitæ virtutem; deinde in Bamoth, id est in excelsa, scilicet contemplativæ vitæ. De Bamoth hac vallis est, scilicet humilitatis : hæc enim nascitur ex consideratione et con-

(1) « *Propterea in libro bellorum Jovæ* (qui qualis fuerit non constat) *memoratur : Wahebum in Supha, et torrentes Arnonis, et defluxum torrentium, qui deflectit ad habitationem*, sedes *Aris, et nititur finibus Moabiticis*, id est, tangit fines Moabitarum. Quum hæc duo commata e medio contextu libri supra citati deprompta sint, non est quod mireris, sensum perquam obscurum et imperfectum esse. Illud unum facile intelligitur, hæc eam ob causam a scriptore esse allata, ut Arnonem Moabitarum fines præterlabi appareat. Pro אהוהב aliquot libri uno vocabulo legunt אתוהב, id quod jam Kimchius in libris veteribus se reperisse testatus est. Hoc autem esset Ithpaal verbi והב = יהב *dedit*. Sed vix dubium est, את esse accusativi notam, והב vero nomen loci aut torrentis. » Hæc Maurer ad h. l.

templatione tam Dei, quam sui; eaque est juxta verticem Phasga, hoc est juxta altam sapientiam et facundiam : hanc enim docet humilitas (nam Phasga hebraice idem est quod *os multum*), idque contra desertum, id est contra inania desertoris diaboli mendacia.

Chaldæus accipit hæc de puteo Hebræos comitante.

Hinc etiam proverbium est apud Hebræos, *ex Nahaliel Bamoth,* hoc est, ex virtute et pietate oritur celsitudo et gloria. Virtus enim est quasi hæreditas et possessio Dei, quam significat *Nahaliel.* Porro, Chaldæus hæc accipit, non ut nomina propria, sed ut appellativa, refertque ad puteum, de quo vers. 16. *Matthana* enim hebraice idem est, quod datum, vel donum. *Nahaliel* est torrens. *Bamoth* sunt colles; sic ergo ipse vertit : « Ex eo tempore quo datus est eis (puteus), descendit cum eis ad torrentes, et de torrentibus ascendit cum eis ad collem, et de colle ad vallem, quæ est in agris Moab, » quasi hic puteus miraculose quaquaversum secutus sit Hebræos. Chaldæum sequuntur, eoque se tuentur multi alii, qui dicunt petram dantem aquas instar fontis, vel putei, revera comitatam esse Hebræos, idque significare Apostolum, I *Cor.* x, cum ait : « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, » qua de re ibidem dixi. Certe doctissimo Bellarmino et aliis videtur hæc esse fabella Judaica.

Vers. 21, 22 et 23.

21, 22 et 23. MISIT AUTEM ISRAEL NUNTIOS AD SEHON REGEM AMORRHÆORUM, DICENS : OBSECRO UT TRANSIRE MIHI LICEAT PER TERRAM TUAM, etc.; QUI CONCEDERE NOLUIT. — *Deuter.* cap. II, vers. 24 et seq., ubi hæc fusius narrantur, dicitur Deus indurasse Sehon, ne transitum daret. Volebat enim Deus regionem Sehon, æque ac Og regis Basan, dare Israelitis : utramque enim se Hebræis daturum promiserat, *Genes.* XV, 20. Ibi enim per terram Raphaim, intelligit terram Og gigantis. Notandum est, ait S. Augustinus, *Quæst.* XL, « quomodo hic ab Hebræis justa bella gerebantur : innoxius enim transitus eis negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat; » quanquam hic tantum belli prætextus fuit, et occasio. Nam vera causa fuit promissio et donatio Dei, de qua jam dixi.

Vers. 23 et 24.

23 et 24. PUGNAVITQUE (Sehon) CONTRA EUM (Israelem), A QUO PERCUSSUS EST IN ORE GLADII, — id est in acie gladii. Acies enim gladio est id, quod homini os. *Secundo,* « in ore, » id est in occisione, hoc est, per occisionem gladii; ita Septuaginta. Sicut enim os devorat panem, ita gladius devorat, occidit et consumit homines.

Vers. 24.

24. ET POSSESSA EST (ab Israele) TERRA EJUS (Sehon) AB ARNON USQUE JEBOC, ET FILIOS AMMON : QUIA FORTI PRÆSIDIO TENEBANTUR TERMINI AMMONITARUM. — Nota τὸ *quia, q. d.* Ideo Israelitæ, occupantes ditionem Sehon, non invaserunt Ammonitas vicinos, sed ibi stiterunt : quia Ammonitæ valido præsidio se contra Israelitas communiverant. Fuit et alia potior causa, quia scilicet Deus vetuerat eos invadi, ut patet *Deut.* II, 9.

Vers. 25.

25. TULIT ERGO (a Sehon abstulit, et in suum dominium transtulit) ISRAEL OMNES CIVITATES EJUS, ET HABITAVIT IN URBIBUS AMORRHÆI (ea partitione inter duodecim tribus, quæ recensebitur cap. XXXII), IN HESEBON SCILICET, ET VICULIS EJUS. — Hebraice, *et filiabus ejus.* Hebræi enim urbes et vicos metropoli subjectas vocant *filias,* per metaphoram, eo quod a metropoli sua dependeant, uti filiæ a matre (1).

Urbes vocantur filiæ, quæ ?

Vers. 26.

26. URBS HESEBON FUIT SEHON REGIS AMORRHÆI, QUI PUGNAVIT CONTRA REGEM MOAB, — et pugnando extorsit ipsi Hesebon, cæterasque urbes ejus, usque ad Arnon, patet ex Hebræo. Occurrit hic Moses tacitæ objectioni; dicet enim quis : Quomodo Hebræi occuparunt Hesebon, urbem Moabitarum, cum Deus eis vetuerit pugnare contra Moabitas? Respondet, quod Hesebon amplius non erat Moabitarum, sed Amorrhæorum : nam illum eis ademerat Sehon, jure belli, per quod ex jure gentium transfertur dominium, sicut per venditionem, ut patet ff. *De justit. et jur.* in leg. *Ex hoc jure.* Hinc tamen rex Moab, post trecentos annos, captavit titulum repetendi Hesebon cæterasque hasce urbes a Jephte; sed recte respondit ei Jephte, *primo,* se eas non a Moabitis, sed ab Amorrhæis accepisse; *secundo,* se eas pacifice possedisse per trecentos annos, itaque titulo præscriptionis eas sibi vindicare; cumque rex Moab et Ammon non acquiesceret, armisque eas repeteret, a Jephte fusus et contritus est, ut patet *Judic.* XI. Ita Abulensis.

Rex Moab a Jephte repetit Hesebonem, quo jure ?

Vers. 27.

27. IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO : VENITE IN HESEBON. — Proverbium hoc est carmen proverbiale, sive epinicion, quale de urbibus, vel hostibus devictis miles aliive rhythmici solent pangere, præsertim in tragœdia, quale est illud de Davide vincente Goliath : « Percussit Saul mille, et David decem millia, » I *Reg.* XVIII.

ÆDIFICETUR ET CONSTRUATUR CIVITAS SEHON, — *q. d.* Ædificetur civitas Hesebon, quæ Moabitis adempta, capta et vastata est a Sehon rege Amorrhæorum, ut scilicet Sehon in ea sibi et Amorrhæis regiam constituat. Nam ex vers. 30 liquet, Moabitas dominatos esse urbi Hesebon, et in ea habuisse suos milites præsidiarios; sed Sehon illos cecidit et expulit, seque absolutum Hesebonis regem constituit, indeque quasi ignis proserpsit, et totam Moabitidem combussit, vastavit, sibique subjecit. Vide *Jerem.* cap. XLVIII, 45; unde et sequitur :

Vers. 28.

28. IGNIS EGRESSUS EST DE HESEBON, FLAMMA DE OPPIDO SEHON, ET DEVORAVIT AR MOABITARUM, ET HABITATORES EXCELSORUM (qui habitabant in locis excelsis) ARNON, — *q. d.* Sehonis victoria, oppressio et subversio vastans totam Hesebon, pervagata est circumquaque, usque ad urbem Ar, quæ

(1) Abulfedæ temporibus urbs Hesebon fuit metropolis provinciæ *Balka.* Vocat eam *Chosban.* Ruinas illius urbis visit Burckhardt. *Travels in Syria,* etc. pag. 365.

est in Moab, et usque ad Arnon, quod est ei confine. Hic ergo Hesebon vocatur oppidum Sehon, quasi victoris; more enim rhythmi Hebræi et poetici, hic versus idem dicit et repetit, sed aliis verbis; idem enim est « ignis egressus est de Hesebon,» quod «flamma de oppido Sehon (1).»

Vers. 29. 29. VÆ TIBI, MOAB! PERISTI, POPULE CHAMOS. — *q. d.* Peristis, o Moabitæ, qui colitis idolum Chamos, III *Reg.* XI, 5; nec Chamos vester potuit vos ab hac clade liberare.

Nota : Sehon non perdidit, nec subegit omnes Moabitas : nam Balac eodem tempore adhuc regnabat in Moab, ut dicetur cap. seq., vers. 4; sed tantum perdidit Hesebon, et loca ei vicina, eorumque incolas, Moabitis antea subjectos.

Chamos fuit Bacchus. Censent periti linguarum Chamos fuisse Bacchum, deum temulentiæ, indeque dici Græcum κῶμος, et Latinum *comessari* et *comœdia*. Vide dicta *ad Rom.* XIII, 13.

DEDIT, — scilicet Chamos, id est dari, capi et occidi permisit filios Moab, sibi devotos, a Sehon rege Amorrhæorum.

Vers. 30. 30. JUGUM IPSORUM (Moabitarum, quod ipsi imposuerant incolis Hesebon) DISPERIIT AB HESEBON USQUE DIBON. — Chaldæus vertit, *regnum cessavit ab Hesebon, ablata est potestas a Dibon.* Hebræa habent, *lucerna,* id est gloria regni, *eorum,* Moabitarum, periit *ab Hesebon.*

LASSI PERVENERUNT IN NOPHE, — lassi scilicet ex fuga. Nam Hebraice est, *fugientes* (scilicet ex clade Hesebon per Sehon illata) *venerunt in Nophe.* Hebræum enim נשׁים *nasim,* si scribatur per *sin,* quod idem est cum *samech,* significat fugientes; sin scribatur per *schin,* significat uxores; et sic legerunt Septuaginta. *Tertio,* Chaldæi et recentiores *nascim* deducunt a שׁמם *scamam,* id est desolavit, vastavit, vertuntque *vastavimus,* scilicet Moab usque ad Nophe. Hic finitur rhythmus, sive carmen victoriale de capta Hesebon et Moab a Sehon (2).

(1) Τὸ *et habitatores excelsorum Arnon* appositio esse videtur, continens descriptionem Moabitarum.

(2) *Jaculis confecimus eos* (1 pers. plur. fut. cal verbi ירה *jaculatus est,* præfixo vav conversivo). *Perîit Hesebon usque ad Dibonem. Desolavimus* (1 pers. plur. fut. hiphil verbi שׁמם. Forma est Chaldaizans, dagesch inserto primo radicali) *usque ad Nophe ; quod* (scil. extenditur) *usque ad Medaba,* vastavimus. Sed אשׁר a Masorethis ut suspectum est notatum puncto extraordinario litteræ ר imposito, quo videntur indicare voluisse, eam in aliis codicibus deesse. Ac sane in codice Samaritano legitur אש, et Alexandrini habent πῦρ. Qua adscita lectione ver-

Vers. 32. 32. MISITQUE MOYSES QUI EXPLORARENT JASER, CUJUS CEPERUNT VICULOS, ET POSSEDERUNT HABITATORES. — « Possederunt, » id est subegerunt occidendo, vel fugando habitatores sive incolas Jaser; nam non poterant eos Hebræi in deditionem accipere. Jusserat enim Deus omnes Chananæos occidi et exterminari, *Deut.* XX, 16; unde Chaldæus et Septuaginta vertunt, *ejecerunt :* Hebræum enim ירשׁ *laras* est ex verbis contrariæ significationis; unde significat tam possidere et hæreditare, quam ejicere et hæreditate depellere.

Vers. 33 et 35. 33 et 35. OCCURRIT EIS OG REX BASAN, etc. : PERCUSSERUNT IGITUR ET HUNC CUM FILIIS SUIS, UNIVERSUMQUE POPULUM EJUS USQUE AD INTERNECIONEM, — ita scilicet, ut non relinquerent aliquem vivum superstitem, uti habent Hebræa et Septuaginta. Notat Masius in *Josue* XII, Chaldæum passim pro *Basan* vertere *Matan* vel *Matanan,* quia posuit litteram *mem* pro *beth* (utraque enim est littera labialis, ideoque affinis et commutabilis), quod etiam apud Græcos non est insolens. *Secundo,* pro *schin* posuit *tau,* quod Chaldæis est solemne (3).

Fabella Judæorum de magnitudine Og. Audi hic, et ride lepidam, imo stolidam fabellam Thalmudicorum, de immensa magnitudine hujus Og, ejusque strage. Og, inquiunt, maximus fuit gigas, qui adventantibus Hebræis, montem duarum leucarum eradicavit, et in caput suum imposuit, ut Hebræos omnes uno montis hujus jactu obrueret : Deus autem misit formicas, quæ montem perforantes, eum descendere fecerunt usque ad humeros Og; mox crescentibus ejus dentibus ad decem cubitos, non potuit montem a se projicere. Id videns Moses, qui altus erat decem cubitos, accepit securim decem cubitorum, atque in Og insiliit ad decem cubitos, pertigitque ad juncturam tibiæ ejus cum pede, ibique eum percussit et occidit, monte simul in eum cadente. Tantæ enim molis fuit Og, ut in ejus mortui tibiam cervus ingrediens, in ea oberrarit per medium diem, quo illum in tibia hac insecutus est venator. Referunt hæc Lyranus et Abulensis, *Quæst.* XXVII. Vide hic quam de Judæis verum sit illud Davidis, *Psalm.* LXVIII, 23 : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum : obscurentur oculi eorum, ne videant. »

tendum erit, *ignis* belli *usque ad Medaba* sæviit. Urbis *Madba* rudera describit Burckhardt, op. cit. p. 366.

Vers. 31. *Habitavit,* id est consedit, castra posuit.

(3) Cæterum Basan, Græcis Βαταναία vel Βαταναΐα, regio erat trans Jordanem inter Jabbocum et Arnonem pascuis felicissima.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balac vocat Balaam, ut maledicat Hebræis; eum, primo, prohibet Deus; secundo, abire permittit; abit ille, sed cum animo maledicendi Hebræis : unde, vers. 22, ab angelo, per os asinæ loquente, corripitur.

1. Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est. 2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, 3. et quod pertimuissent eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent, 4. dixit ad majores natu Madian : Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. 5. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, et dicerent : Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ sedens contra me. 6. Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est, si quo modo possim percutere et ejicere eum de terra mea : novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris. 7. Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac, 8. ille respondit : Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum : 9. Quid sibi volunt homines isti apud te? 10. Respondit : Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me, 11. dicens : Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ; veni et maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum. 12. Dixitque Deus ad Balaam : Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. 13. Qui mane consurgens dixit ad principes : Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. 14. Reversi principes dixerunt ad Balac : Noluit Balaam venire nobiscum. 15. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit. 16. Qui cum venissent ad Balaam dixerunt : Sic dicit Balac filius Sephor : Ne cuncteris venire ad me. 17. Paratus sum honorare te, et quidquid volueris dabo tibi; veni, et maledic populo isti. 18. Respondit Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar. 19. Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus. 20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, et ait ei : Si vocare te venerunt homines isti, surge, et vade cum eis; ita duntaxat, ut quod tibi præcepero, facias. 21. Surrexit Balaam mane, et strata asina sua profectus est cum eis. 22. Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum. 23. Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere, 24. stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. 25. Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam : 26. et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. 27. Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus, vehementius cædebat fuste latera ejus. 28. Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est : Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio. 29. Respondit Balaam : Quia commeruisti, et illusisti mihi; utinam haberem gladium ut te percuterem! 30. Dixit asina : Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsen-

tem diem? dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait : Nunquam. 31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. 32. Cui angelus : Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria, 33. et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret. 34. Dixit Balaam : Peccavi, nesciens quod tu stares contra me; et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar. 35. Ait angelus : Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus. 36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. 37. Dixitque ad Balaam : Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? 38. Cui ille respondit : Ecce adsum; numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? 39. Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. 40. Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam, et principes qui cum eo erant, munera. 41. Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi.

Vers. 1. 1. PROFECTIQUE CASTRAMETATI SUNT IN CAMPESTRIBUS MOAB, — quæ olim fuerant Moab, jam autem erant Sehon, et eo occiso erant filiorum Israel. *Secundo*, Moab, id est, quæ conjuncta erant Moab; unde Septuaginta vertunt, *ad Occidentem Moab*, scilicet ex adverso Jericho, uti sequitur. Jam enim Jordani et Jericho, ipsique Chananææ vicinissimi erant Hebræi (1).

Vers. 2 et 3. 2 et 3. VIDENS AUTEM BALAC (rex Moab, ut patet vers. 4) QUOD PERTIMUISSENT EUM (Israelem) MOABITÆ (sibi subditi), ET IMPETUM EJUS FERRE NON POSSENT. — Hebraice, *quod angustiarentur a facie Israel.*

Vers. 4. 4. DIXIT AD MAJORES NATU MADIAN. — Madianitæ enim sunt vicini Moabitis : hosce ergo concitavit Balac rex Moab, ut secum resisterent Israelitis adventantibus; tam ergo Madianitæ, quam Moabitæ, pugnarunt contra Judæos; sed soli Madianitæ puniti et cæsi sunt, cap. XXV, 17, et cap. XXI, vers. 2, quia Deus nolebat tangi Moabitas et Ammonitas, propter justum Loth, cujus ipsi erant posteri, *Deut.* II, 9.

ITA DELEBIT (hebraice, *ita lambendo absumet*) HIC POPULUS OMNES, etc., QUO MODO SOLET BOS HERBAS USQUE AD RADICES CARPERE, — *q. d.* Hebræi non subjugant sibi populos, uti solent facere aliæ gentes, sed omnes occidunt et absumunt, uti bos herbas : ergo agite, o Madianitæ, non tantum regioni vestræ, sed et vitæ omnium vestrum consulite; agitur enim hic de pelle omnium. Inite ergo consilia, et mecum vires conjungite, ut Hebræorum vires a nostris cervicibus avertamus. Origenes, hom. 11 *in Exod.*, legit : « Quia sicut vitulus ablingit in campis herbam virentem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est; per quod (ait) ut a majoribus accepimus, indicatur (mystice) populum Dei non tam manu et armis, quam voce et lingua pugnare, id est orationem ad Deum fundendo. »

Vers. 5. 5. MISIT ERGO NUNTIOS AD BALAAM FILIUM BEOR ARIOLUM. — Pro *ariolum*, Chaldæus et Septuaginta retinent nomen Hebræum quasi proprium loci, vertuntque, *ad Pethoram Syriæ*. Ita enim omnes Hebræi illud accipiunt, *Deuter.* cap. XXIII, 4, in Hebræo; utroque enim modo hoc nomen accipi potest, ait Eugubinus (2).

Balaam fuitne propheta Dei, an diaboli? Resp. Eugubinus, Dei. Prob. Primo.

Quæres, qualis propheta fuit Balaam, an Dei, an diaboli? Respondet Eugubinus fuisse prophetam Dei, æque ac Sibyllas, et Mercurium Trismegistum apud Ægyptios; qui tametsi pleraque vera cecinerint, idololatræ tamen fuerunt, qualis fuit et Zoroastres apud Persas, et Orphæus apud Græcos, apud Hyperboreos Abaris, et Zamolxis apud Getas : quanquam de his non ita constat, sicut de Mercurio et Sibyllis. Ilæ enim non Judææ, sed Gentiles fuerunt, æque ut Balaam, atque ob meritum virginitatis obtinuerunt a Deo donum prophetiæ, uti docet S. Augustinus. *Secundo*, quia Balaam prophetaturus hic quæsivit Deum, Deus illi occurrit, et per eum oracula dedit, ut patet

Secundo.

(1) De tota hac pericopa et Balaami vaticinio vide Patritium, *De interpretatione S. Scripturarum*, lib. II, Quæst. VII; Meignan, *Les prophéties Messianiques*, p. 458 seqq.; Hengstenberg, *Geschichte Bileams und sein. Weissag.* Berol. 1842,

(2) Recte Simonis nomen בלעם deducit a בלע *deglutire*, et עם *populus*, ut Bileam idem sit quod *hominum vorator*. Alterum ע excluditur, eodem modo quo ש in formatione vocis *Jerusalem*, a ירוש *possessio*, et שלום *pax*, possessio pacis seu pacata, ut post Relandum censet Ewaldus. Balaami pater vocabatur בעור, a בער, *vorare, deglutire*. Talia nomina his data fuisse ob terrorem divinatoriæ artis, multi probabiliter censent; nam magicam artem in hac familia fuisse hæreditariam, imo omnibus urbis *Pethor* incolis communem, haud vero absimile est; פתר enim est *interpretari somnia, ænigmata solvere*. Quod de vocis *Balaam* etymo diximus, confirmat Neandri sententiam, scil. Nicolaitarum (a λαὸς et νικάω, *populum vincere*) nomine, *Apoc.* II, 12-17, non designari discipulos alicujus hæretici cui nomen *Nicolaus*, sed istud nomen esse symbolicum, seu αἰνιγματωδῶς adhiberi, et quidem cum respectu ad Balaamum.

Tertio. cap. XXIII, 3. *Tertio*, quia Hebræi, teste Ruperto, et Auctore Commentariorum *in Job.* cap. XXXII, qui exstat inter opera S. Hieronymi (sed non est S. Hieronymi), tradunt Balaam fuisse amicum S. Job, qui in lib. *Job* vocatur Eliu, eumque fuisse virum sanctum et prophetam Dei, qui postea propter inobedientiam et desiderium munerum, dum Israeli maledicere cupit, divini, vel arioli vocabulo sit nuncupatus.

Verius est fuisse diaboli. Primo. Verum dico Balaam fuisse prophetam non Dei, sed diaboli. Hunc enim significat nomen *ariolus*, ut patet; unde Balaam fuisse magum, docent S. Cyrillus, Theodoretus, Augustinus, Ambrosius, Nyssenus, Procopius et Rabanus, quorum loca citabo

Secundo. cap. XXIII, 3. *Secundo*, quia Balaam quæsivit augurium, ui patet cap. XXIV, 1, et ad illud captandum septem aras exstruxit ipsi Baal, eique victimas immolavit, ut patet cap. XXII, vers. ult. et

Tertio. cap. XXIII, 1. *Tertio*, quia voluit ipse maledicere Israeli, et ad hoc captavit hæc auguria et vaticinia diaboli; sed Deus pro diabolo ei occurrit, eumque invitum benedicere Israeli coegit. Fuit ergo

Quarto. ipse magus, et dæmonis alloquium quærebat, eumque consulere, et ab eo edoceri solebat. *Quarto*, Balaam non fuisse Eliu patet *Job.* XXXII, 2, ubi Septuaginta dicunt Eliu fuisse ex regione Ausitidis, id est, fuisse Idumæum; Balaam vero fuit

Quinto. ex Mesopotamia, ut patet *Deut.* XXIII, 4. Denique Balaam fuisse hominem impium et perversum patet, non tantum ex mala ejus voluntate, qua maledicere voluit Hebræis; sed etiam ex scandalo fornicationis et idololatriæ Beelphegor, quod eis objecit : unde et juste ab eis occisus est, ut patebit cap. XXXI, vers. 8 et 16 (1).

QUI HABITABAT SUPER (juxta) FLUMEN, — Euphratem scilicet, ut vertit Chaldæus, qui est fluvius Mesopotamiæ, quique antonomastice in Scriptura dicitur *flumen*, tum ob sui magnitudinem, tum quia notissimus erat Hebræis. Euphrates enim erat Hebræis a Deo datus terminus terræ promissæ, ut patet *Josue* I, 4. Nam Balaam fuit Mesopotamius, uti jam dixi : unde et cap. XXIII, 7, ipsemet ait se de Aram vocatum esse; Mesopotamia autem hebraice dicitur *Aram naharaim*, id est Aram, sive Syria, quæ inter duos fluvios, scilicet Euphratem et Tigrim, interjacet, iisque cingitur. Fuit ergo Balaam ex Mesopotamia vocatus a Balac in Moab, cumque inde ad suos cogitaret redire, migravit in Madian (invitatus forte a Madianitis, uti hic a Balac), ibique cum aliis Madianitis occisus est, eo quod cum iis se rursum opposuisset Hebræis, ut patet cap. XXXI, 8. Ita Abulensis, Vatablus et alii; licet Andreas Masius in *Josue* XIII, 23, putet Balaam fuisse Madianitam origine, quæ sententia non est improbabilis. Balaam fuit Mesopotamius.

SUPER FLUMEN TERRÆ FILIORUM AMMON. — Puta *super*, id est *juxta* Euphratem; nam Euphrates Ammonitas præterlabitur (2). Hebraice pro *Ammon* est עַמּוֹ *ammo*, id est populi sui : ita Septuaginta, Chaldæa et recentiores. Sed hic sensus est inanis et tautologicus; quis enim nescit Balaam habitasse in populo suo? Melius ergo noster Interpres, ex aliis Hebraicis exemplaribus legit *Ammon*, vel per *Ammo* intellexit Ammon; littera enim *nun* in *Ammon*, non est radicalis, sed hœmantica et ascititia : unde et *Genes.* XIX, ult., Ammon non vocatur *Ammon*, sed *ben ammi*, in hebræo.

SEDENS (castra metans) CONTRA ME, — *q. d.* Israel jam imminet mihi et regno meo : maledic ei, itaque eum a me averte.

6. NOVI ENIM QUOD BENEDICTUS SIT, CUI BENEDIXERIS, ET MALEDICTUS, IN QUEM MALEDICTA CONGESSERIS. Vers. 6.

(1) Ita et Patritius, op. cit. tom. II, pag. 149 : « Constat quidem, ait, Balaamum ariolum fuisse (*Jos.* XIII, 22), et auguria captasse (*Num.* XXIV, 1), atque adeo in hac re, quam Balac rex Moabitarum ipsi demandaverat, gerenda contra Israelitas, et postquam, ne regis jussa faceret, pluries Deus obstiterat, etiamsi compertum insuper plane haberet fore, ut non alia agere aut loqui posset, nisi quia Deus vellet. Neque obest quod Petrus *prophetam* illum vocet (II *Petr.* II, 16), quum sæpe hoc nomine etiam, qui veri prophetæ nequaquam sunt, appellentur (*Deut.* XIII, 1, 3, 5). Neque quod Deum consuluerit : voluit enim et Israelitarum, ad quos diris devovendos vocabatur, numen consulere, quippe cujus terror omnes illas regiones jam pervaserat (*Exod.* XV, 13-16; XXIII, 27; *Deut.* II, 5); tum simul et augurium ille quæsivit. Neque demum obsunt, quæ Balaam de se loquitur : hæc enim pertinent ad oracula, quæ tunc divino numine edebat. »

Addit : « Vera quippe oracula, divino inquam numine edita, ea cæteroquin fuisse, quæ Balaam protulisse narratur, historiam illam legentibus apparet manifesto. Nam propositum erat Balaamo Israelitis mala precari, utque id exsequeretur, ex alia regione advenerat, vocatus a rege Moabitarum, magnis præmiis atque honoribus allectus, nulla vero spe posita in Israelitis, a quibus demum necatus est (infra XXXI, 8; *Jos.* XIII, 22) : qui igitur fieri potuit, ut, contra ac sibi propositum fuerat, Israelitis iterum, tertio et quarto benediceret? Quia nimirum Deus ipse agebat. Id sane ea confirmant, quæ Balaam professus est, se auditorem esse *sermonum Dei*, se nosse *doctrinam Altissimi*, se *visionem Omnipotentis* intueri, quæque non erat profecto cur confingeret, imo, ne confingeret, gravissimæ eum rationes deterrebant. Illud idem expressis verbis tum ipse Balaam sæpius adseveravit, idque coram Balaco ipse; tum Deus Balaamo non semel prædixit; tum Moyses factum reipsa esse narravit. »

Rationalistis objicientibus, Catholicos, qui talem hominem, impostorem et ariolum, verum Dei prophetam et apparitionibus divinis dignatum esse putant, non satis dignitati patefactionum divinarum consulere, merito respondet Meignan, op. cit. p. 489, Balaamum non mere impostorem et hominem pessimum fuisse, sed hierophantem, veterum Græcorum vatibus, v. g. Calchanti, similem, qui, ab omnibus reverenter habiti, regibus et populis responsa dabant, viri utique singulares atque extraordinarii, in quibus eximiæ veritates cum turpi superstitione, sapientia rara cum amentia, fides cum dolo commixtæ ita deprehenduntur, ut de iis judicium sanum tam longo post tempore, tam dissimilibus moribus aliquis nunc ferre vix possit.

(2) Negat Rosenmullerus cum multis Ammonitas Euphrati et Mesopotamiæ confines fuisse, ideoque lectionem עַמּוֹ anteponendam censet.

— *q. d.* Experientia didici imprecationes et divinationes tuas esse veras, et reipsa verificari, ut sicuti tu divinas, ita reipsa cuique accidat bonum vel malum. Sic enim et magi et sagæ nostræ, sæpe ope dæmonis mala infligunt, eaque rursum dum volunt, removent, hominesque et animalia sanitati restituunt. Fingit enim more suo R. Salomon, dum ait Deum quotidie unam horam habere, qua irascitur malis, et hanc horam scivisse Balaam, ideoque eadem hora imprecari solitum alicui malo Dei maledictionem, quæ mox illi obveniebat (1).

Fabella R. Salomonis.

Vers. 7. 7. PERREXERUNTQUE SENIORES MOAB, ET MAJORES NATU MADIAN, HABENTES DIVINATIONIS PRETIUM. — Hebraice est, *habentes divinationes*; sed sicut *peccatum* sæpe sumitur pro hostia expiatrice peccati, ita *divinatio* hic sumitur pro pretio divinationis, metonymice. Ita Chaldæus et alii.

Balaam fuit simoniacus.

Fuit ergo simoniacus tam Balaam vendendo, quam Balac emendo hanc maledictionem, saltem ex sua mente et conscientia; siquidem eam a Baal, quem Deum verum esse putabant, exspectabant.

Moral. de auri cupiditate.

Moraliter, disce hic quam mala sit philargyria, quæ Balaam perdidit: « Pecuniæ enim obediunt omnia. » Hinc Græci finxerunt ab Apolline responsum Philippo regi Macedonum, « illum victoria potiturum, si pugnaret hastis argenteis, » hoc est, si pecunia hostes sollicitaret ad proditionem : unde idem rex pecuniæ vim expertus, dixit « nullam arcem quantumvis munitam non expugnari posse, modo ad eam asinum auro onustum immittere posset. » Hinc illud Glabri : « Aureo pugillo ferreus murus frangitur. » Quare recte dixit Chilo apud Laertium, « aurum cotibus explorari, mentes hominum auro; » et S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. v : « Laqueus est in auro, viscus in argento. »

Merito ergo viri sapientes et sancti fugerunt philargyriam. Phocio, cum ad eum Alexander centum talenta misisset, rogavit cur inter Athenienses ad se solum hæc mitteret Alexander. Responderunt legati quod eum probum putaret; tum Phocio : « Sinat igitur me talem esse et videri; remisitque totam pecuniam, rogans tantum ut captivos quosdam dimitteret, » inquit Isidorus Pelusiota, libro II, *epistola* 146. S. Antonius, ait S. Athanasius, ingenti auri radiantis massa in itinere conspecta, illico quasi incendium fugeret, in montem se proripuit. Abbas Pambo, ait Palladius, *Lausiac.* x, trecentas auri libras a Melania datas repudiavit. B. Barlaam apud Damascenum, roganti Josaphat ut exiguum pecuniæ in victum et vestitum acciperet, respondit : « Si pecuniarum possessio bona esset, sodalibus meis eas ante impertiissem; quoniam autem eam exitiosam esse scio, nec illos nec me talibus laqueis implicabo. » Putorem philargyriæ corporaliter odoratus est S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus Vita. Pecunia quoties offerebatur S. Vincentio per castella prædicanti, vetabat a sociis suis accipi. Vidit S. Franciscus ex crumena reperta in via prodire serpentem; tum ille : « Ecce pecunia servis Dei nihil est aliud quam diabolus et coluber venenosus; » nam si parum capias, plus et plus cupies : « Crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. » Sequere ergo monita Cassiani, lib. VII, cap. XXI, XXVIII, XXX : « Hæc erit summa victoria, ut ne minuto quidem nummo conscientia monachi polluatur, ne scintillæ hujus in nobis materiam, puta philargyriæ igniculum foveamus. »

Vers. 8. 8. MANETE HIC NOCTE, ET RESPONDEBO QUIDQUID MIHI DIXERIT DOMINUS. — Nocte ex more suo Balaam consulere volebat dæmonem, sibi familiarem (invocando eum vel voce, vel per magica signa et per incantationes), illique prætexit hic mendaciter nomen Domini, quasi Deum consuleret, non dæmonem. Verum Deus pro dæmone ei se obtulit, idque non ejus, sed Hebræorum, quibus per eum benedicere volebat, gratia. Id magis patebit cap. seq., vers. 4, et cap. XXIV, 1.

VENIT DEUS, — scilicet angelus, Dei personam gerens : venit, inquam, sive in corpore assumpto visibiliter, sive tantum per vocem humanam, sive in phantasia Balaam, per visionem cum eo colloquens.

Vers. 12. 12. NOLI IRE CUM EIS, NEQUE MALEDICAS POPULO (Hebræis), QUIA BENEDICTUS EST. — Volebat Balaam, ut pecuniam a Balac obtineret, maledicere Hebræis; unde Deus ei vetat ne ad eum vadat : Quia, inquit, populus hic Israel benedictus est, quia scilicet ego benedixi illi, et deinceps benedicam, id est benefaciam, dans ei omnia prospera, adeo ut vincat omnes suos hostes, et Chananæam obtineat.

Nota : Hæc gesta et dicta Balaam, non ab homine, sed a Deo revelante didicit et scripsit Moses.

Vers. 18. 18. NON POTERO IMMUTARE VERBUM DOMINI. — Balaam, licet impius et avarus, hactenus tamen Deum reveretur, quod non audeat Dei verbis et jussui resistere; timebat enim Dei iram et vindictam (2).

Vers. 20. 20. VENIT ERGO DEUS AD BALAAM NOCTE, ET AIT EI, etc. : VADE CUM EIS. — Secundo et instantius vocabatur Balaam a Balac : unde Deus, qui primo

(1) אָרַר לִי, *mala precator mihi*, in mei gratiam. אָרָה (efferendum *or'a*) imper. cum ה parag. ab אָרַר. Vatum imprecationibus magnam vim adscribebant plures antiqui populi. Existimabant enim, eos Numini gratiores esse quam alii homines, ita ut ab eo, quod peterent, facile impetrare possent. Sic et Romani credebant, se posse carmine quodam urbes exercitusque hostiles perdere. Cf. Macrobium *Saturnal.* lib. III, cap. IX, et Plutarchum in *Vita Crassi*. Ita Rosenmull. ad h. l.

(2) Pro *vel plus, vel minus*, hebr. est *parvum aut magnum quid*, quæ phrasis apud Hebræos significat *nihil quidquam*, scil. contra Dei jussa.

Vers. 19. Ante *obsecro* in hebr. est וְעַתָּה *et nunc*. Sed hæc particula h. l. habet significationem adversativam, *attamen, interea*, uti *Deut.* v, 22; *Ruth.* III, 12.

vetuerat eum ire, ut retunderet ejus avaritiam et cupidinem maledicendi Hebræis, hic eum jam retusum et repressum abire permittit, sed hac lege, ut non alia loquatur quam illa quæ a Deo audiet; idque ad hoc, ut per Balaam celebraret se et populum suum Israel, utque Balac per Balaam, quasi suo ipsius gladio, jugularetur. Voluerat enim Balac per Balaam maledici et diris devoveri Israelem, dixeratque ei : « Novi quod benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris. » Jam Deus hoc in caput ejus retorquet, dum facit Balaam vocatum et paratum ad maledicendum, benedicere Israeli, ut sibi persuadeat Balac certissimo eum a Deo esse benedictum.

Vers. 22. 22. ET IRATUS EST DEUS (1). — Licet enim concessisset Balaam abitum ad Balac, tamen vetuerat ei aliud facere aut dicere quam ipse juberet; Balaam autem, auri avidus, ibat ad Balac ea mente, ut malediceret Hebræis, quod sciebat Deum nolle; audierat enim ab eo, vers. 12 : « Neque maledicas populo, quia benedictus est. » Contrarium autem facere voluisse Balaam hic, patet ex objurgatione angeli, vers. 32 : « Ego, ait, veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria, » quia scilicet vadis ea mente et spe, ut meo populo, cujus ego sum custos et tutor, maledicas; hoc enim se facturum sperabat Balaam. Unde et II *Petr.* II, 15, dicitur « mercedem iniquitatis » (id est iniquæ maledictionis) adamasse, correctorem vero habuisse subjugale animal.

STETITQUE ANGELUS DOMINI IN VIA CONTRA BALAAM. — Hebraice, *in satan Balaam,* ut scilicet se ostenderet esse adversarium Balaam. Angelus hic se ostendit, non Balaam, sed tantum asinæ cui ipse insidebat. Sic beati in corpore glorioso, apparent cui volunt, et abscondunt se cui volunt.

Vers. 27. 27. CUMQUE VIDISSET ASINA STANTEM ANGELUM, CONCIDIT SUB PEDIBUS SEDENTIS, — partim consternata, partim quia non videbat transitum, nec aliud effugium. Cernebat enim angelum, gladio exerto minitantem mortem, si pergeret; ei ergo cessit, quoad potuit, ut eo magis Balaam durities et cæcitas per eam argueretur : unde et asina locuta est.

(1) Addunt Hebræa, *quod* (כִּי) *iter aggrederetur.* Quæri potest, quomodo Deus irasci potuerit, *quod* Balaamus proficisceretur, quem tamen ipsi proficisci permiserit vers. 20. Respondeo *primo*, cap. XXII, vers. 12, Deus vetat ne Balaamus proficiscatur et maledicat populo Israelitico; cap. XXIII, vers. 20, idem eumdem permittit cum legatis proficisci, si modo nihil ab illo petant, quod sit divinis præceptis contrarium; denique hic vers. 22, contra Balaamum irascitur Deus quod iter sit aggressus animo nocendi et maledicendi Israelitis. Deus ergo non mutat consilium, nec secum dissentit : nam vult et permittit *in abstracto* Balaamum proficisci; non idem vult nec permittit *in concreto,* si nempe Israelitis nocere Balaamus in animo habeat. *Secundo,* si cum Gesenio et Meignan vertas כִּי, non *quia, quod,* sed ὅτε, *quando, dum,* nodus facillime solvetur.

Vers. 28. 28. APERUITQUE DOMINUS OS ASINÆ, ET LOCUTA EST. — Movit angelus linguam asinæ, ut loqueretur, sicut dæmon moverat os serpentis, ut loqueretur Evæ, et sicut angelus movit os hippocentauri et satyri, ut loquerentur S. Antonio, eique in eremo viam ostenderent ad S. Paulum Eremitam, teste S. Hieronymo in Vita S. Pauli. Fiebat ergo hæc locutio per organa asinæ, sed ea impellente apposite ad vocem articulatam efformandam angelo, ac supplente per vicinum aerem, id quod organis asinæ deerat.

Angelus locutus est per os asinæ.

Ubi nota *primo* : Proprie hic asina non fuit locuta. Loqui enim est conceptum suum voce exprimere; asina autem non poterat concipere, nec intelligere quid voces illæ, ore suo prolatæ, significarent. Hæ ergo voces, non ab asinæ anima aut mente, sed a movente extrinseco, puta ab angelo, in ore asinæ formabantur; perinde ut ab homine, dum manu sua labia et dentes alterius hominis collidit, voces quædam stridulæ efformantur. Unde sequitur hanc locutionem non fuisse vitalem asinæ, quia non vi animæ, nec phantasiæ ipsius, sed ab angelo producebatur : multo minus fuit vitalis ipsi angelo, sed in aere et ore asinæ recipiebatur. Vitalis enim actio est quæ elicitur ab anima, et in eadem recipitur.

Asina proprie non est locuta, cur?

Locutio hæc non fuit vitalis asinæ.

Nota *secundo* : Has tamen voces angelus non formabat in aere vicino, nec in ore asinæ, sine asinæ organis : sic enim non magis diceretur asina locuta quam domus in qua angelus loqueretur. Jam autem S. Scriptura et Patres, uti S. Augustinus, Origenes, Theodoretus, Ambrosius et alii dicunt asinam esse locutam, eamque corripuisse Balaam.

Facta est per organa asinæ.

Nota *tertio* : Sola tamen organa asinæ, uti et aliorum brutorum (exceptis avibus quibusdam, ut psittaco), non sufficiunt ad formationem vocis humanæ. Ad aliud enim requiritur os humanum, aut illi simile; illud enim solum habet vim et dispositionem organicam interiorem, qua colligitur aer ad formationem vocis, et qua fit debita percussio et collisio aeris ad palatum, labia, dentes, etc., ad emissionem talis vel talis vocis, quod est articulare vocem : hisce autem caret os asinæ et aliorum brutorum; nam, ut alia taceam, os eorum, cum sit longum, et lateraliter apertum, non potest aerem ab intimis progredientem colligere, et in dentibus collidere et frangere, quia aer totus lateraliter per rictum effluit. Angelus ergo per aerem vicinum idipsum, uti et cætera quæ organis asinæ deerant, supplevit; tenuit enim aerem fortiter, ut resisteret, ne aer et vox ex ore asinæ effluerent : atque alia ex parte, aerem in ore asinæ ita collisit et allisit ad organa oris, ut articulatam vocem exprimeret. Ita Abulensis.

Ad eam tamen sola non sufficerunt.

Nota *quarto* : Idem fuit angelus, qui Balaam domi locutus fuerat, ut iret ad Balac, idem qui illi in via obstitit armatus, idem qui locutus est per os asinæ; amplam enim sphæram præsentiæ et activitatis habent angeli.

Apparuit angelus fulgido gladio, cur?

Nota *quinto* : Apparuit angelus cum fulgenti gladio, ut doceret Balaam, si maledicere vellet Hebræis, a Deo benedictis, eum bellum contra Deum et angelos suscepturum. Ita S. Cyrillus, lib. VI *De Adoratione.*

Angelus hic fuit Michael.

Nota *sexto*, angelum hunc fuisse Michaelem (qui præses erat Synagogæ Judæorum, uti jam est Ecclesiæ Christianorum), tradunt Procopius et alii apud Theodoretum, *Quæst.* XLII.

Mira S. Galgani per equum loquentem conversio.

Simile est quod legimus in Vita S. Galgani Senis excusa anno Domini 1572, et ex ea apud Philippum Ferrarium in *Catalogo Sanctorum Italiæ*, ad diem quartum decembris; Galganus enim in agro Senensi natus regnante Frederico I Imperatore, sub anno Domini 1153, voluptuosam agens vitam, a Michaele archangelo bis in somnis monitus, ut mores in melius mutaret, Christique miles fieret, in montem sepium venit, ubi tertio ab eodem angelo monetur, ut mundum deserens Deo vacet. A quo consilio mater et propinqui illum, uxorem et elegantem et divitem proponentes, omni studio avertere conati sunt : cum vero ab eis persuasus ad sponsam videndam equitaret, sic repente constitit equus, ut calcaribus ad progrediendum stimulatus locutus feratur, dixeritque se ab angelo progredi prohibitum; cujus etiam in saxo vestigia apud eum montem monstrantur. Quare viam mutans in eremum secedens, cœlestem in orationibus, jejuniis omnique austeritate vitam egit, ac post annum cœlesti voce ad æternam requiem hisce verbis evocatus : « Satis est quod laborasti; metes nunc quod seminasti, » obdormivit in Domini anno ætatis 33, sub annum Domini 1181, ac miraculis vivus et mortuus claruit.

Cur usus est ore asinæ?

Nota *septimo* : Usus est Deus voce asinæ, tum quia congrue bruta mens per brutum docetur; tum, ut ait Nyssenus, lib. *De Vita Mosis*, sub finem, ut erudiretur et castigaretur vanitas auguris (Balaam), qui ruditum asinæ et garritum avium, quasi omina quæ futura significarent, observare solebat. Similia enim omina superstitiose observasse Gentiles docet Cyrillus Alexandrinus, lib. III *Contra Julianum*, ubi et addit : « Commemorabo Dodonæam quercum, quam humana aiunt usam voce. » Sic Isigonius Citiensis in Rhodo insula scribit, Jovis taurum humano sermone locutum. Magis mirum est quod refert Alexander Magnus in epistola ad suum præceptorem de suo itinere, situque Indiæ, de duabus arboribus, una virilis roboris Solis, altera feminæ Lunæ, indice et græce sibi loquentibus, et oraculum dantibus. Arbor enim Solis primo jubare Solis orientis tacta, ei indice dixit : « Invicte bellis, Alexander, unus terrarum orbis eris dominus; sed vivus in patria non reverteris : ita enim fata de tuo capite statuerunt. » Arbor vero Lunæ, primis Lunæ noctu orientis radiis percussa, consulta ab ædituo, ubi moriturus esset Alexander, græce respondit : « Alexander, plenam jam ætatis finem non habes, sed sequenti anno mense maio in Babylone morieris; a quo minime speras, decipieris. » Scisciatus est rursum ab arbore Solis Alexander, a quo occidendus esset, quemque finem mater et sorores essent habituræ. Arbor græce respondit : « Si mortis tuæ tibi insidiatorem prodidero, instantia fata facile mutabis. Mihi quoque tres irascentur sorores (Parcæ quæ cuique sua fata quasi pensa distribuunt), quod earum pensa impediverim. Igitur ad annum et menses octo Babylone morieris, non ferro, ut suspicaris, sed veneno. Mater tua turpissimo et miserando exitu, quandoque insepulta jacebit in via, avium ferarumque præda. Sorores tuæ diu fato felices erunt. Tu modo cave ne nos ulterius scisciteris; quin excede nostri luci terminos, et Phasicaem Porumque revertere. » Hæc si vera sunt, magica sunt, factaque ope dæmonis, qui sicut per idola, ita per arbores loqui potest.

Tropologice S. Gregorius, III part. *Pastor.*, Admon. 13, et ex eo Rabanus : « Asina retardata angelum videt, quam Balaam necdum videbat; quia plerumque caro tarda, per molestias flagello suo menti indicat Deum, quem ipsa carni præsidens non videbat. » Asina ergo, id est, caro flagellata, sæpe Balaam, id est, menti cæcæ et depravatæ, Deum revelat et ostendit. Tropologice.

Rursum, idem Gregorius, XXVII *Moral.* cap. I : « Sicut, ait, irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit : ita sæpe quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit; sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit, ut et supra se loquendo emineat, et infra se vivendo torpescat. »

29. UTINAM HABEREM GLADIUM, UT TE PERCUTEREM! — Vide hic Balaami et pravorum hominum arrogantiam et dementiam, qua suos monitores et salutis auctores insectantur verbis et verberibus. Ita Herodes suum monitorem Joannem Baptistam occidit. Ita Alexander Magnus Clitum fidissimum amicum et monitorem temulentus transfixit. Hic verum est illud Comici : « Obsequium amicos, veritas odium parit. » Ita « Cambysem, ut scribit Seneca, libro III *De Ira*, cap. XIV, vino deditum Præxaspes amicissimus monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur. Ad hoc rex : Ut scias, ait, quod nunquam excidam mihi, approbabo jam, et oculos post vinum in officio esse, et manus. Bibit deinde liberalius quam alias; et jam gravis ac vinolentus, objurgatoris sui filium procedere ultra limen jubet, allevataque super caput sinistra stare. Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis figit, rescissoque pectore, hærens in ipso corde spiculum ostendit; ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum interrogavit. » Ita barbarus iste. Vere dixit Sapiens, *Proverb.* XV, 12 : « Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur; » et cap. XXIX, vers. 1 : « Viro qui corripientem dura Vers. 29. Cambysis in monitorem barbaries.

cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus. » Ita Cambyses paulo post vita et regno privatus est; ita et Balaam paulo post ab Hebræis in pugna occisus est, cap. XXXI, vers. 8.

Vers. 30. 30. DIC QUID SIMILE UNQUAM FECERIM TIBI. AT ILLE AIT : NUNQUAM.—Inde convincebatur Balaam, quod sine ratione percussisset asinam, neque illam ipsi illudere voluisse, sed compulsam fuisse ab angelo : unde mox angelus se revelans Balaam, clare ejus cæcitatem æque ac impietatem coarguit. Mira enim fuit cæcitas et furor Balaam, quod audiens per miraculum asinam loquentem, non expaverit, non obstupuerit, nec miraculi causam et significationem investigarit; sed ira percitus minatur asinæ mortem, putans, ex eo quod humana voce loquebatur, eam quasi rationis compotem, sibi voluisse illudere.

Decem mira creata a Deo initio mundi, fabulantur Hebræi.

Tradunt, imo fabulantur Thalmudici Deum decem res creasse die sexta mundi, ad solis occasum incipiente sabbato, scilicet *primo*, os terræ, quod devoravit Core, Dathan et Abiron, de quo dixi cap. XVI. *Secundo*, os putei, quod semper patebat Judæis, vivente Maria sorore Mosis, et præcedebat Hebræos, de quo cap. XX, vers. 1. *Tertio*, os asinæ Balaam ad loquendum, de quo hic. *Quartum* fuit iris, sive arcus cœlestis, de quo *Gen.* IX, 13. *Quintum* fuit aries, quem immolavit Abraham pro Isaac, *Gen.* XXII, 13. *Sextum* fuit virga Mosis, quæ divisit mare Rubrum, *Exodi* XIV, 21. *Septimum* fuit manna. *Octavum* fuerunt primæ tabulæ legis, quas Deus et dedit, et Decalogo inscripsit. *Nonum* sunt ipsi dæmones, apparentes hominibus. *Decimum* sunt forcipes; primas enim forcipes aiunt descendisse de cœlo, nec potuisse aliter fieri, itaque resolvunt illam vulgi quæstionem, utrum prius fuerit malleus, an forcipes? Hæc recenset, et fuse refellit Abulensis, *Quæst.* X : meræ enim sunt fabulæ.

Vers. 31. 31. PROTINUS APERUIT DOMINUS OCULOS BALAAM, ET VIDIT ANGELUM, — *q. d.* Fecit Deus ut Balaam videret angelum, idque, quia sustulit vel aorasiam, qua eum percusserat, vel nebulam aliumve obicem, quem oculis ejus objecerat; aut quia angelus, qui speciem sui soli asinæ prius immiserat, jam etiam eamdem oculis Balaam immisit, eamque terribilem et minacem cum fulgenti gladio.

Vers. 32. 32. PERVERSA EST VIA TUA, MIHIQUE CONTRARIA (1), — scilicet, ob perversam intentionem qua proficisceris ad Balac, videlicet ut maledicas Hebræis. Nota : Hæc visio, et collocutio cum angelo contigit soli Balaam; præcesserant enim principes Balac, qui eum, uti vocarant, ita et deducebant; ac non longe post eos sequebatur ipse Balaam, qui proinde solus angelum vidit et allocutus est.

Vers. 33. 33. ET NISI ASINA DECLINASSET DE VIA, DANS LOCUM RESISTENTI (obsistenti mihi angelo), TE OCCIDISSEM, ET ILLA VIVERET. — Hebraice est, *illam vivificassem* (2). Unde colligunt Hebræi asinam hanc, mox ut locuta est, fuisse mortuam, idque ad honorem, non Balaam, sed humani generis, ne scilicet superstes maneret asina, quæ ratione hominem aliquem convicerat. Verum hoc ex hisce verbis colligi nequit : tantum enim eis significat angelus se occisurum fuisse Balaam, non autem asinam, nisi ea declinasset. *Vivificare* enim Hebræis sæpe idem est quod in vita conservare, vel vitam non adimere, sed indulgere. Significatur enim actus, non inchoatus, sed continuatus, *q. d.* Occidendo te, non occidissem asinam, sed illam in vita servassem; tui enim solius, uti fuit culpa, ita futura erat et pœna (3).

Vivificare est in vita conservare.

Vers. 38. 38. NUMQUID LOQUI POTERO ALIUD, NISI QUOD DEUS POSUERIT IN ORE MEO? — Quod scilicet Deus mihi revelarit et jusserit ut enuntiem. Præoccupat Balaam, ut amoliatur a se indignationem Balac, si forte vaticinetur contra ejus votum et desiderium.

Vers. 39. 39. VENERUNT IN URBEM, QUÆ IN EXTREMIS REGNI EJUS FINIBUS ERAT. — Hebraice, *venerunt in urbem Chusot*, *q. d.* In urbem quæ foris, vel extra regnum posita erat in confinibus. *Secundo*, Oleaster vertit, *venerunt in urbem divisionum*, id est, quæ erat limes regni, dividens illud a vicinis. *Tertio*, Vatablus putat *Chusot* esse nomen proprium urbis.

Vers. 40. 40. CUMQUE OCCIDISSET BALAC BOVES ET OVES, MISIT AD BALAAM, etc., MUNERA, — *q. d.* Instituit Balac, ob lætum adventum Balaam, festa, sacrificia et convivia, indeque munera et partes ad epulandum misit ipsi Balaam, suisque principibus, qui eum comitati fuerant; Gentiles enim in festis, triumphis rebusque lætis instituebant sacra convivia, in quibus primo victimas suis diis immolabant; deinde ex iis epulum solemne, et quasi sacrum instituebant, ac denique ad absentes amicos mittebant epuli hujus partem.

Vers. 41. 41. MANE AUTEM FACTO DUXIT EUM AD EXCELSA BAAL, ET INTUITUS EST EXTREMAM PARTEM POPULI,— *q. d.* Mane Balac duxit Balaam ad excelsa, scilicet loca, puta ad montem continentem templum, vel sacellum, in quo colebatur Baal, idque ad hoc, ut scilicet ex hoc monte Balaam videns castra Israel, atque idolo Baal immolans, ab eo vires, spiritum, et quasi enthusiasmum acciperet, ad maledicendum Israeli. Hac enim de causa septem ibi aras erexit, in iisque immolavit Balaam,

(1) Hebr. est *præceps*, id est perniciosa *est via* tua *coram me*, hoc est, novi in hoc tibi itinere tibi ingens periculum imminere.

(2) Versus totus in hebr. ita se habet, *et vidit me asina, et declinavit coram me tribus vicibus; si non* (אולי compositum ex אוֹ = אם, et לִי = לֹא) *declinasset a facie mea, profecto*, utique *te jam interfecissem, illam vivam conservassem.*

(3) Vers. 36... *oppido Moabitarum, quod situm est ad terminum Arnonis, qui est in extremo* finis, id est, ad Arnonem, qui alluit fines Moabitarum. Hoc observatur, ut lector intelligat, Balaamum summo honore a rege Moab fuisse exceptum.

ut dicetur cap. seq., vers. 1. Ita Abulensis. Fuit hic mons Abarim, qui dividebat Moabitas a regno Sehon et Og, cujus una pars dicebatur Phasga, altera Nebo, in qua mortuus est Moses, ut patet *Deut.* XXXII, 49, et cap. XXXIV, vers. 1 et 5. Juxta hunc ergo montem posita erant castra Israel, in locis campestribus, quæ proinde passim vocantur campestria Moab, atque ex hoc monte Balaam speculatus est castra Israel, iisque vaticinando, præter mentem suam benedixit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balaam maledicturus Hebræis, eis præter mentem benedicit; inde, vers. 14, mutat locum, ut maledicat, sed rursum eisdem benedicit, eosque laudat a religione, fortitudine et adjutorio Dei, eorumque victorias prædicit; hinc iterum mutat locum, vers. 27.

1. Dixitque Balaam ad Balac : Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. 2. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. 3. Dixitque Balaam ad Balac : Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, et quodcumque imperaverit loquar tibi. 4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam : Septem, inquit, aras erexi, et imposui vitulum et arietem desuper. 5. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait : Revertere ad Balac, et hæc loqueris. 6. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum : 7. assumptaque parabola sua, dixit : De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis : Veni, inquit, et maledic Jacob : propera, et detestare Israel. 8. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? 9. De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. 10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. 11. Dixitque Balac ad Balaam : Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te : et tu e contrario benedicis eis. 12. Cui ille respondit : Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus? 13. Dixit ergo Balac : Veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, et totum videre non possis, inde maledicito ei. 14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis supra vitulo atque ariete, 15. dixit ad Balac : Sta hic juxta holocaustum tuum donec ego obvius pergam. 16. Cui cum Dominus occurrisset posuissetque verbum in ore ejus, ait : Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei. 17. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac : Quid, inquit, locutus est Dominus? 18. At ille assumpta parabola sua, ait : Sta Balac et ausculta, audi fili Sephor. 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? 20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. 21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo. 22. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. 23. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus. 24. Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur : non accubabit donec devoret prædam et occisorum sanguinem bibat. 25. Dixitque Balac ad Balaam : nec maledicas ei, nec benedicas. 26. Et ille ait : Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem : 27. Et ait Balac ad eum : Veni et ducam te ad alium locum : si

forte placeat Deo ut inde maledicas eis. 28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, 29. dixit ei Balaam : Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. 30. Fecit Balac ut Balaam dixerat, imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

Vers. 1. 1. DIXITQUE BALAAM AD BALAC : ÆDIFICA MIHI HIC SEPTEM ARAS, ET PARA TOTIDEM VITULOS. — Balaam has aras erigi jussit, *primo,* ad sacrificandum, non Deo vero Hebræorum, ut vult Eugubinus : id enim non permisisset Balac; sed Baal, sive dæmoni : erant enim hæc excelsa Baal, uti præcessit cap. præcedenti, vers. ult. *Secundo,* ad superstitionem divinationis, et ad scrutandum per eas augurium, uti dicetur cap. seq., vers. 1 ; unde septem præcise fieri jussit aras, et in singulis cremari victimas binas, vitulum scilicet et arietem, idque cooperante Balac rege idololatra : unde et vers. 3, vocat hoc ejus holocaustum; licet vers. 4 præter spem occurrente sibi angelo, simulate præ se ferat se in Domini honorem has aras erexisse, ut angelum sibi conciliet.

Balaam aras erexit, non Deo, sed Baal.

Cur septem aras erexit?

Septem autem aras erexit, vel ob septem planetas : videtur enim ipse fuisse astrologus genethliacus, qui scilicet ex horoscopo et astrorum inspectione divinabat, ait Abulensis ; vel quia septenarius est symbolum perfectionis, ideoque in sacris usurpatur; unde et septem vitulos et arietes immolari jussit, ut divinaret ex eorum extis, puta ex inspectione viscerum : hoc enim est officium arioli, qualis erat hic Balaam, ut patet cap. XXII, vers. 5 (1). Vel denique, id fecit ex superstitione. Magi enim et malefici maxime observant certos numeros, unde et nihil per parem, sed omnia per imparem numerum faciunt. Hinc Virgilius, *Ecloga* 8 :

Magi sua faciunt per numerum imparem.

> Terna tibi hæc primum triplici divisa colore
> Licia circumdo, terque hæc altaria circum
> Effigiem duco : numero Deus impare gaudet.

Allegorice.

Allegorice, Balac, qui hebraice idem est quod *lingens* et *devorans,* significat diabolum; Balaam, id est, populus vanitatis, significat Scribas et Pharisæos, qui impulsu dæmonis maledicere et perdere voluerunt Christum et Christianos, qui sunt veri Israelitæ ; sed Deus maledictionem eorum et mortem crucis in benedictionem et gloriam convertit. Ita Rabanus (2).

Vers 3 3. STA PAULISPER, SI FORTE OCCURRAT MIHI DOMINUS. — « Dominus, » scilicet Baal, sive dæmon : huic enim hoc holocaustum obtulerat Balac cum Balaam; Balaam enim hic quærebat augurium, ut dicitur cap. seq., vers. 1, id est divinationem, puta dæmonem ipsum, quicum de more secreto loqueretur, et a quo audiret responsa quæ ad Balac deferret. Ita Cyrillus, lib. VI *De Adoratione,* fol. 113, Theodoretus, *Quæstione* XL, S. Augustinus, serm. 103 *De Tempore,* Ambrosius, lib. VI, *epist.* 37, Nyssenus, *De Vita Mosis,* sub finem, Procopius et Rabanus hic.

Dices : Pro *Dominus* hebraice est *Jehova,* quod est nomen Hebræum.

Respondeo, Balaam non dixisse Jehova (nec enim unquam hoc nomen audierat), sed fuisse usum alio nomine, quo Moabitæ solebant appellare Deum (qui eis non erat Deus verus, sed Baal, sive dæmon); Mosen vero, quia non Moabitice, sed Hebraice scripsit, pro eo substituisse Hebræum nomen *Jehova* (3).

4. CUMQUE ABIISSET VELOCITER. — Vatablus et Hebræi vertunt, *cumque abiisset in excelsa;* hoc enim etiam significat Hebræum שפי *scephi.* Alii vertunt, *cumque abiisset solus.* Vers. 4

OCCURRIT ILLI DEUS. — « Deus, » id est, angelus bonus a Deo missus, sive « Deus, » non per se, sed per suum angelum; etiamsi enim eum non quæreret Balaam, sed dæmonem suum, tamen sponte sua ingessit se et occurrit illi angelus bonus, idque ad promovendam gloriam, tum Dei, tum Hebræorum; sicuti Pythonissæ, quæ pro Saule dæmonem consulebat, non malus, sed bonus Samuelis spiritus se ingessit.

Occurrit autem ei angelus visibili forma, et, ut sequitur, «venit ex adverso ejus,» in assumpto scilicet corpore; quod videns Balaam, honoris causa prius eum salutavit, et allocutus est, dicens : « Septem aras erexi ; » non dicit cui : forte quia dubitabat an dæmon, an Deus esset ille qui ei occurrebat; tamen tacite innuit se ei qui occurrebat, aras has erexisse, qua in re mentitus est. Recte ait S. Augustinus in *Psalm.* LXIII : « Simulata æquitas duplex est iniquitas. »

Rursum Jovianus Imperator vere dixit, « assentatores (qualis fuit hic Balaam) non Deum, sed purpuram colere : Euripoque persimiles esse, qui modo in hanc, modo in illam partem præcipitatur; » testis est Socrates, lib. III, cap. XXI. Moralis de adulatione.

Bion rogatus, « quode sset animal omnium ma-

(1) Videtur Balaamus numerum septenarium ideo elegisse, quod ille ex veteri creationis intra septiduum traditione ab omnibus fere gentibus sacer haberetur. Hinc ad auguria captanda ab incantatore perquam apte eligebatur. Ita Sibylla Cumana, Deiphobe, Phœbi Triviæque sacerdos, apud Virgilium *Æneid.* VI, 38, 39,

> Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
> Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

(2) Vers. 2. *Imposuerunt :* hebræa addunt *in altari,* scil. quinquoque.

(3) Post *Dominus,* in hebr. est, *et rem quam* (מה vim habet pronominis relativi אשר) *mihi ostenderit, loquar tibi ;* (vers. 4 in Vulg.) *et discessit in locum planum,* seu *nudum,* ut vult Hengstenberg, ex quo scil. prospectum haberet minus impeditum. שפי est accusat. loci.

xime noxium : Si de feris, ait, percunctaris, tyrannus; si de mitibus, adulator. » Ita Laertius, lib. I, cap. V.

Diogenes orationem blandam et adulatoriam vocabat melleum laqueum. Idem aiebat, « satius esse incidere εἰς κόρακας quam εἰς κόλακας, id est, in corvos quam in adulatores. » Ita Laertius.

Epictetus aiebat : « Corvi mortuorum oculos evellunt; at adulatores viventium animos corrumpentes, omnem eis visum adimunt. »

Phavorinus dicebat : « Sicut Actæon ab alumnis suis canibus interiit : sic parasiti eos, a quibus aluntur, pessumdant. »

« Ut lepori canis, sic amico adulator natura sua infestus est, » ait Antonius in *Melissa*, part. I, serm. 52.

Unde Aristoteles, lib. IX *Ethic.* : « Qui fingit, ait, se amicum, et non est, pejor est eo qui fecit falsam monetam. »

Vers. 5. 5. DOMINUS AUTEM POSUIT VERBUM IN ORE EJUS, — *q. d.* Angelus suggessit ei, et docuit eum quæ esset dicturus ipsi Balac. Nota : Angelus hic non arguit mendacium, hypocrisin et idololatriam Balaam, sed eam dissimulat, quia sciebat eum esse idololatram, magum, improbum et incorrigibilem; unde tantum ei dicit ea quæ ad rem præsentem, puta ad legationem Balac, et Hebræorum causam, spectabant.

Vers. 7. 7. ASSUMPTAQUE PARABOLA SUA DIXIT. — Prophetiam gravem, pulchram et acutam vocat *parabolam*. Hebræum enim משל *mascal*, quod Noster sæpe vertit *parabolam*, significat sententiam quamlibet, quæ eminens est et illustris, ac quasi princeps inter sententias, quales sunt sapientum gnomæ, proverbia et parabolæ, item Prophetarum oracula. Radix enim משל *mascal* significat dominari et principari. Hinc vocantur משלי *misle*, id est *Parabolæ* Salomonis, sententiæ ejus graves et morales. Adde in hac prophetia Balaam multas similitudines et parabolas proprie dictas immisceri (1).

DE ARAM (de Mesopotamia, quæ hebraice dicitur *Aram Naharaim*, uti dixi cap. XX, vers. 5) ADDUXIT ME BALAC.

8. QUOMODO MALEDICAM CUI NON MALEDIXIT DEUS? Vers. 8. — Nota, non tantum linguam, sed et mentem Balaam, saltem ad tempus quo hæc prophetavit, a Deo fuisse immutatam, ut cum antea voluisset maledicere Hebræis, jam benediceret. Nec enim Balaam hic fuit arreptitius uti erant Sibyllæ, et puella in templo Apollinis Delphici, in quam ipse Phœbus, id est dæmon, introibat, atque eam per terram rotans, et despumare cogens, ad omnia de quibus interrogabatur, per os ejus respondebat; ipsa tamen puella nihil horum intelligebat, sed erat quasi extra se, et in furore, atque postquam furere desinebat, non recordabatur dictorum. Vide Virgilium, lib. VI *Æneid.* Balaam vero hæc omnia intelligebat, imo jam ante hæc omnia conceperat et memoriæ mandarat, cum scilicet ea solus audivit ab angelo sibi occurrente, vers. 5. Nec enim angelus postea in ipsa vaticinatione ei, aut per eum locutus legitur. Rursum, eum ex mente et serio hæc dicere patet, ex eo quod subdit : « Moriatur anima mea morte justorum. » Deus ergo non movit os Balaam, sicut os asinæ loquentis; movebatur enim Balaam ut homo, non ut brutum. Deus ergo impulit ejus voluntatem, et illustravit ejus intellectum, ut pie et libenter, atque ex animo hæc loqueretur. Contrarium tamen sentit Abulensis, scilicet Balaam persistentem in impia voluntate maledicendi, coacte et invite benedixisse, ex eo quod Deus moveret os ejus, licet inviti, in eoque efformaret verba hæc, quibus benedixit Israeli, idque probat ex eo quod ait Balaam vers. 12 : « Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus? » Sed illud non cogit : nam non possum ibi idem est, quod non licet, non est fas. Prius ergo quod dixi verius est, idque confirmatur cap. XXIV, vers. 1, ubi dicitur : « Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, etc., irruente in se spiritu Dei, ait. » Mox tamen a vaticinatione, Balaam rediit ad ingenium, quæsivitque modos satisfaciendi Balac, et Hebræis maledicendi : et hoc tantum vult S. Gregorius, III part. *Pastor.*, Admon. 13, cum ait Balaam vocem, non mentem mutasse. Nam eo modo quo dixi, se explicat S. Gregorius, libro XXXIII *Moral.* cap. XXVII. Simili modo Saul inter

Non tantum lingua, sed et mens Balaam, ad tempus fuit a Deo immutata.

Balaam non fuit arreptitius.

Deus illustravit intellectum et voluntatem Balaam, ut libenter benediceret Hebræis.

(1) משלים non tam *parabolæ*, quam omnia in universum *carmina* vocantur, prophetica, epinicia, lugubria, etc., ob figuratum dicendi genus, a משל *assimilavit*. Attamen quum vaticinia hoc nomine vocantur, ea semper allegorica sunt (vid. *Isai.* XIV, 1; *Ezech.* XVII, 2; XX, 49). Patritius, loc. cit., Aben Esræ adstipulatur de his Balaami verbis sic scribenti : « Sensus duplex et משל est, » id est, sensus allegoricus seu metaphoricus est, qui duplex dici potest quodammodo.

Patritio vera admodum videtur opinio Isaaci Abarbanelis (Comment. in h. l.), quatuor prioribus Balaami sermonibus seu parabolis describi quatuor ætates populi Israelitici. Quod sic esse ita demonstrat : « Prima parabola (XXIII, 7-10) complectitur primam Israelitarum ætatem ab gentis totius primordiis usque ad ejus egressum ex Ægypto. Commemorat enim Balaam Israelitarum a cæteris gentibus separationem (vers. 9), quæ ab ipsa eorum origine repetenda est, quum Abraham a Deo e Chaldæa eductus, innumeraque ei posteritas promissa est, cujus quoque Balaam meminit vers. 9, minime præteriens cætera bona, quæ Deus Abrahamo tunc fuerat pollicitus (vers. 8); quæ posteritas quæque bona iterum ac tertio Abrahamo promissa, tum Isaaco, ac demum Jacobo, omnia pertinent ad primam illam ætatem. Conferenda etiam sunt illa Balaami, *pulverem Jacob*, cum illis, *eritque semen tuum quasi pulvis terræ*, Jacobo a Deo dictis. Denique Israelitæ in numerum adeo grandem, ut dixit Balaam, excreverant, dum in Ægypto morarentur, prima inquam illa ætate : totidem enim ferme numerabantur, quum Balaam ea loquebatur, ac numerati fuerant cum ex Ægypto profecti sunt. » Prima igitur hæc parabola meram historiam rerum prima ætate actarum haberi satis liquet. De secunda et aliis dicemus infra.

Prophetas prophetavit, et Deo laudes cecinit; sed digressus ab eis, rediit ad ingenium, et Davidem persequi perrexit : tam ergo Saul, quam Balaam permansit in cordis sui duritie et impietate habituali, quam uterque recedente spiritu Dei bono, paulo post æque ac prius, exseruit.

Balaam mansit in impietate habituali.

Morale. Similes Balaam et Sauli sunt Christiani, qui vivunt in concubinatu, odiis, ebrietate, possessione bonorum injuste acquisitorum, et in paschate, vel articulo mortis conteruntur et proponunt emendationem; sed mox a festo, aut periculo liberi, ad concubinas, odia, pocula et possessiones iniquas redeunt : hi timeant sibi, et exspectent finem et catastrophen talem, qualem habuit Saul et Balaam.

Vers. 9. 9. DE SUMMIS SILICIBUS VIDEBO EUM, — *q. d.* Ex prærupto hoc monte speculabor castra Israel, eaque quasi castra Dei speciosa, et pulchre per suas tribus, acies et vexilla distributa et ordinata speculando delectabor, iisque jucunde fruar.

POPULUS SOLUS HABITABIT; — *q. d.* Israel remotus erit, et ditione et consortio ab aliis omnibus populis, utpote Gentilibus et idololatris, atque soli Deo vero serviet propriis suis legibus et ritibus, quia plane diversi sunt ab omnium aliorum populorum legibus et moribus, unde « et inter » eos « non reputabitur, » id est, non computabitur, quia inter Gentiles non annumerabitur, nec inter eos censebitur. Chaldæus (qui hic, et alibi subinde judaizat) vertit, *ecce populus solus possidebit sæculum;* id enim exspectant Judæi sub Messia, ut soli dominentur in orbe terrarum.

Vers. 10. 10. QUIS DINUMERARE POSSIT PULVEREM JACOB (id est, ut Chaldæus vertit : *Quis dinumerare poterit parvulos domus Jacob?* de quibus dictum est *Gen.* XIII, 16, quod « multiplicabitur sicut pulvis terræ; » unde explicans subdit) ET NOSSE NUMERUM STIRPIS ISRAEL? — Hebraice est, *et nosse numerum quartæ partis Israelis.* In hoc enim carmine, uti et in aliis, more Hebræo, idem repetitur et explicatur hemistichio posteriore, quod dictum est in priore (1).

MORIATUR ANIMA MEA MORTE JUSTORUM, ET FIANT NOVISSIMA MEA HORUM SIMILIA. — « Anima mea, » id est ego : *anima* enim pro homine, quasi pars pro toto capitur, per synecdochen. Sic etiam accipitur a Samsone, cum ait : « Moriatur anima mea cum Philistiim; » anima enim in se mori nequit, sed tamen corpori et homini mori quasi videtur, cum ab eo separatur. Sic dicitur I *Machab.* II, 38 : « Percusserunt mille animas, » id est mille homines, et III *Regum,* cap. I, 11 : « Salva animam tuam, » id est teipsum, et vitam tuam, ut animam tuam in corpore tuo conserves. Similia sunt multa in Scriptura.

Nota : Castra Israel vocantur castra justorum, a potiori et digniori parte, licet in iis plures essent impii, quam justi. Simili modo Ecclesia dicitur sancta, licet in ea plures sint impii. Sensus ergo est, *q. d.* Balaam : Utinam mihi contingat mori tam læta et felici morte, quali fideles et justi Israelitæ morientur, scientes se ad meliorem vitam, scilicet ad beatam immortalitatem, transire! Dicunt idem hodie impii, athei et politici, cum serio et sincere statum hominis præsentem et futurum considerant; tanta est vis veritatis. Omnes ergo mali bonam mortem appetunt, sed bonam vitam fugiunt, quia bene mori felicitas est, sed bene vivere laboriosum est : unum tamen sine alio non conceditur. Æternitas a morte pendet, hæc a vita bona vel mala; elige : periisse semel, æternum est.

Mali impie vivere, sed pie mori cupiunt.

Nuper vir quidam princeps hæreticus, aut potius Politicus, bonæ tamen indolis et ingenii, rogatus quid de Catholicis et Calvinistis sentiret, utrorum fides esset verior, respondit argute se malle vivere cum Calvinistis, sed mori cum Catholicis, quod horum mors sit lætior et securior, illorum vita sit licentior et voluptuosior. Verum sanius et suæ saluti congruentius dixisset : Quandoquidem malo mori cum Catholicis, malo et cum iis vivere; bona enim mors a bona vita pendet, et impossibile est eum qui hæretice aut male vivit, bene et feliciter mori. Prudentius ergo sibique utilius dixisset Balaam : « Vivat anima mea vita justorum, ut moriatur morte justorum. » Qui enim vivit vita piorum, certo morietur morte piorum : et qui vivit vita impiorum, certo morietur morte impiorum, idque semel et semper.

Lamachus centurio militem erroris admissi increpabat; cumque ille culpam agnosceret, et diceret se deinceps nil tale admissurum, respondit : « In bello non licet bis peccare. » Ita Plutarchus in *Lacon.* At in morte non licet vel semel peccare. Hoc enim peccatum est irrevocabile, semel mortuus es, semper mortuus es; semel male mortuus es, damnatus es; per omnem æternitatem hanc

(1) Hebræum sic redde, *quis dinumeret pulverem Jacobi,* id est, posteros Jacobi pulverem multitudine æquantes; *et* (*quis numeret*, quod mente repetendum est) *secundum numerum* (acc. adverbialis) *multitudinem Israelis?* Ita Maurer. Malumus tamen cum Rosenmullero, Meignan et veteribus bene multis vocem רבע vertere, non *multitudinem*, sed *quartam partem* (Conf. I *Reg.* VI, 25), scil. castrorum Israeliticorum, quam fortasse Balaamus eminus prospectabat : nemo enim nescit Israelis castra in quatuor partes fuisse divisa.

Morte justorum, scil. Israelitarum, uti ex serie orationis liquet, allusione ad litteras ישר facta, a quibus Israelitarum nomen incipit.

Quærunt hodierni interpretes, utrum his Balaami verbis significetur spes beatæ immortalitatis, quam divina doctrina Israelitis morientibus ostenderit. Affirmat Michaelis. Dubia movet Hensgtenberg, tum quia sententia hæc huic loco minus apta videtur, tum quia in Pentateucho hæc beatæ immortalitatis spes nusquam tam vivide tantoque anhelatu expressa reperitur. Ita quoque censet Meignan, op. cit. p. 547 seq. Balaamus, ait, nil aliud hic sibi optat, nisi ut post longam faustamque vitam, divinis beneficiis cumulatus, in pace moriatur, qualis occidit Abraham, de quo S. Scriptura : « Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum, » *Gen.* XXV, 8.

mortem corrigere, hanc damnationem excutere non poteris. Iphicrates apud eumdem aiebat turpissimam esse imperatoris vocem : « Non putaram ! » Christiano imprudens et stulta est hæc vox : « Non putaram » tanti interesse inter bonam et malam vitam et mortem; non putaram ab ea pendere tantam æternitatem; non putaram me ita et tam cito moriturum.

Tropologice S. Bernardus, serm. 52 *in Cant.* : « Utinam, ait, hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum et molestias curarum ! Moriatur anima mea morte justorum, et nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur. Verum hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) angelorum, ut præsentium memoriam excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus se exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, ut opinor, excessus, aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum enim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est : corporum vero similitudinibus speculando non involvi, angelicæ puritatis est. Utrumque tamen divini muneris est. »

Qualis sit mors justorum? Exempla.

MORTE JUSTORUM. — Vis scire qualis sit mors justorum? Audi et ambi. S. Nicolaus Tolentinas, ut habet ejus Vita, cap. XI et XIII, sex totis ante obitum mensibus, paulo ante nocturnas preces, singulis noctibus suavissimum angelorum concentum audivit, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ præbebat. Itaque quo illum ejus vitæ desiderio arsisse credimus, ad cujus jucunditatem tam jucunde invitabatur? Declaravit ipse, qui frequenter illud Apostoli dictum in ore habebat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Quin etiam, cum resolutionis tempus instaret, in extremo spiritu voces fundere cœpit lætantis atque gestientis : cujus inusitati gaudii cum Fratres, qui aderant, causam quæsissent, attonitus ille, vixque sui compos præ magnitudine rei : « Dominus meus, Jesus Christus, ait, sanctissimæ matri suæ, et Augustino patri nostro innixus, dicit mihi : Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui; » in quibus verbis expiravit.

S. Arnulphus Suessionis Episcopus diem suæ mortis prædixit, et pridie ter magno fragore cella ejus concussa est; cæteris timentibus dixit se vocari ad cœlum. « Sub prima enim quassatione, ait, B. Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, et vitæ januam patere; aderat Beatorum frequens cœtus laudes divinas continenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis angelicis spiritibus S. Michael me invisit, pollicens, se duce, me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra vera misericordiæ mater, multis stipata sanctarum virginum agminibus, benignissima me voce certiorem efficiens de anima mea, inter Assumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda. » Ita contigit; moriens enim ipso Assumptionis B. Virginis die in cœlum abiit, ut habet Martyrologium; ita refert Joannes Lisiardus tertius ejus successor in ejus Vita, et ex eo Baronius, tom. XI, anno Christi 1087.

S. Gregorius, lib. IV *Dial.* cap. XI, mortem Ursini presbyteri describens, sic ait : « Cum magna cœpit lætitia clamare, dicens : Bene veniant domini mei, bene veniant domini; quid ad tantillum servulum vestrum estis dignati convenire? Venio, venio. Gratias ago, gratias ago. Cumque hoc iterata voce repeteret, quibus hoc diceret noti sui qui illum circumsteterant, requirebant; quibus ille admirando respondit, dicens : Numquid hic convenisse sanctos Apostolos non videtis ? beatos Petrum et Paulum, primos Apostolorum non adspicitis ? Ad quos iterum conversus, dicebat : Ecce venio, ecce venio; atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter sanctos Apostolos viderit, eos etiam sequendo testatus est. Quod plerumque contingit justis, ut in morte sua Sanctorum præcellentium visiones adspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant; sed, dum eorum menti internorum civium societas ostenditur, a carnis suæ copula, sine doloris et formidinis fatigatione solvantur. »

Ibidem cap. X, refert de Spe Abbate, quod, cum 40 annos fuisset cæcus, sub mortem visum receperit, quodque suis dans monita salutis, communicans, psallens, orans animam Deo reddiderit, quam specie columbæ in cœlum ferri Fratres viderunt.

Cap. XII, narrat de Probo Reatis Episcopo, quod ad eum moribundum venerint S. Juvenalis et S. Eleutherius Martyres candidis induti, qui eum ad cœleste epulum invitarunt.

Cap. XIII, narrat de S. Galla, quæ videns S. Petrum rogavit : « Suntne mihi dimissa peccata? » cui S. Petrus : « Dimissa, veni. » Unde tertio die cum alia sorore, quam S. Petrus nominaverat, defuncta est.

Cap. XIV, miram narrat vitam et obitum sancti Servuli pauperis et paralytici, qui moriens audivit angelos canentes, seque invitantes et educentes ad cœlum, relicta post se mira odoris fragrantia.

Cap. XV, narrat transitum S. Romulæ et cœlestes exequias; nam in ejus morte palam auditus est chorus virorum et feminarum psallentium, qui animam ejus in cœlum eduxit; et quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto psalmodia lenius audiebatur.

Cap. XVI, narrat transitum amitæ suæ Tarsillæ virginis, quæ ab abavo S. Felice evocata in cœ-

lum, ægrotare cœpit, ac moriens clamavit : « Recedite, Jesus venit. »

Qualis sit mors impiorum? Exempla.

E contrario vis nosse qualis sit mors impiorum? Audi et perhorresce. Impia Jesabel jussu Jehu ex fenestra præcipitata ungulis equorum conculcata, a canibus comesta est, IV *Reg.* IX, 33.

Baltasar se inebrians vidit manum scribentem : *Mane, tekel, phares*, et expavit; eademque nocte a Cyro vita et regno spoliatus est, *Daniel.* V.

Antiochus qui multos torserat, passus dirum dolorem viscerum, fœtorem et vermes, miserabili morte in montibus vita defunctus est, II *Machab.* IX, 9. Similis fuit mors Herodis Ascalonitæ.

Hunericus rex Wandalorum, et persecutor Catholicorum sceleratissimus, ait Victor Uticensis, lib. III *Wandal.*, « tenuit dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans; nam putrefactum et ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus, videbantur esse sepultæ. » Gregorius Turonensis, lib. II *De Gestis Franc.* cap. III, eum arreptum a dæmone propriis morsibus se laniasse, et solem tetrum apparuisse, ita ut vix tertia ejus pars eluceret : ita infelix Hunericus mortuus est anno Christi 484.

Nota est Chrysaorii mors clamantis : « Inducias usque mane, » teste S. Gregorio, hom. 12 *in Evang.*

Audi alterius similem, quam refert Gregorius Turonensis, lib. V *Hist. Franc.* cap. XXXVI, et ex eo Baronius, anno Christi 583 : « Funesta, ait, morte ex hac vita abreptus est Nantinus Comes Engolismensis, qui cum in sancta loca Deique ministros mala multa patrasset, a morbo corripitur : qui nimia exustus febre, clamavit, dicens : Heu, heu, ab Heraclio antistite exuror; ab illo crucior; ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse Pontifici; mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cum maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia hoc ei ad ultionem beati viri venisse; nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo omnes hæc obstupescant, admirentur et metuant, ne inferant injurias sacerdotibus, quia ultor est Dominus servorum suorum sperantium in se. »

Calvinus variis morbis misere excruciatus, teste Beza, insuper a pediculis corrosus est, uti refert Hieronymus Bolsecus medicus Lugdunensis, ejus olim discipulus, in ejus Vita cap. XXII. Ubi nota eos qui Ecclesiam persequuntur, justo Dei judicio a vermibus devorari. Ita enim contigit Hunerico, Herodi, Antiocho, Maximiano Imperatori, Arnulpho Imperatori, Caroli Crassi successori, et Calvino.

Modus moriendi morte justorum.

Jam vis mori morte non impiorum, sed justorum? « Disce mori, » assiduo te moriturum cogita : dum sanus es, præpara te ad mortem.

Ita S. Bernardus suadet Eugenio Pontifici, *epistola* 237 : « In omnibus operibus tuis memento te esse hominem, et timor ejus qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus præsentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. »

Cum olim coronaretur Imperator, sepulcrorum constructores quatuor aut quinque ad eum deferebant marmoris frusta, varii coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulcrum : quo suæ mortalitatis admonebatur, et ut prudenter imperaret. Ita refert Leontius in Vita S. Joannis Eleemosynarii, ubi pariter narrat S. Joannem curasse sibi fieri sepulcrum, sed imperfectum reliquisse, et in mensa assidenti sibi jussisse a suis suggeri : « Monumentum tuum usque hodie est imperfectum, Domine, jube ergo ut id finem accipiat; incertum enim est qua hora fur ingrediatur, » nempe mors.

S. Gregorius Thaumaturgus, teste Nysseno in ejus Vita, ita mori didicit, cum tota vita æstimavit se hic esse peregrinum, nec alicujus loci possessor esse voluit : quin et moriens proprium sepulcrum habere noluit, sed in alieno sepeliri cupivit.

S. Augustinus, teste Possidonio, ad mortem se comparabat legendo assidue psalmos Pœnitentiales, flendo ubertim, orando assidue, ut per decem ultimos vitæ dies neminem nisi medicum, vel refectionem afferentem ad se admitteret; dicebatque etiam laudatos Christianos, absque digna et competente pœnitentia, de corpore exire non debere.

Ita paravit se ad mortem S. Fulgentius mortificando se, flendo, balnea recusando, in morbis orando : « Domine, da mihi modo patientiam, et postea indulgentiam. »

Ferdinandus Castellæ et Legionis rex Catholicus et pudicus, anno Domini 1065, uti refert Lucas Tudensis et ex eo Baronius, sentiens se deficere, ab Episcopis et viris religiosis delatus est ad Ecclesiam cultu regio; ibi fixis genibus ad altare, ait : « Tua est potestas, Domine, tuum est regnum. Regnum quod te dominante accepi, et quamdiu tuæ voluntati placuit rexi, ecce reddo tibi : tantum animam de voragine ipsius mundi ereptam, ut ipsam ad te suscipias, deprecor. » Et hæc dicens, exuit regalem chlamydem, qua induebatur corpus, deposuit et gemmatam coronam qua caput ambiebatur, atque cum lacrymis solo prostratus pro delictorum venia Dominum attentius exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitentia, Extremæ Unctionis sacramento peruncitus, induitur cilicio pro ornamento regali, et as-

pergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali in pœnitentia permanenti coram prædicto altari, duobus diebus a Deo vivere datum est. Sequenti autem, qui erat S. Joannis Evangelistæ, inter manus Pontificum, cœlo tradidit spiritum, anno Christi 1065.

Caroli V mors. Carolus V Imperator, memor conditionis suæ humanæ, diu ante mortem administratione reipublicæ se sponte submovit; et cum in filium jam validum ævi et animi, curas contulisset, secessit in Hispaniam, et in S. Justi monasterio, septem a Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim duntaxat familiaribus, Deo et quieti vacaturus; interdixit autem aliter se quam Carolum appellari, Cæsaris atque Augusti nomina cum rebus animo exuens; et totum hoc honorari contemnens. Imo hoc amplius ferunt, diu ante imperium a se abdicatum, sarcophagum sibi construi jussisse, cum funebri supellectile deportandum, clanculum tamen, quocumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis, ubicumque locorum esset. Arbitrabantur autem quidam qui circa eum erant, thesaurum aliquem illic detineri et conservari; alii aliquid librorum, quibus historiæ veteres continentur; alii aliud quidpiam magni : Cæsar vero sibi conscius in quem usum secum deferret, subticendo, in rei cujusdam sibi omnium charissimæ usum id secum deferri dicebat; sic assidue mortem ante oculos sibi proposuit, et sibi semper capulum funebrem adesse voluit, ut perpetua mortis cogitatio eximeret a corde vanum hujus mundi fastum; sanctas autem actiones agendas, dum viveret, admoneret. Ita inter alios refert Lipsius, lib. II *Monit.* cap. XIV.

Idem fecit Caroli avus Maximilianus I Imperator, qui insuper hoc testamento cavit, ut exanimum corpus suum rudi linteo involutum, sine ulla exenteratione, sarcophago, quem quadriennio ante mortem parari curarat, imponeretur, naribus, ore auribusque viva calce oppletis. Cur hoc? voluit monumentum illud assidue in oculis habere, quod diceret : Maximiliane, cogita mori; quid te dilatas et extendis ? quem tot regna non capiunt, loculus iste capiet. Sed cur non aromatibus, sed calce condiri vis? ut citus redeam in terram ex qua sumptus sum. « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Ita refert Lipsius ibidem.

ET FIANT NOVISSIMA MEA HORUM SIMILIA. — Ex hoc exemplo Balaam pulchre docet S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* cap. XXVII, quod « virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Balaam enim cum compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit, et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit. »

Nota hic miram efficaciam gratiæ et inspirationis divinæ, quæ, quamdiu adfuit, Balaam animum immutavit, terraque et cœlo superiorem effecit. Nam, ut ait S. Cyprianus, epist. *ad Donatum,* lib. II, epist. 2 : « Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat : ita se spiritus cœlestis infundit, postquam auctorem suum, cœlum intuens anima, cognovit; sole altior, et hac omni potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit. » Unde infert : « Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat : quem ille divitem et saturum fecerit, nemo pauperem aut famelicum efficiet; » et superius : « Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. »

Vide ergo hic quam subito Spiritus Sanctus hominis impii cor et linguam convertat. Vere S. Gregorius : « Considero, ait, patres novi et veteris Testamenti, David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum et Matthæum, et apertis fide oculis intueor : implet namque Spiritus Sanctus puerum citharœdum, et psalmistam facit : implet abstinentem puerum, et judicem senum facit : implet pastorem armentarium, et Prophetam facit : implet piscatorem, et principem Apostolorum facit : implet persecutorem, et Doctorem Gentium facit : implet publicanum, et Evangelistam facit; quam ergo insani sumus, qui hunc Spiritum non quærimus! »

Symbolice, mors justorum est mortificatio passionum, quam acquirunt per contemplationem et vitam cœlestem. Hanc optabat S. Bernardus, serm. 52 *in Cant.*, dicens : « Excedente anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, et evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, et molestias curarum! Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla eam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. »

« Triplex est mors, ait Hugo Cardinalis : naturæ, culpæ et gratiæ; in prima moritur caro; in secunda, anima; in tertia, totus homo. Prima separat animam a carne; secunda dividit gratiam a mente; tertia sejungit totum hominem a curis sæculi. Prima est omnium; secunda est malorum; tertia est bonorum. Mortui prima morte sepeliuntur in mundo; secundi in inferno cum divite epulone; tertii in cœlo cum Lazaro. De prima dicitur, *Eccli.* XLI : O mors, quam amara est memoria tua! De secunda : Mors peccatorum pessima. De tertia : Moriatur anima mea morte justorum. »

13. DIXIT ERGO BALAC : VENI MECUM IN ALTERUM LOCUM, UNDE PARTEM ISRAEL VIDEAS, ET TOTUM VIDERE NON POSSIS : INDE MALEDICITO EI. — Balac hic superstitiose loco et visioni totius Israelis bene- Vers. 13.

dictionem Balaam attribuit, quasi ideo benedixisset Israeli, quia totum ejus populum viderat, aut quod ille locus præ aliis fortunatus esset, sive ex cœli et astrorum influentia, sive aliunde. Similiter Syri victi ab Israelitis dixerunt: « Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos, » lib. III *Reg.* cap. XX, vers. 33.

Vers. 14. 14. CUMQUE DUXISSET EUM IN LOCUM SUBLIMEM. — Hebraice *in agrum*, id est locum, *speculatorum*, id est speculam (1).

ÆDIFICAVIT BALAAM SEPTEM ARAS, — similes illis de quibus quidem dictum est vers. 1.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. STA, BALAC, ET AUSCULTA, etc.: NON EST DEUS QUASI HOMO, UT MENTIATUR; NEC UT FILIUS HOMINIS, UT MUTETUR, — *q. d.* Ne putes, o Balac, me priorem Israelis benedictionem, quam a Deo accepi, retractaturum: Deus enim, qui meam mentem et linguam regit, non est is qui mutetur. Hebraice, *non est qui pœniteat*, id est revocet et mutet sua dicta et promissa. Est enim ipse per essentiam immutabilis, « stabilisque manens dat cuncta moveri, » ut ait Boetius. Unde sequitur:

DIXIT ERGO (Deus scilicet, ut non maledicerem Israeli), ET NON FACIET? — *q. d.* Omnino faciet quod dixit, scilicet efficiet ut ego non maledicam Israeli.

Nota: Homo solet ex quatuor causis promissum negare: *primo*, quando fallaciter aliquid promittit et mentitur; *secundo*, quando ipsum promissi pœnitet; *tertio*, quando offenditur ab eo cui aliquid promisit; *quarto*, quando non est in ejus potestate, ut promissum solvat. Hæc a Deo longissime absunt. Nam *primo*, non mentitur ut homo; *secundo*, non pœnitet ut filius hominis; *tertio*, non hominis meritum aut demeritum, sed suam bonitatem, et promissionem ac fidelitatem aspicit; *quarto*, habet fortitudinem ut rhinoceros, ideo potest præstare quod promittit; et quia potest, reipsa præstat.

Vers. 20. 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS SUM, BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO. — Recte dicit, non *veni*, sed *adductus sum*; ipse enim veniebat ea mente, ut malediceret. Deus vero adducebat eum, ut benediceret. Legit noster Interpres, uti et Septuaginta, passive in *Pual* לקחתי *lukachti*, id est acceptus, adductus sum; jam in *Cal* legunt *lacachti*. id est accepi. Unde Vatablus vertit ad verbum, *ecce benedictionem accepi, et benedixit*, scilicet Deus, *non revocabo illam*, scilicet benedictionem, sed eodem redit sensus.

BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO. — Non quasi Balaam coactus, contra voluntatem hæc dixerit, Deusque illo invito, hæc verba in ore ejus efformarit, ut vult Abulensis; sed quod mens ejus ita illustraretur a Deo, ac voluntas ejus ita incitaretur ad laudem et benedictionem Israelis, ut ægre et difficulter posset ei maledicere, imo vix posset non benedicere. Vide dicta vers. 7.

Vers. 21. 21. NON EST IDOLUM IN JACOB, etc., DOMINUS DEUS EJUS CUM EO EST, ET CLANGOR VICTORIÆ REGIS IN ILLO. — Pulchre et clare hæc reddit Chaldæus, *intueor quoniam non sunt servientes idolis in domo Jacob, neque operantes falsitatem* (falsos deos, puta falsorum deorum simulacra) *in Israel. Verbum Domini Dei sui est in adjutorium eorum, et majestas regis sui est inter eos.* Nota: Idola et simulacra hic in Hebræo, uti et sæpe a Prophetis, vocantur און et עמל *aven* et *amal*, id est dolor et labor, vel iniquitas et labor, quia maximorum laborum et dolorum suis cultoribus sunt causa. Ex hoc loco patet Hebræos hoc tempore, scilicet anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto, non coluisse idola, saltem publice. Nam antea eos in Ægypto et in deserto vitulum aureum et alia idola coluisse patet *Amos* V, 25, et *Actor.* VII, 42 et 43 (2).

ET CLANGOR VICTORIÆ REGIS IN ILLO. — Alludit ad duas tubas argenteas, jussu Domini factas, quibus personantibus Deus jusserat Hebræos bellum inire, seque tum eis adfore, et victoriam daturum promiserat, cap. X, vers. 9, *q. d.* Inexpugnabilis et insuperabilis est Israel, utpote qui secum vehit victoriam; habet enim Deum ducem, in duce regem, in rege fortem, in forti victoriam. Deus ergo est rex eorum, qui clangentibus tubis dat eis victoriam (3).

Vide hic quam Deus dissipet consilia principum impiorum, eaque in ipsorum caput retorqueat, idque per ipsosmet quos ad suam impietatem pertrahere sunt conati. Qui enim Deo sunt infidi, etiam hominibus sunt infidi. Quare prudenter Theodoricus rex Gothorum, Arianus licet, cum Diaconum quemdam orthodoxum diligeret, illeque, ut regi magis placeret, Arianus esset factus, mox eum capite truncari jussit, dicens: « Si Deo fidem non servasti, quomodo homini sinceram servabis conscientiam? » Ita refert Theodorus Lector in suis *Collectan.* lib. II. Ita nutu Dei Balaam sollicitatus a Balac ad infidelitatem, eidem infidus et adversarius fuit, atque contra eum pro hostibus ejus Hebræis vaticinatus est victoriam.

(1) In iis enim regionibus, perpetuis pœne latrociniis infestis, erant in altis jugis homines, qui voce aut signo adventum latronum significarent. Vid. *Isa.* XXI, 11; LII, 8.

(2) Maurer proprie vertit, ***non cernit culpam inter Jacobitas, nec peccatum videt inter Israelitas;*** non est igitur cur insontem eum perdat, aut ab aliis perdi patiatur. Rosenmullerus, *non intuetur* Jova, id est, non sustinet intueri, *iniquitatem in Jacobum*, id est, injuriam Jacobo illatam; *nec videt*, videre sustinet *molestiam*, afflictionem, vexationem, *adversus Israelem*. ב nominibus *Jacob* et *Israel* præfixum valet *adversus, contra.*

(3) Alii vertunt, non *tubarum clangor*, sed *lætæ vociferationes*, quæ scil. circa tentorium sacrum, quod Deus Israelitarum rex inhabitabat, a gratias agentibus mittebantur. Ita Cocceius. Patritius hoc pertinere putat ad Pharaonem Israelitas persequentem, ut sensus sit, ***faustæ vociferationes ob victoriam de Pharaone*** partam ***erant in ore Israelitarum.***

Vers. 22. **22. DEUS EDUXIT ILLUM DE ÆGYPTO, CUJUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS.** — Chaldæus, R. Salomon et Eugubinus vertunt, *cujus excelsa et elevata est fortitudo*. Legunt enim רם *ram*, id est *excelsus*, non *reem;* sed Noster cum Septuaginta hic et alibi legit ראם *reem*, id est *rhinoceros;* vel, ut Septuaginta vertunt, *monoceros*, id est, ut Noster alibi vertit, *unicornis*. Et licet utrumque hoc animal idem esse doceant Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. X, S. Gregorius, XXXI *Moral.* XIII, Isidorus, XII *Etymol.* II, et Beda in XXXIX *Job*, dicantque esse animal habens unum cornu in media fronte, quatuor pedum, ita acutum et validum, ut quidquid eo impetierit, aut ventilet aut perforet, tamen verius est rhinocerotem, sive naricornem, a monocerote sive unicorni distingui.

Rhinoceros alius est a monocerote.

Distinguit enim eos Plinius, et ex eo Physici passim; rhinoceros enim, ut docet Plinius, lib. VIII, cap. XX, colore est buxeo, et cornu habet ex naribus exstans, non rectum, sed reflexum et aduncum, indeque dicitur rhinoceros a ῥίν, id est nasus, et κέρας, id est cornu, eoque fortissimus est, ac pugnat cum elephanto, cui longitudine pene par est, sed cruribus multo brevioribus; cornu ad saxa limato se pugnæ præparat, in eaque alvum maxime petit, quam molliorem esse intelligit, eaque perfossa actutum superat elephantem (1). Ita Emmanuel rex Lusitaniæ, anno 1515, Ulysippone dedit insigne spectaculum elephantis cum rhinocerote certantis, in quo elephas succubuit. Hinc rhinoceros symbolum est fortitudinis, ac consequenter Dei, qui fortissimus est. Rursum, rhinoceros symbolum est tardæ iræ, sed terribilis. Ipse enim magna indiget irritatione, sed ubi irasci cœperit, est ferocissimus : sic et Deus tarditatem supplicii gravitate compensat; unde proverbium : Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus. Quocirca primus, qui in arenam produxit rhinocerotem contra taurum et ursum, Domitianus Imperator in dedicatione amphitheatri, nummum cudi jussit, cum effigie rhinocerotis, ut significaret se instar rhinocerotis, *primo*, magnanimum esse, ac præditum fortitudine regali; *secundo*, se tardum esse ad iram, sed ea concitata implacabilem. Id explicuit duplici epigrammate Martialis, qui Domitiano fuit in deliciis. Priori explicat robur incomparabile rhinocerotis, in duello taurum instar pilæ jactantis, aitque :

Rhinoceros quis et unde dictus?

Rhinoceros symbolum est primo, fortitudinis; secundo, Dei; tertio, tardæ iræ, sed terribilis.

> Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
> Quæ non promisit prælia rhinoceros.
> O quam terribiles exarsit pronus in iras!
> Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Altero docet eum tarde irasci, sed ubi irascitur esse furiosissimum, ac ferire hostem non uno, sed duobus cornibus. Ait enim :

> Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri,
> Seque diu magnæ colligit ira feræ,
> Desperabantur promissi prælia Martis :
> Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
> Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
> Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Monoceros quis?

Monoceros vero, ait Plinius, lib. VIII, cap. XXI, est fera asperrima, reliquo corpore equo similis, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte, duorum cubitorum eminente; hanc feram vivam negant capi. Similia habet Ælianus, lib. XVI *De Animal.* cap. XX, et lib. XVII, cap. XLIV, qui monocerotem juba ac pilis furvum facit, pedibus celerem, cornu nigro, mansuetum erga bestias alias, ferum cum gregalibus. Hunc Pierius in hieroglyphico rhinocerotis, halicornum vocat, eumque esse putat illum, quem Septuaginta hic monocerotem, Noster alibi unicornem vertit. Hebræa enim vox *reem* tam monocerotem quam rhinocerotem significat, uti et alia pleraque animalium nomina apud Hebræos pluribus communia sunt. Monoceros ergo, ait S. Gregorius et Isidorus supra, tantæ est fortitudinis, ut nulla venantium arte capiatur; sed, ut physici asserunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit : ille omni ferocitate deposita caput deponit, sicque soporatus, veluti inermis capitur.

Monocerotem aiunt solo virginis sinu capi.

Idem tradit Rupertus et Pierius supra, et Albertus Magnus, lib. XXII *De Animal.*, quæ historia si vera est, apposite monoceros erit Christus; unde Rupertus : « Fortissimus, ait, spirituum Deus, velut unicornis, id est potentiæ singularis, Deus incomprehensibilis, et invictæ virtutis, virginei tractus odore uteri, illique inclusus est, et ex eo tantum comprehendi potuit et occidi. » Hinc etiam Tertullianus, *Contra Judæos*, lib. X, et Justinus, *Contra Tryphonem*, pag. 71, illud *Deuter.* XXXIII, 17 : « Cornua monocerotis (ita enim habent Septuaginta pro *rhinocerotis*), cornua ejus, » de cornibus crucis Christi dictum accipiunt, scilicet allegorice; Christi enim cornua, id est robur et fortitudo, quibus ventilavit dæmonem, et confixit peccatum ac mortem, fuit crux.

Sic Christus solo B. Virginis sinu captus est.

Cornua Christi fuit crux.

Verum Marcus Paulus Venetus, lib. III, cap. XV, Gesnerus in monocerote, et alii viri docti, hanc de monocerotis per virginem cicuratione narrationem, fabulam vocant, eamque ortam asserit Gesnerus ex eo quod monoceros cum sit asperrimus, tantum mitescat quando cum femella sua commiscetur; unde et Plinius, Ælianus, Aristoteles et alii in historia animalium nullam hujus cicurationis faciunt mentionem. Idem asseverat

Verius alii negant monocerotem per virginem cicurari.

(1) Maurer, *celeritas* (יעף *celeriter ivit*) *est illi ut orygis* (gall. *gazelle;* alii *bubali*, vel *uri*). Rosenmullerus תועפות, admissa litterarum metathesi, deducit ab arab. יפע *ascendit, procerus fuit*, vertique, *elatio*, alacritas *est illi ut orygis*. Capreæ enim, cum alacres sunt, capite sursum elato arrectisque auribus adstare solent. « Sic pulchra imagine, ait Rosenmullerus, sistetur populus Israeliticus, antea sub Ægyptiorum servitute oppressus, nunc vero in libertatem assertus, et in feliciorem statum evectus. »

Andreas Bacci medicus, tract. *De Halicorno*, pag. 67, ubi ex Æliano docet halicornum ita ferum esse, ut etiam feminam suam oderit, adeoque ab ea secedens solitarius per deserta vagetur, donec amore incalescens, dum tempus est generandi, posita feritate, blande ad eam accedit, cum eaque pascitur et commiscetur. At mox, ubi eam concepisse, et uterum intumescere sentit, ad pristinam feritatem, aversionem et solitudinem redit.

Israel quoque per Deum est rhinoceros.

Denique Theodoretus, *Quæst.* XLIV, putat ipsum populum Hebræorum hic monocerotem vocari, eo quod unum Deum coleret, ideoque ab eo corroboraretur, fieretque fortis ut monoceros. Melius tamen Procopius, Rabanus, Rupertus et alii censent Deum hic vocari rhinocerotem vel monocerotem, juxta sensum quem paulo ante dedi. Nam et alibi Scriptura fortitudinem Dei ex rhinocerotis fortitudine metitur, ut patet *Job.* XXXIX, 12. Deus vero hanc suam fortitudinem, ac consequenter et nomen rhinocerotis, Hebræis aliisque suis clientibus communicavit et communicat.

Vers. 23. 23. NON EST AUGURIUM IN JACOB, NEC DIVINATIO IN ISRAEL. — Sub his omnem incantationem et maleficium intelligit, velut genus sub specie vulgatissima. Laudat ergo Balaam hic Israelem, quod uti non colit idola, ita nec habeat auguria (1); sed quia Deum verum colit, ideo veras ab eo prophetias et responsa accipiat, tum per Mosen, tum per Pontificem Eleazarum, urim et tummim vestitum, tum per alios Prophetas, quodque Deus Israelem tueatur, et pro eo pugnet; unde subdit: « Temporibus suis (puta sequentibus sæculis), dicetur Jacob et Israeli (id est posteris Israelitarum), quid (et quanta) pro eo operatus sit Deus. »

Vers. 24. 24. ECCE POPULUS UT LEÆNA CONSURGET, ET QUASI LEO ERIGETUR. — Comparat Israelem leoni et leænæ, quæ cum catulos lactat et famet, præ leone ferocit et sævit. Vide dicta *Genes.* XLIX, 9.

NON ACCUBABIT DONEC DEVORET PRÆDAM, ET OCCISORUM SANGUINEM BIBAT. — Persistit in metaphora leonis, *q. d.* Non quiescet Israel, donec hostes Chananæos proterat, ex eisque prædam dividat, atque terram eorum sibi promissam capiat et partiatur, imo donec ut leo occisorum sanguinem bibat: non quasi hoc ad litteram futurum sit, aut quasi tale quid postea reipsa fecerit Israel, sed quod perfectam et lætissimam victoriam de Chananæis aliisque hostibus relaturus sit, in qua sanguinem eorum fusurus sit tam facile, tam jucunde et sine suorum strage, ac si calicem hauriret et ebiberet; aut potius, quod in illa victoria tam copiosum hostium sanguinem fusurus sit, ut is torrentis in modum defluens potum præbere possit victoribus, itaque eorum desiderium, et quasi sitim abunde satiare. Hoc enim tantum hæc et similes phrases per catachresin et metalepsin significant, ut *Psalm.* LVII, 10: « Lavabit manus suas in sanguine peccatoris; » *Isai.* cap. LXIII, 3: « Calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea; » *Psal.* LXVII, 24: « Ut intingatur pes tuus in sanguine; » *Psal.* CIX, ult.: « De torrente in via bibet. » Hæc enim omnia non aliud significant quam insignem, plenam et perfectam de hostibus victoriam (2).

Bibere occisorum sanguinem quid?

Vers. 27. 27. ET AIT BALAC AD EUM: VENI, ET DUCAM TE AD ALIUM LOCUM, SI FORTE PLACEAT DEO UT INDE MALEDICAS EIS. — Est hæc secunda loci mutatio, quo Balac superstitiosus sperabat Balaam maledicturum Hebræis: unde ter e tribus diversis locis, Balaam vice versa benedixit Hebræis, scilicet *primo*, ex monte Abarim et templo Baal, cap. XXII, 41; *secundo*, ex vertice Phasga, cap. XXIII, 14; *tertio*, hic ex monte Phegor, ut patet ex vers. seqq. Porro Phogor vel Phegor erat idolum, a quo nuncupatus est Beelphegor, æque ac mons hic, de quo cap. XXV, 3.

(1) Rectius Maurer cum multis, *non* valet *augurium contra Jacobum, neque hariolatio contra Israelem*, id est, nihil artes magicæ, nihil præstigiæ contra Israelitas officiunt. *Sub hoc tempus*, nunc, mox *prædicabitur* de *Jacobo et Israele : quanta fecit Deus !*

(2) Secunda hæc parabola partim historica, partim vaticina, Israelitarum res gestas ab egressu ex Ægypto usque ad occupatam Chananæam narrat. Pergit quippe Balaam, quo cœperat, primamque parabolam cum altera hac veluti copulat transitione illa : « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, » etc. *q. d.* Quæ promisit Deus, et ex parte jam præstitit, ut prius narravi, procul dubio præstare perget, donec ea impleat, sicut mox narrabo. « Non est idolum in Jacob. » Dictum esse de secunda hac ætate patet, nam post occupatam Chanaanitidem idola inter Israelitas non raro visa sunt. Quod si hebræa cum Rosenmullero vertas, *Deus non sustinuit adversa inter Israelitas intueri*, allusio erit tot et tantis miraculis quibus ex Ægypto in terram Chanaan suum populum Dominus deduxit. Reliquis imaginibus describuntur Hebræorum potentia et robur, qualem adeo, ut ætate hac, populus Israeliticus nunquam exhibuit.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balaam tertio benedicit Israeli, et quarto, vers. 15, ubi vaticinatur de regno Christi, instar stellæ ex Israele nasciturí; item de Amalec, de Cinæis, de regno Romanorum, eorumque excidio.

1. Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequauqam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret : sed dirigens contra desertum vultum suum, 2. et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas, et irruente in se spiritu Dei, 3. assumpta parabola, ait : Dixit Balaam filius Beor : dixit homo, cujus obturatus est oculus : 4. dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. 5. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ! 6. ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. 7. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius. 8. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. 9. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus : qui maledixerit, in maledictione reputabitur. 10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus, ait : Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti ; 11. revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito. 12. Respondit Balaam ad Balac : Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi : 13. Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo ; sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar ? 14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. 15. Sumpta igitur parabola, rursum ait : Dixit Balaam filius Beor : dixit homo, cujus obturatus est oculus : 16. dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. 17. Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel ; et percutiet duces Moab, vastavitque omnes filios Seth. 18. Et erit Idumæa possessio ejus : hæreditas Seir cedet inimicis suis ; Israel vero fortiter aget. 19. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. 20. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait : Principium Gentium Amalec, cujus extrema perdentur. 21. Vidit quoque Cinæum, et assumpta parabola, ait : Robustum quidem est habitaculum tuum ; sed si in petra posueris nidum tuum, 22. et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere ? Assur enim capiet te. 23. Assumptaque parabola iterum locutus est : Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus ? 24. Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. 25. Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum : Balac quoque via, qua venerat, rediit.

Vers. 1. 1. CUMQUE VIDISSET BALAAM QUOD PLACERET DOMINO, UT BENEDICERET ISRAELI. — Vidit, id est cognovit, id Balaam, ex interna illustratione Dei. Deus enim, antequam Balaam de more pergeret ad quærendum augurium, prævenit eum, impellens ejus voluntatem, et illustrans ejus intellectum, ut clare videret qualis esset populus Israel, quamque Deo acceptus, et quam dignus benedictione : unde ipse non abiit ad sua auguria, sed extemplo populo benedixit.

NEQUAQUAM ABIIT, UT ANTE PERREXERAT, UT AUGURIUM QUÆRERET. — Septuaginta, εἰς συνάντησιν τοῖς οἰωνοῖς, id est *in occursum avibus*. Augurium enim est divinatio quæ ex avium volatu, cantu aut pastu capitur, diciturque augurium, quasi *avigerium*, quia ex gestu avium sumebatur; inde tamen transfertur ad quamlibet divinationem, ut dixi *Genes.* XLIV, 5. An ergo Balaam ex avibus, an ex victimarum extis, an vero a solo dæmone familiari augurium, id est divinationem suam, quærere solitus sit, non constat : id constat ipsum vere augurem et maleficum fuisse, uti ostendi cap. XXII, 5 (1).

Augurium dicitur quasi avigerium.

Vers. 2. 2. IRRUENTE IN SE SPIRITU DEI. — « Spiritus Dei » hic est spiritus prophetiæ, sive lumen supernaturale infusum intellectui Prophetæ, ad intelligendum abscondita; quia enim illud lumen est tanquam aliquod vivens, hinc vocatur *spiritus Dei*, id est a Deo aspiratus. Spiritus enim a spirando et movendo dicitur : unde omne id quod habet vitam et motum, dicitur esse spiritus, vel habere spiritum; lumen ergo hoc non est aliud quam illustratio et revelatio menti Prophetæ indita : hæc autem illustratio est actus vitalis, ut patet.

Vers. 3. 3. ASSUMPTA PARABOLA. — « Parabola, » id est, prophetia, *q. d.* Prophetans. Vide dicta cap. XXIII, vers. 7.

AIT : DIXIT BALAAM : DIXIT HOMO, CUJUS OBTURATUS EST OCULUS, — id est, qui unum, vel utrumque oculum perdidit, inquit R. Salomon. Putat enim ipse Balaam fuisse luscum, vel cæcum. Sed hæc sunt ejus commenta. *Secundo*, alii per oculum accipiunt intellectum practicum. Licet enim Balaam, in prophetia, apertum haberet oculum intellectus speculativum, ad cernendum futura, clausum tamen habebat oculum practicum, qui eum dirigeret ad bene recteque agendum : erat enim homo impius. Unde Rabanus : « Balaam, inquit, obturatus est oculus, ad corrigendum errorem suum, et ad venerandum ipsius prophetiæ auctorem; cum apertus ei esset oculus, ad perspicienda prophetiæ sacramenta. » Sed hic sensus potius mysticus videtur, quam litteralis.

R. Salomon ait Balaam fuisse luscum.

Dico ergo, « cujus obturatus est oculus, » sensus est, *q. d.* Qui in somnis, quando clauduntur oculi, accepit a Deo propheticam visionem. Nam in somnis Deum locutum esse Balaam semel et secundo patet cap. XXII, vers. 8 et 20. Ita Rabanus et Abulensis qui, licet primo hanc expositionem refutare videatur, paulo post tamen eam probat, aliisque præfert. Posset secundo sic exponi, « cujus obturatus est oculus, » id est, qui raptus in exstasin, et alienus a sensibus, vidit visiones Dei.

Recentiores contrarie vertunt, *cujus aperti sunt oculi*, sed perperam. Hebraice enim שתם *satam*, per *sin*, æque ac סתם *satam* per *samech*, significat obturare, non aperire, uti recte ostendit Oleaster (2).

4. QUI CADIT (scilicet in somnum, vel alienationem a sensibus), ET SIC APERIUNTUR OCULI EJUS, — scilicet mentis, per lumen propheticum. Idem enim dicit, sed aliis verbis, cum eo quod dixit vers. præced. Ita Septuaginta et Philo. *Secundo*, Hebræi, et Hieronymus Prado in *Ezech.* II, 2 : « Qui cadit, » inquiunt, id est, qui incidit in deliquium animi et corporis, ita ut corpus concidat et corruat, mox ut aperti sunt oculi ejus in visione (3). Vers. 4.

Tropologice S. Gregorius, hom. 9 *in Ezech.* : « Cadens, inquit, Balaam apertos oculos habuit, qui rectum quod diceret vidit, sed recte agere contempsit; cadens videlicet in perverso opere, et apertos habens oculos in sancta prædicatione. » Nam, ut ait S. Augustinus in *Sent.*, Sent. 6 : « Vera confessio est benedicentis, cum idem sonus est oris et cordis : bene autem loqui et male vivere, nihil aliud est, quam se sua voce damnare. »

5 et 6. QUAM PULCHRA TABERNACULA TUA, JACOB, etc., UT VALLES NEMOROSÆ, UT HORTI JUXTA FLUVIOS IRRIGUI, UT TABERNACULA QUÆ FIXIT DOMINUS, QUASI CEDRI PROPE AQUAS. — Pro *valles nemorosæ*, hebraice est כנחלים נטיו *kinchalim nittaiu*, id est, *sicut valles expandentes*, scilicet arborum suarum ramos. Unde Septuaginta vertunt, *sicut valles obumbrantes*. Potest *secundo*, verti cum Chaldæo et Recentibus, *sicut torrentes se expandentes*, id est spatiose et ample defluentes. Vers. 5 et 6.

Nota : Tabernacula Israelis hic *primo*, comparantur valli nemorosæ, quæ scilicet multas habet arbores instar nemoris; sicut enim in illa magna est arborum, *primo*, viriditas et pulchritudo; *secundo*, convenientia; *tertio*, umbra : ita pariter hæc tria erant in tabernaculis castrorum Israel. Castra Israel comparantur primo, nemori;

Secundo, comparantur hortis juxta fluvios irriguis : hi enim semper virent et fructum dant copiosum in tempore; talia erant tabernacula Israel aliorumque piorum. Unde de viro justo dicitur *Psalm.* I : « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. » secundo, hortis;

Tertio, comparantur tabernaculis quæ fixit Dominus, quæ scilicet solida et firma sunt, utpote a Do erecta et stabilita : talia erant et castra Israel; ita ut nullus hostium ea concutere posset, quia Deus illa solide conservabat. Nota : Pro *tabernaculis*, verti potest cum Chaldæo et Vatablo, *cassia*, vel *arbores aromaticæ*, *quas plantavit Dominus* : hisce enim recte comparantur Israel et viri pii (4). tertio, tabernaculis;

(1) *Ut ante perrexerat*, hebr. *hac vice ut prima vice*, inverso ordine verborum, id est, uti ante solebat.

(2) Septuaginta, ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν; Onkelos, *qui* est *integer oculo*; Syrus, *vir cujus retectus est oculus*. שתם enim Chaldæis significat *perforare*, hinc *aperire*.

(3) Conf. I *Reg.* XIX, 23 et 24.

(4) Pro *tabernacula* hebr. est אהלים, genus arboris

quarto, cedris. *Quarto*, comparantur cedris juxta aquas; cedri enim, cum magnæ et proceræ sint, magna indigent irrigatione et alimento, ac proinde prope aquas maxime excrescunt: sic enim et Israel positus prope aquas et mare, id est prope Deum suum, qui infundebat ei abundanter manna, et omnia quibus indigebat, mire crescebat : et hoc est quod ipsemet Moses pro eis gloriatur, dicens *Deut.* IV, 7 : « Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. »

Quocirca Paraphrastes Hierosolymitanus pressius ita vertit : « Quam bona sunt tabernacula in quibus oravit Jacob pater eorum, et tabernaculum fœderis quod fecistis nomini meo, atque tabernacula per circuitum domus Israel. Sicut torrentes prævalent, sic quoque Israelitæ prævalebunt hostibus suis. Sicut sunt horti plantati ad scaturigines aquarum, sic erunt civitates eorum proferentes, scilicet Scribas et Doctores legis. Et sicut est cœlum quod expandit verbum Domini pro domicilio quietis suæ, sic vivent et durabunt Israelitæ in æternum. Decori et celebres sunt tanquam cedri juxta aquas, quæ extolluntur crescendo. »

Anagogice, per hæc tabernacula significata est pulchritudo Jerusalem cœlestis. Ita S. Fulgentius Romam veniens, vidensque, Theodorico rege Gothorum concionante, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinem, ad suos dixit : « Fratres, quam speciosa potest esse Jerusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, gloria et pax præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem? » Ita refert Auctor Vitæ ejus cap. XIII.

S. Fulgentii apophthegma.

Vers. 7. 7. FLUET AQUA DE SITULA EJUS. — Situlam vocat prosapiam et posteritatem Israel, *q. d.* Sicuti situla plena copiosam dat aquam, ita prosapia Israelis erit fecunda, multosque gignet filios : hunc genuinum et litteralem esse sensum patet ex hemistichio sequente, quod de more prius hoc explicat, cum ait : « Et semen illius erit in aquas multas. »

Secundo, symbolice : « Fluet aqua de situla ejus, » *q. d.* Sicut aqua e puteo hausta per situlam, ex ea in alia vasa transfunditur: ita aqua sapientiæ et divinæ legis hausta per situlas, id est, per libros et Prophetas Israel, transfundetur et dispergetur in alias nationes. Simili sensu ait Isaias cap. II : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Ita Lyranus et Cajetanus. Symbolice.

Hinc *tertio*, allegorice Hebræi hic intelligunt Messiam, sive Christum, idque *primo*, quia Christus tanquam aqua profluxit de situla Israel, id est, de semine patriarcharum. *Secundo*, quia a Christo quasi e situla, aqua, id est doctrina salutifera, manavit : Christus enim eam, quasi aquam effudit, tam per se, quam per discipulos suos. Unde ait ipse *Joannis* VII, 37 : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat : qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Ita Abulensis. Allegorice.

ET SEMEN ILLIUS ERIT IN AQUAS MULTAS. — Ecce hic situlam explicat, vocatque semen, quod « erit, ait, in aquas multas, » id est, in populos multos. Scriptura enim sæpe per *aquas* significat populos, ut *Isaiæ* XLVIII, 1 : « De aquis (id est, de posteritate) Juda existis; » et *Jerem.* XLVII, 2 : « Ecce aquæ (id est, Nabuchodonosor cum sua multitudine) ab Aquilone ascendunt; » et *Apoc.* XVII, 15 : « Aquæ quas vidisti, populi sunt, » *q. d.* Semen, id est posteritas, Israel propagabitur in multos populos, tum proprie et naturaliter per generationem, ut scilicet eorum posteri crescant in magnam multitudinem : unde Vatablus vertit, *semen illius erit in aquis multis*, *q. d.* Posteritas Israel fecunda erit, et semina ejus capient magnum incrementum, uti solent germina in locis irriguis. Tum politice per imperium : unde Septuaginta et Chaldæi vertunt, *exibit homo de semine ejus, et dominabitur gentibus multis*, ut hic designetur Saul, primus rex Israelis, de quo proxime sequitur.

Jam sensus symbolicus et allegoricus hic, idem est cum eo quem dedi priore hemistichio : ita Abulensis.

TOLLETUR PROPTER AGAG REX EJUS. — Recte vertit Interpres; in Hebræo enim ad verbum est, *tollet propter Agag regnum ejus;* nam Hebræum רום *rum* non tantum exultare, sed etiam tollere et separare significat; unde תרומה *theruma* vocatur separatio. Jam sensus est, *q. d.* Saul, primus rex Israelis, propter Agag regem Amalec a se servatum (quia scilicet ei capto pepercit, contra jussum Domini), tolletur, ne sit regni hæres, ideoque auferetur regnum illius, ne ad stirpem ejus devolvatur, sed transferatur ad Davidem ejusque stirpem. Vide Historiam I *Reg.* XV. Ita Rabanus et Beda hic, et S. Hieronymus in cap. XXXVIII *Ezech.* Prophetia de Agag et Saule.

odoriferæ, Græcis ἀγάλλοχον, sequioribus ξυλαλόη quoque dictæ, recentioribus *lignum aloes*. Hæc arbor, ait Rosenmullerus ad h. l., perquam magna et umbrosa est, ligna autem ejus perquam odorata. Ingens earum æstimatio est apud Mohammedanos omnes, illis imprimis qui barbam promittunt, Turcas videlicet et Arabes, qui cum se mutuo invisunt, nihil antiquius habent, quam ut frustulo ligni aliquantulum madefacto et in acerram projecto, odorem excitent fragrantissimum, quo barbas illi suffumigant. Orientales hanc arborem tribuunt Paradiso, unde etiam Belgi eam vocare solent *Paradys-Hoot*, *arborem Paradisi;* atque hanc opinionem respexisse Balaamum quum diceret *quam plantavit Dominus*, verisimile est Michaeli. Verisimilior tamen videtur sententia eorum qui verbis *quas plantavit Dominus* existimant indicari arbores, vel quæ non sint opera hominum plantatæ, sed quæ proveniant in bona terra, evadantque pulcherrimæ (Cf. *Ps.* CIV, 16); vel quæ tantæ sunt præstantiæ, ut non humana manu satæ, sed divinitus datæ dicendæ sint. Cæterum ut vertatur *tabernacula* non suadere membrorum parallelismum, vix est quod moneamus.

Possunt *secundo*, Hebræa cum Chaldæo et Vatablo sic verti, *exaltabitur magis quam Agag rex ejus, et elevabitur regnum illius;* et hoc verum est, nam Saul prævaluit Agag, eumque bello cepit. Septuaginta vertunt, *et exaltabitur Gog* (ita enim legendum est, non *Psoch*, uti habent Regia. Gog enim legit Rabanus et Cyprianus, lib. I *Testimon.* ad Quirinum, testim. 10) *regnum ejus. Gog*, id est, super tectum, ait Rabanus. *Gog* enim hebraice *tectum* significat, *q. d.* ut legit Ambrosius in *Psal.* XXXVII : « Attolletur regnum ejus in altum. » Verum *Gog* hic proprie sumitur, non appellative : hinc Eusebius, lib. IX *Demonstr. Evang.* III, per Gog accipit Imperatorem Romanum, *q. d.* Ejus regnum extolletur, tempore Christi. Sed Balaam hic prophetat de regno, non Romanorum, sed Judæorum.

Quare melius vertunt Symmachus et Theodotion apud Procopium, *exaltabitur supra Gog regnum ejus*, scilicet Christi regis, ex Israel nascituri ; et hoc videntur voluisse Septuaginta. Vertunt enim, *exibit homo ex semine ejus, et dominabitur gentibus multis, et exaltabitur supra* (nam τὸ *supra* habent Hebræa, et sic videntur vertisse Septuaginta) *Gog regnum ejus*, quasi Balaam hic prophetet victoriam Christi contra Antichristum, ejusque duces Gog et Magog de quibus *Ezech.* XL.

Verum vera lectio est *Agag*, non *Gog*, ut patet ex Hebræo et Chaldæo et Nostro : quare primus sensus genuinus est (1).

Denique Paraphrastes Hierosolymitanus hæc de Christo ad litteram accipit ; itaque vertit : « Consurget rex eorum inter filios eorum, et redemptor eorum ex ipsis. Inter eos quoque erit, et congregabit eos, nempe captivitates eorum ex provinciis inimicorum suorum : atque filii eorum dominabuntur populis. Fortior erit Saule, qui pepercit Agag regi Amalecitarum ; et multiplicabitur regnum regis Messiæ. » Verum hæc paraphrasis non est litteralis.

Vers. 8. 8. CUJUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS. — Vide dicta cap. XXIII, vers. 22.

DEVORABUNT (scilicet Israelitæ) GENTES, (quæ sunt) HOSTES ILLIUS, — scilicet Israelis, eas scilicet interimendo et consumendo. Unde clare vertit Chaldæus, *devorabit domus Israel superbias populorum inimicorum suorum, et præda regum eorum delectabuntur, et terram eorum possidebunt.*

Nota : Scriptura cum loquitur de gente aliqua, vel populo, jam in singulari, mox in plurali de eo loquitur. Unde pro *devorabunt*, hic in Hebræo est *devorabit*, scilicet Israel, *hostes suos.*

OSSAQUE EORUM CONFRINGENT, — Hebraice, *ossa eorum exossabunt ;* Vatablus, *ossa eorum arrodent*, scilicet Israelitæ ; Septuaginta vertunt, *pinguia eorum emedullabunt* (2).

Vers. 9. 9. ACCUBANS DORMIVIT UT LEO. — Est hæc prophetia, ut patet ; ergo præteritum accipiendum est pro futuro : *dormivit*, id est dormiet, hoc est, secure quiescet Israel in terra promissionis, gentibusque vicinis erit terribilis, et fortis tanquam leo, ac ferox et pugnax tanquam leæna raptis catulis, ita ut nemo eum invadere audeat. Talis fuit Israel, maxime tempore Davidis et Salomonis.

QUI BENEDIXERIT TIBI, ERIT ET IPSE BENEDICTUS, — *q. d.* Qui tibi fausta imprecabitur, fausta imprecabuntur eidem : rursum, qui tibi benefecerit, benefiet eidem. E contrario, qui tibi malefecerit, vel mala precatus fuerit, eidem malefiet, et mala imprecabuntur homines ; Deo ita dirigente et præmiante tuos amicos, et puniente tuos inimicos (3).

Vers. 13. 13. NON POTERO PRÆTERIRE (non potero transgredi) SERMONEM DOMINI.

Vers. 14. 14. VERUMTAMEN DABO TIBI CONSILIUM, QUID POPULUS TUUS POPULO HUIC FACIAT EXTREMO TEMPORE. — Videbat Balaam quod coram Balac rege corriperetur spiritu Domini, et non posset maledicere populo Israel ; cogitabat ergo si ab eo discederet, pergens ad populum suum, quod a spiritu Dei desereretur, itaque Balac regi consilium malum de perdendis Hebræis daret, ac consequenter auro ab eo promisso potiretur (4) ; ubi mira ejus impietas, et cæca avaritia clare se prodit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames ? auro venalia jura,
Auro venalia sacra.

Quanto celsior et sanctior fuit Liberius Ponti-

(1) Vertendum ex hebr. videtur, *et sublimior erit Agago rex ejus.* Fortasse respiciuntur ea, quæ I *Sam.* XV, narrata leguntur, nisi cum Rosenmullero aliisque *Agag* nomine nomen Amalecitarum regibus commune fuisse malis, ut *Abimelech* nomen Philistæorum regibus. Cæterum facile intelligitur ideo cum Amalecitis potius quam cum alia gente comparari Israelitas, quia Amalecitæ omnium finitimorum populorum potentissimi haberentur, idque colligimus ex amplitudine regionis quam incolebant, atque ex eo, quod Balaam inferius illos vocet *principium*, id est caput *gentium.*

(2) Pro *perforabunt sagittis* hebræa verti possunt, *tela ejus* hostis *franget*, scil. populus Israeliticus : ita Maurer ; vel cum Gesenio, *tela sua* populus *agitabit*, scil. in sanguine hostium : conf. *Ps.* LXVIII, 24 ; vel, *telis suis* populus *transfiget* hostes, quod durius videtur.

(3) Tertia hæc parabola respondet tertiæ Israelitarum ætati, quæ fuit inter occupatam Chanaanitidem et ortum Christi : tota igitur vaticina est, ideoque Balaam præfatur se auditorem esse *sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est.* Exorditur deinceps a laude Chanaanitidis, quam Israelitæ possessuri erant, horumque in illa incrementum prædicit. Tum ex ordine de futuro eorum regno primoque rege, deque hujus crimine pœnaque inde sequuta ; vel in genere de potentia Israeliticæ reipublicæ sub regibus : conf. notat. ad h. l. Mox prænuntiatur, quam male res cessura sit gentibus, quæ Israelitas in propria regione degentes attentabunt ; in sua inquam regione degentes, ideoque tertia hac ætate. Denique describuntur Israelitæ rebus pacatis Chanaanitidem secure possidentes sub imagine leonis jam cubantis et dormientis, quem nemo audet suscitare.

(4) Pro *dabo consilium*, hebræa vox hic habet notionem *prædicandi*, quasi *monendi de rebus futuris*, estque vertenda *prædicam tibi, quid*, etc. *Extremo tempore*, id est post multas ætates.

fex, qui a Constantio Imperatore in exilium missus magnam auri summam ab eo pro commeatu submissam recusavit, dicens : « Tu ecclesias orbis terræ expilasti, et jam mihi ut damnato et egenti offers eleemosynam! abi primum, et Christianus ipse fias. » Ita Theodoretus, lib. I *Histor.* cap. XVI. Et Eusichius eremita in finibus Biturigum, qui Childeberto regi 50 aureos offerenti dixit : « Dato eos pauperibus, ego iis non indigeo, » ut refert Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.* XXVIII. Et Hormisda nobilis Persa, qui ob Christi fidem nobilitate et opibus exutus, audiensque a rege : Nunc demum filium fabri negato; vili indusio, quo jussu regis amictus erat, dilacerato, et ad regem projecto, dixit : « Si me hujus causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donum cum impietate. » Ita Theodoretus, lib. V, cap. XXXVIII.

QUID POPULUS TUUS POPULO HUIC FACIAT. — Contrarie plane ex Hebræo vertunt Septuaginta, Chaldæus et recentiores, videlicet, *consulam tibi, quid populus hic faciet populo tuo, in novissimis diebus.* Quod Rabanus explicat sic, *q. d.* Consilium dabo tibi, id est, consilium et decretum divinum, quod in novissimis diebus implendum est, enuntiabo tibi, ut scias, quid populus hic faciet populo tuo, quod consilium exprimitur vers. 17, cum dicitur : « Consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab. » Verum, quia hanc divinationem non edidit Balaam pergens ad populum suum, sed commorans adhuc cum Balac; et quia Hebræum יעץ *iaats* proprie significat consulere, non autem divinare, vel prædicere : hinc melius noster Interpres vertit Hebræa, quæ sic ad verbum reddas, *consilium dabo tibi* (nam licet τὸ *tibi* non legant Biblia Romana, nec alia Latina passim, tamen illud subintelligunt) *quid faciet populo huic populus tuus* : articulus enim *lamed*, qui voci עמך *ammecha* præponitur, non semper dativi, sed subinde etiam nominativi est index, uti patet ex lexicis Hebræorum. Sensus ergo est, *q. d.* Video me per auguria et divinationes Israelitis nocere non posse; discedens ergo dabo tibi, o Balac, consilium, quo per mulieres Israelitæ ad cultum Beelphegor pelliciantur, itaque perdantur. Hoc enim consilium suggessisse Balaam, patet capite XXXI, vers. 16, et *Apocal.* II, 14, idque diserte tradit Josephus, lib. IV *Antiq.* cap. VI; idque prospere ei successisse, patebit cap. seq. Ita Theodoretus, *Quæst.* XLV, S. Augustinus, *Quæst.* LX, et alii. Nam, ut pulchre docet S. Ambrosius, lib. VI, *epist.* 37, et Nyssenus, lib. *De Vita Mosis*, sub finem, et Prosper, parte II *De Prædict.* capite XII, Philo et Abulensis, volebat Balaam regii favoris, aurique Balac avidus, Israelitas divino præsidio, iisque bonis, quæ de eis vaticinatus erat, orbare; ad hoc optima ei ratio visa est, si Israelitæ pertraherentur ad luxuriam : itaque Deum, qui castitatis est amator, ut rhinoceros (inquit Rupertus), offenderent, indeque a cultu Dei abducerentur ad idololatriam, itaque Deus eis irasceretur, in eosque excandesceret, et vindex insurgeret : ut vero ad idololatriam eos provocaret, suasit ut mulieres pulcherrimæ Moabitides et Madianitides collocarentur, tanquam cibos vendituræ, aut negotiaturæ, juxta castra Israel, cum idolis suis et cibis idolo consecratis, quæ Israelitas primo sui specie, amore et complexu irretirent; deinde ad idolum sui Beelphegor, sive Priapi, obscenissimum colendum pellicerent, idque suggessit suasitque fieri Balaam toto itinere, scilicet a Phasga usque ad Galgalam, sive ad introitum Chananææ. Sed semel tantum id factum, deinceps vero impeditum esse, per acrem Dei vindictam, patebit cap. sequenti : idque docet Michæas cap. VI, vers. 5. Disce hic quam gravis et periculosa sit mulierum tentatio; ita Salomon a mulieribus deductus est ad idola; « Vinum » enim « et mulieres faciunt apostatare sapientes. » De simili mulierum tentatione, sed quæ disparem habuit exitum, pulchrum exemplum narrat Damascenus, lib. *De Barlaam et Josaphat*, cap. XXX.

EXTREMO TEMPORE, — id est sequentibus diebus postquam a te discessero; nam Hebræum אחרית *acharit*, id est, extremum vel novissimum, in Scriptura sæpe non dicitur respectu temporis, quod sequi posset, quasi novissimum tempus sit, post quod nullum aliud sequitur; sed dicitur respectu ejus quod præcessit; estque id, quod sequitur post aliud, etiamsi post ipsum adhuc alia sequantur; extremum ergo, vel novissimum idem est, quod sequens, aut posterius. Id patet, tum ex ipsa Hebræa radice אחר *achar*, id est, posterior fuit, remoratus est, tum etiam ex exemplis. Sic enim *Gen.* XXXIII, 2, in Hebræo, dicitur Jacob, Liam et filios ejus posuisse novissimos : cum tamen post Liam sequeretur Rachel cum filio Joseph. Sic passim Prophetæ tempus Messiæ vocant *novissimum*, quia posterius est. Similia sunt *Gen.* XLIX, 1, *Isaiæ* IX, 1 : unde recte hic cum Oleastro vertas, *posteris diebus*. Vide Riberam, *Michææ* IV, 5.

16. SUMPTA IGITUR PARABOLA (prophetia) RURSUM AIT. — Nota τὸ *igitur*, *q. d.* Cum jam Balaam cogitaret abitum, antequam discederet, hærens adhuc cum Balac, non potuit non benedicere Israelitis; igitur quasi valedicens, rursum et ultimo benedixit eis (1). Vers. 15.

17. DIXIT HOMO CUJUS OBTURATUS EST OCULUS, — per somnum, vel exstasin. Vide dicta vers. 2. Vers. 17.

Impium consilium Balaam.

(1) Vers. 16. Quarta incipit parabola, tota item vaticina, quæ postremam rei Israeliticæ ætatem ab ortu Christi ad gentis exterminium comprehendit. Ubi nota, Balaamum quartæ huic parabolæ narrandæ non ea modo præfari, quæ prioribus præfatus fuerat, sed et illud sublimius, se nosse *doctrinam Altissimi* : quæ sublimior præfatio credere suadet sublimiores quoque res prædictum iri. Nota *secundo*, primæ parabolæ initium duci a separatione populi Israelitici a cæteris gentibus, quæ in ipsa hujus origine facta est; quartam vero hanc ejusdem hujus populi pernicie concludi.

Vers. 17. VIDEBO EUM (Israelem), SED NON MODO,—scilicet videbo eum in die judicii, quando cum eo resurgam in valle Josaphat, inquit Abulensis. *Secundo*, et aptius ad sequentia : « Videbo eum, » non oculis meis, sed oculis posterorum et successorum meorum. Videbunt enim illi Israelem, mire decoratum nativitate Messiæ, ex iis nascituri. De ea enim subdit : « Orietur stella ex Jacob. » Nam solet Deus et Prophetæ quædam prædicere et promittere, quæ non in eo cui promittuntur, sed in posteris ejus implenda sunt : ita S. Chrysostomus, hom. 8 *in Matth.*, et Euthymius in *Matth.* II. Sic terra Chanaan promittitur Abrahæ, id est, posteris ejus, *Genes.* XV, 7. Sic Jacob, *Gen.* XLIX, filiis benedicens promittit ea quæ posteris eorum obventura sunt. Sic dicitur *Aggæi* II, 24 : « Assumam te, Zorobabel, » scilicet in Christo; hoc est assumam Christum, qui ex te, o Zorobabel, nascetur. Similia sunt *Gen.* XII, 3, *Gen.* XXVII, 29 (1).

Promissa Dei subinde in posteris implentur.

Prophetat Balaam de Christo.

ORIETUR STELLA EX JACOB. — Aliqui per stellam et virgam accipiunt Davidem, et sunt quædam quæ Davidi conveniant. David enim quasi stella effulsit sapientia, pietate, fortitudine bellica et gloria regni, ita ut nemo eum tam sublimem tangere auderet, sicut nemo potest stellas contingere. Adhæc David subegit Moab et Idumæos, II *Reg.* VIII, quod de stella hic dicitur. Verum præcipuus sensus ad litteram est de Christo; unde clarissime vertit Chaldæus, *consurget rex de domo Jacob, et ungetur Christus de domo Israel, et occidet principes Moab, et dominabitur omnium filiorum hominum.* Christus ergo hic vocatur, uti virga, ita et « stella, » *primo*, quia ipse est lux mundi; *secundo*, ob claritatem et gloriam, tum vitæ cœlestis, tum resurrectionis et beatitudinis : qua de causa Christus vocatur stella splendida et matutina, *Apoc.* XXII, 16, *Apoc.* II, 28. Vide ibi dicta (2).

Christus est stella. Primo. Secundo.

Ubi nota : Dicitur Christus stella matutina, id est lucifer, *primo*, quia in hac vita dispulit tenebras infidelitatis, et in futura dispellet tenebras mortalitatis. *Secundo*, quia uti lucifer nocti finem, diei initium præbet : ita Christus peccato et ignorantiæ finem, fidei et saluti initium attulit. *Tertio*, est matutina, quia « dum in seipso resurrectionis exemplum nobis præbuit, quæ lux sequatur indicavit, » ait S. Gregorius, XXIX *Moral.* XXX, in illa verba *Job.* XXXVIII : « Numquid produces luciferum in tempore suo? » Et Beda : « Christus, inquit, est stella matutina, quia transacta nocte sæculi, lucem vitæ sanctis promittit et pandit æternæ. » Et Rupertus : « Pro labore quo Episcopus in hac vita, quasi nocte, laboravit pervigil in animarum sibi commissarum custodia, manifestabo ei meipsum, qui sum stella splendida et matutina. » Et Haymo : « Christus, inquit, est stella matutina, id est lucifer, quia in resurrectione pulsis mortalitatis tenebris, quasi lucifer apparebit, et perfectum æternitatis diem demonstrabit. » Ita quoque Pererius, Viegas et Ribera.

Rursum plenius et clarius, stella matutina est lumen gloriæ et clara visio Dei, quam anima victrix per Christi gratiam adipiscitur post mortem. Hæc dicitur stella propter claritatem contemplationis. « Domine, inquit Psaltes, in lumine tuo videbimus lumen. » Dicitur matutina, *primo*, quia post noctem hujus vitæ et sæculi illucescet; *secundo*, propter inchoationem beatitudinis, quæ complebitur in resurrectione corporum, quando stella hæc matutina mutabitur quasi in solem meridianum, cum scilicet anima gloriam suam diffundet in corpus. Utrumque hunc sensum, scilicet de Christo, et gloria animæ beatæ, habet Richardus Victorinus, Primasius, Aretas, in locum citatum Apocalypseos.

Tertio, Christus vocatur stella, quia per stellam Christi nativitas significata est. Christus enim quasi stella divina, orta ex semine Jacob, corpoream istam stellam emisit, et quasi a se sparsit, quæ Magos ad se in Bethlehem evocaret. Nam ad stellam Magorum hic respici patet tum ex Hebræo textu, qui pro *orietur* habet דָּרַךְ *darach*, id est incessit, et viam calcavit ac præivit, quod proprie stellæ illi Magis præeunti convenit; tum quia communis Patrum sententia est, tres Magos, vel posteros, vel successores fuisse hujus Balaam, et ex hoc ejus vaticinio edoctos fuisse orituram aliquando stellam, quæ nativitatem magni cujusdam Regis Judæorum indicaret; atque inde Magos, visa stella, statim permotos fuisse, ad regem hunc per stellam significatum inquirendum, idque verba Magorum significant : « Vidimus stellam ejus, » quasi dicant : Vidimus non stellam aliquam incognitam, sed « stellam ejus, » notam scilicet, et a Balaam prædictam, quod scilicet foret stella ejus, scilicet Christi index. Ita docet Origenes, *hom.* 13, 15, 18 hic; Epiphanius in *Epitome;* Cyprianus, serm. *De Stella et Magis;* Basilius, hom. *De Humana Christi gene-*

Tertio.

Tres Magi fuerunt successores Balaam.

(1) *Videbo eum*, non *illud*, ut vult Rosenmullerus, scil. *rem* multa post sæcula futuram. Pronomina haud raro spectare constat ad nomina nondum quidem expressa, sed tamen ex iis, quæ sequuntur et orationis nexu facile intelligenda. *Sed* ipse *non* est *modo. Intuebor illum, sed non est propinquus*, subintelligendo אֵרוֹא. Pronomina *eum... illum* significare profecto nequeunt populum Israelitarum; non enim Balaam dicere poterat se illum *tunc* aut *prope* non videre, quem coram se habebat. Verum hujusmodi pronomina, quum nemo in sermone ponitur, ad quem pertineant, aliquem significant adeo illustrem notumque, ut illum nec nominari necesse sit, sicut recte adnotavit Cajetanus in h. l. Sed quemnam adeo illustrem, adeo notum virum, ut hac loquendi ratione describitur, ex Israelitis ortum Balaam se visurum prædiceret, qui brevi erat interimendus (infra XXXI, 8), nisi Christum? quem utique olim visurus erat, etsi nequaquam dum in vivis degeret, ideoque addit, *non modo, non prope.* Conf. *Job.* XIX, 26, 27.

(2) Pro *orietur*, hebraice דָּרַךְ vertendum est proprie *calcavit*, id est incessit. *Ex Jacob* Gesenius cum multis construendum censet cum verbo דָּרַךְ, favetque accentus vocum hebraicarum. Patritius e contra τὸ *ex Jacob* connectit cum nomine *stella* (quid enim, ait, sonaret *calcare de aliquo loco?*), stella scil. oriunda ex Jacobo.

ratione; Leo, serm. 4 *De Epiphania;* Ambrosius, lib. II *in Luc.* cap. *De Magis;* Nyssenus, orat. *De sancta Christi Nativitate;* Eusebius, libro IX *Demonstr.* I; Prosper, part. II (1) *De Prædic.* XII; Procopius et Rupertus hic, S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, et alii in *Matthæi* II. Ex quibus Origenes et aliqui alii censent tres Magos fuisse Chaldæos, eo quod Balaam eorum parens, vel antecessor, fuerit Chaldæus, sive Mesopotamius. Alii plures censent eos fuisse Arabes : hæc enim prophetia de stella, in Arabia edita est a Balaam : unde ejus memoria ibidem, uti et apud vicinos, celebris permansit per multa sæcula.

Atque ex hoc oraculo Balaam de stella hac, videtur manasse pervulgata illa olim in Oriente fama de nascituro in Judæa rege, qui rebus omnibus potiretur, cujus meminit Suetonius in Vita Vespasiani, Cicero, lib. II *De Divinatione,* Orosius, Hegesippus et alii. Insuper ex Hebræo *darach,* id est, *incessit stella ex Jacob,* nonnulli probabiliter opinantur stellam hanc primo Magis in Oriente existentibus visam esse super Judæam et Bethlehem, illique quasi incumbere : inde enim videntur Magi cognovisse regem Judææ esse natum, illumque in Bethlehem esse requirendum. Deinde stellam hanc ex Judæa celeri motu evolasse in Orientem, ad evocandos Magos, ibique eatenus quievisse, donec Magi iter ingrederentur. Magi enim dicunt, *Matth.* II, 2 : « Vidimus stellam ejus in Oriente. » Ita sentit Sebastianus Barradius, lib. IX *Harm. Evangel.* cap. IX. Accedit Procopius in *Num.* XXIV, 17, et Haymo, serm. 3 *De Epiphania,* qui docent stellam a Magis visam perpendiculariter insistere Judææ.

Sex radii stellæ sunt sex Christi virtutes.

Symbolice : « Stella, inquit Hugo Cardinalis, habet sex radios, quibus illuminat noctem, et Christus habet sex virtutes, quibus illuminat omnem hominem. » *Prima* est humilitas; *secunda* est mansuetudo, *Matth.* cap. XI : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » *Tertia,* est obedientia, *Philip.* cap. II « : Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » *Quarta* est patientia. *Quinta* est misericordia, de qua Job XXXI : « Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. » *Sexta* est charitas, de qua *Joan.* cap. III : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, » etc.

Nota : Pro *orietur* כוכב *cochab,* id est stella, R. Akiba et Judæi olim legerunt, *orietur* כוזב *cosab,* vel *cosba,* id est mendacium. Hinc enim probare voluerunt impostorem suum, nomine *Bar cosba* (quasi dicas, filium mendacii) esse verum Messiam; quare *Bar cosba* congregato maximo exercitu, quasi rex Messias, contra Romanos rebellavit. Verum Adrianus Imperator cum obsedit in civitate Bitter, eaque capta trucidatus est Bar cosba, magnaque Judæorum strages est edita, uti inter alios narrat Galatinus, lib. IV, cap. XXI.

Nota : Sicut Christi præsagium fuit stella, ita Sanctorum illustrium ortum præsagia lumina demonstrarunt. Audi exempla :

Præsagia luminis de Sanctis.

Hortulana, S. Claræ mater, partui vicina orans coram crucifixo, audivit vocem : « Ne paveas, mulier, quia lumen paries quod mundum clarius illustrabit; » quo edocta miraculo, natam infantulam in baptismo Claram vocari jussit. Ita habet ejus Vita.

Cum S. Swibertus Werdensis Episcopus nasceretur e clarissima genitrice et Comitissa Berta, totam regalem cameram fulgor nimius replevit, mansitque irreverberatis radiis protensus, donec ipse in lucem editus est, inquit Marcellinus in ejus Vita.

Mater S. Willebrordi Episcopi Trajectensis noctu in somnis vidit quasi novam lunam crescentem ad plenitudinem; quam diligentius intuens, repentino lapsu ruit in os ejus, qua devorata, ejus intima splendore perfusa sunt. Evigilans vero timore perterrita, cuidam religioso presbytero retulit somnium, qui ei dixit : « Luna, quam ex modica vidisti in magnam crevisse, filius est quem ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, et quocumque perrexerit comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum, coruscanteque rumoris ejus candore et morum pulchritudine, multorum in se alliciet aspectum. » Factum est post dierum circulum, et mulier peperit filium, quem in baptismo vocavit Willebrordus. Ita refert Albinus Flaccus præceptor Caroli Magni in Vita S. Willebrordi.

Mater S. Columbani Abbatis gravida, noctu in somnis vidit e sinu suo rutilantem solem, nimioque fulgore micantem procedere, et mundo ingens lumen præbere. Nimirum Sanctus hic in Ecclesia quasi sol splenduit, juxta illud Deboræ, *Judic.* V : « Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. » Testis est Jonas Abbas in ejus Vita.

Mater S. Dominici vidit se utero gestare catulum, qui ore gestabat faculam ardentem, qua utero egressus totum mundum illuminabat et inflammabat. Hinc Sancti illustres et Doctores fulgebunt in cœlo ut stellæ in perpetuas æternitates, *Daniel.* XII. Vide ibi dicta.

ET CONSURGET VIRGA DE ISRAEL, — *q. d.* Christus

(1) Multorum Patrum opinioni, astrum Christi natale hic per *stellam* prænuntiari, objici potest ipsum *stellæ* nomen, quod non proprie, sed τροπικῶς usurpatum esse dicendum est. Ut enim cætera omittam, quomodo stella proprie dicta ex stirpe Jacobi esse poterat? Respondet Patritius, Christum a Balaamo *stellam* vocatum fuisse, tum quia stella Christi nascentis symbolum futurum erat, tum ut hoc ipsum symbolum ea appellatione *oblique* prænuntiaretur. Nec aliter Patres, v. g. S Justinus : « Cum igitur exorta esset *et* in cœlo, statim atque natus est, stella,... ex Arabia Magi, *re ex hoc signo cognita,* advenerunt. » *Dialog. contr. Tryph.* Et Eusebius : « Cujus (Christi) imaginem symbolice illa apparens tunc Magis importabat, » *Demonstr. Evang.* lib. IX, § 1.

Christus percussit duces Moab, quomodo?

nascetur ex Israel, qui virga, vel, ut hebraice est, sceptro regni sui, id est potestate regia, percutiet, hebraice *transfiget*, duces Moab. Christus enim per se, et per Apostolos convertit, suæque fidei statim subegit Moabitas, Syros, Idumæos aliasque gentes Judææ vicinas (1).

Mystice.

Ubi nota : Prophetæ dicunt Christum occidisse, percussisse, transfixisse gentes, quia eorum mores et vitia occidit, fecitque quasi novos homines, ut ex impiis pii, ex injustis justi, ex ebriis sobrii, et ex incestis casti efficerentur; itaque quasi unum eumdemque hominem occidit, dum eum vivificavit : occidit enim Petrum, v. g. ebrium, fornicatorem, rapacem, dum eum sua gratia fecit sobrium, castum, justum, etc. Vide *Can.* 42.

Secundo, duces Moab mystice sunt principes gentium idololatrarum, quæ colunt dæmonem. Nam Moab hebraice idem est quod ex patre, scilicet per incestum natus; tales autem sunt idololatræ, qui ex patre diabolo, per infidelitatem, quasi per incestum, nati sunt. Ita Abulensis.

Rursum Rabanus, per duces Moab, accipit ipsos dæmones; hi enim sunt duces et patres Moabitarum spiritualium, id est impiorum et idololatrarum. Hosce tranfixit Christus cum exuit dominatu suo principatus et potestates eorum, illosque affixit et confixit cruci suæ, triumphans illos in semetipso, ut ait Paulus.

Filii Seth sunt omnes homines.

VASTABITQUE OMNES FILIOS SETH, — id est omnes homines. Ita Chaldæus; omnes enim homines post diluvium prognati sunt ex Noe, ac consequenter ex Seth : nam omnis Caini progenies diluvio interiit. Christus enim omnes homines vastavit, necando eorum **mores et vitia**, eosque sibi subigendo, ut paulo ante dixi. Unde Chaldæus pro *vastabit*, vertit, *dominabitur*. Rursum, in judicio vastabit Christus totum mundum omnesque improbos.

Nota : Pro *vastabit* hebraice est קרקר *kirkar*, quod a קיר *kir*, id est *paries*, descendit, estque contrariæ significationis. *Primo* enim significat exparietare, id est parietes diruere, vastare, et, ut Septuaginta vertunt, depasci et deprædari. *Secundo*, significat pariete concludere, captivare, incarcerare, ut Hebræum *kerker* sit idem quod Latinum *carcer* : quæ significatio hic optime quadrat. Sensus enim est, *q. d.* Christus omnes homines concludet suis legibus, sua Ecclesia, sua fide et gratia, itaque impietatem et impios quasi incarcerabit. Ita Oleaster (2).

(1) Vox *consurget* exprimit quamdam excellentiam, potentiam ac firmitatem, ut in aliis quoque bibliorum locis (*Jud.* v, 7; II *Paral.* VI, 10; *Dan.* II, 39; VII, 24); quem usum habet etiam latinum *surgo*, puta in illo Virgilii, *Æneid.* IV, 47 :

> Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quæ surgere regna
> conjugio tali!

Inque illo, *Æneid.* X, 524 :

> Per patrios manes, per spes surgentis Iuli.

Cur nomen שבט apud Alexandrinos interpretes ἄνθρωπος *homo* versum legatur, probabilem admodum rationem dat Lambertus Bos, *Prolegom. ad V. T.* cap. III, scil. illos scripsisse ἄνθος, id vero in ἄνθρωπος mutatum a librariis, quia in manuscriptis vocabulum ἄνθρωπος reperitur scriptum ανος, forsan etiam ανθος. Hesychius quidem hæc habet : ἄνθος, βλάστησις, *flos, germen*; germen autem æque sunt *ramus*, quod sonat שבט, et *flos* : hinc aliqua erat ratio, cur *flos* pro *ramo* diceretur, at nulla cur diceretur *homo*. Pro *duces Moab* hebr. est *utrumque latus Moab*, id est omnes fines terræ Moabiticæ, aiunt Maurer et Rosenmullerus; vel, geminum corporis latus Moabitarum, id est Moabitas, ut vult Patritius, tum quia neque est cur extremi tantum fines Moabitarum percutiendi dicantur, neque cur forma duali exprimantur; tum quia מחץ solummodo ubi de personis percutiendis sermo est, adhibetur. Alexandrinos et Vulgatum, qui *duces* verterunt, *angulis* seu *finibus* per metaphoram significari duces seu rectores populum continentes et sustinentes, putasse conjicere est.

(2) Qui recentiorum æque ac veterum varias de hoc loco difficillimo sententias habere voluerit, adeat Patritium, op. cit. tom. II, pag. 135 seqq. Nobis pauca, de more, sufficiant.

a) Rosenmullerus cum multis vertit *destruet*, collato loco *Isaiæ*, XXII, 5, ubi veteres illud verbum *scrutans* reddunt, a themate קור *fodere*. Idem sensus efferetur, si קרקר deducas a קיר *paries*, sicut a שרש *radix* deductum est verbum quod in pihel significat *eradicavit*. Sed 1. alio sensu Isaias intelligi potest, imo debet ut infra dicetur; 2. si, ut Patritio verisimilius videtur, filii Sethi sunt homines qui Christo adhærent recteque vivunt, falsa foret hæc sermonis pars, *et destruet*, etc. 3. Cum verbum *percutiet* conjungendum sit cum nomine *virga*, idque aptissimum sensum præferat, verbum קרקר jungendum omnino est cum nomine *stella*, ut exprimat quid actura sit : at quomodo *stella* dici potest *destructura omnes filios Seth*, quicumque demum sint? Cur nam *destructor* sub imagine stellæ exhibeatur?

b) Miegius in speciali Dissertatione de Balaami vaticinio, huic verbo notionem tribuit *convocare*, quia Chaldæis קרקר sonat *cucurivit, gracillavit*, hoc sensu, *convocabit gracillando instar gallinæ*, uti Christus de se loquitur, *Matth.* XXIII, 37; et favet etymon *paries*, unde *convocare ad parietem*. Sed obstat, 1. quod non gallinarum modo, sed et aliarum avium, imo et serpentum vocem exprimit verbum קרקר; 2. quod gracillare non idem est ac convocare gracillando; 3. quod gracillatio cum *stellæ* notione non congruit.

c) Alb. Schultens sic habet : « A קיר *muro* קרקר potius redderem *murum struere*, quam *murum destruere*... Puto itaque קרקר esse *struere, ædificare, fundare.* » Quæ autem leguntur apud Isaiam, ea sic interpretatur, *est, qui reparat murum; est, qui clamat : Montes petite.* Non male. Duo tamen Schultensio officiunt : unum est, quod, etsi facile intelligamus, quid sit *struere* vel *ædificare ecclesiam*, id est Christianorum cœtum, obvia quippe ac perspicua metaphora hæc est, non æque hæc altera claret, *struere*, seu *ædificare omnes filios Seth*, licet hi sint omnes fideles; alterum, quod *constructio*, seu *ædificatio* stellæ tribueretur.

d) Sunt qui animadverterint vocabulum istud esse ipsissimum nomen, quo Arabes vocant *fines* et *plagas regionis patentis*. Quæ significatio, ait Patritius, belle respondet κατ' ἐπεξήγησιν nomini פאתי prioris hemistichii, et apprime convenit planitiei Moabitidis. Quare, qui opinantur בני שת non esse *filios Sethi*, sed vel ipsos Moabitas, vel populum finitimum, opportunissima iis foret hæc explicatio : illud unum ea peccaret, quod hoc pacto

Vers. 18. 18. ET ERIT IDUMÆA POSSESSIO EJUS. — Meminit Balaam hic Idumææ Christo subjiciendæ, potius quam aliarum gentium, tum quia respicit et alludit ad populum Israeliticum, cui Idumæi maxime fuerunt infesti, uti Esau parens eorum fratri suo Israeli, sive Jacobo, quondam infensissimus fuit; tum quia alludit ad Davidem, qui fuit pa-

lateret, quid *stella* hic agat, curve a stella metaphora petatur.

e) Patritius, loc. cit. pag. 140 : « Vocabulum illud aliquid sonet, oportet, quod stella præstitura erat, idque *omnibus hominibus*, aut saltem omnibus probis : ii quippe, ut longe probabilius est, vocantur *filii Sethi*; quodque rationem præferat, cur vocabulo *stella*, potius quam alio, tropus fiat. Jam vero in omnibus linguis Semiticis radici קרר propria primigeniaque notio subest *frigus*, hinc vero et translatas *refrigerium, recreatio, quies*. Quare nil dubito verba Balaami ita explanare, *et recreabit, quietosque præstabit, omnes filios Sethi*..... Metaphora autem hoc pacto sese concinnam quam maxime cuique probat; nam et magnos principes astrorum nomine vocare mos fuit, neque Orientalibus modo, sed et aliis gentibus (Ovid. *Trist.* II, 167; *De Ponto*, lib. III, Epist. v, 3), et astris sive cometis eos portendi felicemque sub iis rerum vicissitudinem creditum est (*Matth.* II, 2; Virgil. *Eclog.* IX, 47; Sueton. *Cæs.* § 88; Horat. *Od.* lib. II, *Od.* XII, 47, etc.). Demum locus Isaiæ recte et facile explanatur, vel secundum Schultensii sententiam; vel hoc modo, *est, qui quietum præstat*, id est, qui defendit murum; *est, qui clamat*, etc.

f) Verbum *vastabit*, quod habet Vulgatus, bellicum est; ab eodem autem hoc interprete passim redditur pro verbis hebr. quorum communis notio est *bello capere*, v. g. *Ezech.* XXVI, 12; XXXVI, 5 : ideoque non sonat *cladem* aut *calamitatem inferre*, sed solum *bello capere* et *potiri*. Quare illud *vastabit* apprime convenit cum verbo προνομεύσει, quod usurpant Alexandrini. Quum autem Messias subinde a Scriptoribus sacris inducatur bellum hominibus inferens ad eos sibi subjiciendos (*Ps.* II, 8, 9; XLIV, 4, 6; *Isai.* LXIII, 3 seqq.), verbum *vastabit* acceptum in eum sensum, quem diximus, id est, *bello capiet*, ut scil. in libertatem deinde asserat, peropportune in hoc oraculo usurpari patet.

Filios Sethi. Præcipuas tantum (duodecim ad minus recensitas reperies apud Patritium, *ibid.*, pag. 142) hujus locutionis interpretationes referemus. Maurer, *omnes filios tumultus.* « שת, ait, contractum ex שאת *Thren.* III, 47, est *strepitus, tumultus*, a שאה : conf. *Jer.* XLVIII, 45. Nam qui nostro loco dicuntur בני שת, idem illo vocantur בני שאון. » Cf. et *Amos* II, 2. Ita plerique in Germania. Orationis tamen contextus nomen proprium, non appellativum, requirere videtur. Patritio igitur nomen *Seth* nihil est nisi Seth, ipse Adami filius ita nuncupatus. Ita ex antiquis versionibus pleræque, ex Judæis clariores, ex Patribus una voce omnes. Filii autem Sethi (per oppositionem filiis Caini, qui improborum figuram gerunt) sunt homines justi ac probi omnes, quos Christus *expolians* principatus et potestates, qui per Moabitas significantur in hoc vaticinio, ac palam triumphans..... in semetipso (*Coloss.* II, 15), recreaturus erat et quietos præstiturus.

Concludit Patritius ita : « Inter verba, quæ ex hactenus disputatis ita reddamus, oportet, *incedet stella Jacobea, et surget virga Israelitica, et percutiet latera Moabi, et recreabit omnes filios Sethi*, parallelismus deprehenditur ἀντίθετος et inversus. Opponuntur quippe, ac veluti pugnant inter se, *stella* et *virga*, *Moab* et *Seth*, *percussio* et *recreatio*. Ex quatuor autem periodi membris quartum primo, tertium secundo respondet. »

rens et typus Christi : David enim subegit Idumæos. Dicit ergo : Idumæi, id est hostes Christo maxime infesti, subjicientur ei, *q. d.* Ergo multo magis cæteri omnes subdentur ei.

Tropologice, Edom est caro nostra, quæ ex Adama, id est terra, sumpta est : hæc Christo et spiritui per gratiam Christi subjugatur. Tropologice.

HÆREDITAS SEIR CEDET INIMICIS SUIS. — *Seir*, id est Idumææ. Esau enim dictus est *Seir*, quia pilosus : dictus est et *Edom*, quia rufus. Unde ejus regio dicta est Seir, et Edom, sive Idumæa. Idem enim in carmine hoc Hebræo repetitur posteriori hemistichio, quod dictum est priore (1).

ISRAEL VERO FORTITER AGET (2). — « Israel, » id est David, cæterique Israelitæ. *Secundo*, et potius, « Israel, » id est Christus et Christiani, *q. d.* Christus, qui multo fortior est, et magis prævalens Deo, quam Jacob patriarcha, qui inde Israel est dictus; Christus, inquam, cum suis filiis Apostolis, eorumque asseclis fortiter aget, subigetque suæ fidei et legi totum orbem. Vide dicta vers. 17.

19. DE JACOB ERIT QUI DOMINETUR, ET PERDAT RELIQUIAS CIVITATIS. — « Civitatis, » id est Romæ, quæ antonomastice *civitas* et *urbs* dicitur, quæque caput fuit Gentilismi, et Gentilium hostium Christi, *q. d.* Ex Christo nascetur Constantinus Imperator Christianus, aliique similes, qui conversi ad Christum, gentilismum Romanorum evertent, et reliquias Gentilium convertent, itaque Romam totam facient Christianam, eamque Christo subjugabunt, indeque reliquæ provinciæ et civitates Romam quasi orbis dominam et caput suum sequentur, atque gentilismum et Gentiles eliminabunt, ut totus pene orbis Christum adoret et colat. Ita Abulensis (3). Vers. 19. Prophetat Balaam de Romanis.

(1) Maurer sic vertit, *eritque Edom possessio*, scil. regis illius, *eritque possessio*, ejusdem *Seir*, terra *hostium suorum*. Patritius, *et erit Edom hæreditas*, scil. Christi, *et erit* ejusdem *hæreditas Seir* : Edom, inquam et Seir, qui sunt *inimici ejus*. Conf. *Ps.* II, 8; *Rom.* IX, 6 seqq.

(2) Verba hæc sunt primum membrum periodi, quæ ex his et ex sequentibus constat, ut prodit analogia inter utraque existens.

(3) Quænam ea civitas sit, cujus mentione vaticinium absolvitur, quærendum modo est. Negotium totum duas inter gentes tunc transigebatur, Israelitas inter et Moabitas; quamobrem ad alterutram civitas illa pertinere putanda est. Fuisse autem principem urbem minime dubitamus, quum absolute commemoretur : id enim, sicut aliis gentibus, ita quoque Israelitis moris erat (*Eccli.* L, 5; *Ezech.* XXXIII, 21; *Dan.* IX, 26; *Am.* VI, 8, etc.). At nemo de regibus Israelitis *principem urbem* vel Moabitarum vel Israelitarum, proinde nec populum in ea *superstitem*, unquam *perdidit*. Ergo ex hoc quoque capite hæc de Christo dicta esse concludendum est. Et, siquidem urbs princeps Moabitarum illa sit, in nomine *civitatis* tropus erit, qua significabitur fore, ut Christus reliquias imperii dæmonum, quæ usque adhuc supersunt, sit tandem plane destructurus. Sin autem, quod magis placet, magisque cohæret cum tota serie harum parabolarum urbs illa sit Hierosolyma, prædictam habebis a Balaamo urbis gentisque Israeliticæ, quæ in ea superstes erat, internecionem, et Christo auctori tributam, utpote cujus respectu fieri debebat. Ita fere Patritius.

Notat idem Abulensis hic esse prophetiam de Christo, sed cum allusione ad Davidem, itaque Davidis gesta hic perstringi: quare quædam hic dici, quæ magis particulatim Davidi conveniunt, uti sunt: « Percutiet duces Moab; » et: « Erit Idumæa possessio ejus; Israel vero fortiter aget. » Alia vero magis proprie competunt Christo, uti sunt: « Orietur stella ex Jacob, perdet reliquias civitatis, » etc. Vide *Can.* 35.

Vers. 20. Prophetat de Amalec.

20. CUMQUE VIDISSET AMALEC. — Erat Balaam in finibus Moab, in altissimo monte Phasga; unde facile vicinam regionem Amalecitarum videre poterat, saltem in confuso; unde et Moses ex eodem monte vidit et speculatus est totam terram Chanaan, secundum partes suas, scilicet generatim et in confuso, *Deut.* XXXIV, 1.

ASSUMENS PARABOLAM (id est prophetiam, *q. d.* Prophetans), AIT: PRINCIPIUM GENTIUM AMALEC, — *q. d.* Nobilissima gentium, aut prima gentium illarum, quæ habitabant illo tempore juxta terram promissam, fuit Amalec. Alii: « Principium, inquiunt, gentium, » scilicet hostilium Israeli, fuit « Amalec; » unde Chaldæus vertit, *principium bellorum Israel fuit Amalec.* Nam primus Amalec Israeli ex Ægypto venienti armatus occurrit, *Exod.* cap. XVII, ideoque « extrema » ejus « perdentur, » id est, ut Septuaginta, *semen ejus peribit.* Saul enim Amalecitas delevit, I *Reg.* XV (1).

Vers. 21. De Cinæis, sive posteris Jethro.

21. VIDIT QUOQUE CINÆUM. — Cinæi sunt posteri Jethro, ut dixi cap. X, 29. Balaam ergo, sicut ex altissimo monte Phasga vidit Amalec, Moab et Edom, ita vidit et Cinæos, quia ipsi erant in castris Israel, simulque vidit sortem, quam in Chanaan habituri erant in tribu Juda. Unde ait:

ROBUSTUM QUIDEM EST (et erit) HABITACULUM TUUM, — quia inter duodecim tribus Israel fortissimas jam degis, et in Chanaan in tribu Juda, quæ fortissima est, habitabis.

SED SI IN PETRA POSUERIS NIDUM TUUM, — *q. d.* Etiamsi habitaculum tuum sit futurum fortissimum, uti præcessit. Alludit ad Hebræum קן *ken*, id est nidus, et ad קני *keni*, id est Cinæus, *q. d.* Recte vocaris Cinæus, quia instar avium altissime, quasi in petra, pones *ken*, id est nidum, puta habitaculum tuum; inde tamen te detrahet Assur.

Tropologice.

Tropologice Gregorius, XXXI *Moral.* XXXIV: Nidum spei, inquit, sibi in arduis et petris construunt, qui cum illa aquila (S. Paulo) dicunt: « Nostra conversatio in cœlis est. »

Vers. 22.

22. ET FUERIS ELECTUS DE STIRPE CIN. — Hebræa, prout illis puncta subjecerunt Massoretæ (ipsi enim pro *Cin*, punctarunt *Cain*), multum hic a nostra versione dissonant. Verum non esse legendum *Cain* (de Cain enim nulla præcessit mentio; nec Cinæi ex Cain, sed ex Seth oriundi erant), sed *Cin*, patet ex Septuaginta et veteribus omnibus. Unde et Vatablus legit, non *Cain*, sed *Cin*, vertitque, *etenim Cinæus comburetur*, vel depascendo vastabitur. Rursum noster Interpres per commutationem duarum litterarum gutturalium affinium, scilicet legendo *chet* pro *ain*, puta pro לבער *lebaher*, legendo לבחר *lebachur*, recte vertit, *si fuerit in electum Cin*, id est *si fuerit electus Cin*, *q. d.* Etsi stirps Cin, sive Jethro a Deo erecta sit præ aliis Gentibus, et associata Israelitis, tam in deserto, quam in terra promissa, tamen capietur ab Assyriis. Hinc patet Cin, unde dicti sunt Cinæi, fuisse nomen stirpis vel familiæ, ex qua prognati sunt Cinæi (2).

ASSUR ENIM CAPIET TE. — Cum enim Salmanasar transtulit 10 tribus Israel in terram Medorum, IV *Reg.* XVII, tunc cum eis eodem transtulit Cinæos, id est progeniem Aber Cinæi, qui recesserat ab aliis Cinæis, et habitabat in sorte Nephthalim. Tunc enim Nephthalitæ translati sunt, ac consequenter Cinæi inter eos commorantes. Alii tamen Cinæi, in Juda habitantes, remanserunt: ex illis enim orti sunt Rechabitæ, quos laudat Jeremias, cap. XXXV.

23. HEU, QUIS VICTURUS EST? — *q. d.* Heu, quis desiderabit vivere, cum tantæ strages Cinæorum et Amalecitarum, vel potius Assyriorum, Hebræorum et Romanorum, de quibus sequitur, edentur? Hæc enim verba sunt nova prophetia, unde ad sequentia pertinent, non ad præcedentia. Ita Abulensis. Vers. 23.

24. VENIENT IN TRIERIBUS (triremibus) DE ITALIA, SUPERABUNT ASSYRIOS, VASTABUNTQUE HEBRÆOS, ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. — Pro *Italia*, hebraice est כתים *cittim*, vel *cetim*, quod proprie Cyprum significat. Citium enim fuit urbs Cypri, ex qua ortus est Zeno Stoicorum parens: a Citio ergo tota insula Cyprus dicta videtur *Cetim*. Inde *Cetim* significat alias quaslibet insulas, atque ulterius omnes gentes, tam insulanas, quam transmarinas. Unde hebraice ad verbum est, *venient ex latere Cetim*, puta venient ex Italia, uti vertunt Septuaginta, Noster, Chaldæus, Vatablus et alii. Cetim enim, sive Cyprus, et aliæ insulæ interjacent inter Judæam et Italiam, ita ut Italia, respectu Judææ, sit a latere Cypri, sive Cetim. Noster Gaspar Sanchez in *Isaiæ* cap. II, num. 21, putat insulas omnes, quæ a Cypro ad Occidentale mare pertinent ad Gades usque, adscriptas fuisse Cethim filio Javan, *Gen.* X, 4, et ab eo nomen accepisse, sive insulæ illæ ad Libycum, sive ad Italicum, sive ad Græcum littus pertineant: et ab his insulis Italiam, Macedoniam aliasque regiones illis adjacentes vocari Cethim, quæ conjectura non caret probabilitate. Chaldæus diserte vertit, *venient naves a Romanis*. Licet enim Roma, tem- Vers. 24.

(1) Hebr. est, *postrema ejus tempora*, seu *sors ejus extrema, verget ad perniciem.*

(2) Hebr. est, *quamvis firma sit habitatio tua, positus in rupe nidus tuus, tantum*, id est tamen, *erit ad abolendum. Quousque?* id est mox, *Assur te captivam abducet.* De origine Cinæorum a Caino, filio Hobabi, vid. *Jud.* IV, 11, coll. cum *Num.* X, 29.

Roma tempore Balaam necdum erat condita.

pore Balaam, necdum esset condita (condita est enim sub Achaz rege Juda, ut docet Eusebius in *Chronico*, vel, ut alii, sub Joatham patre Achaz), tamen Romam et Romanos conditum iri, eosque hæc bella gesturos, spiritu prophetico prævidebat Balaam.

Prædicit ergo hic amplissimam Romanorum potentiam, quod scilicet ipsi subjugaturi sint Assyrios, tunc rerum dominos, et consequenter omnes alias gentes, ipsosque etiam Hebræos. Hos enim subjugavit prius Pompeius, mox Cæsar Augustus, qui Judæam subjecit Herodi Ascalonitæ, et post eum Tetrarchis et Præsidibus, ut patet *Lucæ* III, 1, ac tandem Hebræos plane deleverunt Titus et Vespasianus, Romani : ac demum, quod ipsimet Romani perituri sint, ruente imperio, sub Alarico et Genserico regibus Gothorum; sed maxime sub decem regibus in fine mundi, qui Romam plane evertent et comburent; quos deinde partim occidet, partim subjugabit Antichristus, uti prædixit Daniel cap. VII, 8 et 24, et S. Joannes, *Apoc.* cap. XVII, vers. 12 et 16.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fornicantur Hebræi cum Madianitis, et colunt Beelphegor : hinc ad 24 millia, partim suspenduntur a Mose, partim a Deo occiduntur. Plagam hanc sedat Phinees, occidens Zambri et Cozbi, ideoque Deus illi sacerdotium in perpetuum consignat.

1. Morabatur autem eo tempore Israel in Settim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, 2. quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum. 3. Initiatusque est Israel Beelphegor; et iratus Dominus, 4. ait ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. 5. Dixitque Moyses ad judices Israel : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. 6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. 7. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, 8. ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel, 9. et occisi sunt viginti quatuor millia hominum. 10. Dixitque Dominus ad Moysen : 11. Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 12. Idcirco loquere ad eum : Ecce do ei pacem fœderis mei, 13. et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. 14. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis. 15. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 17. Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos, 18. quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

Vers. 1. 1. MORABATUR AUTEM EO TEMPORE ISRAEL IN SETTIM. — Est hæc 42 et ultima mansio Hebræorum in deserto, puta in campestribus Moab; nam ex Settim Josue misit exploratores duos, mortuo Mose, in Chanaan, *Josue* II, 1. In Settim ergo gesta et dicta sunt omnia quæ deinceps in Numeris, et quæ toto Deuteronomio describuntur. Hic locus, *Numer.* XXXIII, 49, vocatur *Abelsatim*, addita voce *abel*, id est luctus, forte ob luctum idololatrarum, qui cum essent Hebræi, hoc capite in Settim cæsi narrantur. Ita Abulensis.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. ET FORNICATUS EST POPULUS CUM FILIABUS MOAB, QUÆ VOCAVERUNT EOS AD SACRIFICIA SUA. — Ecce hic est exsecutio consilii Balaam, quod ipse Consil.

lium Balaam et Moabitarum.

in discessu a Balac se ei daturum promiserat cap. præced., vers. 14. Scilicet Moabitæ et Madianitæ, ut vitæ suæ consulerent, ne ab Hebræis superarentur et occiderentur, filias pulcherrimas submiserunt ad castra Hebræorum, quæ eos ad luxuriam, et inde ad idololatriam pellicerent, ut ita Deus eis irasceretur, eosque desereret, ac a Moabitis et vinci et trucidari permitteret.

Disce hic quanta sit illecebra et vis pulchritudinis in feminis. Adversus Hebræos milites, non armatas turmas, sed pulchras feminas instrui præcepit rex Balac, idque ex consilio Balaam, quem Origenes hic ita loquentem inducit: « Non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollitie feminarum; procul amove armatorum manum, et electam congrega speciem puellarum: forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat; vincentur specie, qui non vincuntur prælio. »

Viles eorum animi in prostituendo suas virgines Hebræis.

Nota hic *primo*, vilitatem et viles animos Moabitarum et Madianitarum, qui omnes virgines suas alienæ et hostili genti prostituebant, pro quibus et quarum pudicitia usque ad mortem omnes pugnare debuissent. Virilius ergo fecissent, fortiter in bello occumbendo, vel cuicumque generi mortis se exponendo, quam suadendo, imo sinendo virgines suas tam infanda pati, imo agere. Fuit hæc Gentilium cæcitas, qui parvi pudicitiam, magni vitam faciebant. Ita Abulensis.

Fraus virginum.

Nota *secundo*: Puellæ hæ tulerunt secum deos suos, puta idola Beelphegor, et idolothyta, id est cibos illi immolatos et consecratos, ut juvenes Hebræorum, primo ad idolothyta comedenda, inde per ea ad idola ipsa colenda pellicerent. Lenocinia earum, et artes quibus deceperunt Hebræos, pulchre enarrat Josephus, lib. IV *Antiquit.* cap. v; eodem etiam modo Julianus Apostata Christianos Constantinopolitanos per idolothyta voluit pellicere, imo cogere ad idola colenda, uti narrat Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus in oratione quam habuit initio Quadragesimæ, et Theodoretus, lib. I *Histor.* cap. XIV.

Nota *tertio*, puellas has primo sua pulchritudine, ornatu et blanditiis pellexisse Hebræos in sui concupiscentiam; inde cum viderent eos in sui amorem exardescere, non permittebant eos sibi commisceri, quousque per blanditias illectos inducerent ad comedendum de idolothytis Beelphegor, ac tandem ad thurificandum vel immolandum ipsi Beelphegor; itaque consummabatur iniquitas et idololatria. Aut potius, videntur hæ puellæ primo illexisse Hebræos ad concubitum; inde jam eos sibi devinctos habentes, pellexerunt eos ad idolothyta, ac tandem ad idola, puta ad suum Beelphegor colendum. Hoc posterius enim ordo verborum hic S. Scripturæ magis significat; et hic meretricum est mos, ut prius juvenes suis amoribus irretiant, deinde eos impellant quo volunt. Si enim hæ puellæ prius idololatriam Hebræis proposuissent, patuisset earum fraus, easque cum idolis suis aversati fuissent Hebræi. Atque hoc modo Salomon a complexu mulierum ad idola ab eisdem deductus est. Amor enim et libido mentes sapientum dementat; et, ut ait Plato: « Amantis animus in suo corpore moriens, in alieno est vivens. » Unde

Plerique Hebræi cum his puellis peccarunt.

Nota *quarto*: Plerique omnes Hebræi hac fraude et illecebra puellarum capti sunt, et hæc fuit causa, quare Moses eos non puniverit; quod enim major pars populi ad eas declinarit, ita ut non timerent Mosen, patet ex eo quod, vidente Mose et toto populo, Judæus ille ingressus est ad Madianitidem, vers. 6. Si enim timuisset Mosen aut reliquum populum, vel non ivisset ad scortum, aut non fecisset palam. Moses ergo eos punire non est ausus, sed flebat, ut dicitur vers. 6, et dolebat valde cum paucis habentibus zelum Dei, orabatque Deum de more ad ostium tabernaculi. Unde Deus jussit fornicantes hosce suspendi, ac mox ex Dei jussu Moses vigorem animosque resumpsit ad eos puniendum, eosque reipsa suspendit; sciebat enim Deum mandantem, daturum vires ad exsequendum, et facturum ut nemo resistere posset. Itaque contigit; multi enim, etiam ex primoribus, suspensi fuerunt, nemine contradicente, vel hiscere audente. Ita Abulensis.

Moraliter, Abbas ille in *Vitis Patrum*, lib. V, tit. *De fornicatione*, cuidam tentato spiritu fornicationis hoc dedit remedium: « Scis, inquit, quid fecerint Madianitæ: ornaverunt filias suas, et statuerunt eas in conspectu Israelitarum; non tamen extorserunt aliquibus ut miscerentur cum eis, sed qui voluerunt, incurrerunt in eis. Alii autem indignantes comminati sunt, et cum interitu eorum qui præsumpserant, ulti sunt fornicationem: ita agendum est de fornicatione. Et quando initium faciunt loqui in corde tuo, non respondeas eis; sed surgens ora, et age pœnitentiam, dicens: Fili David, miserere mei. »

CUM FILIABUS MOAB, — et cum filiabus Madian, ut patet vers. 6 et 17; ob hanc enim fraudem et noxam omnes Madianitæ ab Hebræis cæsi sunt, ut patebit cap. XXXI.

Vers. 3.

3. INITIATUSQUE EST ISRAEL BEELPHEGOR, — *q. d.* Israel initiatus est sacris Beelphegor, illi se addixit, conjunxit et consecravit. Ita Hebræa, Chaldæa et Septuaginta. Vatablus vertit, *conjugatus est Israel ipsi Beelphegor*. Idololatra enim init quasi conjugium et copulam cum idolo, præsertim Priapo; hic enim colebatur copula meretricia.

BEELPHEGOR. — Phegor et Phogor et Beelphegor idem sunt; Baal enim sive Beel, Bel et Belus (hæc omnia enim idem sunt), generale erat nomen deorum, quod ad certum aliquem determinabatur, addendo aliud nomen, ut Beelzebub erat deus *zebub*, id est muscarum, quia civitatem Accaron, invocatus a civibus, a muscis liberarat; Beelsephon deus Aquilonis; Baalberith erat Baal, id est deus fœderis; Baalpharasim erat deus Pharasim. Sic Beelphegor erat Baal, sive deus, Phegor

Beelphegor erat Priapus.

Secundo, Beelphegor sive Phegor erat is quem Gentes voce nonnihil (Phegor enim hebraice dicitur *Peor,* unde Priapus) detorta Priapum vocarunt; ita docet S. Hieronymus, lib. VIII *in Isai.* cap. XXV, sub finem libri : « Beelphegor, inquit, interpretatur Priapus; » et Isidorus, lib. VIII, cap. *De Diis Gentium* : « Beelphegor, inquit, Latini Priapum vocant, coluntque quasi Deum hortorum; fuit enim ipse de Lampsaco, civitate Hellesponti, de qua pulsus est, eumque propter virilis membri magnitudinem, in numerum deorum suorum Græci transtulerunt, atque in nomine hortorum sacraverunt : unde et dicitur ipse præesse hortis, propter eorum fecunditatem. » Idem docent Andreas Masius et Arias Montanus in *Josue* XIII, 20, et alii passim.

Beelphegor, id est Deus apertionis aut nuditatis.

Tertio, Priapus dictus est *Beelphegor,* id est deus desiderii, hoc est concupiscentiæ, ideoque aperto ore depictus fuit, ait Arias Montanus in *Osee* IX. Vel dictus est *Beelphegor,* a monte Phogor in quo colebatur (1); vel potius Beelphegor hebraice est, *q. d.* Deus apertionis vel nuditatis; radix enim פער *paar* significat aperire et nudare. Priapus enim, utpote præses obscœnitatis, nuda membra ostentabat, æque ac ejus sacerdotes in ipsius sacris. Imo nonnulli censent ab hoc deo obscœno Phegor sive Phogor dictum esse montem Phogor, quia in ipso colebatur. Hinc S. Hieronymus, lib. II *Comment. in Osee* IX : « Beelphegor, inquit, interpretatur habens in ore tentigines, id est in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet. » Idem in *Nominibus Hebraicis* : « Beelphegor, inquit, idem est quod habens os pelliceum, » quasi Beelphegor sit *Baal,* id est habens, *pe,* id est os, *or,* id est pellis. Unde

Forma Beelphegor.

Quarto, erat Beelphegor imago viri nudi; qui habebat pellem mortui in ore, quo significabat non esse remedium mortalitatis, nec naturam fugientem retineri posse, nisi per os cibo et potu materia libidini et generationi subministretur, per quam natura fugiens teneatur et propagetur in prole, inquit Christophorus a Castro in *Jerem.* XLVIII, 7. S. Hieronymus tamen paulo ante citatus ait hanc pellem fuisse tentigines membri virilis, et Ribera in cap. IX *Osee* : « Beelphegor, inquit, interpretatur habens in ore, id est in summitate pudendi, retectam glandem. » Vel proprie Beelphegor idem est quod habens os pellis, id est habens glandem ex pelle exstantem, idque verius videtur; erat enim Beelphegor præses et incentor obscœnitatis. Sic et Joannes Fernandus et alii tradunt Beelphegor ad irritandam adeuntium libidinem, detectis pudendis sedisse, quæ tanta erant, ut accederent ad magnitudinem pudendi asinini. Unde et Priapo asinus immolabatur.

Ritus colendi eum.

Quinto, cultus Beelphegor consistebat in otio, comessationibus, vacatione et libertate ab omni disciplina, honestate et pudicitia. Hinc sacerdotes habebant feminas, scilicet meretrices, *Osee* IV, 14, quarum princeps fuit Maacha, mater Asa regis Juda, quam Asa amovit, et Priapum evertit, III *Reg.* XV, 13. Ritus colendi Priapum turpissimos recenset Herodotus in *Euterpe,* et alii.

Sexto, putat a Castro, et Adrichomius in *Descriptione terræ sanctæ,* pag. 129, et alii, Beelphegor esse Chamos : uterque enim fuit deus Moabitarum, dicique hebraice *Chamos* a כמש *kemas,* id est, quasi palpans et contrectans : erat enim obscœnissimus; vel a כמש *camas,* id est latitare, occultare, ut Chamos fuerit Bacchus νυκτέλιος, quem noctu per epulas et effrenas libidines colebant, indeque dici comessationes κωμάζειν et κώμους, id est, cantiones et saltationes lascivas. Unde Athenæus, lib. I, cap. XXVII : « Magno, inquit, in honore habetur Priapus in Lampsaco, qui ex epitheto idem est et Dionysius (id est Bacchus) sic dictus, ut triumphus et dithyrambus. »

Idem sunt Beelphegor, Priapus, Chamos, Bacchus νυκτέλιος.

Idem ergo sunt Beelphegor, Priapus, Chamos, Bacchus, νυκτέλιος; hunc ergo deum colunt bacchantes, et qui libidinibus vacant. Hoc ergo exemplum Israelitarum bacchantium, eorumque punitio, quæ recensetur vers. 4 et 9, congrue proponi potest Christianis in bacchanalibus. Fuerunt enim hi primi bacchantes : hæc enim contigerunt anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, qui fuit vitæ Mosis 120, mundi 2455, uti dixi cap. XX, initio.

Vers. 4.

4. TOLLE CUNCTOS PRINCIPES, ET SUSPENDE EOS CONTRA SOLEM. — Τὸ *eos* Vatablus et alii referunt ad principes, quasi illi omnes, utpote criminis vel rei, vel consentientes, aut non impedientes, jubeantur hic suspendi. Hic enim sensus planus et apertus videtur. Alii tamen, et verius, τὸ *eos* referunt non ad principes, sed ad fornicatores et idololatras, de quibus dixit vers. 3, *q. d. Tolle,* vel, ut hebraice est, *accipe,* id est, convoca et congrega principes, ut illi, quasi judices jubeant suspendi contra solem eos, qui fornicationis et idololatriæ Beelphegor sunt rei. Unde Chaldæus clare vertit, *tolle omnes principes populi, et occide illum qui reus fuerit.* Jussit ergo hic Moses congregari principes, non quasi reos ad suspendium, sed quasi judices, qui cognoscerent, quinam affines essent criminis, ut illos suspenderent, qualescumque essent, imo etiamsi principes essent. Id ita esse patet *primo* : nam non est verisimile omnes principes hic apostatasse a Deo, esseque suspensos; imo contrarium constat ex eo quod, post hæc, Zambri princeps tribus Simeon, fornicans cum Madianitide, non suspensus, sed a Phinees pugione est confossus vers. 14. *Secundo,* quia hi principes erant judices populi, quibus dicit Moses vers. 5 : « Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. » Ita Abulensis, Eugubinus et Hebræi.

SUSPENDE EOS CONTRA SOLEM. — Nota : Hi fornicantes et idololatrantes jubentur suspendi contra solem, ut facies eorum ignominiæ exponatur, qui

(1) Ita Seldenus *de Diis Syris,* Synt. I, cap. V, p. 163.

Tropologice. **non erubuerunt tantum** nefas patrare : et ut tropologice hæc figura proclamet, inquit Cyrillus, lib. XIV *De Adorat.*, quod nemo possit effugere, vel manum, vel oculum illum summi Judicis, qui instar solis omnia, etiam arcana, quæ in cubilibus et lectis geruntur, intuetur, quodque ipse secreto peccantes et fornicantes in publicum producet in die judicii, ad visionem omni carni, ut ait Isaias, cap. ult. vers. ult., ab eisque gravissimas pœnas exiget (1).

UT AVERTATUR FUROR MEUS, — qui alioqui in totum populum, vel consentientem, vel negligentem has sordes punire, desæviret, uti sæpe alias desæviit. Discant hic Christiani principes et judices, Deum adulteria, scortationes aliaque peccata, præsertim publica, in totum populum, qui ea in suo cœtu, vel republica tolerat, vindicare, ac proinde si populi tutores esse velint, uti debent, sontes puniant, Deique offensæ et justitiæ satisfaciant : itaque Dei iram et vindictam tam a se, quam a toto populo avertent.

Vers. 5. 5. OCCIDAT UNUSQUISQUE PROXIMOS SUOS, QUI INITIATI SUNT BEELPHEGOR. — « Occidat, » id est suspendat. Hoc enim jussit Deus vers. 4. Jubet hic Moses ut principes in criminosos inquirant, et quos reos repererint, plectant : unde patet multos fuisse insontes. Secus erat de vitulo aureo : illum enim omnes adorarunt; unde omnes promiscue a Mose et Levitis occisi sunt, *Exodi* cap. XXXII, vers. 27.

Hic ergo judicialiter res acta est, et peccantes per testes convicti, damnati sunt ad suspendium.

Rei quomodo hic convicti? Verisimile est quod ait Abulensis, omnes qui per testes convincebantur ingressi fuisse tabernacula harum puellarum Moabiticarum, hoc ipso damnatos fuisse. Hæc enim earum tabernacula erant lupanaria, ut patet vers. 8. Sicut ergo miles, vel adolescens ex proposito vadens ad lupanar, hoc ipso de scortatione convinci et damnari potest. Hic enim ingressus vehementissimam dat præsumptionem criminis, quod in secreto fit, nec aliter quam hoc modo probari potest : quis enim in lecto decumbentes intueatur? Sic Phinees, videns Zambri ingredientem tabernaculum Madianitidis, eum nudo pugione insecutus est, ut occideret, nec aliam criminis probationem requisivit. Adeundo ergo Moabitidas meretrices, censebantur cum eis meretricari, ac proinde esse rei mortis, eo quod Deus gravissime prohibuerat Hebræis, *Exodi* cap. XXXIV, 16, et *Deut.* cap. VII, 3, ne cum alienigenis inirent connubia : ergo pariter vetuerat gravissime ne cum eis fornicarentur. Ratio enim legis, scilicet ne ab illis pellicerentur ad idola et vitia Gentilium, tam in his quam in illis, locum habebat. Unde et apud Christianos eadem pœna plectuntur adulteri, sacrilegi, incestuosi, qua plectuntur ii, qui cum conjugatis, monialibus, cognatis matrimonium inire volunt. Ita Abulensis.

Adde : hoc ipso quo meretrices has adibant Hebræi, magna erat præsumptio, quod comederent earum idolothyta, et Beelphegor colerent; ad hoc enim perficiendum, hæ meretrices cum suis idolis totæ erant compositæ, atque reipsa omnes suos amasios eo perducebant.

6. ET ECCE UNUS DE FILIIS ISRAEL INTRAVIT CORAM FRATRIBUS SUIS, AD SCORTUM MADIANITIDEM (2). — Erat hic princeps tribus Simeon, nomine Zambri; Madianitis vero erat filia principis Madian, ut patet vers. 14 : eo major fuit zelus et fortitudo Phinees, qui utrumque occidit. Poterat enim merito timere, ne tota tribus Simeon in eum pro principe suo insurgeret, eumque lapidaret. Vers. 6. Zelus Phinees.

Addit Josephus, penes quem sit fides, Zambri voluisse hanc Madianitidem ducere in uxorem, idque coram Mose professum esse, ac contra eum insurrexisse. Orationem ejus protervam enarrat idem Josephus.

Moraliter ex Phinees disce opus esse zelo ad res arduas aggrediendas. Animi ardor diligentem facit et strenuum, frigus pigrum facit et inertem, qualis est ille *Proverb.* XXVI : « Dicit piger : Leo est in via, et leæna in itineribus; » formicas putat esse leones et leænas in via Dei; at fervidus homo etiam leones formicas æstimat, capitque : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Hinc S. Bernardus in vigilia S. Andreæ : « Adami, inquit, voluntas non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. » Si ergo cupis nobiles victorias de carne, mundo et diabolo, esto fervidus. Palmæ fervidas amant regiones : sic victoriæ fervidos postulant homines. In cœlum navigas flumine adverso, fervoris impetus necessarius est, ut fluminis impetum vincas. Pulchre Venerabilis Beda in *Lucæ* III : « Nisi, inquit, mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. » Quinimo docent physici iram nobis a natura insitam esse, ut sit cos et stimulus virtutis : phlegma enim lentum est, torpidum et ignavum. Ad res arduas opus est zelo.

Rursum vide hic quam Deus et homines libidinem puniant, et castitatis vindices præmient. Refert Plutarchus in C. Mario, quod Lucius Marii ex sorore nepos, Trebonii militis pudicitiam tentans, ab eo sit interfectus; Trebonius apud Marium accusatus, facinus confessus, causamque cædis afferens pudicitiam, a Mario corona sit redimitus. Libidinis vindices.

Tityus Jovis et Elaræ filius, Latonam de stupro interpellans, ab Apolline sagittis confixus est;

(1) Pro *contra solem* hebr. est *coram sole*, id est, ante solis occasum : non enim licebat quemquam in patibulo noctu relinquere, ex lege *Deut.* XXI, 22. Cæterum homines non vivos, sed prius gladio aut lapidibus occisos, suspendi, docent plerique cum Allioli.

(2) In hebr. est, *unus de filiis Israel adduxit ad fratres suos Madianitidem.* Ubi notandum est Moabitas tum cum aliquot Madianiticis tribubus conjunctos fuisse, uti apparet ex cap. XXII, 4, 7.

hunc dejectum ad inferos memorant, atque ita ibi ligatum, ut nullo modo movere se possit; addunt poetæ, a duobus vulturibus jecur ejus diripi.

Phaon mœchus cum Sappho deprehensus occisus est, teste Æliano, *De Varia historia.*

Persæ temulenti, cum impudice attrectarent Macedonum concubinas, in convivio interfecti sunt ab Alexandro rege.

Livia Germanici soror, uxor Drusi, filii Tiberii Cæsaris, occiso marito, Sejano copulata, a Tiberio atrocissimis tormentis cum Sejano interempta est.

Valentinianus III Imperator attentans uxorem Maximi, Patricii Romani, ab eo occisus est, qui et imperium invasit. Ita Zonaras.

Argivi sibi statuerant præsidium mille hominum : iis præerat dux Bryas. Is vitium virgini intulit; illa eadem nocte Bryantem somno oppressum oculis privavit. Deprehensa, ubi illuxit, supplex ad populum confugit. Deposcentibus eam mille viris, populus reddere noluit; quare ad pugnam re deducta, victor populus in milites præsidiarios omni supplicii genere grassatus est. Ita Pausanias in *Corinth.* (1).

Vers. 8. 8. CESSAVITQUE PLAGA A FILIIS ISRAEL. — Hinc patet plagam pestis, ignis, aliamve similem a Deo immissam fuisse in Hebræos fornicantes et idololatrantes, idque antequam Zambri ingrederetur ad Madianitidem, ibique a Phinees occideretur : nam Phinees, videns hanc plagam, ad eam avertendam occidit Zambri, eoque occiso plaga statim cessavit. Ita Scriptura sæpe post factum, rei, quasi jam factæ, meminit, eamque obiter perstringit, licet modum et historiam rei gestæ ante non enarrarit. Ecce hic utrimque verum est illud Joannis Papæ : « Zelus purgat facinus; » et illud : « Vindicta Deum iratum lenit et placat. » Merito ergo S. Gregorius, hom. 15 *in Ezech.*, Phinees zeli et rectitudinis statuit exemplar : « Rectitudinis, inquit, zelo contra vitia accendimur? Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, et iram Dei iratus placavit. »

Justitia placat Deum.

Exemdla. Memorant Annales Franciæ de S. Ludovico rege, quod, cum ipse preces ex psalmis Davidis ad Deum conciperet, et aliquis, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, intervenisset, rexque quasi aliud agens annuisset, mox vero incidisset in illum versic. *Psalm.* CV : « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore; » protinus revocari jussit eum cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit, memorabili edita sententia : « Principem qui potest punire crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si ipse perpetrasset; ac pietatis opus esse, non sævitiæ, justitiam facere. » Ita est sane. « Nec (ut inquit Seneca) pinguior mactari victima Deo potest, quam homo sceleratus. » Recteque dicitur : « Is qui parcit malis, nocet bonis. » Hac de causa ferunt Maximilianum I imperatorem loca destinata ad supplicia sontium, venerabundum cum hoc solemni dicto : « Salve, justitia, » præterire solitum. Justitia enim est basis et columen reipublicæ, estque quasi hesperus, inquit Aristoteles, imo sol mundi. M. Cato dicebat, « eos magistratus qui maleficos pœnis non coercent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus reipublicæ labefieret, » inquit Plutarchus.

Septem plagæ Numer. Prima. Hæc est septima plaga, quæ in hoc libro *Numeror.* Hebræis ob peccata immissa narratur : *prima* enim fuit in Sepulcris concupiscentiæ, ubi cum adhuc carnes essent in dentibus eorum, furor Domini percussit eos plaga magna nimis, *Num.* XI, 33; *secunda* fuit in Core, Dathan et Abiron, qui absorpti sunt a terra, vivique descenderunt in infernum, *Numer.* XVI, 33; *tertia* fuit eodem die, quando scilicet egressus ignis a Domino, occidit 250 viros rebelles, offerentes incensum, ibidem vers. 35; *quarta* fuit die sequenti murmurantium contra Mosen et Aaron, atque dicentium : Vos interfecistis populum Domini, et percussi sunt 14,700, ibidem vers. 49; *quinta* fuit, cum ob murmur propter laborem itineris, Deus in eos immisit ignitos serpentes, *Num.* XXI, 6; *sexta* fuit hic, vers. 4, cum scilicet Deus jussit suspendi fornicantes cum Beelphegor; *septima* fuit hoc versu, cum Deus immisit plagam ob idem crimen, quam suo zelo avertit et discussit Phinees. Ita Rupertus.

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.

Vers. 9. 9. ET OCCISI SUNT (puta, tam per plagam a Deo immissam, quam per sententiam et suspendium judicum, de quo versu 5) VIGINTI QUATUOR MILLIA HOMINUM. — Si enim hoc numero non comprehenderentur suspensi a judicibus, eos utique seorsim numerasset Scriptura. Ita Abulensis. Ecce hic, ait Rupertus, quam Deus ut rhinoceros, vel potius monoceros, est castitatis amator, atque turpissimum Beelphegor, ejusque asseclas punit et profligat (2).

Vers. 12. Phinees ob zelum meruit pontificatum perpetuum. 12. ECCE DO EI (Phinees) PACEM FOEDERIS MEI, — id est securitatem et certitudinem pacti mei, *q. d.* Hunc ob zelum Phinees firmiter decerno, et quasi paciscor, promittoque illi.

Vers. 13. 13. ET ERIT (quod erit) TAM IPSI, QUAM SEMINI EJUS, PACTUM SACERDOTII SEMPITERNUM, — quod scilicet ipse cum sua stirpe, post patrem Eleazarum, in pontificatum succedet, ita ut pontificatus inviolabiliter maneat in ejus familia et posteritate sem-

(1) Pro *lupanar* hebr. est הקבה, *posterior* sive *interior* tentorii *pars*, in qua cubiculum erat. Conf. Arab. *kubbah* vel *kobbah*, et cum articulo *alkobbah*. Hispanis *alcoba* dicitur et *alcova*, unde Gallorum *alcôve*.

(2) S. Paulus, I *Cor.* X, 8, duntaxat viginti tria millia ponit. Utrumque locum facile conciliabis, si concedas, quod est verisimile, neque 23000 neque 24000 præcise interiisse, sed 23000 et aliquot centenos : ita ut rotunde loquentes tum Moses 24000, tum Paulus 23000 pari jure scribere potuerint.

per, quamdiu scilicet Judæorum respublica et judaismus stabit. Ita Abulensis.

Alii censent sacerdotium hic vocari *pacem fœderis*, id est fœdus pacis vel pacificum, per hypallagen, ob duas causas : *prima* est, quod sacerdotes præ aliis hominibus in pace, amicitia et societate Dei esse videantur. Nam quotidie in conspectu Dei versantur, cum illo colloquuntur, responsa accipiunt : illi orationes, oblationes et vota sua et populi offerunt; *secunda*, quod sacerdotium rite administratum causa erat pacis, concordiæ, omnisque tranquillitatis et felicitatis inter Deum et homines, propter preces et sacrificia sacerdotum quibus Deus orbi placatur.

Damianus putat Phinees esse Eliam.

Audi hic paradoxum B. Petri Damiani, *epistola* 12, vel, ut alii notant, 11, cap. II, ad Nicolaum II Romanum Pontificem, ubi ait Deum voluisse, ut deinceps ipse Phinees, in præmium præclari hujus facinoris, viveret usque ad finem mundi, putatque ipsum Phinees fuisse eumdem, qui postea dictus est Elias; idem senserunt veteres nonnulli Hebræi, teste Origene, tomo VII *in Joan.* Ibi enim Damianus citans hæc verba hujus capitis : « Ecce do ei partem fœderis mei, et erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, » sic ait : « Pacem quippe Dominus illi sui fœderis dedit, quia sedata omni carnis molestia, vivere illum usque ad finem mundi in paradisi amœnitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Elias propheta, qui videlicet igneis equis est translatus in cœlum : cui nimirum Phinees nomen est a parentibus inditum, Elias vero nomen est accidens per eventum : Elias siquidem interpretatur Deus Dominus, quod ex hac occasione ei impositum creditur, quia cum legatus a populo ad Ruben et Gad, qui novum altare construxerant, mitteretur, hoc ab eis responsum excusationis accepit : Fortissimus Deus Dominus ipse novit, si prævaricationis animo hoc altare construximus. Inde ergo Phinees vocatus est Elias, ut illorum responsum, ejus videatur esse vocabulum. »

Prob. Primo.

Hæc sententia nova est et improbabilis, quam multis refutat Torniellus. Probat tamen eam Damianus *primo*, ex S. Hieronymo qui in *Hebraicis Quæst.* in lib. I *Paral.* idipsum docet.

Resp.

Respondeo, illum librum vel non esse S. Hieronymi, ut quidam annotarunt, vel S. Hieronymum hæc, uti et alia, non ex sua, sed ex Hebræorum sententia dicere. Talia enim sunt, quæ ibidem tradit de matre Mosis, quod fuerit amita mariti sui, quodque Moses post legem latam mandaverit patri, ut eam dimitteret : et quod ipse postmodum ex alia uxore genuerit Eldad et Medad, fratres Mosis, licet non uterinos.

Prob. Secundo.

Secundo, probat eam ex I *Paral.* IX, 19, ubi loquens Scriptura de iis qui redierant ex Babylonica captivitate, sic ait : « Hi sunt Coritæ super opera ministerii, etc., Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum; » ergo Phinees vixit usque, imo post captivitatem Babylonicam. Respondeo, illum Phinees esse alium ab hoc nostro : ille enim erat Levita, hic erat sacerdos : ille erat ex posteris Core, hic erat nepos Aaronis : quare et alius fuit Eleazar, pater Phinees, ibi ab hoc nostro. Resp.

Tantum ergo promittitur hic Phinees pontificatus continuatio in posteris ejus.

Pontifex erat in summo honore et opibus.

Fuit hoc magnum præmium. Pontifex enim Judæorum in summo erat honore, atque in summis opibus : maximam enim partem oblationum, primitiarum et decimarum, imo, ut multi volunt, decimam decimæ, id est centesimam partem omnium fructuum totius Judææ, ipse solus percipiebat. Hinc ipse erat summus omnium judex, *Deuter.* cap. XVII, 9, jungebatque cum regibus connubia, imo et sceptrum ipsum regni tandem obtinuit. Machabæi enim simul erant pontifices, et simul duces, ac paulo post reges Israel. Aristobulus enim, Joannis Hyrcani filius, et Simonis Machabæi nepos, fuit pontifex, primusque sibi imposuit diadema regni, ut docet Josephus, lib. XIII *Antiquit.* cap. XIX; atque post eum regnavit Alexander filius, cui successit Aristobulus junior, qui simul fuerunt pontifices et reges : hique omnes prognati sunt ex Phinees, uti ait et gloriatur eorum parens Mathathias, I *Machab.* II, 54. Vide hic quid apud Deum mereatur zelus et zelosi.

Factus est rex

Objectio.

Dices : Ex lege et jure gentium dedebat Phinees, utpote primogenitus, succedere patri Eleazaro in pontificatu : ergo nil novi beneficii hic ei confertur.

Resp.

Respondeo nova quædam hic ei conferri : *primo* enim assecuratur hic ipsi longior vita, quod scilicet ipse supervicturus sit patri, itaque reipsa futurus pontifex. *Secundo*, assecuratur ei, quod pontificatus in ejus familia permanebit.

Objectio.

Dices *secundo* : Pontificatus, paulo post Phinees, translatus est ex ejus familia ad familiam Ithamar, puta ad Heli : nam, ut docet Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. ult., et lib. VIII, cap. I, Eleazaro in pontificatu successit filius Phinees, huic filius Abiezer, huic filius Bocci, huic filius Ozi; a quo translatus est ad Heli (qui fuit de familia Ithamar, ut patet I *Paralip.* XXIV, 3), cui successit ex filio Phinees, nepos Achitob, huic filius Ahias, huic frater Achimelech, huic filius Abiathar (ut docet Torniellus anno mundi 2940), a quo rursum Salomon pontificatum transtulit ad Sadoc, qui erat de familia Eleazari et Phinees : quomodo ergo hic Phinees promittitur pontificatus æternus?

Successio Phinees.

Resp. Prima.

Respondet *primo* Cajetanus, promissionem hanc esse juris, non facti : jure enim debitum fuisse familiæ Phinees pontificatum in perpetuum; sed de facto translatum esse ad Heli, ad breve tempus; *secundo*, Dionysius Carthusanius respondet promitti hic Phinees Pontificatum æternum, non absolute, sed sub conditione, si posteri patris pietatem sequantur, nec ob peccata sua pontificatu privari mereantur : jam autem posteros Phinees peccasse, ideoque sua culpa pontificatu ad

Secunda.

Tertia et vera. tempus excidisse; *tertio*, et facile dici potest promitti hic Phinees pontificatum æternum, hoc sensu, quod eo non sit spoliandus jugiter, sicut spoliatus est Heli; sed quod pontificatus illius familiæ adhærebit usque ad finem Synagogæ judaismi, esto ad breve tempus interrumpatur et transferatur ad Heli ejusque posteros: paulo enim post rediit ad familiam Phinees, in eaque jugiter mansit usque ad Christum. Sic dicitur *Genes.* XLIX, 10, quod non deficiet sceptrum de Juda, donec veniat Christus: constat autem sceptrum hoc defecisse primo anno regni Herodis, Christus vero natus est anno 35 regni Herodis; ergo ante Christum sceptrum de Juda defecerat per 35 annos. Sed parvum hunc numerum in tanta multitudine non computat, nec æstimat sacra Scriptura. Ita facit et hic.

QUIA ZELATUS EST PRO DEO SUO, ET EXPIAVIT SCELUS FILIORUM ISRAEL. — « Expiavit, » *primo*, id est punivit et vindicavit sontes et sceleratos. Sic enim judices dum puniunt sontes, suam rempublicam quasi expiant coram Deo, et toto mundo. Justa enim scelerum vindicta est expiatio reipublicæ. *Secundo*, « expiavit, » id est mundavit: quia effecit ne quis amplius auderet similia committere; *tertio*, « expiavit, » id est abstulit scelus negligentiæ Israelitarum, quo scilicet ipsi negligebant hoc scelus corrigere et plectere; *quarto*, « expiavit, » quia sanguinem Zambri, quasi victimam piacularem, Deo pro aliorum incolumitate obtulit. Ita Abulensis.

Vers. 15. 15. MADIANITIS, etc., VOCABATUR COZBI, FILIA SUR PRINCIPIS NOBILISSIMI MADIANITARUM. — Hebraice est, *Cozbi filia Sur : ipse erat caput populorum, et caput familiæ patris in Madian.* Nam in Madian regnabant quinque reges, ut patet capite XXXI, vers. 8, sed parvi, qui proinde *Josue* XIII, 11, Principes vocantur : inter hos quinque nobilissimus et summus erat Sur, qui filiam suam hic prostituit Hebræis, ut eos ex consilio Balaam hoc modo decipere, atque avertere, vel superare posset. Tantus erat ejus omnium metus, tantus amor vitæ et regni. Non enim norant hi Gentiles bonum honestatis, pudicitiæ et virtutis.

Vers. 16 et 17. 16 et 17. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN DICENS : HOSTES VOS SENTIANT MADIANITÆ, ET PERCUTITE EOS. — Hic Deus auctores sceleris et fraudis Beelphegor, scilicet Madianitas, bello ulcisci jubet; Moabitas autem, qui magna sceleris et cladis pars et causa fuerant, tacite excipit, quia Moabitas conservatos volebat : idque partim ob merita Lot, ut dicitur *Deuter.* II, 19; partim ob Ruth, ex qua David (fuit enim David pronepos Ruth) et Christus originem erant ducturi; Ruth enim fuit Moabitis, et in Moab nata : unde antequam nata fuit Ruth, Hebræi non intulerant bella Moabitis; sed postquam nata fuit, et ex Moab migravit ad Judæos, David Moabitas mire castigavit et cecidit, ut patet II *Reg.* VIII, 2. Ita Abulensis.

Cur Moabitas non invaserint Hebræi? Poterant ex jure naturæ et gentium, Hebræi Madianitas, a quibus læsi fuerant, bello appetere, sed exspectarunt imperium Domini; Dominus enim in deserto et ad stationes, et ad bella, et ad quævis alia eos dirigebat, utpote populi dux. Unde statim a scelere Beelphegor, jussit Madianitis bellum inferri.

Vers. 18. 18. QUIA ET IPSI HOSTILITER EGERUNT CONTRA VOS, ET DECEPERE INSIDIIS (fraudibus, de quibus dixi vers. 1) PER IDOLUM PHOGOR (id est Beelphegor, uti dixi vers. 3), ET PER COZBI, FILIAM DUCIS MADIAN, SOROREM SUAM (id est gentilem suam; erat enim Cozbi Madianitis, ac consequenter Madianitarum erat soror, id est cognata et affinis. Hæc enim decepit Zambri, ducem tribus Simeon, cujus, utpote ducis, exemplum multi ex eadem, ut patebit cap. seq., vers. 14, et ex aliis tribubus secuti sunt. Peccata enim principum et dominorum multos habent imitatores), QUÆ PERCUSSA EST (a Phinees) IN DIE PLAGÆ, — nam eodem die grassabatur plaga; immissa a Deo, vers. 8; sed postquam Phinees occidit Cozbi cum Zambri, illico plaga cessavit.

Morale, de fuga mulierum. Moraliter, disce hoc capite quam sit periculosa conversatio cum feminis, quamque viri feminas, et feminæ viros fugere debeant. Adamum seduxit Eva, Davidem Bethsabee, Salomonem mulieres.

Præclare senior ille apud Sophronium in *Prato Spirit.* cap. CXIX : « Filioli, inquit, sal ex aqua est, et, si appropinquaverit aquæ, continuo solvitur et deficit : et monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquat mulieri, solvitur et ipse, atque in id desinit, ut jam monachus non sit. »

Exemplum S. Dominici. Id omnes Sancti et verbo et exemplo docuerunt. S. Dominicus ad mortem usque virgo permansit, adeo ut et aliis virginitatem afflaret. Unde studiosus quidam osculans manum ejus, tantam inde fragrantiam et gratiam hausit, ut deinceps et mente et corpore esset castus. Et tamen S. Dominicus suadebat castitatis studiosis, ut omnes mulieres prorsus fugerent, ita quoque ipse faciebat, et insuper se jejuniis et pœnitentiis affligebat.

S. Franciscus. S. Franciscus asserebat frivolum esse colloquium cum muliere, excepta sola confessione, vel instructione brevissima.

S. Jordanes. S. Jordanes, qui S. Dominico in generalatu proxime successit, Fratrem quemdam increpuit, quod manum mulieris tetigisset; cumque ille regereret : Mulier hæc pia et devota est; respondit Jordanes : « Pluvia bona est, et terra bona, et tamen ex horum commixtione fit lutum. »

S. Thomæ Aquin. S. Thomas Aquinas a fratribus tentatus per mulierem lascivam, eam titione fugavit, eoque signum crucis formans in pariete, et ibi orans cum lacrymis, postulansque perpetuam virginitatem, indormiit, viditque duos angelos, qui sibi renes astringerent (ita arcte, ut ex dolore exclamaret) dicentes : Ecce cingimus te cingulo castitatis, quod nunquam dissolvetur. Unde ipse omni postea libidinis sensu caruit : et tamen ille ipse

deinceps omnes mulieres semper horruit et fugit quasi serpentes.

S. Ludovici Episcopi. Regina Siciliæ, S. Ludovici, ex Franciscana familia Episcopi, mater, eum ad se Neapolim venientem, ut filium suum, more Gallico osculari volebat; renuit S. Ludovicus; tum illa : « Numquid non sum mater tua? » cui ille : « Scio, ait, sed mulier es, quam servo Dei osculari non licet; » nam, ait S. Bernardus : « Mulieris corpus totum est igneum. » Ita fugit Joseph lascivientem heram, relicto in manibus ejus pallio. Ita S. Augustinus, teste Possidonio, domi suæ ne quidem sororem habere voluit. Ita fugit non semel S. Bernardus, cum ob eximiam speciem, ab impuris mulierculis ad scelus sollicitaretur. Alias easdem noctu abegit, clamans : Latrones! latrones! ac tandem ut omni tentatione se eximeret, ad claustra Cisterciensis monasterii profugit, nimirum, ut ait Sapiens : « De vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri; » et : « Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. »

S. Bernardi.

Ita denique fugit magnus ille S. Joannes Anachoreta, qui Theodosio Imperatori victorias prædixit. Nam, uti narrat Palladius in *Lausiaca* cap. XLIII, ipse per 40 annos nullam mulierem vidit. Cumque 90 esset annorum, enixe rogatus a Tribuno, ut uxori suæ importune id petenti, videndum se præberet, respondit : « Hac nocte ab ipsa videbor in somnis, nec amplius pergat in carne videre faciem meam. » In somnis ergo ei per phantasma apparuit, nec aliter ab ea se videri passus est, qui et cap. XLIV, luctuosum Eremitæ cujusdam per mulierem lapsum enarrat. Plura attuli *Genes.* cap. XXXIV, vers. 1.

S. Joannis Anachoretæ.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi terram sanctam ingressuri numerantur, a viginti annis et supra, per singulas tribus, ut iis terra dividatur.

1. Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem : 2. Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. 3. Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant 4. a viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus : 5. Ruben primogenitus Israel : hujus filius, Henoch, a quo familia Henochitarum : et Phallu, a quo familia Phalluitarum : 6. et Hesron, a quo familia Hesronitarum : et Charmi, a quo familia Charmitarum. 7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben : quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia et septingenti triginta. 8. Filius Phallu, Eliab. 9. Hujus filii, Namuel et Dathan et Abiron. Isti sunt Dathan et Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt, 10. et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum, 11. ut Core pereunte, filii illius non perirent. 12. Filii Simeon per cognationes suas : Namuel, ab hoc familia Namuelitarum : Jamin, ab hoc familia Jaminitarum : Jachin, ab hoc familia Jachinitarum : 13. Zare, ab hoc familia Zareitarum : Saul, ab hoc familia Saulitarum. 14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti. 15. Filii Gad per cognationes suas : Sephon, ab hoc familia Sephonitarum : Aggi, ab hoc familia Aggitarum : Suni, ab hoc familia Sunitarum : 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum : Her, ab hoc familia Heritarum : 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum : Ariel, ab hoc familia Arielitarum. 18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti. 19. Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan. 20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas, Sela, a quo familia Selaitarum : Phares, a quo familia Pharesitarum : Zare, a quo familia Zareitarum. 21. Porro filii Phares : Hesron, a quo familia Hesronitarum : et Hamul, a quo familia Hamu-

litarum. 22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia quingenti. 23. Filii Issachar, per cognationes suas : Thola, a quo familia Tholaitarum. Phua, a quo familia Phuaitarum : 24. Jasub, a quo familia Jasubitarum : Semran, a quo familia Semranitarum. 25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. 26. Filii Zabulon per cognationes suas : Sared, a quo familia Sareditarum : Elon, a quo familia Elonitarum : Jalel, a quo familia Jalelitarum. 27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti. 28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse et Ephraim. 29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum : Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum. 30. Galaad habuit filios : Jeser, a quo familia Jeseritarum : et Helec, a quo familia Helecitarum : 31. et Asriel, a quo familia Asrielitarum : et Sechem, a quo familia Sechemitarum : 32. et Semida, a quo familia Semidaitarum : et Hepher, a quo familia Hepheritarum. 33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina : Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. 34. Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. 35. Filii autem Ephraim per cognationes suas fuerunt hi Suthala, a quo familia Suthalaitarum : Becher a quo familia Becheritarum : Thehen, a quo familia Thehenitarum ; 36. porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum. 37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti. 38. Isti sunt filii Joseph, per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis : Bela, a quo familia Belaitarum : Asbel, a quo familia Asbelitarum : Ahiram, a quo familia Ahiramitarum : 39. Supham, a quo familia Suphamitarum : Hupham, a quo familia Huphamitarum. 40. Filii Bela, Hered, et Noeman. De Hered, familia Hereditarum : de Noeman, familia Noemanitarum. 41. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti. 42. Filii Dan per cognationes suas : Suham, a quo familia Suhamitarum ; hæ sunt cognationes Dan per familias suas : 43. omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti. 44. Filii Aser per cognationes suas : Jemna, a quo familia Jemnaitarum : Jessui, a quo familia Jessuitarum : Brie, a quo familia Brieitarum : 45. Filii Brie : Heber, a quo familia Heberitarum : et Melchiel, a quo familia Melchielitarum. 46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara ; 47. hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum, quinquaginta tria millia quadringenti. 48. Filii Nephtali per cognationes suas : Jesiel, a quo familia Jesielitarum : Guni, a quo familia Gunitarum : 49. Jeser, a quo familia Jeseritarum : Sellem, a quo familia Sellemitarum. 50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephtali per familias suas, quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti. 51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, et mille septingenti triginta. 52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. 54. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio ; 55. ita duntaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis. 56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. 57. Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas : Gerson, a quo familia Gersonitarum : Caath, a quo familia Caathitarum : Merari, a quo familia Meraritarum. 58. Hæ sunt familiæ Levi : Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram, 59. qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto : hæc genuit Amram viro suo filios Aaron et Moysen, et Mariam sororem eorum. 60. De Aaron orti sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar, 61. quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino. 62. Fuerunt omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis

masculini, ab uno mense et supra : quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris data possessio est. 63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho : 6. inter quos, nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai. 65. Prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun.

Vers. 1. 1. POSTQUAM NOXIORUM (fornicantium cum filiabus Moab et Madian, cap. præced.) SANGUIS EFFUSUS EST, DIXIT DOMINUS AD MOYSEN ET ELEAZARUM. — « Dixit, » scilicet per columnam nubis, incubantem ostio tabernaculi, non autem ex propitiatorio et Sancto sanctorum ; licet enim Moses illud ingredi posset, quoties de aliquo dubio Deum consulere debebat, tamen Eleazarus pontifex illud non nisi semel in anno, puta in festo Expiationis, ingredi poterat, juxta legem *Levit.* XVI, 2 et 19.

Vers. 2. Tertius census populi. 2. NUMERATE OMNEM SUMMAM FILIORUM ISRAEL, A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. — Fuit hic tertius census generalis totius populi : *primus* enim habitus fuit in fabrica tabernaculi, *Exod.* XXX, 12, et XXXVIII, 25. *Secundus,* cum ordinatæ sunt acies ad pugnandum et ad castrametandum, *Numer.* I et II : uterque actus est anno secundo ab egressu ex Ægypto, in Sina. *Tertius* hoc loco factus est, anno quadragesimo, cum jamjam ingressuri essent terram promissam, ut scilicet illa inter tribus congrue pro numero cujusque dividi et distribui posset. Ridiculum enim est, quod ait Rabbi Salomon, Deum hic fecisse, uti facit pastor, qui gregem numerat, quem lupus vastavit, ut ex numero superstitum, sciat quot perierint et raptæ sint.

Quare omnes qui hic numerantur, alii sunt ab iis qui anno secundo numerati sunt, *Numer.* I et II ; nam omnes illi jam interierant, ob murmur exploratorum in Cadesbarne, de quo cap. XIV, ut patet ex hoc capite, vers. 64.

Præter hos tres, fuit quartus census, sed specialis, primogenitorum et Levitarum, de quo cap. III, vers. 15 et 40.

A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, — quia hi soli apti erant ad arma et bella, jamjam cum Chananæis, in ingressu Chanaan, gerenda. Numerantur ergo hic soli bellatores, et hi soli inter se diviserunt terram Chanaan : minores ergo viginti annis, ut non numerantur, nec apti erant ad bella, ita nec terræ Chanaan hæreditatem per se adiverunt, ut patet vers. 53.

Vers. 3. 3. LOCUTI SUNT ITAQUE MOYSES ET ELEAZAR, — scilicet id quod dixerat Dominus, ut videlicet disponerent se omnes numerandi per turmas et familias, ut commode possent numerari. Census hic ita videtur peractus, ut primo singularum tribuum familias, deinde singularum familiarum domos, ac denique singularum domorum capita numerarint (1).

SUPER JORDANEM, — juxta Jordanem : sic dicitur Jesus stans *super,* id est *juxta,* eam, imperasse febri, *Luc.* IV, 39.

Vers. 5. 5. RUBEN PRIMOGENITUS ISRAEL. — In hoc censu servatur ordo vexillorum et acierum, qui constitutus fuit cap. II ; ita tamen ut primum vexillum sit Ruben, cum suis, utpote primogeniti ; secundum sit Judæ, qui senior erat cæteris ; tertium sit Ephraim, qui ex matre libera, puta ex Rachele, erat prognatus ; quartum sit Dan, cum suis, qui ex ancilla, puta Bala, erat genitus.

Vers. 10. 10. ET FACTUM EST GRANDE MIRACULUM. — Hebraice est, *fuerunt in signum,* quod Chaldæus, Vatablus et alii ad præcedentia referunt, *q. d.* Core, Dathan, Abiron, etc., fuerunt in signum, id est fuerunt exemplo aliis filiis Israel, quo ipsi docerentur non esse murmurandum et rixandum contra Mosen et superiores.

Verum, quia sequitur in Hebræo : *Et filii Core non sunt mortui,* hinc sagacius noster Interpres, videns hæc verba connecti præcedentibus, intellexit *signum* hoc, tam ad sequentia hæc verba quam ad præcedentia pertinere, sensumque esse, *q. d.* Core, Dathan et Abiron facti sunt in signum, id est in exemplum, non quale quale, sed portentosum et miraculosum, non tantum ex eo quod terra absorbuit eos, sed etiam ex eo quod, Core pereunte, filii ejus non perierunt, sed penduli in aere hæserunt, quia scilicet patris rebellioni non consenserunt. Per miraculum enim servatos esse filios Core patet, ex eo quod omnino videantur tunc fuisse cum patre Core in tabernaculo, æque ut filii Dathan et Abiron, qui cum parentibus perierunt ; cum enim Moses adiit eos, omnes filii et famuli eorum, domum ad rem et litem tantam confluxerunt, nec parentes passi fuissent, filios in hoc schismate a se avelli, aut domo abire.

Miraculo filii Core servati sunt pereunte patre.

De hoc miraculo ; et de hisce Core filiis, dixi cap. XVI, 31.

Vers. 12. 12. FILII SIMEON — *Genes.* XLVI, 10, et *Exod.* VI, 15, numerantur sex filii Simeonis ; hic vero et

(1) Hebræa habent, *et dixit Moyses et Eleazar sacerdos ad illos, in campestribus Moab, juxta Jordanem Jericho, dicens* (vers. 4) : *A nato viginti annos et supra, sicut præcepit Jehovah Moysi et filiis Israel qui egressi fuerant de terra Ægypti* (vers. 5) : *Ruben,* etc. Deest aliquid, ut patet. Plerique post *dicendo* addunt : *tollite summam* filiorum Israel ; post vero *supra : Et fecerunt sicut.* Maurer, servata vi primaria verbi רבר, *disponere, digerere,* vertit, *et recensuit eos Moyses et Eleazar sacerdos,* etc. ; tum delet *dicens ;* denique finem versiculi 4 cum sequentibus copulat ita, *et filii Israelis egressi e terra Ægypti,* scil. fuerunt *Ruben,* etc.

I *Paralip.* IV, 24, tantum quinque numerantur: omittitur enim Ahod sextus, quia mortuus est sine liberis : unde non habuit familiam nec sortem in terra Chanaan. Rursum, filius ejus primus, qui hic vocatur *Namuel*, in Genesi et Exodo vocatur *Iamuel;* et qui ibi vocatur *Sohar*, hic vocatur *Zare;* ex Hebræo enim זֹהַר *Sohar*, per metathesin, simulque mutando litteram *tsade* in affinem *zain*, fit זרח *zerach* sive *zare;* sic in aliis nominibus similis est variatio : qui enim hic, vers. 30, vocatur *Iezer*, *Josue* XVII, 2, vocatur *Abiezer*, et qui hic, vers. 24, vocatur *Iasub*, alibi vocatur *Iob*.

Simeonis tribus valde decrevit, unde?

Nota hic valde decrevisse tribum Simeonis; nam in censu priore, qui actus est anno secundo, numerata sunt capita hujus tribus 59 millia et trecenta, ut patet *Numer.* II, 13 : hic vero tantum numerantur viginti duo millia et ducenta : diminuta ergo fuit tribus 37 millibus et centum capitibus, quod plerique tribuunt ultimæ plagæ, ob fornicationem cum Madianitis immissæ, cap. XXV, 9, quæ maxime in hanc tribum sævierit, eo quod ex ea plurimi ducem suum Zambri, quem Phinees occidit, secuti, cum Madianitis fornicati sint; idque satis insinuatur cap. præced., vers. ult., ubi jubet Deus invadi Madianitas ob insidias et scelus Cozbi, cum qua fornicatus est Zambri. Ita Abulensis.

Hinc rursum, tribus Simeon, utpote exigua, juncta fuit cum tribu Juda, atque in ejus sorte sortem suam accepit, ut patet *Josue* XIX, 9. Tribus enim Juda fuit maxima et validissima: continebat enim capita 76 500, ut patet vers. 22. Post Juda numerosissima fuit tribus Dan, 64 400 capitum, vers. 43; post Dan fuit Issachar, capitum 64 300, vers. 25, etc.

Vers. 38. 38. FILII BENJAMIN. — Hic tantum numerantur quinque filii Benjamin, cum tamen decem habuerit, ut patet *Genes.* XLVI, 21. Quinque ergo reliqui ejus filii mortui sunt sine liberis, aut in posteris eorum familia interiit.

Vers. 44. 44. JESSUI, A QUO FAMILIA JESSUITARUM. — Hoc loco nuper quidam apposite obstruxit os ignorantis hæretici, more solito Societatem Jesu et Jesuitas abominantis, eo quod nomen eorum non inveniretur in sacris Bibliis.

Vers. 53. 53. ISTIS DIVIDETUR TERRA, JUXTA NUMERUM VOCABULORUM, IN POSSESSIONES SUAS. — Ut scilicet pro numero familiarum et capitum quæ diversa solet habere vocabula, id est nomina, terra dividatur et possideatur a singulis : est metonymia, *vocabulum* enim sive nomen sumitur pro re, sive persona nominata.

Vers. 54. 54. SINGULIS, SICUT NUNC RECENSITI SUNT, TRADETUR POSSESSIO. — « Singulis, » scilicet tum hominibus, tum tribubus, tum familiis, tum potius capitibus familiarum (hoc enim magis consonat textui Hebræo), ut ipsi ulterius in singulos suæ familiæ, qui viginti annorum sunt, sortem acceptam dividant.

Vers. 57. 57. HIC QUOQUE EST NUMERUS FILIORUM LEVI, PER FAMILIAS SUAS. — Hic tantum numerantur quinque familiæ Levi, cum fuerint octo, ut patet *Exod.* VI, 17, 18, 19, et I *Paralip.* XXIII et seq., quia præcipuas tantum hic recenset; hic enim familiæ Leviticæ ex professo non numerantur, uti cæteræ, eo quod non essent accepturæ sortem cum aliis tribubus in Chanaan, ut dicitur vers. 62.

Vers. 62. 62. FUERUNTQUE OMNES (Levitæ) QUI NUMERATI SUNT, VIGINTI TRIA MILLIA, GENERIS MASCULINI, AB UNO MENSE ET SUPRA. — Nota : Ex eo quod jusserat Dominus, cap. III, XLI et XLIII, commutari primogenitos Hebræorum in Levitas unius mensis et supra, idque ad paucitatem Levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, et simul ad dignitatem Levitarum declarandam : hac de causa jubet hic eos rursum numerari ab uno mense et supra, tanquam suos, utpote qui olim eadem ætate servierant redemptioni primogenitorum; nam qui necdum mensem expleverant, non serviebant redemptioni huic, unde non censebantur Levitæ, nec ad Deum pertinebant, ac proinde hic non numerantur. Tribus Levi parum fuit propagata; paucissima enim inter omnes tribus habuit capita, tam in hoc censu quam in priore, *Numer.* cap. III, 43.

Vers. 65. 65. NULLUSQUE REMANSIT EX EIS, NISI CALEB FILIUS JEPHONE, ET JOSUE FILIUS NUN. — Excipe Levitas; nam ex eis supererant Moses, Eleazar, Ithamar, et forte multi alii qui numerati fuerant in Sina, et maturæ ætatis erant tempore exploratorum, facileque superabant annum vigesimum. Caleb hoc tempore erat 78 annorum, ut colligitur ex *Josue* XIV, 7. Josue vero ut minimum erat 83 annorum. Nam hæc omnia gesta sunt anno quadragesimo, et ultimo peregrinationis Hebræorum in deserto, quo mortuus est Moses, cui statim successit Josue, qui ut summum præfuit populo 27 annis: mortuus est autem Josue anno ætatis 110, ut patet *Josue* cap. ult., 29. Deme ab his 110 annis vitæ, annos 27 principatus ejus, habebis 83, ejus annum jam dictum, quo mortuus est Moses, ipseque Mosi in ducatu successit.

Caleb in hoc censu erat 78 annorum, Josue 83.

Hinc patet hisce 38 annis, emortuis patribus totidem plene filios succrevisse, qui vigesimum annum complentes vel superantes, apti erant ad bella. Nam in hoc censu inventa sunt bellatorum sexcenta millia, et mille septingenti triginta, ut dicitur vers. 51; in priore vero censu, ante 38 annos initio, inventa sunt bellatorum sexcenta tria millia, quingenti et quinquaginta, ut dicitur cap. I, 46. Prior ergo census superat hunc tantum mille octingentis et viginti capitibus.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propter filias Salphaad, Deus fert legem, ut, deficiente prole mascula, filiæ parentibus succedant in hæreditatem. Secundo, vers. 12, jubetur Moses ex monte Abarim contemplari Chanaan, atque sibi in ducatu populi substituere Josue.

1. Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph : quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. 2. Steteruntque coram Moyse, et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt : 3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est : hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium ? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. 4. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini, 5. qui dixit ad eum : 6. Justam rem postulant filiæ Salphaad ; da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hæreditatem succedant; 7. ad filios autem Israel loqueris hæc : 8. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas; 9. si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos; 10. quod si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus; 11. sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt : eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi. 12. Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel. 13. Cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron : 14. quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas ; hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. 15. Cui respondit Moyses : 16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc : 17. et possit exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. 18. Dixitque Dominus ad eum : Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum. 19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine : 20. et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. 21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad vêrbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. 22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi. 23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. ACCESSERUNT AUTEM FILIÆ SALPHAAD, etc., STETERUNTQUE CORAM MOYSE, ET ELEAZARO SACERDOTE, ET CUNCTIS PRINCIPIBUS POPULI, AD OSTIUM TABERNACULI. — Quia juxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud, vel certe ad vicinum atrium tabernaculi, conveniebant seniores populi, convocati a Mose ad concilium.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. ATQUE DIXERUNT : PATER NOSTER, etc., IN PECCATO SUO MORTUUS EST, — scilicet ob peccatum murmuris, tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi. Omnes enim a vigesimo anno et supra, ob hoc peccatum mortui sunt in deserto.

Vers. 3 3. HIC NON HABUIT MARES FILIOS ; CUR TOLLITUR NOMEN ILLIUS DE FAMILIA SUA, QUIA NON HABUIT FILIUM ? DATE NOBIS POSSESSIONEM INTER COGNATOS PATRIS NOSTRI, — *q. d.* Date nobis filiabus hæreditatem in Chanaan, pro patre nostro mortuo sine mascula prole, ut per hæreditatem hanc nostram maneat nomen et familia patris nostri in Israel :

sic enim filii nostri, saltem aliqui, ab hac hæreditate Salphaad, denominabuntur posteri vel familia Salphaad; aliqui enim filii nostri sequentur nomen et hæreditatem sui patris, alii vero sequentur nomen et hæreditatem suæ matris, sive avi materni, puta nostram, et patris nostri (hæreditas enim inter Hebræos erat immobilis et perpetua, ac consequenter et familia cujus ipsa erat, et a qua denominabatur, erat perpetua). Alioqui enim, si nulla detur nobis hæreditas, filii nostri, non patris nostri, sed mariti cui nubemus, uti hæreditatem, ita et nomen sortientur; itaque nomen et familia patris nostri interibit. Ita Abulensis.

Mares soli erant hæredes parentum, non fœminæ, cur?

Ex hoc loco colligitur quod apud Hebræos, si proles aliqua esset mascula, illa omnium erat hæres, ita ut filiæ nullam hæreditatis partem adire possent : ratio erat, quia per masculos, non per feminas, nominantur, distinguuntur et conservantur familiæ. Fuit autem per Dei providentiam in veteri Testamento tanta cura conservationis et distinctionis familiarum, tum propter jura primogenituræ, et propter certitudines omnium familiarum, secundum successiones hæreditatum : ut scilicet certo constaret, una familia emoriente, quænam illi sanguine esset proxima, ut in hæreditatem ejus succederet; tum ut liquido constaret Christum ex Judæis, et ex Juda natum esse, uti Deus promiserat Jacobo, *Genes.* XLIX, 10. Atque hæc una inter alias causa fuit, cur voluerit Deus beatam Virginem nubere Josepho, ut scilicet Judæis, qui putabant omnino eam ex Josepho concepisse et genuisse Christum, probari posset Christum descendere ex Davide et Juda. Nam ex eis descendere Joseph, sciebant omnes Judæi.

Vers. 4.

4. RETULITQUE MOYSES CAUSAM EARUM AD JUDICIUM DOMINI, — *q. d.* Moses super hac quæstione consuluit Dominum, ad ostium tabernaculi (ibi enim Deus per columnam nubis loquebatur), vel ad propitiatorium in Sancto sanctorum.

Vers. 5 et 6.

5 et 6. QUI (Dominus) DIXIT AD EUM (Mosen) : JUSTAM REM POSTULANT FILIÆ SALPHAAD; DA EIS (jube eis dari in Chanaan. Nec enim Moses ingressus est Chanaan, ac consequenter nulli in ea hæreditatem actu et reipsa dare potuit) POSSESSIONEM INTER COGNATOS PATRIS SUI. — Adierunt ergo hæ filiæ possessionem, non jure suo, sed paterno : unde dicuntur patri succedere in hæreditate, scilicet illa, quam habuisset pater in Chanaan, si vixisset eamque ingressus fuisset; quia feminæ Hebrææ nullum habebant jus ad hæreditates, nisi unico hoc casu, si videlicet pater earum defunctus esset sine prole mascula, ideoque nomen ejus periturum : tum enim filiæ patri succedebant, aliisque agnatis omnibus præferebantur (uti decernit Deus vers. seq.), sed ita ut unam duntaxat haberent sortem patris sui, quæ inter omnes filias æqualiter dividebatur, cum masculi filii singuli, a 20 anno et supra, suo jure singulas in Chanaan possessiones adirent et dividerent.

Fœminæ unam tantum sortem, scilicet patris sui accipiebant.

Dico a vigesimo anno, quia minores anno vigesimo non adibant hæreditatem in Chanaan jure proprio, sed alieno, scilicet paterno, si pater esset mortuus : unde sicut pater, si vixisset, tantum habuisset jus ad unam sortem, ita hi filii, licet multi essent, tamen ad unam tantum sortem, quæ patris eorum fuisset, jus habebant, idque ad hoc ut haberent unde viverent, ne fratribus essent oneri, et ut nomen eorum non periret de stirpe sua. Ita Abulensis, *Quæst.* X.

Sic et mares minores anno 20.

Singulæ ergo filiæ, in patris sui sortem divisam et sibi attributam succedentes, ex filiis, qui ex se nascebantur, aliquem nomine patris sui nuncupabant; isque in ejus hæreditatem succedebat; alii vero filii mariti et nomen et hæreditatem cernebant, eamque æqualiter dividebant. Excipio primogenitos. Hi enim duplicem adibant hæreditatis portionem, ut patet *Deuteron.* XXI, 17. Hæc intellige de hæreditate proprie dicta, seu de bonis immobilibus; nam de mobilibus Hebræi disponere poterant ad libitum, eaque dare filiabus, non masculis, uti passim ex iis dotem consignabant filiabus. Plura de juribus successionum apud Hebræos vide apud Abulensem hic.

Filii alii avo materno, alii patri succedebant.

Vers. 11.

11. DABITUR HÆREDITAS HIS QUI EI PROXIMI SUNT, — masculi scilicet. Loquitur enim lex de successione, quæ fit ex parte patris. Nam si quis matri et avo materno in hæreditate successisset et moreretur sine liberis, succedebant ei cognati matris, non patris, quia bona hæc erant familiæ matris, vel avi materni (non autem patris); unde in ea manere debebant, nec poterant transferri ad aliam, puta patris, familiam, uti docet Abulensis, *Quæst.* XXXIII, idque ne familiarum et tribuum fieret permixtio et confusio. Ad hoc enim jussit Deus hæreditates ex una familia vel tribu in aliam non transferri, ut ex hæreditate certo constaret cujus familiæ vel tribus quisque esset.

Priori-bus succedebant cognati matris, non patris.

Vers. 12.

12. DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN : ASCENDE IN MONTEM ISTUM ABARIM, — tum ut ex eo videas terram promissam; tum ut in eo moriaris : patet ex seq. Mons hic Abarim, saltem secundum diversas partes et juga, varia habet nomina. Nam vocatur Phasga, Phogor, excelsa Baal, Nebo; in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses, *Deuteron.* ult. vers. 1. Voluit Deus Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi proni ad idola, ejus corpus quasi numen colerent.

CONTEMPLARE INDE TERRAM, QUAM DATURUS SUM FILIIS ISRAEL, — ut saltem aliqua voluptate fruaris in visione terræ, quam tantopere ingredi petiisti et optasti, ut patet *Deut.* III, 24 et 25. Nam ex eo loco patet Mosen ardentissime orasse Deum pro ingressu in terram promissam; sed Deo id abnuente, et indicente ei silentium, petiit sibi designari successorem, ut ex hoc cap. vers. 16 patet.

Vers. 13.

13. IBIS ET TU AD POPULUM TUUM, — morieris, o Moses, in Moab, et ibis ad limbum patrum, sive ad sinum Abrahæ.

Vers. 16.

16 et 17. PROVIDEAT DOMINUS DEUS SPIRITUUM,

(*q. d.* Tu qui es Deus spirituum, id est qui solus spiritus et animas creas (hinc enim Apostolus, *Hebr.* cap. XII, 9, Deum vocat *patrem spirituum;* parentes vero, *patres carnis*), quique nosti omnium hominum spiritus et corda, ac consequenter optime nosti quis sit aptissimus tantæ moli, ut videlicet mihi in gubernatione talis et tanti populi succedat, provide et signa) HOMINEM, QUI SIT SU-
Vers. 17. PER MULTITUDINEM HANC, ET POSSIT EXIRE, ET INTRARE ANTE EOS, — id est possit esse dux et ductor eorum in omni opere, tam bellico, quam civili. Hoc enim hebraice significat hæc metaphora, sumpta a pastoribus educentibus gregem; hi enim ante eum exeunt et intrant, itaque eum pascunt et regunt.

Vers. 18. 18. TOLLE JOSUE FILIUM NUN, VIRUM IN QUO EST SPIRITUS DEI. — « Spiritus Dei, » id est prudentia, pietas, fortitudo et cæteræ virtutes tali principi necessariæ.

ET PONE MANUM TUAM SUPER EUM, — ut hac cæremonia Josue instituatur tuus successor, et dux populi, et consequenter a me majori spiritu et gratia ad id munus opportuna donetur, uti dicitur *Deut.* ult. vers. 9. De hac cæremonia dixi I *Timoth.* IV, 14.

Vers. 20. 20. DABIS EI PRÆCEPTA, — de modo regendi populum, maxime ut eum in vera unius Dei religione ac lege conservet et promoveat.

Gloriam suam Moses communicat Josue, quam? ET PARTEM GLORIÆ TUÆ, — *q. d.* Communica, o Moses, cum Josue cornua, id est splendorem et radios vultus tui, uti sol facit lunæ, inquit Rabbi Moses. Unde Chaldæus vertit : *Dabitque de splendore tuo super eo.* Hinc et Hebræi passim Mosen comparant soli, Josue lunæ, quæ a sole lumen accipit; sed nusquam Scriptura aut veteres hos radios dant Josue, nec eos Josue afflare poterat Moses. Ita Abulensis qui pluribus idipsum confutat.

Alii per gloriam accipiunt mansuetudinem et humilitatem Mosis, quæ eum populo mire amabilem et laudabilem reddiderunt; ipse enim ex eo quod cum Deo loqui soleret quasi amicus cum amico, nihilo superbior factus, erga omnes pium et mitem se exhibuit. Verum nec hanc suam mansuetudinem Moses afflare poterat ipse Josue.

Dico ergo : Da Josue partem gloriæ, id est honoris et auctoritatis tuæ apud populum, ut eum, quasi futurum populi principem, reverenter compelles, eumque ut talem toti populo proponas et commendes, ut populus eum pro te acceptet ut ducem, eumque revereatur, utpote quem a te honoratum et auctoritate donatum viderit; unde sequitur : « Ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. » Addit Cajetanus juberi hic Mosi, ut insignia magistratus et principatus sui communicet cum Josue, v. g. ut tradat ei suam virgam, quæ erat quasi sceptrum, ideoque insigne principatus; ut partem famulorum ei consignet, ut det ei annulum signatorium, paludamentum, etc. Hisce enim insignibus solet decorari, et quasi inaugurari novus magistratus et princeps. Aliter vertit Oleaster, scilicet : « Da Josue partem dejectionis, vel humilitatis tuæ; » radix enim ידה *iada,* unde הודה *hoda,* significat projicere, dejicere, *q. d.* Doce Josue tuam humilitatem et mansuetudinem, ut illa eum populo reddat acceptum, sicut te reddidit.

Hic sensus non est incongruus; prior tamen est germanior, estque Septuaginta, Chaldæi et aliorum passim.

Cur filii Mosis ei in ducatu populi non successerint, hanc causam dat Auctor *De Mirabilibus S. Scripturæ,* lib. I, cap. XXV, apud S. Augustinum, tom. III, quod « ipsi, ait, Gentili matre (de Sephora Madianitide) peregrinationis (exilii Mosis) causa generati sint. » Successit ergo ei Josue, qui tam ex materno, quam paterno genere erat Hebræus. Adde : ducatus hic populi ex Ægypto unicus fuit et extraordinarius, non hæreditarius; electione ergo Dei is delatus est Mosi, ejusque ministro Josue. Denique posteri Mosis fuerunt degeneres, *Judic.* XVIII, 30.

21. PRO HOC (pro Josue) SI QUID AGENDUM ERIT, Vers. 21
ELEAZAR SACERDOS CONSULET DOMINUM. — Hebraice, *Eleazar interrogabit pro eo, in judicio Urim coram Domino, q. d.* Eleazar pontifex indutus ephod, et rationali, cui inscriptum est Urim, itaque existens in pontificalibus, et fungens quasi munere pontificio, de rebus dubiis Josue occurrentibus, interrogabit Dominum, itaque ab eo de omnibus erudietur et instruetur. De hoc oraculo Urim vide dicta *Exodi* XXVIII, 30.

AD VERBUM EJUS EGREDIETUR, ET INGREDIETUR IPSE, ET OMNES FILII ISRAEL. — « Ejus, » scilicet Josue, inquit Abulensis. « Hic enim, ait, præponitur Josue, quia erat princeps sæcularis, summo sacerdoti directe, ita ut teneretur Eleazarus obedire Josue in omnibus quæ juberet, sicut cæteri de populo; et sic fuit tempore Mosis, quia ipse non erat sacerdos : Aaron tamen, quia erat summus sacerdos, obediebat illi, quia erat princeps populi, et sic fuit in veteri Testamento, quod sacerdotes summi essent sub regibus : nunc autem est e contrario, quia omnis sæcularis potestas obedit summo Pontifici, qui est inter omnes viros Ecclesiasticos, sicut summus sacerdos inter omnes sacerdotes et Levitas Hebræorum; » hucusque Abulensis.

Eleazar per oraculum Urim dirigebat Josue. Verum τὸ *ejus* non respicere Josue, sed Eleazarum, clare patet ex Hebræo. Sensus ergo est : « ad verbum ejus, » id est juxta oraculum ejus, scilicet Eleazari, qui præcessit, « ingredietur et egredietur, » id est aget quidquid agendum erit, tam « ipse, » scilicet Josue, quam « omnes filii Israel. » Licet enim Mosen speciali privilegio delegisset Deus in Prophetam, legislatorem et consecratorem sacerdotum, ita ut in Mose esset utraque potestas, scilicet civilis et sacra, sive sacerdotalis, eaque per eminentiam et superintendentiam: Moses enim erat summus sacerdos et pon-

tifex, sed extraordinarius; erat enim dignior Aarone, imo Aaronem debebat dirigere : unde dicitur *Psal.* XCVIII : « Moses et Aaron in sacerdotibus ejus; » tamen postea Deus has potestates divisit, ita ut Mosi in sacerdotio succederet Eleazarus, in principatu Josue, tumque Josue et civiles principes per pontifices direxit, eosque pontificum oraculo et definitioni stare jussit, ut Ecclesiastica potestas legis novæ significaretur, quæ civili præstat, eamque non raro dirigere debet : atque ex hac causa rex Saul, quia scilicet Samueli Levitæ et Prophetæ inobediens fuit, regno æque ac vita excidit.

Officia et beneficia non cognatis, sed dignis danda.

Discant hic principes et Prælati officia et beneficia, non in filios et cognatos, sed in digniores conferre. Ecce Moses principatum resignavit jussu Dei in Josue oriundum ex alia tribu, scilicet Ephraim; pontificatum vero, non in filios quos duos habebat, sed in Aaronem resignavit : idque « ut

Exempla.

disceremus, ait S. Hieronymus in cap. I *ad Titum*, has dignitates non sanguini deferendas esse, sed vitæ. At nunc, ait, cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit; et, ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. » Idem etiam ponderavit Origenes, hom. 22 *in Numer.*: « Nulla, inquit, hic populi acclamatio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Et certe, quid est aliud pontificatum dirigere ad familiam ditandam, quam rem tam sacram, tamque divinam omnino profanare, et ad sæcularem usum adhibere, ut fecit Baltazar ille in convivio? Quod quidem sacrilegium magno luit, statim et regno exutus et vita. »

Cælestinus V, ut narrat Alvarus, cum audisset fratris filium in curiam venisse, ejici statim jussit, et cum multi Cardinales deprecatores se interposuissent, multo labore ac precibus hoc ad summum impetrarunt, ut ei simplex ac tenue quoddam beneficium concederet : quo ille accepto, statim remissus est domum. Ita Alvarus, lib. II *De Planctu Eccles.* cap. XV, et Hieronymus Platus, *De Dignitate Cardinalium*, cap. XXV.

Nihil illustrius quoad hanc rem Clemente IV summo Pontifice, qui anno MCCLXV Ecclesiæ Pastor electus, hanc eamdem constantiam mirabiliter tenuit. Sic enim memoriæ proditum est eum duas habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, et harum alteri, ut in monasterio collocaretur, 30 libras Turonenses; alteri, ut nuberet, trecentas numerari jussisse, ea lege, ut æqualis conditionis viro nuberet. Quin etiam cum nepotem haberet, cui ipse nihil unquam dederat, sed Galliæ antistes in gratiam Pontificis tres contulerat in eum canonicatus; multis deinde rogantibus ut aliqua eum dignitate cohonestaret, non modo nunquam adduci potuit, ut id faceret, sed eum ultro compulit, ut ex tribus illis beneficiis unum, quod mallet, retineret, reliqua resignaret. Ita Platus ibidem.

Addit Platina in ejus Vita ipsum in hæc verba amicis pro nepote jam dicto intercedentibus respondisse : « Ego Deo, non autem carni et sanguini acquiescam; Deus ita vult, ut sua in pias causas erogentur. Dignus Petri successor non est, qui plus cognationi, quam pietati et Christo tribuit. » Porro ipsius Clementis hac de re epistolam ad unum e cognatis recenset Onuphrius et Ciacconus in *Clemente* IV; quæ, quia rara est, et æterna memoria ac imitatione dignissima, eam hic attexere placuit; ea sic habet : « Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur, et idcirco quod aliis gaudium, nobis metum subministrat et fletum. Sane ut scias qualiter his auditis te debeas habere, scire te volumus, quod humilior solito debeas esse. Neque enim, quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximeque cum honor hujus sæculi momentaneus sit, et sicut ros transeat matutinus : nec ad nos te vel fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratus, si secus venire præsumeret, oporteret redire confusus. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos haberet propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaveris, in trecentis libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quæsieris, nec a nobis denarium speres; et hoc ipsum secretissimum esse volumus, et tibi et matri solummodo notum esse. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine nostro, sub nostri sublimationis obtentu inflari volumus : sed tam Mobiliam, quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sibyllam visita, et dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, et omnem maturitatem, et habitus honestatem observet, et preces nobis pro aliquo non præsumat assumere. Nam et ei pro quo fierent, essent inutiles, et ipsis qui rogaverint damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerrentur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem et fratres. Datis Perusii, in festo SS. Perpetuæ et Felicitatis. » Macte animo, Clemens, hoc facinore magis quam ullo marmore æternasti nomen tuum; vivet semper grata et sancta tui memoria; hanc tuam bullam nulla ætas oblitèrabit; hoc tuum decus, hanc gloriam loquentur futura sæcula, laudabunt tuam sapientiam posteri, celebrabunt tuam integritatem cœlites coram Deo et toto orbe, in ultimo et decretorio illo magni judicii die, ac deinceps per omnem æternitatem; qui si bona non tua, sed Christi, consignasses obliviosis, brevi interituris, et sæpe ingratis hæredibus, jam pridem inglorius et in-

cognitus cum tuis perpetua oblivione (ut taceam offensam Dei et hominum) sepultus jaceres! Nec enim permittit Deus familias bonis Ecclesiasticis erectas et exaltatas diu perdurare, uti frequens docet experientia. Dicas ergo quod vivens speransque dixisti, nunc autem possidens et fruens dicis : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. »

Marcellus Pontifex, etsi paucissimis diebus pontificatum tenuit, tamen hoc brevi tempore specimen præbuit ejus virtutis, quam deinceps sine dubio tenere decreverat. Hic enim Pontifex factus neminem suorum Romam venire passus est, ne fratrem quidem Alexandrum; cujus etiam filios duos, quos ipse Romæ educabat, a nemine salutari, raro in publicum, nec nisi ad Sacrum fere audiendum prodire permisit. Narrat etiam Onuphrius, qui fuit ei familiarissimus, ejusque intima consilia norat, fuisse ei deliberatum et fixum, tantum fratri, ejusque liberis elargiri, quantum nobili alicui eo loco nato habere convenerat; non tamen ut ultra privatam conditionem se efferrent, nec ad ullam proveherentur dignitatem. Imo vero de Ecclesiæ fructibus ne assem quidem donare constituisse, nisi ex Cardinalium omnium sententia. Ita Platus, *De Dignitate Cardinal.* cap. XXV.

Exstitit etiam nostris fere temporibus memorabile factum Adriani VI, quem in propinquos universos ita moderatum fuisse ferunt, ut etiam quibusdam durior videretur. Nam patruelis filium in Senensi gymnasio litteris studentem, quod non vocatus Romam venisset, confestim meritorio equo impositum remisit; et alios satis arcta affinitate conjunctos, qui ex Germania ad eum accurrerant, cum singulis sagum laneum, et mediocre viaticum donasset, pedibus item uti venerant, reverti jussit. Idem ibidem.

S. Richardus Episcopus Cicestrensis consanguineos suos, etiam maturos et habiles ad beneficia Ecclesiastica, admittere noluit ulla ratione, sciens Pastorum Principem Dominum nostrum Jesum Christum, non B. Joanni Evangelistæ ipsius cognato, sed B. Petro, sanguine illi minime conjuncto, regni cœlorum claves tradidisse. Ita habet Vita ejus apud Surium, 3 aprilis.

O quam multis hodie beneficia sunt maleficia! quam multi officia quasi offas lethiferas glutiunt! Qui enim ea cognatis vel amicis indoctis, impuris, vitiosis et indignis conferunt, non beneficia, sed veneficia eis largiuntur, quibus ipsi suas et suorum animas occidunt, et ad tartara mittunt. Hi ludunt in patrimonio Christi et reipublicæ, quasi illud propria et avita foret hæreditas, neque cogitant ejus se tantum esse dispensatores, non dominos : non cogitant quod dispensationis hujus sibi creditæ strictam ab eis rationem exiget Christus; non cogitant se, utpote pastores, pascere debere totam Ecclesiam Dei, non hunc illumve cognatum cum tanto multorum et boni communis dispendio. Væ Prælatis, væ Principibus!

23. REPLICAVIT, — retulit, enarravit : hebraice est, *præcepit.* Vers. 23

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit Deus statas victimas in festis offerendas : primo, ut quotidie agnus unus mane, et alter vespere immoletur; erat hoc juge sacrificium. Secundo, vers. 9, *ut in sabbato duo agni mane immolentur. Tertio, vers.* 11, *ut in noemenia, in holocaustum immolentur vituli duo, aries unus, et agni septem; pro peccato vero hircus unus. Easdem victimas jubet offerri in festo Paschatis, vers.* 16, *et in festo Pentecostes, vers.* 26.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen : 2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Oblationem meam et panes, et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua. 3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum; 4. unum offeretis mane, et alterum ad vesperum : 5. decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. 6. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini, 7. et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini. 8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino. 9. Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba, 10. quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. 11. In calendis

autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, 12. et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos, et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes, 13. et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos : holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt : media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum ; hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. 15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. 16. Mense autem primo, quarta decima die mensis, Phase Domini erit, 17. et quinta decima die solemnitas : septem diebus vescentur azymis. 18. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea. 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem ; 20. et sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem, 21. et decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos ; 22. et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, 23. præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. 24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum. 25. Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis : omne opus servile non facietis in eo. 26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea, 27. offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino : vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem, 28. atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, 29. per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem : hircum quoque, 30. qui mactatur pro expiatione, præter holocaustum sempiternum et liba ejus. 31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

Nota : Hoc capite et sequenti, passim per sacrificium, intelligitur farreum, puta mincha; incensum vero vocatur, non thymiama, sed victima incensa et cremata Deo : holocaustum denique sempiternum vocatur juge sacrificium agni.

Vers. 1. 1. DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN. — Non constat quando et ubi hæc dixerit Deus : verisimile tamen est hic servari ordinem temporis et narrationis (nihil enim obstat eum servari ac proinde hæc dicta esse Mosi, paulo ante mortem ejus anno 40 exitus ex Ægypto, in ultima mansione. Ita Abulensis.

Vers. 2. 2. OBLATIONEM MEAM, ET PANES, ET INCENSUM ODORIS SUAVISSIMI OFFERTE. — Per *oblationem*, *panes* et *incensum*, intelligit non panes propositionis, nec thymiama, sed tantum victimas Deo oblatas et incensas. Hæ enim sunt panis, id est cibus Dei ; id patet ex Hebræo, qui sic habet, *oblationem meam* (scilicet) *panem meum* (id est, victimas meas) *per ignitiones meas* (quibus scilicet, hæ victimæ per ignem Deo igniuntur et cremantur) *in odorem suavitatis offerte.*

Vers. 3. Juge sacrificium agni, mane et vespero offerendum. 3. AGNOS ANNICULOS IMMACULATOS DUOS QUOTIDIE. — Describitur hic sacrificium quotidie bis, scilicet semel mane, secundo vespere offerendum, quod proinde *juge* dicebatur. Victima offerenda erat, non vitulus, nec hædus (qui in paschate offerri poterat), sed agnus. Hunc enim tantum significat Hebraice קבש *kebes.*

Nota *primo :* Agnus hic debebat totus Deo, quasi summo omnium Domino, cremari, fierique holocaustum. *Secundo*, unus cremabatur mane, alter vespere, ut tam in initio, quam in fine diei, Deum hac latria colerent, cum eoque sicut orsi erant, ita et finirent diem. Quis ergo Christianus negligat orationem matutinam et vespertinam, qua Deo vespere pro beneficiis diurnis, mane pro nocturnis gratias agat, eique se suaque omnia commendet? *Tertio*, agnus debebat esse anniculus, id est, annum non excedere : unde putat Abulensis anniculum, sive unius anni dici, etiamsi tantum esset 8 dierum; nam post octo dies Deo sacrificari poterant agni, hædi et vituli, ut patet *Exodi* XXII, 30. *Quarto*, debebat esse immaculatus, id est integer, et sine vitio corporis; poterat tamen esse albus, niger et habere maculas albas, vel nigras. *Quinto*, cuilibet agno loco libaminis addi debebat decima pars, sive assaron similæ conspersæ oleo, quod habebat mensuram quartæ partis hin; etiam quarta pars hin vini, quod pariter libandum, id est effundendum, erat super agnum et similam, cum

Cur?

Debebat esse anniculus.

Et immaculatus.

Cumlibaminibus, quibus?

iisque cremandum : intellige hæc de parte vini et de pugillo farinæ seu mincha. Hic enim solus cremabatur cum agno; reliquum vero similæ et vini cedebat sacerdoti offerenti, uti dixi cap. XV, vers. 5, et docet hic Abulensis. Assaron similæ sunt circiter quatuor libræ; quarta pars hin sunt tres scyphi tredecim unciarum aquæ vel vini.

Vers. 6. 6. HOLOCAUSTUM JUGE EST, QUOD OBTULISTIS IN MONTE SINAI. — Hinc satis colligitur Hebræos in deserto non obtulisse hos agnos, nec sacrificasse post discessum e Sina per annos 38; in Sinai autem oblatum esse juge sacrificium patet *Levit.* IX, 17; *Exodi* XXIX, 38. In Sina enim institutum est sacerdotium et sacrificia, ibique Aaron et filii ejus suas primitias sacrificando celebrarunt.

INCENSI. — Hebraice *ignitionis*, id est, sacrificii igniti, et cremati Deo. Vide dicta vers. 2.

Vers. 9. 9. DIE AUTEM SABBATI OFFERETIS DUOS AGNOS. — Hæ sunt victimæ pro festo sabbati, scilicet duo agni. Mane ergo sabbati tres agni immolabantur, scilicet unus pro jugi sacrificio, duo pro sabbato; patet ex Hebræo, uti mox ostendam.

ET DUAS DECIMAS SIMILÆ OLEO CONSPERSÆ, IN SACRIFICIO, — ad sacrificium, puta ad *mincha;* hoc enim passim in Levitico significat « sacrificium, » scilicet ut sit farreum, non carneum.

Vers. 9 et 10. 9 et 10. ET LIBA (libamina similæ, olei et vini) QUÆ RITE FUNDUNTUR PER SINGULA SABBATA, IN HOLOCAUSTUM SEMPITERNUM. — Hebraice et Chaldaice est : *Holocaustum sabbati in sabbato suo*, id est, quolibet sabbato offerentur agni duo, jam dicti, *præter holocaustum juge, et libamen ejus.* Itaque quod Noster vertit, *et liba*, etc., eodem modo intelligendum est, *q. d.* Præter sacrificium sabbati, offeretis et liba, id est libamina, quæ rite funduntur juxta legem per singula sabbata, id est, per singulos dies (hos enim sæpe significat sabbatum), in, vel ad, holocaustum juge et sempiternum. Ita Abulensis. Unde patet, in sabbato, uti et in aliis festis, servatum fuisse juge sacrificium diurnum; sed præter hoc proprium festi sabbati fuisse, ut ob sabbatum immolarentur alii duo agni, qui mane, uti et cæteræ victimæ, post oblationem jugis sacrificii, simul immolabantur. Ita Abulensis.

Victimæ propriæ singulorum festorum si illa coincideront, immolabantur.

Pari modo, si duo festa in unum diem coinciderent, fiebant eo die sacrificia propria singulorum festorum, atque insuper sacrificium juge, quod primum erat, cæteraque præibat. Sic festum Tubarum incidebat semper in neomeniam, puta in calendas mensis septimi, fierique poterat ut hic primus dies esset sabbatum, et tunc victimæ tam sabbati, quam Tubarum et neomeniæ, post juge sacrificium offerri debebant. Sic pascha et pentecoste incidere poterant in sabbatum, non tamen in calendas, quia pascha nunquam in primum, sed semper in 14 diem mensis primi; pentecoste vero semper in sextum diem mensis tertii incidebat.

Vers. 11. 11. IN CALENDIS AUTEM OFFERETIS HOLOCAUSTUM. —Calendæ erant prima dies mensis, quæ et neomenia sive novilunium dicitur, eo quod Hebræi menses suos computarent secundum cursum lunæ, videlicet ab uno novilunio ad aliud, ita ut prima dies mensis semper incideret in novilunium. Hæc prima dies mensis proprie non erat festum, quia in illa non cessabatur ab opere servili ex præcepto Dei; licet forte ex devotione multi ab opere cessarent, quod innuit S. Augustinus, cum ait : « Melius facerent Judææ mulieres, si in neomeniis nerent, quam in iis impudice saltarent. » Unde *Levit.* XXIII, inter festa non numerantur neomenia. Erat tamen ipsa clangore tubarum et sacrificiis solemnis, ut patet ex hoc loco, et ex *Num.* X, 10, et ex *Psal.* LXXX, vers. 4 : « Buccinate, inquit, in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. »

Calendæ et neomenia erat prima dies mensis, puta novilunium. Non erat festum.

Sed clangore et victimis celebris.

Porro novilunium et prima dies mensis, licet in eamdem inciderent, tamen non semper incidebant in eamdem horam; nam cum ab uno novilunio ad alterum interfluant 29 dies et 12 horæ, dies vero quælibet habet 24 horas, hinc factum est ut mensis Hebræorum alternis vicibus haberet, nunc 29, nunc 30 dies, junctis videlicet 12 horis excrescentibus utriusque mensis, puta præsentis et præteriti, ad conflandum trigesimum diem.

Prima dies mensis non semper incipiebat eadem hora, qua novilunium.

Quare si ponamus, v. g. primo mense, qui 29 est dierum, eadem hora incipere novilunium, et primam diem mensis, necesse est, sequenti mense, qui 30 habet dies, novilunium, non prima primæ diei hora, sed post 12 horas, puta vespere ejusdem diei, incipere. Duodecim enim horæ ex præcedenti novilunio et mense, in sequentem mensem, ejusque primum diem rejectæ sunt, post quas incipit novilunium sequens.

Hinc patet nullos Hebræorum menses intercalares fuisse 22 et 23 dierum, uti Sigonius et aliqui alii voluerunt; sed omnes aut 29 aut 30 dierum fuisse : nam alioqui calendæ fuissent celebratæ alia die, quam novilunii, et prima dies mensis non incidisset in novilunium; quod ex dictis patet esse falsum.

Unde Judæi etiamnum, instante novilunio, turriculas in synagogis conscendunt, et diligenter observant lunæ ortum, ac ea exorta, statim tubæ sonitu neomeniam denuntiant. Similiter menses suos per lunationes descripserunt prisci Romani, ante reformationem anni per menses solares, uti docent Macrobius, lib. 1 *Saturnalium.*

Annus incipiebat subinde ante, subinde post æquinoctium. Ratio.

Hinc patet *secundo*, annum Hebræorum aliquando incepisse ante æquinoctium vernum, aliquando post illud; nam intercalatio quæ alternis annis, vel tertio quoque anno fiebat, faciebat ut sequentis anni primus mensis incideret post æquinoctium; cujus ratio erat, quod mensis intercalaris erat ultimus anni, ideoque non primus, sed decimus tertius, qui proinde vicinior erat æquinoctio, quam primus mensis anni sequentis; ac proinde primus mensis anni sequentis,

æquinoctium non præcedere, sed sequi debebat, uti docet Abulensis in *Levit.* XXIII.

Patet *tertio*, menses Hebræorum non respondisse ex æquo Romanis mensibus solaribus. Sic enim et tunc videmus novilunium sæpe non concurrere cum primo die mensis, sed multo post agi, ideoque lunationem unam, unumque mensem lunarem, partim in unum mensem solarem, partim in alterum sequentem incidere.

Cur instituta neomenia? Quæres, quæ fuerint causæ cur Deus instituerit neomeniam?

Prima causa. Respondeo : *Prima* fuit, ad recolendum beneficium gubernationis divinæ; sicut enim sabbato celebrabant Hebræi memoriam creationis, ita neomenia gubernationis divinæ. Hæc enim apposite significatur novilunio; nam luna inferioribus hisce corporibus dominatur, eaque maxime in novilunio immutare solet. Ita Lyranus hic, et S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 10. Neomeniam ergo celebrando, Judæi agebant gratias Deo de beneficio gubernationis, eoque omni, sed maxime de eo, quod Deus præstat nobis per influxum solis, lunæ et aliorum corporum cœlestium.

Hac de causa Gentiles Romani « annum Jovi, id est soli, menses Junoni, id est lunæ, consecrarunt. Sol enim efficit annum, luna menses. Porro luna dicta est Juno a juvenescendo, et Lucina quasi lucida; putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, unde illud :

> Per cæruleum astrorum polum,
> Partus celerantemque lunam.

Facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti; » inquit Plutarchus in *Quæst. Roman.*

Rursum, Gentiles ut gubernationem divinam profiterentur, docebant duodecim deos duodecim mensibus præsidere. Siquidem januarii tutelam credebatur habere Juno, februarii Neptunus, martii Minerva, aprilis Venus, maii Apollo, junii Mercurius, julii Jupiter, augusti Ceres, septembris Vulcanus, octobris Mars, novembris Diana, decembris Vesta, uti docet Giraldus, *Syntagmate* 1.

Secunda. *Secunda*, ut Hebræi primitias, tam temporis et mensium, quam frugum Deo dependerent: hinc in neomenia offerebant in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, cum suis libamentis, ut hoc versu dicitur; item hircum unum pro peccato, ut dicitur vers. 15.

Tertia. *Tertia*, ut a Deo per sacrificia et preces, decursum totius mensis faustum et salutarem, ipso ejus initio peterent et impetrarent.

Quarta. *Quarta*, ad legem Dei, et ea quæ illo mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hac de causa et apud Romanos in calendis populus confluebat in urbem, ut quisque disceret et intelligeret quid, eo mense, in divinis humanisque rebus faciendum incumberet; unde pontifex calata, id est, vocata in capitolium plebe, quot ad Nonas dies superessent, repetita voce *calo* significabat, indeque calendis nomen est inditum, de quo fuse Macrobius, lib. I *Saturnalium*. Atque a calendis calendaria sunt dicta, scilicet diaria, in quibus calendæ singulorum mensium cum cæteris diebus erant descriptæ. Unde dictæ Calendæ et Calendaria.

Hæc commode applices primæ Dominicæ mensis, qua Christiani religiosiores solent spiritum innovare, confiteri, communicare, Deo pro beneficiis mense elapso acceptis gratias agere, eique auspicia mensis ineuntis, totumque mensem offerre, atque omnia prospera in eo petere, quam ad rem iis in Ecclesiis nostris plenariæ Indulgentiæ a summis Pontificibus concessæ sunt; nec enim decet Christianos in hac pietate et gratitudine cedere Judæis.

13. ET DECIMAM DECIMÆ SIMILÆ EX OLEO. — Decima decimæ erat una decima. Nam sicut pro vitulo tres decimas, pro ariete duas, ita pro agno unam decimam similæ in libamen offerebant, ut patet cap. XV, vers. 5. Illa ergo una decima, hic et vers. 21, vocatur decima decimæ, id est, decima pars ephi, quod erat decima pars cori; corus enim continebat 10 ephi; ephi autem continebat 10 decimas sive assarones. Assaron ergo, sive decima, erat decima pars decimæ, id est ephi, sed centesima pars cori (decies enim decem sunt centum). Pro *decima decimæ*, hebraice est *assaron assaron*; quod cum Chaldæo sic quoque verti posset, *et singulas decimas per agnos singulos* : geminatio enim hebræa distribuit, idemque valet quod, *per singulos.* Vers. 13.

15. HIRCUS QUOQUE OFFERETUR DOMINO PRO PECCATIS, IN HOLOCAUSTUM SEMPITERNUM CUM LIBAMENTIS SUIS. — Hucusque descripsit holocausta in calendis sive in neomenia immolanda; nunc describit victimam pro peccato in calendis immolandam : ea erat hircus. Vers. 15.

Talmudici fabulantur hunc hircum singulis calendis immolatum fuisse pro peccato, non populi, sed Dei, quod ipse, inquiunt, commisit, cum imminuit lucem lunæ, et fecit eam deficere, cum antea luna æquale lumen cum sole haberet, idque, quia luna dixerat Deo unum regem non debere habere duas coronas : cupiens ut soli Deus lumen detraheret, itaque ipsa solem suo splendore vinceret. Sed hæc tam stolida sunt et stulta, quam blasphema.

Dico ergo hunc hircum fuisse oblatum pro peccato totius populi, indeterminate et in genere toto anno, sed maxime præcedente mense elapso, commissis.

Quæres, quomodo hic hircus pro peccato vocatur *holocaustum sempiternum?* Rursum, quæ habebat libamenta? Quomodo hircus pro peccato vocatur holocaustum?

Responderi posset hircum hunc vocari holocaustum sempiternum, per catachresin, quia scilicet semper stato tempore, puta in calendis, adeps hirci debebat cremari Deo caro enim reli- quomodo dantur ei

Libamenta? Resp. Prima.

qua cedebat sacerdoti, juxta legem *Levit.* VI, 25. Simili modo adeps hostiæ pacificæ dicitur cremari in holocaustum, cap. III, 5.

Rursum, per « libamenta » hic intelligi posset sal; nam mincha, id est simila, vinum et oleum, non libabantur in victimis pro peccato, ut dictum est cap. XV, 3; nec thus cum eis adolebatur, ut patet *Levit.* V, 12.

Secunda, et vera.

Verum hæc videntur arcta et contorta. Unde dico sensum hujus loci eruendum esse ex Hebræo, quem clare et plane sic vertunt Chaldæa, Septuaginta, Vatablus et alii, *hircum pro peccato offeretis, ultra holocaustum juge, cum libamentis ejus,*

Prob. Primo.

q. d. In calendis offeretis hircum pro peccato, ultra et post juge sacrificium. Nam holocaustum juge, nec in calendis, nec alias unquam, esto plurimæ aliæ offerrentur victimæ, intermitti poterat, illudque sua habebat libamina similæ, olei

Secundo.

et vini. Id ita esse *secundo* patet ex eo, quod simili prorsus modo dixit, vers. 10, in sabbato offerendos esse duos agnos ultra sacrificium juge, uti patet ex Hebræo; ibi enim eadem verba sunt quæ hic. Simili etiam modo, vers. 23, dicit in paschate offerendas esse victimas paschales, « præter holocaustum matutinum, » uti vertit noster Interpres, idemque repetit in singulis aliis festis, vers. ult., et cap. seq. vers. 6, 11, 16, 22, 25, 28, 32, 34, 38; non est ergo dubium quin idem de calendis dicere voluerit. Quare nostra versio hoc loco, simili modo juxta Hebræum, Chaldæum et Sep-

In pro *ad*, vel *insuper.*

tuaginta exponenda est, ut τὸ *in holocaustum* idem sit quod *ad holocaustum*, cum holocausto, ultra holocaustum; sic vulgo dicimus : Rex dedit vestes aureas filiæ suæ in dotem, id est ad dotem, id est ultra dotem, cum dote; nec enim vestes in dotem ipsam dari solent, et præpositio *in* sæpe sumitur pro *ad*, *cum*, etc. Forte etiam pro *in holocaustum*, legendum est *insuper holocaustum*, uti vult Abulensis, qui censet textum Latinum hic esse corruptum, vel mutilum vitio librariorum.

16. PHASE DOMINI ERIT, — festum paschæ erit. Vers. 16.

19. OFFERETISQUE INCENSUM HOLOCAUSTUM DOMINO. — Pro *incensum* hebraice est *ignitionem*, id est victimam quæ igne cremetur, fiatque holocaustum. Ex hoc versu patet, in festo paschæ, oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem unum, agnos septem cum suis libamentis, atque hircum unum pro peccato. Vers. 19.

22 et 23. UT EXPIETUR (ut fiat expiatio) PRO VOBIS, PRÆTER HOLOCAUSTUM MATUTINUM. — Intellige et vespertinum, sed illud non exprimitur, quia de eo non erat causa dubitandi, uti de matutino; hoc enim videri poterat omitti posse, quando mane eodem tam multa alia sacrificia immolabantur : unde Deus expresse jubet illud non omitti. Vers. 22 et 23.

24. IN FOMITEM IGNIS. — Hebraice, *ad panem*, vel cibum ignis, id est ad nutrimentum ignis. Vers. 24.

26. DIES ETIAM PRIMITIVORUM (in qua offerebant primas fruges maturas, id est panes ex primis frugibus, puta dies pentecostes, quæ celebratur expletis septem hebdomadibus, numeratis a secundo die azymorum) VENERABILIS ET SANCTA ERIT. Vers. 26.

27. OFFERETISQUE HOLOCAUSTUM. — Eædem victimæ jubentur hic offerri in festo Pentecostes, quæ jussæ sunt offerri in paschate, vers. 19. Vers. 27.

Nota has victimas esse alias ab iis de quibus *Levit.* XXIII, 18, ut ibi dixi.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus ut in festo Tubarum offerant vitulum unum, arietem unum, agnos septem. Secundo, vers. 7, eadem jubet offerri in festo Expiationis. Tertio, vers. 12, præscribit victimas in festo Tabernaculorum, per septem dies offerendas.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis : omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum. 2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem : 3. et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, 4. unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem : 5. et hircum pro peccato qui offertur in expiationem populi, 6. præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis; eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino. 7. Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras : omne opus servile non facietis in ea. 8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immacu-

latos septem : 9. et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, 10. decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem ; 11. et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum. 12. Quinta decima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis : omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus. 13. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, 14. et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim ; et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus; 15. et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim : 16. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus. 17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, 18. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : 19. et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. 20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : 21. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis ; 22. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. 23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : 24. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis ; 25. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. 26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : 27. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis : 28. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus, et libamine. 29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : 30. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis ; 31. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. 32. Die septimo offeretis vitulos septem, et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : 33. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis ; 34. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioque ejus et libamine. 35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis, 36. offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem : 37. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis ; 38. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. 39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

Vers. 1. 1. DIES CLANGORIS ET TUBARUM EST. — Festum Tubarum celebrabatur die primo mensis septimi; de hoc festo dixi *Levit.* XXIII, 24.

Vers. 3. 3. PER SINGULOS VITULOS, — id est per vitulum. Ita Hebræa. Unus enim tantum vitulus quotannis offerebatur in festo Tubarum, scilicet singulis annis singuli vituli ; et hoc voluit noster Interpres.

Vers. 6. 6. PRÆTER HOLOCAUSTUM CALENDARUM. — Festum enim Tubarum incidebat in calendas septimi mensis : unde in eo tam victimæ propriæ calendis, quam victimæ propriæ festo Tubarum, immolari debebant, post juge sacrificium agni, ut dixi cap. præced., vers. 10 ; unde idipsum hic repetitur et inculcatur in festo Expiationis, vers. 11, et in singulis diebus festi Tabernaculorum, ut patet vers. 16, 19, 22, 25, 28, 31, 34, 38.

Vers. 7. 7. DECIMA QUOQUE DIES MENSIS HUJUS SEPTIMI ERIT VOBIS SANCTA. — Illa enim erat festum Expiationis, de quo *Levit.* XXIII, 27.

Vers. 11. 11. ABSQUE HIS QUÆ OFFERRI PRO DELICTO SOLENT IN EXPIATIONEM. — Nam in die hoc expiationis expiabatur sacerdos, populus et tabernaculum per illationem sanguinis in Sanctum sanctorum ; ad hoc autem faciendum accipiebatur et immo-

labatur vitulus pro peccato, et aries in holocaustum. Rursum arietes duo, quorum alter erat emissarius, alter fiebat holocaustum, de quibus *Levit.* XVI. Illa ergo sacrificia præmittebantur ad expiationem, qua facta, ad honorem festi immolabantur holocausta hic præscripta, scilicet vitulus unus, aries unus, agni septem.

ET HOLOCAUSTUM SEMPITERNUM, — id est juge sacrificium.

CUM SACRIFICIO, — id est mincha, quod addi solet jugi sacrificio.

Vers. 12. 12. QUINTA DECIMA VERO DIE MENSIS SEPTIMI, QUÆ VOBIS SANCTA ERIT. — Erat enim tunc festum Tabernaculorum, quod per septem, imo per octo dies celebrabatur, de quo *Levit.* XXIII, 34. Unde hic præscribuntur victimæ singulis ejus diebus offerendæ, eæque pene eædem quolibet die, scilicet arietes duo, et agni quatuordecim, nisi quod primo die vituli tredecim, secundo vero duodecim, tertio undecim, et ita consequenter diminuendo semper offerebantur; die vero octavo, qui erat cœtus, sive collectæ, tantum offerebant vitulum unum, arietem unum, agnos septem, ut patet vers. 35.

Vers. 13. 13. DECIMAM DECIMÆ. — Unam decimam ephi, quod est decima cori, ut dixi cap. præcedenti, vers. 13 (1).

Vers. 35. 35. DIE OCTAVO, QUI EST CELEBERRIMUS. — Erat enim tunc festum Cœtus et Collectæ, ut dixi vers. 22; de quo plura dixi *Levit.* XXIII, 36.

Vers. 39. 39. HÆC OFFERETIS DOMINO IN SOLEMNITATIBUS VESTRIS, PRÆTER VOTA ET OBLATIONES SPONTANEAS IN HOLOCAUSTO, IN SACRIFICIO, IN LIBAMINE, ET IN HOSTIIS PACIFICIS, — *q. d.* Has victimas jam dictas in festis præcipio, præter ea quæ ex voto vel sponte offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est in mincha, in libamen et in hostias pacificas. Ubi nota: Libamen nunquam per se solum offerebatur, sed semper cum sacrificio; unde quando liberum et spontaneum erat sacrificium, liberum et spontaneum censebatur esse libamen.

(1) *Vitulos de armento*, id est matribus adhuc adhærentes. Cf. *Zach.* IX, 9.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit Deus ut pater filiæ, maritus uxoris votum irritare possit, si illi contradicat statim, id est primo die, quo illud rescivit, non autem si secundo die contradicat.

1. Narravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat; 2. et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus. 3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. 4. Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit: 5. quidquid pollicita et juravit, opere complebit; 6. sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater; et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. 7. Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento; 8. quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat; 9. sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus. 10. Vidua et repudiata quidquid voverint, reddent. 11. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit et juramento, 12. si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat; 13. sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit. 14. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat; 15. quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat atque promiserat, reddet, quia, statim ut audivit, tacuit; 16. sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. 17. Istæ

sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

Vers. 2. 2. AD PRINCIPES,—et ad totum populum, cujus potior pars erant principes; vel « ad principes, » ut scilicet eadem referrent ad populum quisque suum, seu suæ tribus.

ISTE EST SERMO QUEM PRÆCEPIT DOMINUS, — circa vota, ut sequitur. Est hic aposiopesis hebræa; Moses enim non enarrat hic suum cum Deo de votis colloquium, sed illud involvit cum hac enarratione sua ad populum, qua exsecutus est præceptum divinum. E contrario, cap. XXVIII et XXIX enarravit præcepta Domini, sed siluit se eadem retulisse populo; et tales aposiopeses familiares sunt S. Scripturæ et Hebræis.

Vers. 3. 3. SI QUIS VIRORUM VOTUM DOMINO VOVERIT, AUT SE CONSTRINXERIT JURAMENTO, — si videlicet suam promissionem et votum confirmarit juramento.

NON FACIET IRRITUM, — non violabit votum aut juramentum.

Vers. 4. 4. MULIER SI QUIPPIAM VOVERIT IN ÆTATE ADHUC PUELLARI. — Sub puella, intellige et puerum in ætate puerili; utriusque enim par est ratio. Ita Abulensis.

SI COGNOVERIT PATER VOTUM, etc., ET TACUERIT, VOTI REA ERIT, — voto erit obligata. Nota τὸ *si cognoverit*, quia, antequam pater cognosceret votum, illudque irritaret, tenebatur filia illud implere, si deliberate illud emiserat. Sub patre, etiam tutores intellige; hi enim, patre mortuo, quasi in jus et regimen paternum succedunt.

Si pater taceret, votum filiæ confirmabatur.

Nota *primo* : Si taceret pater, hoc ipso votum filiæ confirmabatur, quia consentire videtur is qui tacet in eo quo præjudicatur, vel subtrahitur aliquid suo juri et potestati, uti faciebat hic puella quæ per votum hoc patria potestate et libertate ex parte se subtrahebat; silentium tamen hoc patris, non tam ex lege naturæ quam ex lege Dei positiva, votum filiæ confirmabat, uti plenius dicam vers. ult.

Nota *secundo* : Votum in quod semel tacite consenserat pater, absolute fiebat ratum, unde non licebat patri illud postea irritare : si tamen puella quæ voverat, postea nuberet, licebat marito statim post contractum matrimonium, votum ejus irritare, æque ac si votum factum fuisset in matrimonio; alioqui enim marito, etiam invito et ignoranti; per hæc vota præcedentia, gravia onera potuissent injici, quæ ipse amplecti et subire non tenebatur. Ita Abulensis, *Quæst.* XXXV.

Vers. 6. 6. SIN AUTEM, STATIM UT AUDIERIT, CONTRADIXERIT. — Hebraice, *si, statim ut audierit, irritarit,* dissolverit, vel fregerit votum; *statim* intellige, non eodem instanti, sed moraliter, scilicet eodem die; nam sequenti die contradicere non poterat, ut dicitur vers. 15.

Vers. 7. 7. SI MARITUM HABUERIT ET VOVERIT. — Judæi per « maritum » intelligunt sponsum cui puella desponsata est, ut distinguatur hic casus a casu vers. 11; ibi enim agit de marito cui puella tradita est, hic vero de eo cui tantum desponsata est et promissa. Verum maritum tam hic, quam vers. 11, accipiendum esse, non sponsum, patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, qui habent, *si fuerit viro.* Hæc enim phrasis apud Hebræos significat nuptam et viro traditam : quare, si quæ sit distinctio inter causam hujus versus et vers. 11, dixerim potius hic agi de nupta, quæ agit cum marito in domo patris sui, ut doceat hujus voti irritationem ad maritum, non ad patrem (esto in ejus domo degat) spectare; vers. vero 11, agi de nupta quæ habitat extra domum patris, in domo mariti, ut ibi exprimitur. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LIX.

Sic et votum uxorum confirmabatur, si maritus illud audiens taceret.

Vers. 9. 9. PROPITIUS ERIT EI DOMINUS. — Dominus non indignabitur uxori, si non servet votum a marito irritatum.

Vers. 11. 11. CUM SE VOTO CONSTRINXERIT ET JURAMENTO. — « Et » pro *aut* hic capitur; in Hebræo enim est *aut*.

Vers. 14. 14. SI VOVERIT ET JURAMENTO SE CONSTRINXERIT, UT PER JEJUNIUM, VEL CÆTERARUM REARUM ABSTINENTIAM, AFFLIGAT ANIMAM SUAM. — Descendit hic Deus a thesi ad hypothesin, seu ad exemplum usitatissimum, ex quo de reliquis omnibus votis peregrinationis, orationis, eleemosynarum, pœnitentiarum, etc., simile judicium sumendum relinquit. Nam de quibuslibet votis hic agi, non autem de votis abstinentiæ, tantum patet ex vers. 1, 5, 8, 10, 12. S. Augustinus tamen, *Quæst.* LIX, censet hic tantum agi de votis abstinentiæ a cibis, non concubitu. Verum quod dixi verius videtur; verba enim Scripturæ versibus jam citatis generalia sunt : unde quælibet vota comprehendere videntur.

Vers. 16. 16. SIN AUTEM CONTRADIXERIT, POSTQUAM RESCIVIT, PORTABIT IPSE INIQUITATEM EJUS. — Septuaginta pro *postquam rescivit,* habent, *post diem in qua audivit,* ut sensus sit, *q. d.* Maritus debet primo die quo rescit votum uxoris, contradicere, si velit illud irritare : si tamen primo die taceat et differat, itaque tacite consentiat, sed sequenti die consensum revocet et contradicat, uxor a voto excusatur, quia maritus illud irritat; peccat tamen maritus contra legem hanc, consensum suum revocans : unde hujus voti non impleti culpam et pœnam portabit ipse, non uxor. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LVI, Abulensis, Rabanus, Lyranus, Oleaster, Cajetanus, probantque ex eo quia, si maritus primo die contradixisset, itaque irritasset uxoris votum, nulla iniquitas fuisset ipsi vel uxori portanda; usus enim fuisset ipse rite jure suo. Ergo cum hic dicatur quod contradicendo portabit iniquitatem ejus, ita ut ipse peccet, non

An pater, vel maritus secundo die contradicens irritabat votum filiæ, vel uxoris?

Affirmat S. Augustinus

uxor, quæ votum cui ille contradicit, non servat: sequitur contradictionem ejus quidem esse validam, votumque uxoris irritare; sed tamen eam perperam ab eo fieri, quia scilicet fit contra legem secundo die, cum primo die fieri debuisset; ideoque dicitur ipse portaturus iniquitatem ejus.

Negant alii, et verius.

Verum, τὸ *post diem* non est in Hebræo, Chaldæo et Nostro, videturque hoc loco impertinens, imo incidere et enervare æquam et directam antithesin. Nam hoc versu idem plane dicit et sancit Deus, cum eo quod sanxit vers. 5, 8, 12, 15 (tantum enim hoc vers. dat exemplum dictorum, uti dixi vers. præced.), videlicet uxorem liberam esse a voto abstinentiæ, si ei statim eodem die quo illud rescivit, maritus contradicat; sin taceat, statim votum ipsum confirmari, ita ut sequenti die contradicere, votumque irritare non possit. Id enim plane convincit antithesis hujus versus cum præcedenti, hocque fuisse veteris juris in ista lege, versus citati plane significant. Secus est in lege nova; in ea enim probabile est parentem et maritum posse revocare consensum antea datum, itaque irritare votum filiæ vel uxoris, in quod semel consensit, licet irritando peccet, si temere id faciat, uti docte docet noster Lessius, tract. *De voto*, dubit. 13.

In lege nova pater potest revocare consensum.

Dices : Si maritus irritat votum uxoris, statim eodem die quo illud cognovit, rite facit, utitur enim jure suo : quænam ergo iniquitas est illi portanda, ut hic dicitur?

Respondeo : Licet maritus utatur jure suo, potest tamen peccare in ipsa irritatione voti, si videlicet sine causa in re pia consensum neget, votumque irritet; præsertim si ex zelotypia, concupiscentia, avaritia aliove vitio, nolit uxorem servare votum levis et brevis alicujus, verbi gratia, abstinentiæ, orationis, eleemosynæ, etc. Et tunc ipse hujus irritationis culpam, quanta quanta est, portabit.

PORTABIT IPSE INIQUITATEM EJUS. — « Ejus, » scilicet uxoris, patet ex Hebræo, quia videlicet culpam hujus voti uxoris suæ non adimpleti, si quæ sit, quæ alias in uxorem recidisset, ipse in se transcripsit, dum illud sine causa et inique irritavit. Hujus enim voti uxoris temere irritati, reatum et pœnam feret, non uxor, sed maritus irritans.

Hæc dicit Deus, ad solatium uxoris, utque scrupulos ei eximat. Solent enim feminæ in vota pronæ de iis anxiæ esse et sollicitæ, ut illa adimpleant; nec sibi satisfaciunt, esto a malis irritentur. Jubet ergo hic eas esse securas, docetque culpam, si quæ sit in hac re, esse mariti, non uxoris.

17. VEL QUÆ MANET IN PARENTIS DOMO, — quæ necdum est emancipata, aut viro tradita, sed puella est innupta, etiamsi grandæva. Omnium enim harum vota quælibet irritare poterat maritus, idque licite si statim eodem die contradiceret. Vers. 17.

Hinc patet has leges de votis, eorumque irritatione, non esse undequaque legis et juris naturæ, uti nonnullis visum fuit; sed ex parte esse positivas, scilicet cæremoniales, vel judiciales legis veteris, quæ jam est abolita. Nam lex naturæ non dictat patrem posse filiarum puberum et grandævarum vota omnia, præsertim illa, quæ patriæ potestati non præjudicant, irritare : alioqui enim id etiam in lege nova locum haberet. Hoc autem est falsum. *Secundo*, lex naturæ non dictat, solo silentio parentis, vel mariti, votum filiæ vel uxoris plane confirmari. *Tertio*, lex naturæ non jubet ut parens, vel maritus voto statim contradicat, si illud irritare cogitet; potest enim requirere tempus ad deliberandum. Sanxit ergo hæc ita Deus in lege veteri, ne populus ille crassus suorum pia vota nimis facile quavis de causa impediret, aut retractaret.

Hæ leges de votis juris sunt, non tam naturæ, quam positivi veteris.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jussu Dei cæduntur Madianitæ, scilicet omnes masculi, et omnes feminæ corruptæ : solæ virgines reservantur. Secundo, vers. 19, jubet Deus tam prædam, quam milites, utpote a cæde et a morticinis redeuntes, purificari. Tertio, vers. 25, jubet dimidium prædæ dividi inter milites, ita tamen ut ipsi ex ea unum animal ex quingentis dent Eleazaro, et sacerdotibus : alterum vero dimidium jubet dividi inter eos, qui in castris remanserant, ita tamen ut ipsi ex eo quinquagesimum animal dent Levitis. Quarto, vers. 48, singuli omne aurum, quod rapuerant, obtulerunt Deo, eo quod nullus Hebræorum in prælio cecidisset.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Ulciscere prius filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum. 3. Statimque Moyses : Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis; 4. mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum. 5. Dederuntque millenos de

singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam; 6. quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei. 7. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, 8. et reges eorum, Evi et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 9. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant, depopulati sunt: 10. tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit. 11. Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus, quam ex jumentis, 12. et adduxerunt ad Moysen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel; reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho. 13. Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. 14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis et centurionibus qui venerant de bello, 15. ait: Cur feminas reservastis? 16. Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus? 17. Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate; 18. puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis; 19. et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo. 20. Et de omni præda sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur. 21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi: 22. Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum, 23. et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur; quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur: 24. et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis. 25. Dixit quoque Dominus ad Moysen: 26. Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et princeps vulgi; 27. dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem; 28. et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus et asinis et ovibus; 29. et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. 30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. 31. Feceruntque Moyses et Eleazar, sicut præceperat Dominus. 32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat ovium sexcenta septuaginta quinque millia, 33. boum septuaginta duo millia, 34. asinorum sexaginta millia et mille: 35. animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia. 36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant ovium trecenta triginta septem millia quingentæ; 37. et quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque. 38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo, 39. de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus. 40. De animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ. 41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, 42. ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant. 43. De media vero parte quæ contingerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis, 44. et de bobus triginta sex millibus, 45. et de asinis triginta millibus quingentis, 46. et de hominibus sedecim millibus, 47. tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat

Dominus. 48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, et tribuni, centurionesque, dixerunt: 49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra; et ne unus quidem defuit. 50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, et armillas, annulos et dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum. 51. Susceperuntque Moyses et Eleazar sacerdos, omne aurum in diversis speciebus, 52. pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos, a tribunis et centurionibus. 53. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. 54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israel coram Domino.

Vers. 2. 2. ULCISCERE FILIOS ISRAEL DE MADIANITIS, — quia ipsi provocarunt Israelitas, prostituendo eis filias suas, ad fornicationem et ad idololatriam Beelphegor, idque ea mente et scopo, ut eos postea, utpote a me desertos, invaderent et cæderent, uti dixi cap. XXV initio.

Vers. 3. 3. QUI POSSINT ULTIONEM DOMINI EXPETERE DE MADIANITIS. — *Ultio* hæc dicitur *Domini, primo*, quia fiet a Domino vos adjuvante, et ante vos pugnante, ac prosternente Madianitas: ita Septuaginta. *Secundo, ultio Domini* erit ea, qua ulciscemini injuriam populo Domini, et per consequens ipsi Domino, a Madianitis illatam. Ita Chaldæus.

Vers. 5 et 6. 5 et 6. DUODECIM MILLIA, etc., MISIT CUM PHINEES (quia Phinees animosissime impedivit hoc scelus et scandalum Beelphegor, occidendo Madianitidem, cap. XXV, vers. 7), VASA QUOQUE SANCTA, ET TUBAS (de quibus cap. X, 2) AD CLANGENDUM TRADIDIT EI (1). — « Vasa sancta » erant arca cum tabulis legis, Cherubim et propitiatorio; hæc enim secum deferebant Judæi euntes ad bellum, ut scilicet ita quasi Deum, propitiatorio insidentem, secum deveherent, qui castra hostium sua præsentia dissiparet et protereret. Hæc ergo cum tubis tradita sunt Phinees sacerdoti, id est curæ ejus commissa sunt. Phinees enim profectus est ad hoc bellum, non tam ut dux esset belli, quam ut sacerdos sacris præesset.

Discant hic duces in castris probos habere sacerdotes, qui pietatem promoveant, Dei offensas et peccata cohibeant. Discant et milites sacra sacrosque, ac Deum revereri: Deus enim est qui dat victoriam. Hodie non raro aliter agitur; hinc clades et lacrymæ. Audi Petrum Blesensem, *epist.* 94: « Olim, ait, se juramento milites obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent: sed et hodie tirones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ. Porro in contrarium res versa est; nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, et desæviunt in patrimonium Christi: spoliant et deprædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus, et extraordinarias impleant voluntates. » Addit *secundo*: « Qui contra inimicos crucis vires suas exerere debuerant, in potibus et ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen et officium militiæ dehonestant. Hi laudant in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum sint in prætoriis leones, in præliis lepores. » Addit *tertio*: « Ordo militum nunc est, ordinem non tenere; nam cujus os malorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur: iste hodie in cœtu militum fortior et nominatior reputatur. » Isti sunt galeati lepores, qui fortes sunt ad furandum, potandum, constuprandum, abigendum pecora amicorum; sed in quibus in acie nulla est vis, nec in victoria decus, nec in fuga flagitium: exercitus lingua quam manu promptior, prædator et sociis, et ipse hostium præda.

Morali-ter de militum impietate.

Allegorice, vasa hæc et Cherubim sunt angeli sancti, qui cum viris piis et probis certant contra dæmones et peccata, eosque animant et adjuvant. Tubæ sunt prædicatorum divinorum sermones et cohortationes. Phinees est Christus, qui hujus belli dux est et director. Ita Cyrillus, lib. IV *De Adoratione*. Allegorice.

Rursum arca continens manna, id est Christum, est B. Virgo, quæ victoriam contra homines et dæmones largitur. Refert Theophanes, Anastasius et Cedrenus, atque ex iis Baronius anno Christi 625, Heraclium Imperatorem superasse Chosroem regem Persarum ope B. Virginis, qua factum est ut grando miræ magnitudinis Persas contriverit. Arca est B. Virgo victoriæ mater. Exempla.

Anno Domini 886, Basilius imperator Saracenorum Principem, qui Christum ejusque matrem subsannaverat, invocans B. Virginem bello superavit, ut refert Curopalatus, et ex eo Baronius.

Joannes Zemisca Imperator Græcorum Bulgaros, Rossos, etc., superavit ope B. Virginis, quæ misit S. Theodorum martyrem, qui visus est equo albo insidens in prima acie pro Romanis pugnare, et hostium vires infringere; unde Zemisca in ejus honorem templum ædificavit.

Pelagius, princeps Asturum, ope B. Virginis cum

(1) Pro *et dederunt* vers. 5, in hebr. est, *et delecti sunt*. Ita reddunt Onkelos, Syrus et Saadias.

paucis Gothos superavit; tela enim hostium in ipsosmet retorta sunt vi divina, ita ut Alchamam eorum dux cum viginti millibus cæsus sit. Inde cœperunt Hispani regnum a Gothis occupatum recuperare. Exstat adhuc spelunca in qua cum suis latuit Pelagius, B. Virgini dicata, dictaque S. Maria de Covadunga : ita Tudensis, Rodericus, et ex iis Baronius, anno Christi 718.

Narses Magnus, B. Virginis cliens et cultor, sub Justiniano Imperatore ope Virginis miras et crebras contra Totilam et Gothos obtinuit victorias; solebat enim B. Virgo ei apparere, et quando prælium ineundum esset præcipere : quare ipse in aciem non descendebat, nisi ab ea tempus opportunum cognovisset, uti refert Procopius, Evagrius, et ex iis Baronius, anno Christi 568.

Stephanus Hungarorum rex, iturus contra hostes, supplex opem B. Virginis implorabat, dicens : « Si placet tibi, o Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devastari, et novellam Christianismi plantationem dissipari, ne, quæso, sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commisit culpa pastoris, ipse luat : oves, quæso, insontes ne patiaris affligi. » Uti refert Antonius Bonfinius, lib. I *De Rebus Hungar.* dec. 2.

Nota est celebris victoria Joannis Austriaci, quam ipse a Turcis retulit ope B. Virginis : unde ejus memoriam quotannis recolunt fideles, vocantque festum S. Mariæ de Victoria, quod celebrant sub initium octobris. Contigit illa anno Domini 1571, in mari Corinthiaco.

Vers. 7. 7. CUMQUE PUGNASSENT CONTRA MADIANITAS, ATQUE VICISSENT, OMNES MARES OCCIDERUNT, — qui scilicet erant in Madian : nam aliquos, audito belli instantis rumore, ex Madian in vicina loca fugisse patet, ex eo quod ipsi restituerint gentem Madian, quæ postea Judæis fuit infesta, maxime tempore Gedeonis. Ita Abulensis.

Vers. 8. 8. ET REGES EORUM, EVI, ET RECEM, ET SUR, ET HUR, ET REBE, — hi sunt quinque reges, id est, principes Madian, e quibus Sur pater fuit Madianitidis, quam occidit Phinees, cap. XXV, vers. 18.

Balaam occiditur. BALAAM QUOQUE FILIUM BEOR INTERFECERUNT GLADIO. — Hinc patet Balaam a Balac, rege Moab, transisse in Madian, ibique similia contra Hebræos machinatum esse, atque fecerat in Moab : ideoque jure ab Hebræis in Madian cum aliis cæsum esse.

Vers. 13. 13. EGRESSI SUNT AUTEM MOYSES ET ELEAZAR, — ad congratulandum victoribus, ex Madian redeuntibus.

Vers. 16. 16. QUÆ PRÆVARICARI VOS FECERUNT IN DOMINO, SUPER (in) PECCATO PHOGOR. — « Phogor » est Beelphegor, ut dixi cap. XXV, vers. 3.

Vers. 17. 17. ERGO CUNCTOS INTERFICITE, QUIDQUID EST GENERIS MASCULINI, ETIAM IN PARVULIS. — Fuit hoc

Parvuli Madian occiduntur. Cur? proprium in isto bello, quod parvuli jussu Dei (qui necis vitæque omnium est dominus) et Moysis sint occisi. Id factum est, *primo*, ob crimi-

nis a Madianitis contra Hebræos admissi, enormitatem et detestationem; *secundo*, ne parvuli, cum adolevissent, parentum suorum necem ulciscerentur.

Nota : Per judicem et potestatem humanam, non possunt occidi parvuli innocentes, propter peccatum parentum; possunt tamen occidi per jus et potestatem Dei, tum quia ipse transcendens in omnia, ac consequenter in vitam omnium habet dominium; tum quia parvuli, omnesque homines, ob peccatum originale, rei sunt mortis : illam ergo Deus eis, vel cito, vel serius, sive hoc modo, sive alio pro libito inferre potest. Ita Abulensis in capite XXIV *Deut.*, Quæst. V.

Vers. 17 et 18. 17 et 18. ET MULIERES QUÆ NOVERUNT VIROS IN COITU, JUGULATE : PUELLAS AUTEM, ET OMNES FEMINAS VIRGINES RESERVATE. — Nota : Madianitides a viris cognitæ occidi jubentur, quia per tales decepti fuerant Hebræi fornicando cum illis, rursumque per eas decipi potuissent. Ita Theodorus, *Quæst.* XLIX. Virgines vero ab hoc crimine fuerant immunes : unde eas reservarunt Hebræi, vel ad hoc, ut eas venderent, vel ut eis quasi ancillis uterentur.

Mulieres occisæ, non virgines, cur?

Quomodo agnitæ virgines?

Potuerunt autem virgines a corruptis dignosci : *primo*, per inspectionem matronarum, maxime obstetricum; quæ inspectio etiam in lege nova est recepta, ut patet cap. *Fraternitatis*, extrav. *De frigidis*. *Secundo*, per revelationem Dei, corruptas Mosi indicantis et designantis. Addit Abulensis tres alios modos, scilicet per gagatem gemmam : nam qui eam bibit, si non sit virgo, cogitur reddere urinam. *Secundo*, ex inspectione urinæ : hæc enim in virginibus clara est et lucida, in corruptis turbida. *Tertio*, per inspectionem horoscopi et constellationum cœli. Sed hic tertius modus, licet eum non improbet Abulensis hoc loco, alibi tamen eumdem refutat; est enim superstitiosus : duo priores modi obscuri sunt et incerti. De gagate tamen idem affirmat Anselmus Boetius medicus et gemmarius Rodulphi II Imperatoris, lib. II *De Gemmis*, cap. CLXV : « Virginitatem, ait, prodit non solum suffitu, sed potatu. Nam si pulverem bibat virgo, non urinabit : si corrupta sit, urinam retinere non poterit, multorum testimonio. » Idem asserit Camillus Leonardus Pisaurensis medicus, tract. *De Lapidibus*, in *Gagate*.

Abulensis tres alios dat modos.

Vers. 19. 19. QUI OCCIDERIT HOMINEM, VEL OCCISUM TETIGERIT, LUSTRABITUR DIE TERTIO, ET SEPTIMO : — juxta legem de eo qui tangit cadaver, latam *Numer.* cap. XIX, 14.

Vers. 20. 20. ET DE OMNI PRÆDA, SIVE VESTIMENTUM FUERIT, SIVE VAS, etc. EXPIABITUR, — scilicet per ignem, si id fieri possit, videlicet si vas aut vestis ignem ferat : sin autem, expiabitur per aquas lustrationis, ex cinere vitulæ rufæ confectas, de quibus cap. XIX, 2 et 12, idque die tertio et septimo, uti explicatur vers. seqq.

Nota : Hæc supellex Madianitarum debebat

expiari, quia legaliter erat immunda, ex contactu mortuorum, juxta legem *Num.* XIX, 14, et *Lev.* XI, 32, quia scilicet quædam ex hisce vasis et rebus erant in tabernaculis morientium; multa etiam ex ipsis contigerant ipsos morientes, sicut vestes mortuorum : quod si quid esset in tanta magnitudine prædæ, in quod neutrum horum competeret, quod proinde non esset immundum, id tamen, propter dubium, purificari debebat; de omnibus enim præsumebatur, quod essent immunda, ob tot occisorum sparsa ubique cadavera. Ita Abulensis.

Vers. 21. 31. HOC EST PRÆCEPTUM LEGIS, QUOD MANDAVIT DOMINUS MOYSI. — Hoc præceptum hucusque scriptum non vidimus. Illud ergo hic, vel alias, viva voce Deus Mosi tradidit. Solebat enim Deus Mosi omnia sua jussa edicere et commendare, ut ipse eadem postea ad sacerdotes, et ad populum referret. Ita Abulensis.

Vers. 23. 23. ET OMNE QUOD POTEST TRANSIRE PER FLAMMAS, IGNE PURGABITUR. — Hebræa, Chaldæa et Septuaginta addunt, *et aqua lustrationis expiabitur*, quasi præter ignem, debuerit hoc vas aspergi et lustrari aqua cinerali vitulæ rufæ (1).

Vers. 27. 27. DIVIDESQUE EX ÆQUO PRÆDAM, INTER EOS QUI PUGNAVERUNT, etc., ET INTER OMNEM RELIQUAM MULTITUDINEM. — Nota : Non Moses, non Phinees dux belli, potiorem prædæ partem sibi usurpant, sed ea tota inter milites dividitur : « Decet » enim « duces gloriam, milites pecuniam e victoria efferre, » ait Cato. Unde Scipio, cum, capta Carthagine, aliisque urbibus, milites magis quam ullus imperator locupletasset, moriens ex tot victoriis et opibus, non nisi triginta tria argenti, duo auri pondo reliquit, ait Plutarchus.

Nota *secundo*, quod ait, « divides ex æquo, » intelligendum esse, non ita ut tantum cedat iis, qui in castris manserunt, et longius a belli alea et periculo abfuerunt, quantum militibus, qui suo periculo et labore victoriam pepererunt : sed ita ut tantum habeant omnes qui in castris manserunt, simul sumpti, quantum habent pauci illi qui depugnarunt, ut scilicet medietas una prædæ cedat militibus, qui pugnarunt; altera medietas cedat reliquis, qui in castris manserunt. Quare ex hac medietate, singuli in castris remanentes, utpote qui in maximo erant numero, longe minus habuerunt, quam ex sua mediate habuerint milites, qui pugnarunt : hi enim numero erant longe pauciores, ac proinde longe amplius ex sua prædæ medietate, singuli participarunt. Porro, ex utraque medietate, quædam oblata sunt Domino, id est sacerdotibus et Levitis, ut sequitur.

(1) Vers. 24. Hujusmodi ablutionem et per aquam fluentem expiationem post reditum ex bello apud barbaras quoque gentes invenimus. Sic *Æneid.* II, 718 :

> Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
> Me, bello et tanto egressum et cæde recenti,
> Adtrectare nefas, donec me flumine vivo
> Abluero.

Dices : Lex bellica est ut æqua sit sors eunti ad bellum, et manenti ad sarcinas, ut dicitur I *Reg.* XXX, 24. Æqua sors euntis ad bellum et manentis ad sarcinas, quando?

Respondeo : Hæc lex posterius a Davide sancita est, ut ibidem dicitur. *Secundo*, hæc lex hic non habet locum; intelligitur enim de iis et eo casu, quo utrique æque belli aleam et periculum subeunt, ut cum v. g. una pars fortior et numerosior vadit ad prælium, altera debilior et minoris (ut solet) numeri, tuetur sarcinas. Tunc enim tam hæc, quam illa periculum adit, et hostis insultum exspectare et sustinere debet. Hic vero soli pauci qui ibant ad prælium, subibant periculum. Nam reliqui omnes in castris manentes, cum maximo essent numero, non timebant hostem tam exiguum, ac consequenter nullum adibant periculum. Ita Abulensis.

28. SEPARABIS PARTEM DOMINO. — Jubet hic Deus, *primo*, ut milites ex sua medietate prædæ, dent sibi, id est, Eleazaro et sacerdotibus, unam animam, id est, unum animal de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus, asinis et ovibus. Unde ex hac parte, ex præda hac cesserunt sacerdotibus oves 675, boves 72, asini 61, virgines 32, ut patet vers. 37. Vers. 28. Pars prædæ jubetur dari Deo, id est sacerdotibus.

Secundo, ut Israelitæ, qui in castris manserant, ex sua medietate, unum animal de quinquaginta dent Levitis.

29. DABIS EAM ELEAZARO, — ut scilicet inde partem distribuat Ithamar, et aliis minoribus sacerdotibus. Hi enim non minus quam Levitæ prædæ participes esse debent; reliquum vero sibi, tanquam pontifici servet. Simile videmus cap. XVIII, vers. 28. Vers. 29.

PRIMITIÆ, — id est oblatio; hebraice enim est *theruma*.

49 et 50. NE UNUS QUIDEM DEFUIT (cecidit in pugna) : OB HANC CAUSAM OFFERIMUS IN (pro) DONARIIS DOMINI SINGULI, QUOD IN PRÆDA AURI POTUIMUS INVENIRE. — Ecce hic singuli totum aurum, aureaque vasa, quæ rapuerant, Deo offerunt. Causa sequitur (2). Vers. 49 et 50. Omne aurum dant Deo, idque sponte.

50. UT DEPRECERIS. — Hæc secundaria et accessoria erat causa oblationis auri; primaria enim erat, ut ostenderent se esse gratos Deo, qui illis hanc victoriam dederat plane incruentam. Ita quævis gentes victoriam Deo acceptam tulerunt, Vers. 50.

(2) Juxta Rosenmullerum ad h. l., quinque ornamenta hic enumerata sunt : 1. Armilla : conf. II *Sam.* cap. I, 10. 2. Armilla virginis : conf. *Gen.* XXIV, 22. 3. Ornamentum manus, v. g. annulus : conf. *Gen.* XLI, 42; *Esther.* III, 10. 4. Inauris rotundus. 5. Genus ornamenti muliebris habens continuos globulos, quale ornamentum Romani vocabant *bullas*, et Virgilius *baccatum monile*. Sed præplacet de Saulcy, qui horum ornamentorum primum, scilicet אצעדה, non interpretatur *armilla*. *Etseada*, ait, e rad. צעד *incessit*, est annulus capacior, qualem hodienum mulierculæ in Syria circa pedum malleolos gestant. Male ergo Cohen gall. vertit *jarretières*, nam orientales hos populos tibialibus non usos fuisse, omnes norunt.

ideoque hostium manubias, vel arma diis suis dedicarunt.

Anathemata victorum. Aristomenes in ea pugna quam contra Lacones feliciter gessit, partaque victoria cum Delphos venisset, scutum quod in prælio amiserat ibidem reperit, ac rursus eodem in templo dedicavit. Hoc scutum vidisse se scribit Pausanias in *Messenicis*.

Leocritus Atheniensis, cum Piræeum oppidum cum suis primus oppugnasset, et simul expugnasset, clypeum suum solemni ritu Jovi Liberatori dedicavit, cum inscriptione nominis et præclari facinoris. Ita Pausanias, libro I.

Philistini arma Saulis regis a se interfecti, in æde Astaroth suspenderunt, I *Reg.* XXXI, 10.

Vexilla quæ a devictis Cremonensibus Brixiani reportarunt, in cathedrali ipsorum ecclesia in perpetuam rei memoriam suspensa leguntur apud Bergomensem, lib. XII.

Angli calcaria aurata Francorum in Cortracensi prælio cæsorum, Cortraci in templo suspendere. Ita Æmilianus, lib. IX.

Phocas Imperator, Tarso et Mopsuestia urbibus Agarenorum captis, Constantinopolim reversus portas earum secum duxit, Deoque quasi suæ expeditionis primitias tribuens, S. Sophiæ templo dedicavit.

Joannes Columna Cardinalis, ab Honorio Pontifice Christiani exercitus et ingentis classis legatus, in Ægypto Heliopolim validissimam urbem expugnavit, et victor ex ancipiti prælio sacratum Romam trophæum detulit, columnam scilicet in qua Christus deligatus et flagris cæsus fuit, quam in sanctæ Praxedis templo Deo, in spolium pretio omni pretiosius, erexit. Ita P. Jovius in Pompa Columnæ.

David gladium Goliath, quo ipsummet capite truncavit, Deo dedicavit, eumque in Dei tabernaculo suspendit, I *Reg.* XXI, 9.

Denique, Titus Imperator admiratus munitiones Hierosolymæ, vidensque eas a se superatas, dixit : « Plane Deo adjuvante pugnavimus, » ait Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XVI ; quin et coronari noluit, dicens Deo victoriæ hujus coronam deberi. Audi Philostratum, lib. VI *De Vita Apollonii* : « Finitimæ gentes ob victoriam coronare ipsum voluerunt; ille vero se tali honore indignum esse respondit : non enim se talium operum auctorem, sed Deo contra Judæos iracundiam demonstranti manus suas præbuisse. »

Vers. 51. 51. OMNE AURUM IN DIVERSIS SPECIEBUS, — id est, omne aurum in diversas vasorum species conflatum. Ita Hebræa, Chaldæa, Septuaginta.

Vers. 52. 52. PONDO SEDECIM MILLIA. — To *pondo* non est in Hebræo ; ex quo patet, *pondo* hic non significare libram, sed pondus, scilicet siclorum, *q. d.* Ex præda oblata fuerunt in auro ad pondus sedecim millia siclorum, et 750 sicli, hoc est universim auri libræ 697, et 22 sicli. Ita Hebræa.

Vers. 53. 53. UNUSQUISQUE ENIM QUOD IN PRÆDA RAPUERAT, SUUM ERAT. — Intellige de auro, et similibus quæ rapi et tegi poterant ; nam alia grandiora, ut homines et pecora, in commune collata sunt, et ex æquo divisa, ut dictum est vers. 25 (1).

Vers. 54. 54. INTULERUNT IN TABERNACULUM (quod erat) CORAM DOMINO, — puta coram arca, Cherubim et propitiatorio.

Causæ duodecim justi belli. Lyranus hoc capite duodecim causas recenset, ob quas juste motum fuisse bellum in Scriptura legimus. *Prima* est, si bellum geratur contra terram in qua Deus blasphematur per idololatriam, ut habetur *Deut.* XII, 2 : « Subvertite omnia loca in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri estis, deos suos. » *Secunda*, si a Dei cultu recedatur, *Deut.* XIII, 12 : « Si audieris in una urbium tuarum dicentes aliquos, » etc. *Tertia*, si fidelitas temporalis Domini deseratur, ut patet IV *Reg.* III, de Joram et Josaphat, qui moverunt bellum contra regem Moab. *Quarta*, si rebellio moveatur ; ita David II *Reg.* XX persecutus est Sebam filium Bochri. *Quinta*, si malefactor defendatur, ut patet *Judic.* XX, de bello moto contra Gabaa. *Sexta*, si injuria publica principi irrogetur, ut patet II *Reg.* X, de bello David contra regem Ammon, qui fecit radi barbas nuntiorum David in contemptum ejus. *Septima*, si propria res repetatur, ut patet II *Reg.* III, de bello David contra Isboseth, ad repetendum regnum quod ei datum erat a Deo. *Octava*, ut hostis repellatur, ut patet II *Reg.* VIII, de bello David contra Philistæos. *Nona*, ut hostis insurgens in suis propriis oppugnetur, ut patet *Num.* XXI, de bello filiorum Israel contra Sehon et contra Og reges Amorrhæorum. *Decima*, contra illum, per quem hostis roboratur, ut patet II *Reg.* VIII, de bello David contra Syriam Damasci, eo quod ferebat auxilium Adarezer. *Undecima*, ut amicus ab hostibus eripiatur, ut patet *Gen.* XIV, de bello Abraham contra reges, qui captivaverant Lot nepotem suum. *Duodecima*, si tyrannis a præsidente exerceatur, ut patet lib. I *Machabæorum*, de bello Machabæorum contra Antiochum illustrem. Hactenus Lyranus.

(1) Ex hebr. verti potest, ***viri exercitus vero***, id est milites, scil. gregarii (opponuntur enim præfectis, de quibus antea), *prædati sunt quisque sibi*, seu prædam non tradiderunt præfectis, sed sibi eam retinuerunt. Alii connectunt hoc cum iis, quæ præcedunt, hoc sensu, quos, scil. siclos vers. 52, milites quisque sibi prædati sunt.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rubenitæ et Gadditæ, pecoribus abundantes, petunt in sortem sibi dari terram Galaad, utpote compascuam; objurgat eos Moses, sed sincera eorum mente cognita, acquiescit, eisque tradit Galaaditem; sed ea lege, ut ipsi armati cæteras tribus præeant, easque in Chanaan inducant.

1. Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et Galaad aptas animalibus alendis terras, 2. venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt: 3. Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon, 4. terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium: et nos servi tui habemus jumenta plurima; 5. precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem. 6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? 7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? 8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram? 9. Cumque venissent usque ad vallem Botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. 10. Qui iratus juravit, dicens: 11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, terram quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac et Jacob; et noluerunt sequi me, 12. præter Caleb filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam. 13. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. 14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel. 15. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium. 16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas; 17. nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. 18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam: 19. nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga. 20. Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam; 21. et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos, 22. et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. 23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. 24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas et stabula ovibus ac jumentis: et quod polliciti estis implete. 25. Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet Dominus noster. 26. Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad; 27. nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris. 28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos: 29. Si transierint filii Gad et filii

Ruben vobiscum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta, date eis Galaad in possessionem. 30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. 31. Responderuntque filii Gad, et filii Ruben : Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus ; 32. ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem. 33. Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph regnum Sehon regis Amorrhæi, et regnum Og regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum. 34. Igitur exstruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer, 35. et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa, 36. et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis. 37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaim, 38. et Nabo, et Baalmeon, versis nominibus, Sabama quoque, imponentes vocabula urbibus quas exstruxerant. 39. Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus. 40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. 41. Jair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, id est, Villas Jair. 42. Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis ; vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. FILII AUTEM RUBEN ET GAD HABEBANT PECORA MULTA, etc., CUMQUE VIDISSENT JAZER ET GALAAD, APTAS ANIMALIBUS ALENDIS TERRAS, VENERUNT AD MOYSEN, — ut eas sibi in sortem et hæreditatem dari postularent. Erant hæ terræ Jazer et Galaad, cis Jordanem, in terra, quam Sehon et Og regibus Amorrhæorum ademerant Hebræi, cap. XXI, vers. 24. Horum ergo terram, utpote compascuam, postulant Rubenitæ et Gadditæ, pecoribus abundantes, illisque cum dimidia tribu Manasse, eam possidendam tradidit Moses.

Tropologice S. Gregorius, XXVII *Moral.* cap. X : « Quos multa, ait, mundi implicamenta occupant, hi Jordanem transire nolunt : quia habitationem cœlestis patriæ non requirunt. » Vide apud eum cætera.

Vers. 4. 4. HABEMUS JUMENTA (id est pecora) PLURIMA.

Vers. 6. 6, 7, 8 et 9. QUIBUS RESPONDIT MOYSES (putans eos ex timore Chananæorum, et bellorum cum eis ineundorum, nolle pergere trans Jordanem in Chanaan) : CUR SUBVERTITIS MENTES FILIORUM ISRAEL, NE TRANSIRE AUDEANT, etc.? NONNE ITA EGERUNT PATRES VESTRI? etc. SUBVERTERUNT (id est, averterunt, fregerunt, dissolverunt (Hebræum enim הניאו *heni*, significat frangere, avertere, dissolvere, irritare (1) COR FILIORUM ISRAEL, — qui parati erant ingredi in terram promissam ; sed auditis exploratoribus, metu perculsi sunt, nec ausi progredi, regredi voluerunt in Ægyptum, *q. d.* Videte ne vos idem faciatis.

Vers. 7.

Vers. 8 et 9.

Vers. 9. 9. UT NON INTRARENT FINES, QUOS EIS DOMINUS DEDIT. — Τὸ *ut* significat, non intentionem, sed consequentiam et eventum rei : ex exploratorum enim persuasione ortum est populi murmur, ex murmure pœna, et justa Dei sententia, ut omnes morerentur in deserto, neque aliquis eorum intraret in Chanaan.

Vers. 11. 11. SI VIDEBUNT HOMINES ISTI, QUI ASCENDERUNT EX ÆGYPTO, A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, TERRAM, etc. — Τὸ *a viginti annis* refert, non ad τὸ *qui ascenderunt ex Ægypto*, sed ad *homines isti*. Nam qui, tempore egressus ex Ægypto, necdum attigerant annum vigesimum, sed tempore murmuris eum attigerant, hac sententia continentur et multantur, uti dixi cap. XIV, vers. 29.

NOLUERUNT SEQUI ME. — Hebraice, *non impleverunt post me*, id est, non plene me sunt secuti, ut mihi continuo et constanter obedirent, pergerentque me duce in Chanaan ; sed in via restiterunt, aversique sunt a me, volentes iter reflectere in Ægyptum.

Vers. 13. 13. IRATUSQUE DOMINUS ADVERSUM ISRAEL, CIRCUMDUXIT EUM PER DESERTUM QUADRAGINTA ANNIS. — Hanc circumductionis volubilitatem et instabilitatem significantissime exprimunt Septuaginta, dum vertunt, κατερόμβευσεν (ita enim legendum cum Romanis, non κατεῤῥόμβευσεν, uti legunt Regia) αὐτούς, id est, *circumvolvit eos ut rhombum, per desertum quadraginta annis*, ubi gyrationes Hebræorum in deserto apte comparant rhombo, ut notat Eugubinus, sive rhombum piscem accipias : hic enim mire se circumvolvit ; sive rhombum mulierum trilaterum et transversum, ad quem ipsæ glomos, quos neverunt, extricant et expandunt, ut facile a textoribus fila evolvi et contexi possint, quem Belgæ vocant *den haspel*. Tales enim gyros reflexos, et circumvolutiones plurimas fecerunt Hebræi, continuo per 40 annos, uti patet ex tabulis Adrichomii.

Gyri Hebræorum in deserto comparantur rhombo.

Vers. 14. 14. ET ECCE, INQUIT, VOS SURREXISTIS PRO PATRIBUS VESTRIS, INCREMENTA ET ALUMNI HOMINUM PEC-

(1) Legendum cum Keri in hiph. הניאון, *cohibetis absterretis*,

Discipuli vocantur multiplicatio, vel incrementum. Cur?

CATORUM. — Pro *incrementa et alumni*, hebraice est תרבורת *tarbut*, quod ad verbum multitudinem, vel multiplicationem significat, sed metaphorice attribuitur alumnis et discipulis; ita enim hic vertunt Septuaginta, Chaldæus et Noster: unde et *rab*, sive *rabbi*, ab eadem radice deductum, significat magistrum, qui multus, id est magnus, est, suamque doctrinam per discipulos spargit et multiplicat. Sensus ergo est, *q. d.* Vos filii et discipuli estis hominum impiorum ad augendum peccata; et implendam mensuram patrum vestrorum; vos egregie eorum stirpem impiam, æque ac scelera propagatis, et accrescere facitis.

Vers. 17. 17. PARVULI NOSTRI, etc. ERUNT IN URBIBUS MURATIS, PROPTER HABITATORUM (puta vicinorum) INSIDIAS. — Erant enim Rubenitæ et Gadditæ vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis aliisque hostibus. Itaque non dubium est quin, cum parvulis etiam, viri bellatores ad eorum tutelam remanserint, uti mox clarius patebit.

Vers. 20. 20. EXPEDITI PERGITE CORAM DOMINO, — id est, in præsentia Domini, puta coram arca et columna nubis, quæ Dominum continet et repræsentat.

Nota : Τὸ *esse coram Domino* duo significat : *primo*, Dominum habere inspectorem et testem. Ita sumitur II *Reg.* III, 38, *Psal.* XVIII, 25, *Eccle.* II, 26, et alibi. *Secundo*, « esse coram Domino, » est Dominum habere annuentem et faventem : ita enim vertit Noster, *Judic.* XVIII, 6, et alibi; ita quoque hic sumi potest.

Vers. 21. 21. OMNIS VIR BELLATOR (EX VOBIS) ARMATUS JORDANEM TRANSEAT. — « Omnis, » qui scilicet commode transire potest. Nam non erat tutum parvulos et pecora, reliquamque familiam sine præsidio relinquere, in tanta tot hostium vicinia. Sic alibi sæpe *omnis* capitur pro multus; unde ex Rubenitis, Gadditis et Manassensibus, tantum 40 millia transierunt Jordanem, ad pugnam cum Chananæis ineundam, ut patet *Josue* IV, 13, cum tamen universim paulo ante censa essent ex eis centum et decem millia, cap. XXVI, vers. 18, et seq.: reliqua vero 70 millia ad tutelam parvulorum, uxorum et pecorum, in Galaad remanserunt. Itaque jubet hic Moses ut hæ tres tribus domi, extra teli jactum non desideant; sed alias ad pugnam comitentur, imo præeant, idque *primo*, ut aliis desidiæ et timoris suspicionem eximant, atque audaciæ et fortitudinis exemplum dent. *Secundo*, ne unus ille Hebræorum populus, antequam victoria bello, et respublica hæreditatis divisione, ac denique religio arcæ collocatione, sacrorumque rituum factis initiis, constituta esset, dividatur, scindaturque novella Ecclesia; quod plane futurum erat, si illi (quod timebatur) qui cis Jordanem remanebant, trans Jordanem ad bella, atque ad tabernaculum et sacra aliarum tribuum venire detrectarent, sibique in Galaad proprium tabernaculum, altare et sacra constituerent : unde et altare postea ab eis ibidem, licet alia de causa, erectum, magnam hujus rei suspicionem cæteris injecit, et pene belli intestini occasionem dedit, ut patet *Josue* cap. XXII, vers. 10 et 12.

Rubenitæ et Gadditæ jubentur præire ad bellum. Cur? Primo. Secundo.

23. SIN AUTEM QUOD DICITIS NON FECERITIS, NULLI DUBIUM EST QUIN PECCETIS (quin peccabitis : ita Septuaginta. Sed Chaldæa et Hebræa habent in præterito, *peccastis*, scilicet postquam detrectaveritis pugnam), ET SCITOTE QUONIAM PECCATUM (id est pœna peccati) VESTRUM APPREHENDET VOS, — NOXA enim caput sequitur, et pœna culpam individue, uti lictor reum, comitatur (1). Vers. 23.

26. PARVULOS NOSTROS, etc. RELINQUEMUS IN URBIBUS GALAAD, — puta in terra Og et Sehon, nobis attributa. Galaad ergo hic, non pro Galaadite, sive terra, quæ proprie Galaad dicitur, accipitur; sed largius : complectitur enim totam sortem Gadditarum, Rubenitarum et dimidiæ tribus Manasse. Vers. 26.

29 et 30. SI TRANSIERINT FILII GAD VOBISCUM JORDANEM, etc. DATE EIS GALAAD, etc. SIN AUTEM, etc. INTER VOS HABITANDI ACCIPIANT LOCA, — *q. d.* Si fidem datam fefellerint, nolintque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Jordanem, pugnare et habitare vobiscum. Vers. 29 et 30.

31. SICUT LOCUTUS EST DOMINUS, — scilicet Deus per Mosen : patet ex Hebræo. Vers. 31.

34. IGITUR EXSTRUXERUNT FILII GAD, DIBON, etc. « Exstruxerunt, » id est restaurarunt; nam ante hæ urbes exstiterant, neque potuissent Gadditæ tam cito has urbes a fundamentis ædificare : nam paulo post mortem Mosis, quæ statim post hæc secuta est, ipsi cum aliis tribubus, profecti sunt trans Jordanem in Chanaan; unde et vers. 38, dicuntur ipsi vetera harum urbium nomina vertisse, aliaque eis imposuisse : unde patet has urbes prius exstitisse, ab eisque non fuisse ædificatas, sed restauratas. Vers. 34.

38. VERSIS NOMINIBUS. — Hebræi hic, tanquam victores religiosi, suæ gentis nomina, Amorrhæorum urbibus indiderunt, prioribus gentilitiis abolitis, præsertim quia quædam ex eis, ab idolis, puta a Baal (2), videntur fuisse desumpta, ut Bamoth-Baal et Baalmeon; quænam ea fuerint Hebræorum nomina, Scriptura hic non exprimit, nisi duo, scilicet Havoth-Jair et Nobe, vers. 41 et 42. Cætera enim nomina pleraque eadem inveniuntur, tam ante hæc tempora, *Num.* XXI, vers. 30 et seq., quam postea, *Josue* XIII, 17 et seq. Vers. 38.

40. DEDIT ERGO MOYSES TERRAM GALAAD MACHIR, FILIO MANASSE. — « Machir, » id est, posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manasse, prognatæ ex Machir; nam Machir filius Manasse, et nepos Joseph, jam pridem erat mortuus. Si enim hucus- Vers. 40.

(1) Vers. 25. Pro *dixerunt* est in hebr. *dixit*, scil. unus omnium nomine, juxta hebraicæ linguæ morem. Cf. *Jud.* VIII, 6.

(2) Et Nebo. Nomina tamen ab Israelitis indita illis urbibus nunquam in consuetudinem videntur venisse; nam apud seriores veteris Testamenti scriptores semper egimus urbes istas nominibus pristinis appellatas.

que vixisset, fuisset ut minimum 210 annorum; quæ ætas nulli eo sæculo contigit.

Vers. 41. 41. JAIR AUTEM FILIUS MANASSE, — non proximus, sed remotus. Sic sæpe nepotes vocantur filii, ut *Lucæ* I, 5; *Matth.* I, 1.

Prosopia Jair. Nota *primo* : Jair ex genere paterno fuit oriundus, non ex tribu Manasse, sed Juda; hæc enim est genealogia : Judas genuit Phares, hic Hesron, hic Segub, hic Jair. Sed quia Hesron duxit filiam Machir, filii Manasse, ex eaque genuit Segub, patrem Jair, ut patet I *Paral.* II, 21, hinc factum est ut Jair Manassenses sit secutus, eo quod ex Manassensis Machir filii celeberrimi filia esset procreatus : et hoc sensu eum hic Scriptura Manassis filium appellat.

Nota *secundo* : Jair hic fuit vir fortissimus; unde in Galaad cepit Havoth-Jair, id est villas (1), quas ex nomine suo vocavit Jair, atque hac de causa factum est ut, cum supra vers. 1, soli Rubenitæ et Gadditæ petierint sortem cis Jordanem, addita tamen eis fuerit dimidia tribus Manasse, utpote quæ fortissime in urbibus iis expugnandis operam suam navasset; ita Andreas Masius in *Josue* XIII, 31. Porro, alius fuit hic Jair, aliaque oppida Jair, a Jair et oppidis ejus, non captis, sed subditis, de quibus post 300 annos fit mentio, *Judic.* cap. X, vers. 4. Vide hic Abulensem, *Quæst.* XII.

Vers. 42. 42. NOBE QUOQUE PERREXIT, ET APPREHENDIT CHANATH. — Nobe hic videtur fuisse ex tribu Manasse, æque ac Jair de quo præcessit; unde ab eo vocata est urbs Nobe, in qua postea collocatum est tabernaculum. Hinc in Nobe hanc David, fugiens Saulem, venit ad Abimelech pontificem, I *Reg.* XXI, 1. Ita Abulensis.

(1) *Havoth* proprie sunt *pagi Nomadum ambulatorii ex tentoriis in orbem positis.* Tatarico nomine, in nostras linguas recepto, *horde* diceres. Sed *Havoth Jair* hic villas stabiles fixasque fuisse, inde patet, quod in eodem tractu positæ memorantur postea.

Tropologia rigida Abulensis.

Tropologiam hic rigidam et metuendam affert Abulensis in fine cap. Hæ tres tribus, inquit, significant tres status Ecclesiæ, scilicet Ruben, Episcopos et prælatos : Ruben enim hebraice idem est, quod filius visionis; unde notat gradum Prælatorum, qui aliorum vitam speculantur. Gad, utpote fortissimus, significat principes. Manasse significat monachos opimos, scilicet eos qui status et vocationis obliviscuntur (hanc enim oblivionem significat Hebraice *Manasse*). Hi tres citra Jordanem remanent, quia maximus numerus illorum trium statuum, citra terram viventium in cœlis promissam, in terra hac morientium remanent : dum stabula jumentorum, id est gloriosa palatia, ut vocent nomina sua in terris suis, atque delectationes pecorum, puta delectationes ex brutis, et cum brutis communes, quærunt. Hi, si quos interdum trans Jordanem, in terram promissam, id est, in cœlum, docendo et monendo ducant, ipsi tamen citra Jordanem ad sua fluxa redeunt, atque ad cœlum, ut ibi morentur, nunquam vadunt: hucusque Abulensis. Quæ commode accipienda sunt de iis, qui terræ et terrenis, cum Gadditis et Rubenitis, inhiant. De talibus quoque locutus est concionator ille Alberti I Imperatoris, qui videns proceres oscitanter sua verba excipientes, voce intenta : « Quæritur, ait, salvarine possint Principes. » Et re utrimque agitata, excussoque audientium somno : « Quidni, ait, possint? si modo baptismo suscepto in cunis vagientes moriantur, » uti refert Æneas Sylvius, lib. III *De Gestis Alphonsi.* Certum est enim Episcopos, Religiosos et Principes eximios non deesse, qui ad cœlestia aspirant, ac virtute et religione suis præstant et prælucent. Porro S. Gregorius, XXVII *Moral.* X, hæc adaptat fidelibus, qui fidem defendunt, sed suas concupiscentias amant et sequuntur; hi enim extra promissionis terram animalia bruta nutriunt.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur 42 mansiones Hebræorum in deserto. Cogitaveram eas, ut et plura alia, curare in ære incidi, hicque exprimi; sed ne pretium libri nimis excresceret, abstinendum duxi. Videat lector Adrichomii tabulas.

1. Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, 2. quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant. 3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel, in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, 4. et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem), 5. castrametati sunt in Soccoth. 6. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. 7. Inde egressi venerunt contra Phihahirot, quæ respicit

Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum. 8. Profectique de Phihahirot, transierunt per medium mare in solitudinem : et ambulantes tribus diebus per desertum Ethan, castrametati sunt in Mara. 9. Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta : ibique castrametati sunt. 10. Sed et inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum. Profectique de mari Rubro, 11. castrametati sunt in deserto Sin. 12. Unde egressi, venerunt in Daphca. 13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. 14. Egressique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum. 15. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. 16. Sed et de solitudine Sinai egressi, venerunt ad Sepulcra concupiscentiæ. 17. Profectique de Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. 18. Et de Haseroth venerunt in Rethma. 19. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares. 20. Unde egressi, venerunt in Lebna. 21. De Lebna, castrametati sunt in Ressa. 22. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha. 23. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. 24. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. 25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. 26. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath. 27. De Thahath, castrametati sunt in Thare. 28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca. 29. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona. 30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth. 31. Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan. 32. Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad. 33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha. 34. Et de Jetebatha, venerunt in Hebrona. 35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber. 36. Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. 37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. 38. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino : et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, 39. cum esset annorum centum viginti trium. 40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel. 41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. 42. Unde egressi, venerunt in Phunon. 43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. 44. Et de Oboth, venerunt in Jieabarim, quæ est in finibus Moabitarum. 45. Profectique de Jieabarim, fixere tentoria in Dibongad. 46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim. 47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo. 48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho. 49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum, 50. ubi locutus est Dominus ad Moysen : 51. Præcipe filiis Israel, et dic ad eos : Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, 52. disperdite cunctos habitatores terræ illius; confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, 53. mundantes terram, et habitantes in ea; ego enim dedi vobis illam in possessionem, 54. quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur; 55. sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ : 56. et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

Quadraginta duæ stationes significant 40 dies jejunii.

Tropologice, sicut Hebræi per 42 mansiones, sive stationes ibant in Chanaan : sic Christiani per 40 dies jejunii tendunt ad resurrectionem; hinc factum est ut hi jejuniorum dies a Patribus Stationes appellentur, tum quia in iis stantes orabant et vigilabant Christiani, quasi per gentes ad terram in cœlis promissam; tum quia hi stationum dies repræsentati fuerunt per 42 stationes Hebræorum in deserto, uti ex S. Ambrosio, Tertulliano et aliis docui *Exodi* XXIV, in fine. Sapienter dixit Abbas ille in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXVIII : « Usque tunc laboret homo, usquequo

possideat Christum. Adhæc, tribulationem laboris rememorans, undique custodiat semetipsum, timens ne tantos labores amittat. Nam et filios Israel ideo Deus per desertum quadraginta annis circumduxit, ut rememorantes viæ tribulationem nollent redire retrorsum. »

Vers. 1. 1. IN MANU MOYSI ET AARON, — per Mosen et Aaron, vel ductu Mosis et Aaronis : τὸ enim *in manu* Hebræis significat causam instrumentalem, idemque valet quod *per* (1).

Vers. 3. 3. ALTERA DIE PHASE, — postridie agni immolati, 14 luna ad vesperam, puta 15 luna, sive die, mensis primi; nam 15 hac die egressi sunt ex Ægypto.

IN MANU EXCELSA, — in magna potestate, robore et terrore Ægyptiorum, hoc est potenter, valenter et gloriose egressi sunt, utpote prostratis jam Ægyptiis, per tot plagas, et per cædem primogenitorum; unde ipsi Hebræorum egressum amplius impedire, eosque detinere non sunt ausi. Hic Chaldæus vertit : *Egressi sunt palam*, in oculis omnium Ægyptiorum.

Vers. 4. 4. NAM ET IN DIIS EORUM EXERCUERAT ULTIONEM, — quia scilicet eadem nocte qua egressi sunt Hebræi, Deus prostravit idola Ægypti, uti dixi *Exodi* XII, 12, *q. d.* Ideo in manu excelsa egressi sunt Hebræi, in oculis omnium Ægyptiorum, quia perterrefecerat eos Dominus strage, non tantum primogenitorum, sed et idolorum ipsorum.

Vers. 8. 8. AMBULANTES PER DESERTUM ETHAM. — Erat ergo desertum Etham ingens tam cis, quam trans mare Rubrum, uti dixi *Exodi* XIV, 21 et 29. Minus ergo recte Abulensis ex hisce verbis suspicatur Hebræos non transisse, sed circuisse mare Rubrum, ut sic continuo in eodem deserto Etham versarentur.

Vers. 40. 40. AUDIVITQUE, etc., ARAD, etc., IN TERRAM CHANAAN VENISSE FILIOS ISRAEL. — « Venisse, » id est adventare (τὸ enim *venisse* significat actum inchoatum, non completum), ad eam invadendam; supple : ideo eos impedire voluit, eosque bello lacessivit, sed ab eis victus cæsusque est, ut dictum est cap. XXI initio.

Secundo, planius Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, Vatablus et alii τὸ *in Chanaan* jungunt præcedentibus, vertuntque, *audivitque rex Arad, habitans ad Meridiem in Chanaan*, id est Chananææ; non enim habitabat in ipsa Chanaan, sed extra, eratque illi ad Meridiem, æque ac Amalec, ut patet cap. XIV, vers. 43, et I *Regum* XXX, 1. Hebræum enim *bet*, id est *in*, sæpe fungitur vice regiminis genitivi, et juxta hunc sensum accipienda videtur nostra Latina versio, in eaque legendum esse cum Abulensi, *Arad qui habitabat ad Meridiem in terra* (non *in terram*) *Chanaan*, id est, qui habitabat ad Meridiem ipsius terræ Chanaan, ait Abulensis.

Vers. 49. 49. IBIQUE CASTRAMETATI SUNT, DE BETHSIMOTH USQUE AD ABELSATIM, — non quasi castra Hebræorum se extenderint de Bethsimoth usque ad Abelsatim, per duodecim milliaria, ut vult R. Salomon : sic enim non 42, sed 41 essent mansiones. Sensus ergo est, *q. d.* Hebræi prius fixerunt castra in Bethsimoth, deinde in Abelsatim, ubi 42 et ultima fuit mansio. Ita Abulensis.

Vers. 52. 52. CONFRINGITE TITULOS. — Hebraice, *frangite cælaturas*, vel picturas eorum (Chananæorum), quibus scilicet ipsi deos suos depingunt, eosque colunt : vetat enim hic idololatriam; vide dicta *Levitic.* XXVI, 1.

EXCELSA (scilicet altaria et sacella in locis excelsis, idolis consecrata) VASTATE.

Vers. 55. 55. SIN AUTEM NOLUERITIS INTERFICERE HABITATORES TERRÆ, etc., ERUNT VOBIS QUASI CLAVI (2) IN OCULIS, ET LANCEÆ IN LATERIBUS, — *q. d.* Chananæi, si eis parcatis, pungent vos instar clavorum et lancearum, bellisque vos vexabunt et dilacerabunt. Hæc una fuit causa, cur jusserit Deus deleri omnes omnino Chananæos; fuit et secunda, scilicet impietas istarum gentium; ac tertia, ne scilicet scandalo essent Hebræis, et suis idolis ac vitiis eos polluerent. Peccarunt ergo Hebræi, cum successu temporis, prævalentes Chananæis, eos non omnino deleverunt, sed vel desidia, vel commiseratione, vel spe tributi, vel alia simili de causa, eis pepercerunt, unde postea ab eis exterminari non potuerunt : Deus autem id convertit in bonum, videlicet ut hæ gentes essent quasi flagellum Judæorum, cum ipsi ad idola deflectebant, ut patet *Judic.* II, 22; et ut Hebræi haberent continuum cum eis armorum exercitium, nec otio diffluerent, ut patet *Judic.* III, 1. Qua de causa Scipio Carthaginem, Romæ æmulam, non esse delendam censuit, ut esset cos juventutis Romanæ.

Tres causæ ob quas Deus jussit deleri Chananæos.

Mystice S. Hieronymus : Hæ, ait, 42 mansiones, quibus Hebræi tetenderunt in Chanaan, significant 42 vias, quibus fideles tendunt in cœlum : *prima* est Ramesse, id est, tonitruum gaudii, quo scilicet tonantibus, id est prædicantibus, Apostolis aliisque, conversi sunt ad Christum infideles et impii, ideoque gavisi sunt; *secunda* est Soccoth, id est tabernacula : quia, in hac vita quasi peregrini, celebramus continuum festum tabernaculorum, tendimusque ad cœlum, quasi ad patriam nostram; *tertia* est Etham, id est fortitudo : quia fortiter in hac via ardua omnia et adversa superanda sunt; *quarta* est Phihabiroth, id est os nobilium, ut quasi nobiles et generosi, ore nostro Deum in adversis laudemus; *quinta* est Mara, id est amaritudo, scilicet pœnitentiæ; *sexta* est Elim, id est arietes, puta Apo-

Mystica 42 mansiones significant quadraginta duas vias in cœlum : quæ quas ? Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

(1) Vers 2. Hebræa habent, *et scripsit Moses exitus eorum secundum profectiones eorum*, id est stationes, *juxta os Domini, et ecce mansiones eorum secundum exitus eorum.*

(2) Pro *clavi* est in hebr. *spinæ* : locutio proverbialis, qua significatur res molestissima.

stoli, et similes: hos enim quasi duces sequi debemus; *septima* est ad mare Rubrum, quia per fluctus et alterationes hujus sæculi, quin et per martyria eundum est in cœlum; *octava* est Sin, id est odium, quia fideles grande odium, et persecutiones, tam diaboli quam mundi subire debent; *nona* est Daphca, id est pulsatio, puta oratio, de qua ait Christus : « Pulsate, et aperietur vobis; » *decima* est Alus, id est fermentum, scilicet Evangelii, quod tollens mulier, commiscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum; *undecima* est Raphidim, id est dissolutio fortium : ibi enim orante Mose, Josue prostravit Amalec; *duodecima* est Sinai, id est rubus, hoc est asperitas vitæ, in qua Deus apparet, suamque legem et voluntatem animæ communicat; *decima tertia* est Sepulcra concupiscentiæ, in quibus gula et gulosi sepeliuntur; *decima quarta* est Haseroth, id est atrium, scilicet vestibulum virtutum, ut ostendat eos, qui per gulam ceciderunt, posse resurgere, et eos qui stant, posse cadere : in Haseroth enim, murmurans contra Moysen Maria, lepra percussa, et sanata est; *decima quinta* est Rethma, id est sonitus, vel juniperus, qui diu ignem conservat, ita ut, si prunæ ex ejus cinere fuerint opertæ, usque ad annum perveniant: ut scilicet simus ferventes spiritu, atque claro sonitu, et exaltata voce Evangelium Domini prædicemus; *decima sexta* est Rhemnon Phares, id est mali punici (id est malogranati) divisio : quia multidudinis credentium est cor unum, et anima una : in ea enim est varietas consonantiaque virtutum; *decima septima* est Lebna, id est lateres, quos scilicet faciens populus in Ægypto, ingemuit : quia in hac vita, nunc crescimus, nunc decrescimus, et post Ecclesiasticum Ordinem, subinde ad laterum opera transmigramus; *decima octava* est Ressa, id est frenum : si enim post profectum, rursus ad luti opera descendimus, infrenandi sumus, et cursus vagi ac præcipites Scripturæ retinaculis dirigendi sunt; *decima nona* est Ceelatha, id est Ecclesia : quia vagi currentium gressus, frenis ad Ecclesiam retrahuntur, ut fores quas ante reliquerant, rursum intrare festinent; *vigesima* est Sepher, id est pulchritudo. Vide quid prosint frena : a vitiis nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, ut in Christo, monte pulcherrimo, habitare faciant. Hinc *vigesima prima* venimus in Arada, id est stuporem et miraculum : quia stupemus atque miramur Christi gratiam et virtutes, ut noster in laudibus ejus sermo superetur; *vigesima secunda* est Maceloth, id est cœtus, de quibus dicitur : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! » *vigesima tertia* est Thahath, id est pavor, de quo Apostolus : « Noli altum sapere, sed time : Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; » *vigesima quarta* est Thare, quo nomine vocatus est pater Abraham, qui in apocrypho Geneseos volumine, abactis corvis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris, vel depulsoris sortitus est nomen : itaque et nos imitemur Thare, et volucres cœli, quæ juxta viam satum triticum devorare festinant, solliciti prohibeamus; *vigesima quinta* est Methca, id est dulcedo, illa videlicet, de qua Psaltes : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel et favum ori meo! » *vigesima sexta* est Hesmona, id est festinatio, qua videlicet ad ulteriora properantes, obliviscamur præteritorum, et in futura extendamus nos; *vigesima septima* est Moseroth, id est vincula, sive disciplina, de qua dicitur *Isaiæ* cap. LIV : « Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis. » In his vinculis commoramur, dum festino gradu pergimus ad magistros, et eorum terimus limina, præceptis virtutum, ac mysteriis occupati Scripturarum; *vigesima octava* est Benejaacan, id est filii necessitatis, vel stridoris, qui scilicet timore supplicii et gehennæ, diabolum deserentes, in Christo renasci festinant; de quibus dicas cum Sione : « Ego sterilis, et non pariens, etc. Et isti ubi erant? » *Isaiæ* XLIX; *vigesima nona* est mons Gaddad, id est expeditio, aut potius concisio, videlicet, ut non prohibeamus gladium nostrum a sanguine, dicente Propheta, *Jerem.* XLVIII : « Maledictus qui facit opera Domini fraudulenter, et qui prohibet gladium suum a sanguine, » scilicet quin carnes devoret, id est carnis vitia trucidet; *trigesima* est Jetebatha, id est bonitas, ut, cum pervenerimus ad perfectum virum, in sacerdotalem gradum, imitemur eum qui dixit : « Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis; » *trigesima prima* est Hebrona, id est transitus, sive transitio, ut scilicet exempla Scripturæ colligamus, quæ doceant nos hic non habere manentem civitatem, sed transire debere in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei; *trigesima secunda* est Asion Gaber, id est ligna viri, qualia sumus nos in manu artificis Dei nostri, vasa facientis diversa, quæ in domo magna necessaria sunt; *trigesima tertia* est Cades, id est sancta, per antiphrasin, quia hic Moses et Aaron offendunt Dominum ad aquas contradictionis, et prohibentur ingredi Chanaan : ubi enim præceptum, ibi et peccatum; ubi peccatum, ibi offensa; ubi offensa, ibi mors : ut meminerimus pariter nos omnes ob peccatum damnatos esse ad mortem; *trigesima quarta* est mons Hor : hic moritur Aaron in monte Hor, id est montis, puta in celsitudine gradus et virtutis; *trigesima quinta* est Selmona, id est imaguncula, scilicet serpentis ænei, id est Christi crucifixi, quam jugiter intueri debemus. Rursum Selmona est umbra : « Videmus enim nunc per speculum in ænigmate; » *trigesima sexta* est Phunon, id est os oris : « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; » *trigesima septima* est Oboth, id est Magi et pythones, quales pugnaverunt contra Mosen et Aaron :

Septima.
Octava.
Nona.
Decima.
Undecima.
Duodecima.
Decima tertia.
Decima quarta.
Decima quinta.
Decima sexta.
Decima septima.
Decima octava.
Decima nona.
Vigesima.
Vigesima prima.
Vigesima secunda.
Vigesima tertia.
Vigesima quarta.
Vigesima quinta.
Vigesima sexta.
Vigesima septima.
Vigesima octava.
Vigesima nona.
Trigesima.
Trigesima prima.
Trigesima secunda.
Trigesima tertia.
Trigesima quarta.
Trigesima quinta.
Trigesima sexta.
Trigesima septima.

ut sciamus nos inter scorpiones habitare, et tamen eorum venena vincere debere; *trigesima octava* est Jeabarim, id est acervi lapidum transeuntium, de quibus ait Zacharias, cap. IX : « Lapides sancti volvuntur super terram. » Hi sunt qui eunt de virtute in virtutem. Sunt et alii lapides, quos Jeremias cap. L, de via tolli jubet, ne per istud sæculum ambulantium, et ad alias mansiones transire festinantium, pedes offendant; *trigesima nona* est Dibongad, id est fortiter intellecta tentatio, qua videlicet intelligimus, quod non debeamus nos elevare in superbiam : ante contritionem enim elevatur cor, et ante gloriam humiliatur; *quadragesima* est Helmon Deblathaim, id est in contemptum plagarum sive opprobriorum : quo discimus omnia dulcia, et illecebras voluptatum in hoc sæculo contemnendas, nec inebriari nos debere vino, in quo sunt luxuriæ opprobria; *quadragesima prima* sunt montes Abarim, contra faciem Nebo. Abarim, id est transeuntes : quia sancti, licet sint in montibus virtutum, semper tamen ulterius conscendere debent in cœlum. Nebo idem est, quod conclusio : ibi moritur Moses, id est finitur lex, nec invenitur ejus memoria, ut succedat gratia Evangelii, quæ sine ullo fine tenditur : « In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum ; » *quadragesima secunda* et ultima est Abelsatim, id est luctus spinarum, ut discamus in fine vitæ cum S. Augustino flere et antiqua et recentia peccata, nec ex hac vita exire sine pœnitentia, ut dicamus cum Psalte, *Psalm.* XXXI : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. » In Abelsatim enim Hebræi cæsi sunt, ob cultum Beelphegor; item Madianitæ et Balaam. Rursum, hic gesta et dicta sunt omnia, quæ Moses ab hoc capite usque ad finem Deuteronomii conscripsit. Ita has 42 mansiones explicat S. Hieronymus, tract. *De 42 Mansionibus ad Fabiolam,* et ex eo Rupertus. Simili fere modo mystice has 42 mansiones exponit B. P. Damianus, libro II, epist. 7 *ad Hildebrandum.*

Trigesima octava.

Trigesima nona.

Quadragesima.

Quadragesima prima.

Quadragesima secunda.

Disce hic fideles tota vita debere proficere in virtute, itaque proficisci in terram promissam in cœlis. Nam, ut ait S. Bernardus : « Proficere est quoddam proficisci. » Et, ut ait Psaltes, *Psalm.* LXXXIII : « Ibunt de virtute in virtutem. » Et : « Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. » In quæ verba ita scribit S. Hieronymus : « Ille disposuit ascensiones in corde suo, quicumque sanctus quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur. Propterea dicuntur et in psalterio psalmi graduales quindecim, et primus dicitur : Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. Et in secundo : Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Et in tertio : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; et semper procedit, et proficit, et ascendit in sublimiora. Quod dicit hoc est : Ascensiones in corde suo disposuit. Felix est qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri fecerit, sed quid hodie faciat ut proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit, ita qui peccator est, quotidie decrescit. »

Moraliter, de progressu in virtutibus.

Quare Salomon in *Proverbiis* suis ita justum describit : « Justorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Causa hujus rei est *prima,* quod omnes teneantur ad christianæ vitæ perfectionem aspirare, ac proinde quotidie in ea progredi. Hoc enim est edictum Christi, *Matth.* V, 8 : « Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Et cap. XXII, 27 : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., et proximum tuum sicut teipsum. » Unde S. Augustinus, lib. I *De Doctr. Christ.* cap. XXII : « Tunc, ait, optimus est homo, cum tota vita sua pergit ad incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi. »

Prima causa.

Secunda, quod quamdiu in hac vita degimus, versamur in schola : ergo, ut discipuli genuini Christi, in ea quotidie proficere debemus. Unde S. Bernardus, *epist.* 141 : « Ita, ait, quæso, ita facite, dilectissimi. Discipulus quippe proficiens gloria est magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio. »

Secunda.

Tertia causa est, quia « vera virtus, » ut loquitur idem Sanctus in epist. *ad Abbatem Guarinum,* epist. 243, « finem nescit, tempore non clauditur. Unde est illud : Charitas nunquam excidit, I *Cor.* XIII, 8. Et idem : Patientia pauperum non peribit in finem, *Psalm.* IX, 19. Et : Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi, *Psalm.* XVIII, 10. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, *Philip.* III, 13; nunquam dicit : Satis est, sed semper esurit sititque justitiam ; ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui. Audi denique vocem justi : In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me, *Psalm.* CXVIII, 93. Et rursum : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, *Psalm.* CXVIII, 112; non igitur ad tempus. Proinde justitia ejus non manet aliquanto tempore, sed in sæculum sæculi. Sempiterna itaque justi esuries sempiternam meretur refectionem. Et licet in brevi consummetur pro tempore, judicatur tamen explesse tempora multa, *Sapient.* IV, 13, pro virtutis perpetuitate. »

Tertia.

Idem deinde probat a contrario, cum ait : « Quo denique pacto temporis brevitas bonorum præjudicet perpetuæ devotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim procul dubio inflexibilis et obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratur, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci vo-

luntate ; ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret : imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. Proinde potest et de isto per contrarium itidem dici : Consummatus in brevi explevit tempora multa, quod merito multorum, imo omnium temporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem. » Hucusque Bernardus.

Quarta. *Quarta* causa est, quia qui non vult proficere, vel existimat sibi opus non esse ulteriore progressu, incipit deficere. « Quantumcumque hic vixerimus, ait S. Augustinus in *Psal.* LXIX, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi, justus sum ; qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit : Sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum cui non sufficit : Fratres, ait, ego me non arbitror comprehendisse. Et rursum dicit : Qui se putat scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire, I *Cor.* VIII, 2. Unum autem, quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus secundum intentionem, sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti ; ille dicit nondum se perfectum, et tu jam de perfectione gloriaris ? Confundantur qui dicunt tibi : Euge, euge. » Et Doctor Mellifluus (Bernardus, *epist.* 341) : « Non proficere sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat : Satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri et nudiustertius. In via residet, qui ejusmodi est, in scala subsistit, ubi neminem Patriarcha vidit non ascendentem, *Genes.* XXVIII, 12. Dico ergo : Qui se existimat stare, videat ne cadat, I *Cor.* X, 12. Ardua et angusta est ; et non hic, sed in domo Patris mansiones sunt multæ, *Joan.* IV, 2. »

Quinta causa est, quia nihil est quod in hoc mundo quiescat : « O monache, ait idem Claravallensis Abbas, *epist.* 253, non vis proficere ? num vis ergo deficere ? nequaquam ; quid ergo ? Sic mihi, inquit, vivere volo, et manere in quo perveni ; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo ? Et certe de homine specialiter dictum est : Fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, » *Job* cap. XIV, 2. Et iterum alibi, *epist.* 341 : « Moveat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare ? Sic et curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid, eorum qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas hominum sectantur laudes, nonne et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ et tepiditatis ? Pudeat certe spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri. »

Modus proficiendi. Primus. Porro profectum hunc procuramus, *primo*, per gratiam Dei, perque nostram strenuam cum ea cooperationem. Gratia hæc precibus impetranda est, ut assidue oremus cum Psalte : « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. »

Secundus. *Secundo*, proponendo nobis exempla Christi et Sanctorum. Unde S. Bernardus, *epist.* 253 : « Ipse, ait, hominis sæculique auctor, quamdiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, numquid stetit ? et quidem, teste Scriptura, pertransiit benefaciendo et sanando omnes, *Act.* X, 38. Pertransiit ergo, sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, sed bono gressu, sed quemadmodum de eo scriptum est : Exultavit ut gigas ad currendam viam, *Psal.* XVIII, 7. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi. Ideo Paulus aiebat : Sic currite ut comprehendatis, *Philip.* II, 8. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est, ait, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. »

Tertius. *Tertio*, per examen conscientiæ serium et crebrum. Unde S. Augustinus, serm. 15 *De verbis Apostoli* : « Dicitis, ait, quid est ambulare ? breviter dico, proficere, ne forte non intelligatis, et pigrius ambuletis. Proficite, fratres mei, discutite vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas et jactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba et teipsum tu ipse. Semper tibi displiceas quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : Sufficit, et peristi : semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet qui non proficit ; retro redit, qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat ; deviat qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam. »

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur termini terræ promissæ, scilicet, quod ab Oriente terminanda sit mari Mortuo; ab Occidente mari Mediterraneo; a Meridie Torrente Ægypti; a Septentrione Libano, et urbe Epiphania. Secundo, vers. 17, nominat Deus 12 principes, qui Hebræis terram hanc sorte dividant.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. 3. Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom ; et habebit terminos contra Orientem mare salsissimum ; 4. qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant a Meridie usque ad Cadesbarne ; unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona, 5. ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad Torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur. 6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, et ipso fine claudetur. 7. Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, 8. a quo venient in Emath usque ad terminos Sedada : 9. ibuntque confinia usque ad Zephrona, et villam Enan ; hi erunt termini in parte Aquilonis. 10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama, 11. et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim : inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth, 12. et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. 13. Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens : Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui. 14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad, juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse, 15. id est, duæ semis tribus acceperunt partem suam trans Jordanem, contra Jericho ad orientalem plagam. 16. Et ait Dominus ad Moysen : 17. Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis dividant, Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, 18. et singuli principes de tribubus singulis, 19. quorum ista sunt vocabula : De tribu Juda, Caleb filius Jephone. 20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. 21. De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon. 22. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli. 23. Filiorum Joseph de tribu Manasse, Haniel filius Ephod. 24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan. 25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach. 26. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan. 27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi. 28. De tribu Nephtali, Phedael filius Ammiud. 29. Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

Vers. 3. 3. PARS MERIDIANA (Chananææ) INCIPIET A SOLITUDINE SIN, QUÆ EST JUXTA EDOM, ET HABEBIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM, MARE SALSISSIMUM. — « Mare salsissimum » est lacus Sodomorum, sive Asphaltites, ubi prius fuit Pentapolis, sed ea cœlitus igne consumpta, factus est eo loco lacus ingens, qui Hebræo more dicitur mare, idque salis, id est salsissimum. Est enim in hoc lacu aqua crassa, retinens proprietatem sulphuris et salis, quo conflagravit Pentapolis : tunc enim sal urens admixtum fuisse sulphuri patet *Deuter.* XXIX, 23, licet alii putent dici mare salsissimum, a fodinis salis, quas ibi esse docet Sophonias, cap. II, 9, ideoque hic lacus, nec pisces, nec aliud vivens alit : unde et *mare Mortuum* dicitur. Dicitur et *mare solitudinis*, vel *deserti*, quia situm est juxta solitudinem Sin et Cades, ubi cæsus est rex Sodomorum a Codorlahomor, *Genes.* XIV, 7. Dicitur et vulgo *mare diaboli*, quia Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim ob infanda peccata, igne et sulphure de cœlo cadente, a dæmone (ut vulgus putat) submersæ sunt, et aquis obrutæ, ait Abu-

Mare salsissimum vocatur lacus Asphaltites. Cur?

lensis. Porro hic lacus, sive mare, est ad Orientem terræ sanctæ. Nam Jordanis, qui Chananææ est ad Orientem, in mare hoc influit, et ab eo absorbetur, ut patet ex tabulis Geographicis, et ex *Josue* III, 16.

Vers. 4. 4. PER ASCENSUM SCORPIONIS, — est hic locus ita dictus a præruptis montibus, qui sunt asperi instar scorpionum (1).

Vers. 5. 5. IBITQUE PER GYRUM TERMINUS AB ASEMONA USQUE AD TORRENTEM ÆGYPTI. — Torrens hic est rivulus, qui ex deserto (unde Theodotion vertit, *torrens Arabiæ*) veniens juxta Rhinocoruram, in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribus Juda et Simeon a deserto, viaque Ægypti disterminat (2). Unde Septuaginta pro torrente hoc vertunt Rhinocoruram. Hinc passim in Scriptura hic torrens ponitur Australis terminus terræ promissæ, puta Chananææ. Ita S. Hieronymus in cap. VI *Amos*, et epist. *ad Dardanum*, tomo III; vide Adrichomium in *Tabulis*. Errant ergo, qui torrentem hunc putant esse unum e Nili rivis, ex *Josue* XIII, 3, nam alius illius loci est sensus. Torrens enim hic longe a Nilo et a Pelusio, Ægyptoque distat.

Triplex mare Judææ. ET MAGNI (id est Mediterranei) MARIS LITTORE FINIETUR. — Mare Mediterraneum hic vocatur « magnum, » respectu duorum aliorum : nam in terra sancta triplex est mare : primum est hoc Mediterraneum, quod illam ab Occidente alluit; unde « mare » hic in Hebræo et alibi sæpe significat Occidentem; *secundum* est mare Mortuum, seu salsissimum; *tertium* est mare Cinnereth, seu Genesareth : hæc duo ultima potius lacus sunt, primum vero est mare verum et vastum.

Vers. 7. 7. PORRO AD SEPTENTRIONALEM PLAGAM A MARI MAGNO TERMINI INCIPIENT, PERVENIENTES USQUE AD MONTEM ALTISSIMUM, — scilicet usque ad montem Hor, ut habent Hebræa et Chaldæa. Perperam ergo aliqui Libanum hic intelligunt (3).

Vers. 8. 8. A QUO VENIENT IN EMATH. — Emath hæc est minor, in qua est urbs quæ postea ab Antiocho Epiphane, Epiphania est dicta. Erat hæc urbs terminus terræ sanctæ ab Aquilone. Erat alia Emath Major, scilicet Antiochia, quæ caput erat totius Syriæ. Ita S. Hieronymus et ex eo Ribera in *Amos* cap. VI, vers. 8 (4).

Vers. 11. 11. CONTRA FONTEM DAPHNIM. — Hebr. non habent τό *Daphnim*, sed tantum *contra fontem* (5), scilicet illum, qui juxta Reblata est notus et celebris; hic autem est Daphnis, uti optime scivit et intellexit noster Interpres, puta S. Hieronymus, qui accurate perlustravit terram sanctam. Daphnis fons aquis abundantissimis urbem Reblatam irrigat, atque instar celebris et deliciosi illius Daphnes, Antiochiæ suburbani, frequentissimis lauris, et amœnitate inclytus est, uti ex II *Machab.*, Josepho et S. Hieronymo docet Adrichomius. Audi S. Hieronymum, in cap. IV *Ezech.* : « De Sephama, inquit, id est de Apamia, descendent termini in Reblata, quæ nunc Syriæ vocatur Antiocha. » Additque « ut scias Reblam, sive Reblatam hanc significare urbem, dicit contra fontem; quem perspicuum est significare Daphnem, de quo fonte lucus aquis abundantissimis fruitur. » Et I *Machab.* III : « Onias, inquit, sacerdos continebat se in loco tuto secus Daphnem. » Nam cum sint plures Antiochiæ, una ad Cragum flumen in Cilicia, altera juxta Meandrum flumen in Caria, tertia Pisidiæ in Cappadocia, ad illarum differentiam hæc cognominata est Antiochia ad Daphnem, quæ etiam aliarum comparatione, Antiochia Magna dicitur, et Antiochia ad Orontem, quia ab Oronte fluvio secatur media. Est prolepsis; nam postea datum est nomen Daphnes huic fonti, æque ac suburbano Antiochiæ, ei adjacenti. Unde et porta urbis eo tendens, dicta est Daphnitica, juxta quam sepultum fuisse corpus S. Ignatii Martyris testatur S. Hieronymus. Dicta est enim Daphne, id est laurus, vel lauretum, ob lauros et cypressos a Pompeio dedicatas eo loco; vel potius ob memoriam virginis Daphnes, quam Ladonis fluminis sui filiam Antiocheni fabulati sunt : unde et « laurum coluerunt ob memoriam virginis Daphnes, » inquit Philostratus, lib. I, et Arianus, ac ex iis Antonius Nebrissensis in *Quinquagena*, cap. XIV.

Daphnis fons quis?

INDE PERVENIENT CONTRA ORIENTEM AD MARE CENERETH. — « Cenereth, » vel, ut Hebræi legunt, *Cinnereth*, urbs erat, quæ postea corrupte Genezareth, et a Tiberio Cæsare Tiberias est dicta : juxta hanc urbem erat lacus, qui mare et stagnum Cenereth, aut Genesareth, aut Tiberiadis dicitur, et a provincia in qua erat, mare Galilææ; juxta hoc mare erat Nazareth, Capharnaum, Bethsaida et aliæ urbes, quæ educatione, conversatione et miraculis Christi fuerunt celebratæ.

Erat hoc mare Cenereth, uti et alterum salsissimum, sive mortuum, cum Jordane, ab Oriente limes terræ sanctæ; Mediterraneum limes erat ab Occidente, torrens Ægypti, cum desertis Arabiæ; limes erat a Meridie Emath, sive Epiphania, uti et Libanus limes erat a Septentrione. Iidem termini terræ promissæ consignantur *Exodi* XXIII, 31, nisi quod ibi a Septentrione terminus ponatur fluvius, scilicet Euphrates. Qui sane ampli fuerunt termini, ac consequenter terra Judæis promissa perampla fuit : complexa est enim

(1) Vel potius a copia scorpionum, quos etiamnum in hac regione esse frequentes, testatur Volney, *Voyage en Syrie et en Ægypte*, P. II. Pro *villam* alii hebræam vocem retinentes vertunt *Chazar*, vel *Chesron*, prope Adar.

(2) Hodie vocatur *El arisch*.

(3) Non intelligendus ille mons Hor in australibus Idumææ finibus, in quo Aaron obiit, sed alius quidam borealis ultra Libanum situs. Alexandrini et Vulgatus pro *Hor* videntur legisse *har*.

(4) In hebr. est, *a monte Hor designabitis* (lineam ducendo) fines, *usque dum venitur in Emath, erunt extitus termini in Sedada*.

(5) Rosenmullerus, *ab oriente Ain*, ut Ain hic sit nomen proprium oppidi.

Philistiam et Philistinos omnes, ut patet *Josue* XIII, 2 et 3; rursum complexa est totam Phœniciam, ac consequenter Tyrum et Sidonem : hæc enim tribui Aser a Josue attributa sunt, *Josue* XIX, vers. 28 et 29; sed permisit Salomon Hiram regem Tyro dominari, ejusque opera usus est in fabrica templi, alioqui eum de jure regno Tyri excludere potuisset. Ita Abulensis. Hinc et mulier Tyria, quæ a Christo filiæ sanitatem impetravit, a Matthæo cap. XV, 22, vocatur *Chananæa*, a Marco vero, cap. VII, vers. 26, vocatur *Syrophœnissa*, quia videlicet Phœnicia erat pars Chananææ. Unde patet Judæos suo demerito et culpa tota terra hic promissa, usque ad hosce terminos, non esse potitos, nisi pauco Salomonis regni tempore, quo tamen nonnullæ regiones non fuerunt ab eis cultæ et habitatæ, sed tantum subactæ et vectigales, quædam etiam amicæ tantum et sociales, uti jam dixi de Tyro.

Tyrus et Phœnicia ad sortem Judæorum pertinuit.

Vers. 12. 12. ET TENDENT USQUE AD JORDANEM. — Jordanes limes erat ab Oriente terræ sanctæ, id est novem tribuum. Nam tres aliæ tribus, scilicet Ruben, Gad et dimidia Manasse hic non numerantur, nec earum termini hic describuntur, quia ipsi jam sortem acceperant cis Jordanem, in Galaad, ut dicitur versu 14.

Jordanes conflatur ex Jor et Dan. Habet septem privilegia. Primum. Secundum.

Nota : Jordanes famosissimus fuit fluvius, et terminus terræ sanctæ. Oritur enim ad radices Libani, atque ex confluxu duorum rivulorum, scilicet Jor et Dan, conflatur; indeque dicitur Jordanes : juxta quem est planities viridissima, in qua exstat sepulcrum S. Job, alta pyramide insignitum. Jordanes, inquit Abulensis, *Quæst.* V, habet septem privilegia, super alia flumina : *primum*, quod dividat terram sanctam a Moabitis, Arabibus aliisque Gentibus; *secundum*, quod arca Dei cum Hebræis transeunte, fluenta ejus steterunt : in cujus rei monumentum, tulerunt Israelitæ duodecim lapides de medio alveo Jordanis, eosque in titulos erexerunt et collocarunt in Galgalis, *Josue* III, 4 et 5; *tertium*, quod per eum Elias et Eliseus, siccis pedibus transierunt, cum raptus est Elias per turbinem in cœlum, IV *Reg.* II, 8; *quartum*, quod in eo Naaman Syrus a lepra mundatus est, cum septies in eo lavaretur, lib. IV *Reg.* cap. V; *quintum*, quod in eo ferrum securis, ad mandatum Elisæi supernatavit, IV *Regum* VI, 2 et 6; *sextum*, quod in Jordane Christus baptizatus est, et tactu suæ mundissimæ carnis, vim regenerativam in baptismo, omnibus aquis tribuit, *Matth.* III; *septimum*, quod ibi Joannes Baptista vidit cœlum apertum, et audivit vocem Patris, et vidit Spiritum descendentem in specie columbæ, super Christum, *Matth.* III.

Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum.

Vers. 17 et 18. 17 et 18. HÆC SUNT NOMINA VIRORUM, QUI TERRAM VOBIS DIVIDENT, etc., SINGULI PRINCIPES DE TRIBUBUS SINGULIS. — Non quod hi duodecim divisores essent principes supremi singularum tribuum; nam Caleb non erat summus princeps tribus Juda; nec alii erant filii primogenitorum, id est principum suæ tribus, ut patet, si quis conferat parentum eorum nomina, quæ hic recensentur, cum principibus tribuum nominatis cap. I. Erant ergo hi principes aliquarum familiarum in sua tribu, vel principes, id est præpositi et præfecti divisioni terræ sanctæ. Hebræa enim vox נָשִׂיא *nasi* proprie significat *præpositum*.

Itaque hi duodecim principes terram Chanaan diviserunt in partes æquas proportionaliter; quo facto sortem jecerunt, quæ pars cuique obtingeret; atque hinc terra hæc nunc sorte, nunc per principes dividenda dicitur, ut patet cap. præced., vers. 54. Quomodo per sortes divisa sit terra, dicam *Josue* XIV, 1.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Levitis dari 48 urbes ad habitandum, cum suburbanis, ad alenda eorum pecora; atque ex iis sex pro asylo homicidis designari. Secundo, vers. 16, homicidæ causa jubetur agitari, ut, si fuerit voluntarius, occidatur : sin involuntarius, in asylo maneat, usque ad mortem pontificis.

1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho : 2. Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis, 3. urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum; ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis : 4. quæ a muris civitatum, forinsecus per circuitum, mille passuum spatio tendentur : 5. contra Orientem duo millia erunt cubiti, et contra Meridiem similiter erunt duo millia : ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque urbes in medio, et foris suburbana. 6. De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum

auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem : et exceptis his, alia quadraginta duo oppida, 7. id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis. 8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur : et qui minus, pauciores; singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis. 9. Ait Dominus ad Moysen : 10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, 11. decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint : 12. in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius judicetur. 13. De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, 14. tres erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan, 15. tam filiis Israel, quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit. 16. Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. 17. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. 18. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. 19. Propinquus occisi homicidam interficiet : statim ut apprehenderit eum, interficiet. 20. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias : 21. aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit : percussor homicidii reus erit, cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit. 22. Quod si fortuito, et absque odio, 23. et inimicitiis, quidquam horum fecerit, 24. et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata : 25. liberabitur innocens de ultoris manu; et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. 26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, 27. fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis, absque noxa erit qui eum occiderit; 28. debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere : postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. 29. Hæc sempiterna erunt, et legitima in cunctis habitationibus vestris. 30. Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. 31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur. 32. Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt : 33. ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur : nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. 34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

Vers. 1. 1. HÆC QUOQUE LOCUTUS EST DOMINUS, etc., SUPRA JORDANEM, — apud, juxta Jordanem.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. PRÆCIPE FILIIS ISRAEL UT DENT LEVITIS DE POSSESSIONIBUS SUIS, URBES AD HABITANDUM. — « Levitis, » scilicet tam sacerdotibus quam Levitis proprie dictis. Levita enim hic significat omnes de tribu Levi; his enim omnibus nulla hæreditas quidem, sed habitatio tamen danda erat. Unde assignatæ sunt eis variæ urbes, in quibus communiter et promiscue morarentur. Fuerunt eæ numero 48, ut patet *Josue* XXI, et hic vers. 7. Et in una harum fere erat tabernaculum, quo singuli, cum ipsorum ministrandi vices recurrerent, se conferebant, et expletis vicibus, domum ad suas urbes revertebantur. Lyranus censet has urbes fuisse sacerdotum tantum quoad usum; nam dominium earum fuisse penes alios, et probat de Hebron, quæ data est sacerdotibus, *Josue* XXI, et tamen dominus ejus erat Caleb de tribu Juda, *Josue* XIV, 3. Verum fallitur Lyranus. Nam *Levit.* XXV, 32 et sequent., dicitur quod urbes et suburbana (1) Levitarum sint eorum possessio sempiterna, quodque possint in eis ædes suas vendere et redimere; denique quod illæ in jubileo ad eos, quasi ad absolutos dominos, redire debeant, æque ac domus laicorum. Quod ad Hebron attinet, soli agri et vineæ, quæ erant in territorio Hebron, fuerunt Caleb; urbs autem et suburbana fuerunt sacerdotum, uti dicitur *Josue* cap. XXI, 11. Rursum *Levit.* cap. ult., 21, statuitur ut, si quis agrum Domino voverit, eum sacerdotes possi-

(1) *Suburbana*, id est, ut ait Jarchi, spatium vacuum segete, arboribus et ædificiis, in hunc finem Levitis attributum, ut decimas pecudum armentorumque lege ipsis concessas in hoc agro subdiali usque ad diem mactationis pascere possent.

deant. Sic III *Reg.* II, dicit Salomon Abiathar sacerdoti : « Vade ad agrum tuum. » Ita Jeremias sacerdos erat, et tamen, cap. XXXII, scribit ipsemet se emisse ac possedisse agrum. Denique *Act.* cap. IV, dicitur quod Barnabas Levites, Cyprius genere, vendiderit agrum quem habebat.

Ex quibus patet Levitas non tantum agros et suburbana in Judæa, sed et alibi agros et vineas partim emere, partim ex oblationibus et votis populi habere potuisse. Extra Judæam vero fundos, æque ut alii, hæreditare, emere et possidere poterant. Tantum enim in divisione terræ sanctæ, facta a Josue, Levitæ cum aliis tribubus sortem suam non acceperunt. Unde Barnabas in Cypro, et alii Levitæ alibi, suas habebant possessiones.

Vers. 3 et 4.

3 et 4. ET SUBURBANA SINT PECORIBUS AC JUMENTIS, QUÆ A MURIS CIVITATUM FORINSECUS, PER CIRCUITUM, MILLE PASSUUM SPATIO TENDENTUR. — Suburbana hic Levitis dantur ad mille passus circumcirca urbes eorum, idque pro pabulo pecorum. Hic versus, in Hebræo, Septuaginta et aliis, videtur omnino contrariari sequenti : hic enim dantur Levitis tantum mille *amma*, id est cubiti; sequenti vero versu dantur bis mille *amma*, id est cubiti, idque ad quamlibet mundi plagam.

Quomodo hoc versu dentur Levitis mille cubiti, sequenti bis mille ?

Respondet *primo*, Rabbi Salomon, Lyranus et Vatablus, datos fuisse Levitis mille cubitos; sed prioribus mille non licuisse arare et serere, posterioribus vero id licuisse. Verum hæc responsio ex cerebro conficta videtur; nihil enim tale innuit Scriptura.

Resp. Prima, Lyrani.


Secunda, Burgensis.

Secundo Burgensis, quem sequitur Arias Montanus in *Josue* XIV, respondet circum urbem quamlibet Levitarum, ejusque suburbana, descriptum fuisse quadratum, ita ut ejus quasi semidiameter a muris urbis usque ad finem suburbanorum contineret mille cubitos; ipsum vero latus quadrati quodlibet, contineret bis mille cubitos. Verum constat urbes fere non esse quadratas, sed rotundas, ac proinde circa eas suburbana ad mille cubitos, non in quadrum, sed in rotundum describi debuisse. Adde ex diametro hic eximi longitudinem urbis (nec enim a centro urbis, sed ab urbis muris dimetienda erant forinsecus hæc suburbana), ac proinde quadratum hoc, quod utrimque semidiametrum mille cubitorum (id est diametrum bis mille cubitorum) extra urbem, et simul diametrum urbis ipsius complectebatur, plusquam duo millia cubitorum continuisse, in quolibet latere quadrati (1).

Tertia, Masii.


Tertio, respondet Masius in *Josue* XIV, et Serarius in *Josue* XXI, scilicet suburbana hæc, ad quamlibet plagam habuisse tantum mille cubitos; dici tamen eos bis mille, quia si linea recta mille cubitorum ad Orientem, v. g. protendatur in latus oppositum, quod est ad Occidentem, quod etiam est mille cubitorum, erunt bis mille cubiti (2). Verum hoc videtur adversari verbis textus, quæ hos bis mille cubitos computant non a latere opposito ad oppositum, sed ab uno eodemque latere et plaga; aiunt enim : « Contra Orientem duo millia erunt cubiti, et contra Meridiem similiter erunt duo millia, » et totidem ad Septentrionem, totidem ad Occidentem.

Quarto, Abulensis censet hic sequendum esse, et *bis mille* ab omni latere, id est, in universum octo mille, ut hæc ostendit figura :



Ubi apparet, unumquodque suburbiorum latus esse duplo longius, quam linea ex urbe extrinsecus producta, quæ est *mille* cubitorum (vers. 4), adeoque singulis lateribus relinquuntur bis mille cubiti. » Cornelii nostri prima objectio gratuita est; secundæ respondetur, tum parvas admodum fuisse Levitarum urbes, tum Mosem in definiendis numeris mathematica, ut aiunt, accuratione non semper uti, imo sæpe numeros rotundos pro imperfectis usurpare.

(2) Idem vult Serarius, et hanc sententiam facile perspicies ex hac delineatione :



Urbs est EFHG ; DF = 1000 cub.; DF + GA = 2000 cub.

(1) A Paulo Burgensi vix discrepat Rosenmullerus, qui ait : « Simplicissima vers. 4 et 5 (in hebr. *et pomœria urbium, quæ Levitis daturi estis, a muro urbis* cujusque *extrorsum mille cubitos undique, in* omnes partes scil. pateant. 5. *Et metiamini extra urbem ad plagam orientalem duo millia cubitorum*, etc., *et urbs in medio sit*) conciliandi ratio videtur hæc esse, ut statuamus definiri suburbiis a muris urbis longitudinem *mille* cubitorum,

Quarta, Abulensis. non textum Hebræum, sed nostrum Interpretem: suburbana enim hæc continuisse mille passus, mille autem passus faciunt bis mille cubitos. Licet enim passus sit major cubito, contineatque quinque pedes, cum passum fixum metimur, videlicet utrumque pedem mensoris, et tres pedes, inter utrumque ejus pedem, in passu interceptos, tamen si passum mobilem (qualis hic erat) et continue progredientem metiaris et accipias, invenies eum tantum quatuor pedes continere. Nam primus pes tantum in primo passu numeratur, ita ut primus hic passus habeat quinque pedes; in sequentibus vero passibus tantum numerantur reliqui quatuor pedes, continuo sibi succedentes, ut patet experienti; quatuor autem pedes faciunt duos cubitos, et paulo amplius. Ergo mille hi passus idem sunt quod bis mille cubiti, de quibus vers. seq. Addit Vilalpandus, part. I *De urbe et templo*, lib. II, cap. II, quod cubitus communis sit pes cum dimidio, sed cubitus sacer sit duo pedes cum dimidio, ita ut duo cubiti sacri faciant passum, id est quinque pedes.

Objectio. Dices: In Hebræo tam hoc versu quam sequenti est eadem vox אמה *amma*, quæ cubitum significat: quomodo ergo noster Interpres eam hic passum, versu vero sequenti cubitum vertit?

Responsio. Responderi posset *amma* non tantum cubitum, sed et passum significare: id enim non tantum docet noster Interpres, sed et Eugubinus; quod vero Interpres eamdem vocem *amma* primo passum, deinde mox cubitum vertat, non est mirum, quia vidit ipse hoc exigere loci circumstantias; aliqui enim esset hic manifesta contradictio. Cum ergo dicitur in Hebræo simpliciter *mille amma*, intellexit *amma* absolutum et majus, id est passum significari; cum vero mox dicitur restricte, per litteram *beth*, duo millia באמה *baamma*, id est *in amma*, intellexit *amma* contractum et minus, puta cubitum significari. Forte etiam priore loco, scilicet hoc versu, pro *amma* legit פעם *paam*, id est gressus, passus, ut littera *pe* in codice attrita vel exesa, remanserit עם *am*, indeque descriptores fecerint *amma*. Sciebant enim non *am*, sed *amma*, certam mensuram significare. Verum, quia Hebræa constanter habent *amma*, per *aleph*, non per *ain*, quod in Scriptura semper cubitum, nunquam passum significat, itaque hic vertunt Chaldæus, Septuaginta et omnes alii interpretes, potius dixerim nostrum Interpretem passum hic, non majorem sive geometricum, qui quinque pedes complectitur, sed minorem sive vulgarem accipere, ut idem sit quod cubitus. Nam in incessu passus vulgaris, qualis est lente et modeste ambulantium, æqualis est cubito, si ab eo primum pedem, utpote in quo consistis, demas, atque tantum numeres spatium inter duos pedes interjectum (quod est dimidii pedis), ipsumque pedem, quem in passu hoc extendis et promoves. Sic enim passus hic minor continet pedem circiter cum dimidio; tantumdem autem continet cubitus.

Quinta, Responsio Auctoris.

Passus major est quinque pedum: minor est pedis cum dimidio, id est cubiti.

Dices: Quomodo ergo hoc versu numerantur suburbana ad mille passus sive cubitos, versu vero sequenti ad bis mille cubitos? Suppono tam urbes quam suburbana hæc, circulari vel ovali forma fuisse. Objectio. Quomodo mille cubiti vocantur bis mille?

Nunc dico: Antilogia hæc dupliciter solvi et conciliari potest: *primo*, si cum Cajetano dicamus suburbana hæc fuisse mille cubitorum, sed circulum sive peripheriam ipsorum fuisse octo circiter millium cubitorum; ita ut peripheria hæc a quolibet mundi angulo, id est plaga, habuerit bis mille cubitos. Resp. prima Cajet. probabilis.

Pro quo nota: In circulo circumferentia habet proportionem triplam ad diametrum, et paulo amplius, ita ut si diameter sit duorum millium cubitorum, circumferentia sit sex millium cubitorum. Hic vero semidiameter suburbanorum erant mille cubiti: his adde diametrum urbis ipsius, qui erat circiter sexcentorum cubitorum, ita ut diameter tam urbis quam suburbanorum fuerit 2600 cubitorum; ex quibus necessario sequitur circumferentiam (quæ tripla est ad diametrum) tam urbis quam suburbanorum horum, fuisse circiter octo millium cubitorum; ter enim 2600 faciunt octo millia, exceptis ducentis, quæ hic addenda sunt, quia circumferentia paulo plus quam tripla est ad diametrum: jam divide octo millia per quatuor mundi plagas, invenies partem quartam circumferentiæ suburbanorum, quæ cuilibet plagæ obvertebatur, fuisse bis mille circiter cubitorum. Et hoc est quod dicitur vers. seq., ad quamlibet plagam fuisse bis mille cubitos.


«Moses, inquit Cajetanus, circumferentiam suburbanorum, octo millium cubitorum instituit, sive civitas sit magna, sive parva, ut una esset lex communis de spatio suburbanorum. Arbitratus est enim æquum esse ut cujuslibet civitatis diameter intrinsecus haberetur sexcentorum cubitorum; quamvis enim una civitas major esset alia, pensando tamen majorem cum minore, et e converso, instituit suburbana æqualia; existente enim diametro 2600 cubitorum, æque secundum proportiones geometricas, circumferentia decernitur esse octo millium cubitorum, secundum proportionem triplam, et paulo plus.» Verum, quia angulus (uti est in Hebræo) cujusque plagæ, vers. seq. protrahi jubetur ad bis mille cubitos, et quia angulus proprie, non peripheriam circuli, sed angulum sive triangulum significat, et quia præcise hic mille passus, id est cubitos, extra singulas urbes numerari jubet Deus; urbes autem aliæ erant magnæ, aliæ parvæ, ac consequenter aliæ minus, aliæ amplius quam octo millia cubitorum habebant in peripheria suburbanorum: Responsio secunda verior, fuisse mille cubitos, dici tamen bis mille si utrumque latus trianguli, ad quamlibet plagam metiamur.

Hinc *secundo*, aptius hæc duo millia cubitorum accipias, non in peripheria, sed in canthis sive lineis a centro, puta a muris urbis ductis usque ad peripheriam suburbanorum; hæ enim lineæ, cum sint binæ ad quamlibet mundi plagam, ut eam totam inter se capiant et comprehendant,

faciunt unum angulum in centro in quo coeunt, et duos angulos in peripheria in qua terminantur, itaque faciunt triangulum. Unde Hebræa sic ad verbum vertas, *mensurabitis ad angulum Orientis duo millia cubitorum;* totidem ad angulum Meridiei, Occidentis et Septentrionis.

Videtur enim Deus hic describere circulum urbis cum suburbanis, ita ut centrum sit urbs, peripheria vero terminetur ad mille cubitos circumquaque extra muros urbis. Circulum autem hunc, ad quatuor plagas, dividit in quatuor quasi triangulos, quorum quisque est isosceles, id est duo latera, quæ a centro ad peripheriam ducuntur, habet æqualia. Jubet ergo hic Deus ut suburbana quaquaversum, ad quatuor mundi plagas, extendatur ad mille cubitos, utque Orientalis plaga describatur duabus lineis, ductis ab urbe ad peripheriam suburbanorum, quæ duæ lineæ comprehendant latus Orientale, instar trianguli. Pari modo, per duas lineas triangulum secundum jubet describi, ad plagam Occidentalem, et pari modo, tertium triangulum ad Meridiem, et quartum ad Septentrionem; sic ut quælibet plaga describatur per triangulum, ductis duabus lineis ab urbe usque ad peripheriam jam dictam, quarum quæque contineat mille cubitos (suburbana enim extenduntur ad mille cubitos), ita ut duæ lineæ ad peripheriam cujuslibet plagæ ductæ, quæ sunt trianguli hujus duo latera æqualia, simul contineant bis mille cubitos.

Sic ergo facile conciliamus hanc antilogiam; dicimus enim suburbana tantum extensa fuisse ad mille cubitos circumquaque, sed quamlibet plagam fuisse descriptam quasi per triangulum, ita ut duo haberet latera, quorum quodque erat mille cubitorum, ac consequenter utrumque latus simul sumptum erat bis mille cubitorum. Verisimile enim est octo quasi limites vel palos horum suburbanorum, in ipsis eorum finibus fuisse positos, ita ut ad illos ab urbe totidem lineæ, scilicet octo, duci possent, quæ quatuor quasi triangulos faciunt; idque ad hoc, ut per hosce limites, statim circumquaque sciri posset, quousque Levitarum prædia se extenderent, itaque crebræ lites, quæ de confinibus incidere solent, cum vicinis tribubus vitarentur. Huic sensui favent Hebræa, quæ habent, *numerabis duo millia in cubito*; quæ phrasis innuit hos bis mille cubitos, non directe in longum, sed lateraliter, nimirum per duo trianguli latera numerandos esse, scilicet ut quodlibet latus habeat mille cubitos, prout in sequenti figura est videre :



Vers. 6. 6. DE IPSIS AUTEM OPPIDIS, QUÆ LEVITIS DABITIS, SEX ERUNT IN FUGITIVORUM AUXILIA SEPARATA, UT FUGIAT AD EA QUI FUDERIT SANGUINEM, — qui aliquem occiderit, intellige nolens vel nescius, ut dicitur vers. 11, et *Josue* XX, 3; hæc enim urbium asyla constituta sunt ad tutelam innocentium : unde debebat homicida prætendere innocentiam, antequam ad hæc azyla admitteretur. « Stabit, inquit Josue, XX, 4, ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. »

Nam lege veteri, ob populi illius duritiem, permissum erat cognatis occidere percussorem propinqui sui, sine alia judicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, ut patet vers. 19 et 27. Ergo constitui jussit Deus has urbes refugii, ad quas qui cædem admiserant, se reciperent, ut ibi essent tuti, donec causa eorum examinaretur, idque vel in porta urbis ad quam confugerant, vel eo loco ubi homicidium admiserant, uti dicam vers. 25. Unde eo ducebantur, ibique cognati occisi litem eis intentabant, in qua si innocentes deprehenderentur, puta fecisse cædem, non ex proposito, sed ignoranter, casu, vel ad sui tutelam, remittebantur ad locum refugii, ut dicitur vers. 25; sin nocentes deprehenderentur, puta scienter et ex proposito occidisse, occidebantur et ipsi.

Cis Jordanem, Moses designavit tres urbes refugii, scilicet Bosor, Ramoth et Golan. Jubet vero hic vers. 11, ut postquam Hebræi transierint Jordanem, in terra promissa, tres alias insuper designent; quod reipsa factum est, *Josue* cap. XX, vers. 7. Urbes ergo hæ refugii universim fuerunt sex, quibus Deus alias tres addi jussit, *Deut.* XIX, 9, tunc scilicet, cum magis dilatati essent termini Hebræorum.

Omnes porro urbes refugii habitabantur a Levitis, nimirum, ut sacerdotii dignitate vis injusta (si cognati occisi homicidam ad necem persequerentur) facilius prohiberetur, utque a viris humani divinique juris peritis, puta a Levitis et sacerdotibus, illius modi capitalia judicia rectius sanctiusque judicarentur.

An tabernaculum et urbs ejus fuerint asylum? Respondeo tabernaculum fuisse azylum, non urbem.

Quæres an urbs, in qua erat tabernaculum, vel ipsum tabernaculum, fuerit asylum. Negat Tostatus, *Quæst.* XI; affirmat Covarruvias, cap. XX, concl. 2, lib. *Variar. resol.* Verum dico altare et tabernaculum fuisse asylum; non vero ipsam urbem, in qua illa erant. Patet ex eo quod Joab ex urbe fugerit ad tabernaculum et altare, quasi ad asylum: est enim hic locus ex se sacer. Idem colligitur ex *Exodi* XXI, 14. Ita Serarius in *Josue* XX, Quæst. VII, ubi pluribus id confirmat.

Quinque mystica azyla.

Mysticam explicationem sex urbium refugii habet S. Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, cap. II; et ex eo Serarius in *Josue* XX, Quæst. XII; ac Magalianus ibidem, vers. 9, annot. 4, ubi docet pœnitentibus mystica asyla esse contritionem, orationem, Dei gratiam, Sacramenta et ingressum Religionis. « Docet, inquit S. Ambrosius, lex fugiendum sæculum, Deum sequendum. Sex autem civitatum refugia sunt, ita ut prima civitas sit cognitio verbi, et ad imaginem ejus forma vivendi. Secunda, consideratio divinæ operationis, qua creatus est mundus. Tertia, contemplatio potestatis regiæ et majestatis æternæ. Quarta, propitiationis divinæ contuitus. Quinta, legis divinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit. Sexta, portio legis quæ præscribit quid non faciendum sit. » Ita S. Romualdus a cæde cui interfuerat, fugiens ad monasterium, asylum litterale in mysticum commutavit, factusque monachus Ordinem Camaldulensium instituit; in quo vixit mira sanctitate ad centum annos, mortuusque est anno ætatis 120 (1).

Vers. 15. 15. TAM FILIIS ISRAEL, QUAM ADVENIS ATQUE PEREGRINIS, — scilicet ad judaismum conversis, id est, proselytis. Hi enim vocantur advenæ et peregrini : scilicet advena, vel, ut hebraice est, גר *ger* dicitur, qui nunc primo, vel certe non ita pridem advenit et accessit ad judaismum. Peregrinus vero, vel, ut hebraice est, תושב *toscab* dicitur, qui pridem accessit, diuque inter Israelitas commoratus est : sicque accipiendæ sunt Græcæ voces, ὁ προσήλυτος καὶ ὁ πάροικος. Ita Serarius in *Josue* XX, Quæst. VI. Proselyti ergo gaudebant jure asyli, non vero Gentiles in gentilismo manentes. Ita Abulensis et Serarius; licet Masius et Magalianus jus asyli etiam Gentilibus hisce hic concessum fuisse censeant; quæ sententia non est improbabilis.

Quis advena?

Quis peregrinus?

An Gentiles habuerint jus asyli?

Tria privilegia Judæorum, quibus carebant proselyti.

Nota : Judæi ex genere tria habebant privilegia, quibus carebant proselyti : *primum*, servus si esset Judæus, anno septimo, et quinquagesimo fiebat liber; non autem, si esset proselytus, *Levit.* XXV, 40 et 43. *Secundum*, Judæi gaudebant privilegio remissionis debitorum anno septimo, non proselyti, *Deut.* XV, 3. *Tertium*, Judæi non poterant dare ad usuram Judæis, sed proselytis, *Deut.* XXIII, 19. In cæteris, leges utrisque erant æquales. Ita Abulensis.

Solis homicidis olim erant asyla, scilicet involuntariis. Occidenti alium se defendendo, non egebat asylo.

UT CONFUGIAT AD EAS, QUI NOLENS (involuntarie; hebraice, *in ignorantia*) SANGUINEM FUDERIT. — Nota : Proprie pro solis homicidis hæ urbes refugii statutæ sunt, non autem pro iis qui tantum læserant alium. Si tamen hi ad eas confugissent, gaudebant communi jure asyli. Rursum, homicidæ voluntarii non habebant jus asyli. Sed quid, si voluntarie quem quis occidisset, at seipsum defendens, vimque vi repellens? Respondeo : Hic habebat jus asyli, imo probata hac sua innocentia, ex asylo liber domum remittebatur, quia non erat homicida et nocens, sed plane inno-

(1) Vers. 12. Pro *cognatus occisi*, in hebr. est *Goël, vindex sanguinis*, ut infra vers. 21 vocatur. Hodienum apud Arabes si quis interemptus fuerit, consanguinitate proximus hoc sibi sanctissimum officium impositum esse judicat, cædis auctorem propria manu interficiendi.

cens. Ita Abulensis, Quæst. V, in cap. XX *Josue*, et ibidem Serarius et Magalianus. Si quis vero in ipso asylo, puta in urbibus refugii, cædem fecisset, hic jure asyli non gaudebat. Ita Abulensis, ibidem *Quæst.* XIX.

Occidens in asylo non habebat jus asyli.

Causæ asyli. Prima. Secunda.

Nota : Concessæ sunt hæ urbes refugii in asylum, *primo*, ut essent innocentiæ et innocentum auxilium et præsidium; *secundo*, ut ostenderet Deus quam serio in homicidium, voluntarium præsertim, inquirendum et animadvertendum esset; *tertio*, ut ejus qui occisus erat propinquis subtraheret materiam iræ, doloris et vindictæ (erant enim Judæi præfracto animo et vindictæ percupido); *quarto*, ut novarum rixarum et cædium auferret occasionem; *quinto*, ut esset in refugii latebris pœnitentiæ typus et figura.

Tertia. Quarta. Quinta.

Asyla Christianorum et Judæorum in quatuor punctis differunt. Primo. Secundo.

Simili modo in lege nova, reis asyla sunt omnes ecclesiæ, cœmeteria, cœnobia, domus religiosæ et ecclesiasticæ. Quare plura sunt asyla Christianis, quam fuerint Judæis. Rursum, Judæi tantum habebant asylum pro homicidis involuntariis, quia alia peccata fere voluntarie, et dedita opera committuntur, ideoque tunc ea impunita esse noluit Deus; Christiani vero asylum habent, fere in omni crimine et periculo. Dico fere; nam cap. *Inter alia*, tit. *De Immunit. Eccles.*, asylum negat nocturnis agrorum depopulatoribus, publicis latronibus, viarumque obsessoribus. Item jus asyli non habent virginum raptores, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, Judæi, et quotquot in ipsis asylis delinquunt, ut Covarruvias et alii docent. Vide Suarez, tract. *De Immunit. Eccles.*, cap. IX et X. Gregorius tamen XIV, Pontifex, nova constitutione hæc ad unam tantum formam redegit, qua jus asyli negat laicis publicis latronibus, viarum grassatoribus, depopulatoribus agrorum, iis qui homicidia aut mutilationes committunt in ecclesia vel cœmeterio, iis qui proximum proditorie occidunt, assassinis, hæreticis, reis læsæ majestatis. Exstat hæc bulla edita Antuerpiæ cum Synodo Antuerpiæ. *Tertio*, ex urbe refugii Judæi extrahi poterant ad judicium, ut in eo causa eorum ventilaretur; et, si deprehenderentur occidisse voluntarie, ac proinde non habere jus asyli, morte mulctabantur. Jam autem nec judex, nec quis alius reum Christianum ab asylo abstrahere potest. *Quarto*, Judæi habebant asyla jure divino, utpote a Deo præscripta. Hoc autem jus judiciale erat, et cæremoniale, ideoque jam abolitum est. Christiani vero habent asyla jure humano, quia videlicet Pontifices, et Reges, vel Imperatores illa, illorumque jus constituerunt : unde quibusdam in locis illud dilatarunt, in aliis restrinxerunt.

Qui criminosiin ecclesia non habeant asylum ? Tertio. Quarto.

Fundamentum asylorum.

Causa asylorum fuit, reverentia templorum et locorum sacrorum, atque ipsius Dei. Dum enim domus Dei habentur sacrosanctæ, et asyla, celebratur ejus gloria et majestas. *Secundo*, ejus misericordia et benignitas commendatur, dum miseros reos ad se confugientes, in suam tutelam recipit. Sic Gentiles Græci statuerunt « aram misericordiæ, » teste Pausania, lib. I in *Atticis*. Sic Romulus Romæ asylum constituit, teste S. Augustino, libro I *De Civitate*, cap. XXXIV, sed omnibus, etiam scelestissimis hominibus. Sic Alaricus et Gothi, capta Roma, pepercerunt Romanis fugientibus ad ecclesias; quinimo cum Gothus quidam sacra vasa apud virginem consecratam deprehendisset, illaque ei diceret : « Hæc vasa mihi de sacrario B. Petri sunt commissa, tange si audes; ego sacra non audeo tibi dare. » Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc regi nuntiavit; is statim reportari omnia ad sacrarium S. Petri curavit, dicens, « cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Jesu Christi. » Ita Rodericus Toletanus, lib. II *Rerum Hispanicarum*, cap. V.

Memorabilis fuit Agesilaus, qui Athenienses prælio victos, ad templum Minervæ confugientes, violari vetuit; etsi in eo prælio ipse aliquot vulnera accepisset, eisque valde videretur iratus. Sed plus apud eum valuit religio, quam ira. Idem fecit apud Barbaros, dicens in templa nullum esse jus belli; addebatque se mirari eos non haberi sacrilegos, qui læderent ibi supplices, ac per Deos obtestantes, nec graviores sumi pœnas de his qui religionem minuerent, quam qui templa spoliarent. Recte judicans diis esse chariorem hominum salutem, quam muta templorum ornamenta. Ita Æmilius Probus.

17. SI LAPIDEM (1) JECERIT, ET ICTUS OCCUBUERIT, SIMILITER PUNIETUR, — si videlicet ictus lapide statim expirarit; si enim ab ictu surrexisset, aut ambulasset, non occidebatur percurssor, aut potius jactor, sed tantum impensas curationis læso solvebat, ut patet *Exodi* XXI, 19. Vers. 17.

19. PROPINQUUS OCCISI HOMICIDAM INTERFICIET, — id est, interficere poterit. Est enim hic non præceptum, sed permissio tantum duris hominibus facta, idque ad cohibendas cædes, utpote quas omnes scirent, a tam multis propinquis statim acerbo animo vindicandas. Peccabant tamen occidentes homicidam, si ex odio et ira, ut fere fit, id facerent. Unde *Levit.* XIX, 17, in foro animæ et conscientiæ jubet Deus Hebræis, ut injuriarum obliviscantur. Vindicta ergo, quæ hic permittitur, culpam non sustulit, sed tantum facti, vel culpæ impunitatem dedit in foro exteriori. Id rursum patet ex eo quod hi propinqui occisi sæpe occidebant innocentem et involuntarium omnino homicidam, imo absolutum per judicem, si videlicet eum extra urbem asyli alicubi invenissent, ut patet vers. 27 : id autem fieri non poterat sine peccato. *Tertio*, idem patet ex eo quod hæc præcepta sint judicialia, quæ constituunt jus, quod servetur, et secundum quod ju- Vers. 19. Propinquus occisi poterat impune homicidam occidere. An peccabat ?

(1) Addunt hebræa יָדוֹ, id est *manus*, lapidem scil. manuarium, qua manu projicitur.

dicetur in foro externo. Ita Abulensis et Cajetanus.

Ritus judicialis olim circa homicidas.

Permittitur hic ergo cognatis occisi, ut homicidam interficiant, ubicumque eum invenerint extra urbes asyli. Nam in asylo homicidam tangere non poterant : ibi enim judices ei securitatem præstare debebant, donec causa ejus ventilaretur; in qua si condemnaretur, poterant eum cognati occidere, et, ut hic innuitur, tradebatur homicida a judice propinquis et cognatis occisi, ut ab eis jugularetur, idque ad satiandam eorum iram et offensam : sin innocens declararetur, secure reducebatur ad asylum, ibique manere debebat usque ad mortem pontificis. Ita Abulensis.

Vers. 20. 20. SI IMPULERIT, — intellige in ignem, aquam, foveam, etc.

Vers. 22. 22. QUOD SI FORTUITO. — Hebraice בפתע *bepeta*, id est subito, improviso, quod est fortuito.

Vers. 25. 25. REDUCETUR (homicida, qui fortuito occidit alium, et jam a judice declaratus est innocens) PER SENTENTIAM IN URBEM, AD QUAM CONFUGERAT. —

An causa homicidæ agitata sit in asylo, an in loco criminis?

« Reducetur, » id est, judex per sententiam jubebit eum reduci, vel ab urbe et loco, in quo homicidium perpetravit; ibi enim causa ipsius examinata fuisse videtur, eo quod ibi testes, et alia veritatis indicia majora suppeterent, ut vult Abulensis, idque innuit vox « reducetur; » vel certe ab ipsa porta urbis refugii, reduci eum jubebit in ipsam urbem. Nam in hac porta, scilicet inter Levitas, ubi sanctior erat religio et justitia, habitum fuisse hoc judicium de qualitate homicidii, censent Masius et Serarius in *Josue* XX, et alii. Utraque sententia et expositio est probabilis.

Homicida manebat in asylo usque ad mortem pontificis, cur? Prima causa.

MANEBITQUE IBI DONEC SACERDOS MAGNUS (pontifex) MORIATUR. — Quæres cur? varias causas dant Rabbini, quas recenset Serarius in cap. XX *Josue*, Quæst. V, quibus omissis dico : *Prima* causa fuit, ut interim longitudine temporis, ira et acerbitas cognatorum mitigetur, ne, ubi eum viderint, occidant; sed mortuo jam pontifice, cogitent iram quoque mori et exstingui debere, eo quod mortuus sit summus sacerdos, et sacrorum expiationumque princeps, quo vivente delictum est admissum; ac proinde in ejus morte et luctu sepeliendas esse privatas omnes noxas et injurias. Ita

Secunda. Theodoretus, *Quæst.* LI. *Secunda*, quia pontifex erat quasi patriæ parens, ut eo vivo vigeret respublica, eo mortuo etiam ætati illi, sive sæculo finis imponi videbatur. Ita Magalianus in *Josue*

Tertia. cap. XX. *Tertia*, quia pontifex personam repræsentabat Dei, in quem peccarat homicida, ac proinde homicidium in pontificis injuriam redundabat, ut merito eo vivente recludi deberet homicida, ne inter homines libere caput attolleret, dum vivit ille, qui in terris Dei interpres censetur, et divinam majestatem quasi adumbrat, contuens scilicet e summo sacerdotalis dignitatis fastigio, quæ pie aut impie geruntur. Et hoc innuit τὸ *qui unctus est oleo sancto, q. d.* Lateat homicida, dum vivit pontifex, in quo Dei majestas violata est per illiusmodi facinus, quod interea dum ille pro Deo summo fungebatur sacerdotio, patratum est : ita Magalianus supra, et Masius in *Josue* cap. XX.

Quarta. *Quarta*, datum hoc fuit pontificis novi, qui mortuo succedebat, gratiæ, ut sicut ad Deum hominibus propitiandum novus accedit, ita etiam novum beneficium et salutem miseris reis, qui ea digniores videntur, præstet.

Quinta. *Quinta*, « ostendere, inquit Oleaster, voluit Deus, quantum abhorrere debeat sacerdos homicidia, etiam involuntaria. Rursum, pontifex erat Dei vicarius, agebatque partes justitiæ divinæ, qua Deus vindictam ab hominibus expetit; et eo mortuo, videbatur pars adversa exstincta, quæ ultionem pro Deo peteret, et ideo tunc reus omnino absolvebatur. »

Sexta. *Sexta* et potissima causa fuit, ut significaretur vera libertas, quæ per pontificis Christi mortem homicidis, id est peccatoribus omnibus, parta est. Ita Serarius. Unde :

Allegorica. Allegorice Cyrillus, lib. VIII *De Adorat.* p. 165 : Homicidæ, inquit, erat genus humanum, et homines peccatores ante Christi adventum, qui peccatis occiderant animas suas, non sponte, sed illecti et impulsi a concupiscentia. Hi pœnitentes fugerunt, et abdiderunt se in urbes refugii, id est, in limbo patrum, usque ad mortem pontificis, id est Christi, qui eorum vincula laxavit, eosque e limbo et inferno eduxit. Ita et S. Gregorius, homilia 6 *in Ezechielem*.

Vers. 27. 27. ULTOR SANGUINIS, — id est sanguine propinquus, cui competit vindicta.

ABSQUE NOXA ERIT, — non punietur. Hebraice *non illi sanguis*, scilicet imputabitur, ut pro eo suum pendat.

Vers. 30. 30. SUB TESTIBUS (Hebraice, *ad os testium*, scilicet plurium, non unius) PUNIETUR (1).

(1) Pro *ad unius*, etc. in hebr. est, *unus testis non respondeat* judicibus interrogantibus *in anima ad mortem*, id est, unus tamen testis in causa capitali admittendus non est. Cf. *Deut.* XVII, 6; XIX, 15.

Vers. 31. *Non accipiatis pretium pro vita homicidæ, qui mortis est reus.* Apparet ex h. l. apud Israelitas jam ante Mosis tempora consuetudinem viguisse argento vitam a Goele redimi. Apud Arabes illam consuetudinem confirmavit et in jus vertit Mahometis auctoritas (*Sur.* II, 173, 174). Moses vero hunc morem abrogat. Et vero erat prudentiæ legislatoris, turpem et abjectam consuetudinem prohiberi; interest enim, ait Allioli ad h. l., non familiæ solum, sed et reipublicæ, ut in homicidas animadvertatur, nec judex dolori potius cognatorum servit, quam exemplum pœnarum proponit, quo terreantur improbi, atque boni tuto degere possint. Et hodie apud Arabes Thehamanenses ignominiosum est a Goele vitam argento redimere, teste Niebuhr, in *Descript. Arab.* p. 32.

Vers. 32. Habent hebræa, *ne accipiatis redemptionem*, id est mulctam aut pecuniam judici oblatam, *ut fugiat*, qui de industria cædem commisit, *ad sui asyli urbem, ut revertatur ad habitandum in terra ante mortem sacerdotis*. Sunt qui ante *ut revertatur* omissam esse putant particulam אֹ, *aut*, hoc sensu : Nulla mercede perduci te sines, ut *vel* is, qui ab urbe asyli sub præsidio publico ad judicium perductus est, si cognoscatur deliberato fecisse homicidium, remittatur ad asyli urbem; *vel* ut

Vers. 33. Homicidium polluit terram.

33. NE POLLUATIS TERRAM, — homicidio. De homicidio, ob ejus enormitatem, dicitur, quod polluat terram, quæ recepit sanguinem innoxium effusum, quasi is moralem terræ labem et maculam aspergat, maxime si terra sancta sit, aut Deus in ea peculiariter se exhibeat, uti in terra filiorum Israel faciebat; quodque hæc labes tollatur justa vindicta et nece homicidæ. Sic de aliis quibusdam peccatis, ut Sodomia, mercede operariorum defraudata, oppressione pauperum et pupillorum, dicit Scriptura quod ipsa clament in cœlum, quia sui enormitate, vindictam quasi a Deo exposcunt.

Morale, quam asylum ecclesiæ inviolatum servandum sit. Exempla.

Moraliter disce hoc capite, quam jus asyli et ecclesiæ inviolatum servari debeat: hinc qui illud violarunt, graviter a Deo puniti sunt.

Primo, Heliodorus volens aurum depositum in templo sibi vindicare, flagellatus est ab angelo, et vix Oniæ precibus liberatus est, II *Machab.* III.

Secundo, Nicanor, II *Machab.* XIV, Deum spernens, et jurans se templum Domini Libero patri dicaturum, nisi traderetur Judas qui ibi erat, interficitur.

Tertio, S. Augustinus, epist. 6 in *Appen.*, Bonifacium Comitem agentem cum Gothis in Africa, ducem exercitus, quod confugientem ad ecclesiam inde abstrahi jussisset, graviter reprehendit. «Miror, inquit, quomodo tam subito fidei murum aries ruperit inimici; novi enim qua religione semper sis Ecclesiam Dei veneratus. Quo instante, frater, hominem de ecclesia rapuisti? tuus si de tuo amico forte præsumeret fugitivus, posset procul dubio intercessoris causa veniam promereri; ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabuchodonosor regem intende, qui causa superbiæ in bovem est ex homine commutatus. Non ut confundam te, hæc scribo, sed ut filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti.» Pœnam deinde ei infligit dicens: « Oblatio vero domus tuæ a clericis ne suscipiatur, indixi; communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus, vel errore, a me definita tibimet pœnitentia, pro hoc facto corde contrito et humiliato dignum offeras sacrificium Deo.»

Quarto, anno Domini 606, et anno imperii Phocæ 4, Scholasticus vir religiosus, eunuchus palatii, Constantinam dominam, olim Augustam, conjugem Mauricii Imperatoris, cum tribus filiabus ejus accipiens, ad magnam ecclesiam confugit. At vero tyrannus in ecclesiam ad abstrahendum mulieres festinavit. Patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minime passus e templo tyrannice abduci mulieres. Verum juramentis certo eo reddito a Phoca, quod non læderet eas, educuntur e templo, et clauduntur in monasterio. Ita ex Theophane et Cedreno Baronius anno Christi 606.

Quinto, Aspar et Ardaburius reposcentes Joannem quemdam, qui fugerat ad monasterium S. Marcelli, miserunt milites qui per vim eum extraherent; sed, orante S. Marcello, fulgura in milites missa eos represserunt, ut crudelis Ardaburius Joanni pepercerit, et mores mutarit. Ita habet Vita S. Marcelli. Hujus miraculi occasione factum putat Baronius, ut Leo Imperator egregiam sanctionem de immunitate confugientium ad ecclesiam hoc ipso anno promulgaverit, ita rescribens ad Erythræum præfectum prætorio: « Præsenti lege decernimus per omnia loca valitura, nullos penitus, cujuscumque conditionis sint, de sacrosanctis ecclesiis orthodoxæ fidei expelli, aut tradi, vel protrahi consentias.»

Sexto, circa annum Domini 1000, Veremundus XI, Legionis et Asturiarum rex, a susurrone deceptus præcepit capi Gudesteum Episcopum Ovetensem; sed ut tantum nefas non procederet impunitum, facta est siccitas magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur: cumque quibusdam fuisset a Domino revelatum famem propter injuriam Episcopi accidisse, et regi esset revelatio intimata, confestim absolvit Episcopum, et per Semenum Asturicensem Episcopum, cui rex Episcopum commendaverat, fecit restitui Gudesteum, et statim Dominus pluviam voluntariam segregavit, et terra attulit fructus suos. Tunc rex Veremundus corde compunctus ecclesiam B. Jacobi, et cætera loca quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, restauravit, et bonis operibus et eleemosynis jam intentus, de commissis cum consilio Prælatorum pœnitentiam agere satagebat, et in villa quæ est in Berizo, moritur et sepelitur, inquit Rodericus, et Vasæus ad annum Domini 982, et Grantzius, libro V *Histor. Sued.* cap. XXI.

Septimo, de Sancio majore Navarræ atque Castellæ rege omnes fere rerum Hispanicarum scriptores ferunt, quod, cum die quadam in venatione aprum insectaretur, ille fatigatus, intra obvios parietes, qui supererant memoriæ S. Antonini Martyris, se recepit, apud relictam ibi sacram aram consistens, quasi apud tutum asylum angelorum custodia vallari consuetum, juxta illud oraculum: «Homines et jumenta salvabis, Domine.» Cum rex venabulo illum appeteret, elevatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum sentit inutile; sed reatum agnoscens Martyrem deprecatus, ad pristinum usum sensit divinitus revocatum, didicitque suo damno quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, ut nec bestiam illuc fugientem lædere licuisset, inquit Rodericus et Vasæus, et ex iis Baronius, anno Domini 1032.

Octavo, Eutropius Arcadii eunuchus, omnium

ei, qui est in urbe asyli, permittatur alibi habitare ante mortem Pontificis maximi. Rectius, ut videtur, alii hunc solum hujus legis sensum esse putant, qui in postremo membro propositus est: nempe, ne qui in asylum perfugisset, ulla pecunia ante obitum summi sacerdotis jus ad pristinam sedem revertendi sibi posset redimere.

colluvie facinorum infamis, cum ab Imperatore legem extorsisset, qua immunitas omnis abrogaretur, liceretque etiam ad aras confugientes extrahere; ipse Imperatoris postea declinans iram, ab ara ad quam confugerat, abstractus in exilium missus, indeque revocatus capite truncatus est, teste Suida in *Eutropio*, et Chrysostomo, oratione *in Eutropium*, atque procurante Chrysostomo iniqua lex abrogata est.

Nono, de S. Basilio scribit Nazianzenus, orat. de illo, eum viduam altare complexam a Præsidis injuria tutatum esse.

Decimo, de S. Ambrosio scribit Paulinus, eum defendisse Cresconium, ne ibi comprehenderetur a lictoribus; quod cum non obtinuisset, abstractores ejus in theatro laniati sunt a feris, quæ in abstractum immissæ fuerant.

Undecimo, Orosius, lib. VII, cap. XXXVI, memorat pœnam violatoris asyli Mascezilis ducis.

Denique, quod magis mirere, S. Justus, episcopatu Lugdunensi relicto, secessit in eremum Ægypti, diuque ibi latuit, pœnitentiam agens, quod hominem, qui confugerat ad ecclesiam, rejecisset, ut populi sedaret furorem, accepta prius fide a magistratu, quod nullum illi homini periculum intentaret: Ita habet ejus Vita apud Surium, tom. V.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione filiarum Salphaad, fertur lex, ut ipsæ et aliæ, quæcumque hæreditatem patris adeunt, nubant contribulibus suis.

1. Accesserunt autem et principes familiarum Galaad filii Machir, filii Manasse de stirpe filiorum Joseph, locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: 2. Tibi domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: 3. quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum, de nostra hæreditate minuetur, 4. atque ita fiet ut, cum jubilæus, id est quinquagesimus annus remissionis, advenerit, confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat. 5. Respondit Moses filiis Israel, et Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est, 6. et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus; 7. ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua: 8. et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis, 9. nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, 10. ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum: 11. et nupserunt Maala, et Thersa, et Hegla, et Melcha, et Noa, filiis patrui sui 12. de familia Manasse, qui fuit filius Joseph: et possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu et familia patris earum. 13. Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

Vers. 2. 2. TIBI DOMINO NOSTRO PRÆCEPIT DOMINUS UT TERRAM SORTE DIVIDERES, — id est dividi præciperes per tuos successores: nam Moses moriens terram non divisit, sed ejus jussu Josue, qui ei successit.

ET UT FILIABUS SALPHAAD FRATRIS NOSTRI DARES POSSESSIONEM DEBITAM PATRI. — Id jussit Dominus cap. XXVII, 7.

Vers. 3. 3. QUAS SI ALTERIUS TRIBUS HOMINES UXORES ACCEPERINT, SEQUETUR POSSESSIO SUA, ET TRANSLATA AD ALIAM TRIBUM DE NOSTRA HÆREDITATE MINUETUR, — ut scilicet non dicatur esse hæreditas tribus Joseph, sed alterius cujus erunt futuri harum filiarum Salphaad mariti. Licet enim filius aliquis surrogandus esset avo materno defuncto, qui in nomen et hæreditatem ejus succederet, vocareturque v. g. filius Salphaad, tamen quia hic filius patrem et fratres habebat ex alia tribu, hinc facile orta fuisset confusio et permixtio nominum, ut non vocaretur filius, vel nepos Salphaad, sed patris sui: unde per longitudinem temporis in jubilæo, cum de hæreditate revocanda, si ea alienata fuisset, agendum erat, facile orta fuisset confusio et error, ut scilicet hæreditas Salphaad ad

generos, eorumque cognatos et tribum transiret. Rursum, facile fieri potuisset ut obliterata maternæ successionis memoria, patris tribu et nomine absolute ea hæreditas censeretur. Hac de causa ne id fiat, sanxit Deus ut hæ filiæ extra tribum suum non nubant, sed maritos accipiant suæ tribus (1).

Vers. 7 et 8. 7 et 8. OMNES ENIM VIRI DUCENT UXORES DE TRIBU ET COGNATIONE SUA : ET CUNCTÆ FEMINÆ DE EADEM TRIBU MARITOS ACCIPIENT, UT HÆREDITAS PERMANEAT IN FAMILIIS. — Quæritur hic an hæc sententia de omnibus omnino viris et feminis intelligatur, ita ut omnes viri Hebræi debuerint ducere uxores tribus suæ, et vice versa omnes feminæ Hebrææ debuerint nubere maritis suæ tribus, non alterius.

An hæc lex intelligatur de omnibus feminis?

Affirmat Abulensis. Affirmant Lyranus et Abulensis, qui ab hac generali sententia excipiunt solos Levitas, idque vel ob dignitatem tribus Levi, ut vult Lyranus; vel quia tribus Levi in Chanaan nullam habebat possessionem, quæ per connubia distrahi posset ad alias tribus, ut vult Abulensis. Favent huic opinioni verba textus, quæ plane universalia sunt.

Respondeo negative. Loquitur enim lex tantum de iis quæ sunt hæredes. Verum dico hanc sententiam non esse intelligendam de omnibus omnino, sed tantum de feminis, quæ succedebant in hæreditatem patris, ob defectum prolis masculæ, et vicissim de viris, qui tales feminas ducebant. Tales enim feminæ et viri debebant esse ejusdem tribus; et hoc tantum hic præcipitur. Id ita esse probatur, *primo*, ex quæstione proposita, vers. 2 et 3. Ibi enim tantum quærebatur quomodo occurrendum esset, ne hæreditas filiarum Salphaad (quæ deficiente prole mascula, erant hæredes patris sui Salphaad) ad alienam tribum devolveretur : cui quæstioni respondet Moses, modumque congruum quo id fiat, suggerit, dicens : « Nubant maritis tribus suæ; » idque deinde generali sanctione, omnibus ejusmodi feminis et viris præcipit.

Prob. Primo.

Secundo. *Secundo*, idem patet ex fine legis, quem subdit hic Moses dicens : « Ut hæreditas permaneat in familiis; » ad hoc autem sufficit feminas illas, quæ hæredes sunt, non nubere in alia tribu : impertinens vero est idipsum ad alias omnes extendere; nam aliæ cum non habeant hæreditatem, neutiquam eam in aliam tribum transferrent; viri autem suam hæreditatem ad feminas alterius tribus, ac consequenter ad aliam tribum transfundere nequeunt : proles enim sequuntur nomen patris, non matris.

Tertio. *Tertio*, idipsum clarissimum est in Hebræo, sic enim habet, *et omnis femina, hæreditans hæreditatem, nubet uni ex tribu sua.* Sic et Chaldæus, Septuaginta et omnes Hebræi. Ergo de sola femina quæ hæreditatem adit, hæc lex est intelligenda.

Quarto. *Quarto*, id patet exemplis : David enim, qui fuit de tribu Juda, duxit Michol filiam Saulis, qui erat de tribu Benjamin; imo extra tribum suam duxit Gentilem, scilicet filiam regis Gessuri, II *Reg.* III, 3. Sic Mahalon et Chelion, filii Elimelech, duxerunt uxores Moabitides, ut patet *Ruth.* I, 4. Sic Booz duxit Ruth Moabitidem, *Ruth.* cap. IV, vers. 10. Hinc et *Deut.* cap. XXI, vers. 11, permittitur Judæis ducere virgines alienigenas, præterquam Chanaanitides, bello captas. Sic *Judic.* cap. ult. 1, jurant aliæ tribus, quod non dabunt filias suas in conjugium Benjaminitis; ergo antea id facere licitum et consuetum erat.

Objectio. Dices : Cur ergo noster Interpres id non expressit, sed generatim vertit : « Omnes viri ducent uxores de tribu sua; » et vice versa : « Cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient? »

Responsio. Respondeo : Quia præsupposuit ex quæstione proposita, et ex responsione versu 6, tantum hic agi de feminis quæ hæreditatem adeunt, et de viris qui tales in conjuges accipiunt. Hinc quod Noster vertit : « Omnes viri ducent uxores de tribu sua, » sic ex Hebræo cum Chaldæo et Septuaginta vertas, *singuli possessioni tribus patrum suorum adhærebunt,* scilicet filii masculi patribus suis succedent; feminæ vero, si hæredes sint, nubent alicui suæ tribus, ut videlicet nulla hæreditatis ex una tribu in aliam derivandæ sit occasio. Ita Burgensis, Cajetanus, Oleaster, Vatablus hic, et Andreas Masius in *Josue* cap. XVII, vers. 4.

Nota : Ex Hebræo colligitur filias, deficiente prole mascula, hæredes, debuisse nubere non tantum in eadem tribu, sed etiam in eadem familia proxima, ne earum hæreditas transiret ad exteras familias, sed maneret in familia patris consanguineis, qui ad eam jus habebant. Sic enim habent Hebræa vers. 6 : « Familiæ tribus patris sui erunt in uxores. » Et versu 8 : « Omnis filia hæreditans hæreditatem, etc. uni de familia tribus patris sui erit in uxorem, ut accipiant hæreditate filii Israel unusquisque hæreditatem patrum suorum.» Quapropter filiæ Salphaad nupserunt in eadem familia, scilicet filiis patruorum suorum, id est consobrinis suis, ut dicitur vers. 11. Et sic conciliamus genealogiam Christi apud Matthæum et Lucam, dicendo quod uterque vere describit genealogiam Christi, eo quod B. Virgo hæres nupserit consobrino suo, scilicet Joseph : Joseph enim fuit filius Jacob, B. Virgo fuit filia Eli sive Joachim : Jacob autem et Heli fuerunt fratres germani, scilicet filii Nathan. Ergo genealogia Christi apud Matthæum vera est ab Adam usque ad Nathan per lineam paternam, scilicet per parentes Joachim, qui fuit avus Christi : Lucas vero eamdem describit, sed per lineam maternam, scilicet per parentes S. Annæ matris S. Virginis. Cum enim jam esset descripta a Matthæo series omnium generationum per lineam paternam, noluit eam repetere Lucas, sed ulterius voluit ostendere Christum et B. Virginem etiam per lineam maternam esse de domo ac familia David. Unde cum Lucas dicit,

(1) Vers. 4. Clarius in hebr. *et cum advenerit jubileus filiis Israel, quia earum hæreditas addita jam fuerit hæreditati hujus tribus in quam connubio ingressæ sunt, hæreditas tribus patrum nostrorum minuetur de earum hæreditate.*

« qui fuit Heli, » nominat Christi avum, ac primum Christi progenitorem masculum, omissa B. Anna et B. Virgine, quod mulieres non solerent ingredi genealogiarum series. Rursum cum Lucas ait de Heli, « qui fuit Matthat, » intellige non filius, sed gener : Matthat enim fuit pater non Heli sive Joachim, sed S. Annæ uxoris Joachim; cum vero ulterius ait de Matthat, « qui fuit Levi, qui fuit Melchi, » etc. intellige semper τὸ *filius*. Hi enim sunt veri progenitores Matthat, cujus filia fuit S. Anna. Ita fere Franciscus Lucas ibidem.

Quomodo B. Virgo habuit cognatam Elisabeth?

Ex hoc loco sic explicato rursum patet quomodo B. Virgo, existens de tribu Juda, cognatam habere potuerit Elisabeth, quæ erat de tribu Aaron et Levi. Hujus enim causa et fundamentum non fuit, quod Levitæ soli possent ex alia tribu uxorem ducere, ut multi volunt; sed quod omnes feminæ nubere poterant maritis, qui erant ex alia tribu, si ipsæ haberent fratres, ita ut ipsæ non essent hæredes parentum suorum. Si enim ipsæ essent hæredes, non poterant nubere in alia tribu, multo minus poterant nubere Levitis. Levitæ enim nullius hæreditatis erant capaces, quia hæreditas eorum erat Dominus; ac consequenter filii Levitarum nec patris, nec matris hæreditatem adire poterant.

Ergo dicendum hic est unum e duobus, scilicet, quod mater vel avia B. Virginis fuerit ex tribu Levi (fueritque amita, aut consobrina Elisabeth), quam, eo quod non esset hæres, in uxorem duxerit pater, vel avus B. Virginis, qui erat ex tribu Juda, ita ut B. Virgo secundum paternam stirpem fuerit ex Juda, secundum maternam ex Levi. Aut potius vice versa dicendum est, quod mater vel avia S. Elisabeth fuerit ex tribu Juda (fueritque amita, vel cognata B. Virginis), quam, eo quod non esset hæres, duxerit pater vel avus S. Elisabeth, qui erat de tribu Levi, ita ut Elisabeth quoad patrem fuerit ex Levi, quoad matrem ex Juda : sic enim factum est ut B. Virgo et Elisabeth essent duarum sororum, aut consobrinarum filiæ, ac proinde essent cognatæ, esto patres haberent diversarum tribuum, ac consequenter et ipsæ essent diversarum tribuum : non enim ex matre, sed ex patre quisque sortiebatur familiam, tribum et nomen. Hinc salva tribuum discretione, reges in uxores ducebant filias pontificum, et pontifices filias regum, teste Josepho : atque ita Christus ex regibus Juda descendens, per avias suas descendit quoque ex Levi.

Vers. 7. 7. ET COGNATIONE. — Cognatio hæc generalis est, quæ scilicet est inter contribules. In re ergo hic idem sunt cognatio, tribus et familia. Tantum enim hic præcipitur ut ejusdem tribus uxores, vel maritos accipiant; non autem, ut ejusdem familiæ particularis, et proximæ.

Vers. 12. 12. QUÆ ILLIS FUERAT ATTRIBUTA. — Hæc non habentur in Hebræo, sed intelliguntur : nimirum, possessio patris Salphaad, quæ his ejus filiabus a Mose attributa erat, hac ratione, per connubium videlicet contribulium suorum, mansit in tribu earum, videlicet in Manasse, hoc est, in ea manere debuit, nec ad aliam tribum transferri potuit.

Mystice, possessio nostra constans et perpetua, nec alienanda, est cœlum, et æterna Dei gloria. Dum ergo vivis, dum vales, o homo viator, cogita quod omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Heu, heu fugaces, Posthume, Posthume, labuntur anni.* Cogita quod cuncta sub sole vanitas sunt, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Cogita, quod pro omnibus cogitatis, dictis et factis adducet te Deus in judicium. « Memento ergo Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum : quoniam ibit homo in domum ÆTERNITATIS SUÆ. » Cogita quod vita hæc sit palæstra ÆTERNITATIS. O filii Adam, ut quid caduca ambitis? O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes, cur momentanea et mox peritura sectamini? Utinam saperent homines, utinam intelligerent, utinam sibi providerent beatam ÆTERNITATEM!

DOXOLOGIA

DEI DUCTORIS ET DOMINATORIS,

EX GESTIS ET EPITOME NUMERORUM.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, ut cedri prope aquas.

Castra Israel. Castra Dei sunt hæc : hæ sunt multitudines Juda, hæc millia Israel et Levi.

Deus eduxit illa de Ægypto : cujus fortitudo similis est rhinocerotis.

In ipsis ventilabit gentes, usque ad terminos terræ : ossaque eorum confringet.

Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum?

Dominus dux ejus fuit : et clangor victoriæ regis in eo.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Ubi numerati et signati sunt duodecim millia, ex qualibet tribu Israel : qui amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Qui laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni.

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.

Nazaræi. Quam pulchri Nazaræi ejus! candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

Deduxisti, Domine, populum tuum : sicut oves, in manu Moysi et Aaron.

Columna nubis. Fuisti ei in velamento nubis per diem : et in luce stellarum per noctem.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Qui traduxit populum suum per desertum quadraginta annis : quoniam in æternum misericordia ejus.

Vestimenta eorum non sunt attrita : non erat in tribubus eorum infirmus.

Arca præcedens. Profecti sunt de Sina instructa acie, clangentibus tubis : arca præcessit eos.

Surge, Domine, et dissipentur inimici tui : et fugiant qui oderunt te a facie tua.

Panem de cœlo præstitisti eis : omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. Manna.

Concupierunt concupiscentiam in deserto : ascendit illis de mari ortygometra. Ortygometra.

Adhuc escæ erant in ore ipsorum : et ira Dei descendit super eos.

Ignis devoravit partem castrorum : sepulti sunt in sepulcris concupiscentiæ.

Septuaginta senes implevit Dominus spiritu suo : ut cum Mose regerent populum. 70 Judices.

Exploratores ad murmur concitarunt plebem : juravit Dominus, quod omnes murmurantes prosterneret in deserto. Exploratores.

Josue et Caleb secuti sunt a tergo potentis : prohibere gentem a peccatis, et perfringere murmur malitiæ.

Ideo hi soli ingressi sunt terram fluentem lac et mel : et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem; ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.

Addidit Aaron gloriam, dedit illi suas victimas et primitias : ipse est enim ejus pars et hæreditas. Aaronis sors est Deus.

O Domine, tu es pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Quid enim mihi est in cœlo : et a te quid volui super terram?

Deus cordis mei : et pars mea Deus in æternum.

Core, Dathan et Abiron, invidentes irritaverunt Mosen in castris, et Aaron sanctum Domini. Core, Dathan, Abiron.

Aperta est terra, et deglutivit Dathan : et operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum : flamma combussit peccatores.

Virga Aaron floruit, et produxit amygdalas : ut electus a Deo ostenderetur Aaron, in sacerdotem æternum. Virga Aaron florens.

Jussit Dominus castra esse sancta, et immundos expiari cinere vitulæ rufæ. Cinis vitulæ rufæ.

Aquæ contradictionis. Irritaverunt Mosen ad aquas contradictionis, exacerbaverunt spiritum ejus.

Iratus titubavit Moses : ideo exclusus est a terra promissionis.

Aaronis mors. Aaron pariter mortuus est in Hor : murmuraverunt rursum in tabernaculis suis.

Serpens æneus. Misit in eos Dominus ignitos serpentes : sed per serpentem æneum curavit eos.

Confitemini Deo, cœli : quoniam in æternum misericordia ejus.

Sehon et Og cæduntur. Qui occidit Sehon regem Amorrhæorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et Og regem Basan : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et dedit terram eorum hæreditatem populo suo : quoniam in æternum misericordia ejus.

Balaam prophetia. Venit Balaam, ut malediceret Israeli : asina loquens corripuit hominis insipientiam.

Pro maledictione benedixit, dicens : Quomodo maledicam cui non maledixit Deus?

Moriatur anima mea morte justorum : et fiant novissima mea horum similia.

Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus : qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.

Orietur stella ex Jacob : et consurget virga de Israel.

Et percutiet duces Moab : et vastabit omnes filios Seth.

Beelphegor. Initiati sunt Hebræi Beelphegor : fornicati sunt cum filiabus Moab.

Irritaverunt Deum per ejus idolum et idolothyta : hinc multiplicata est in eis plaga et ruina.

Zelus Phinees. Stetit Phinees, occidit Zambri principem : et placavit, et cessavit quassatio.

Et reputatum est ei in justitiam : dedit ei Dominus sacerdotium æternum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Josue successor Mosis. Moses moriturus imposuit manus Josue : constituit eum ducem populi.

Victimæ et vota. Sanxit victimas et libamina per singula festa et sabbata : sanxit leges de votis filiarum et uxorum.

Madianitæ cæduntur. Occidit quinque reges Madian, et Balaam : qui scandalum Beelphegor proposuerat filiis Israel.

Sors Ruben et Gad. Ruben et Gad dedit terram Og et Sehon : obivit quadraginta duas mansiones in deserto.

Termini Chananæi. Limites Chananææ possidendæ descripsit : statuit principes, qui terram populo dividerent.

Urbes Levitarum. Urbes et suburbana jussit dari Levitis : et constitui homicidis urbes refugii.

Nuptiæ contribulium. Filias hæredes jussit nubere in tribu sua : ne ad aliam tribum transferretur hæreditas.

Hæc sunt judicia tua sancta, Domine, quæ dedisti Mosi : examinata, et probata instar argenti, purgati septuplum.

Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN DEUTERONOMIUM.

ARGUMENTUM.

Pentateuchus integer, olim apud Hebræos, unus tantum fuit liber legis. Unde et hebraice תורה *thora*, et latine *lex* a Christo et Evangelistis vocatur; ut *Luc.* cap. ult. vers. 44: « Necesse est implere omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me; » et *Lucæ* II, 23 et 24: « Sicut scriptum est in lege (*Exodi* XIII, 2) Domini: quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini (*Levit.* XII, 8), par turturum, aut duos pullos columbarum; » et *Lucæ* X, 26: « In lege (*Deut.* VI, 5) quid scriptum est? ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; » *Ioan.* I, 47: « Quem scripsit Moses in lege; » *Matth.* VII, 12: « Hæc est enim lex et prophetæ; » *Matth.* XXII, 36: « Quod est mandatum magnum in lege? » Similia sunt *Actor.* XXIV, 14, *Actor.* XXVIII, 23, et alibi.

Postea vero Pentateuchus, secundum quintuplicem materiam quam tractat, dissectus fuit in quinque partes, seu libros. Unde quinta hæc sectio, vel liber, a sui exordio more Hebræo vocatur אלה הדברים *elle haddebarim*, id est, *ista sunt verba*. A græcis interpretibus, ac primum a Septuaginta ut videtur, Deuteronomium, id est, secunda lex, et a Rabbinis משנה *misne*, id est, iteratio legis, est appellatus, non quasi novam, et aliam a præcedentibus legem veterem contineat, sed quod legis in Sina, a Deo ante 38 annos latæ, et tribus superioribus libris, scilicet Exodo, Levitico et Numeris descriptæ, sit repetitio et explicatio. Ita Theodoretus hic, *Quæst.* I, S. Augustinus, *Quæst.* XLIX, et Athanasius in *Synopsi S. Scripturæ*. Unde S. Hieronymus in *Prologo galeato* (qui quasi galea libris omnibus S. Scripturæ præfigitur): « Deuteronomium, inquit, secunda lex, et Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic habet ea quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? »

Deuteronomium est repetitio legis.

Porro repetitio hæc legis a Mose jamjam moriturо facta est anno 40 exitus ex Ægypto, paulo antequam Hebræi transirent Jordanem, et ingrederentur in Chanaan, in campestribus Moab, puta in Abelsatim, quæ fuit quadragesima secunda et ultima mansio Hebræorum in deserto.

Ubi et quando?

Causa repetitionis fuit duplex: *prima*, quod senes omnes qui ex Ægypto egressi erant, et primam legem in Sina audierant, ob murmur exploratorum, *Num.* XIV, jam mortui erant; et populus præsens erat novus, qui priorem legem promulgari non audierat. Unde hac secunda legis promulgatione, iterato Deus novum cum Hebræis fœdus iniit, ut dicitur cap. XXIX, vers. 1. *Secunda*, quia Moses jam moriturus, ultimumque suis, sibique commissis Hebræis, quos præ vita sua diligebat, valedicturus, hac repetitione legem profundius, atque tenacius imprimere voluit. Ultima enim parentum, principum et doctorum verba tenacius filiis et subditis inhærent. Hinc Deuteronomium est velut incensa et perpetua quædam concio, eaque de causa Moses, cap. XVII, vers. 18, jussit ut novi reges eligendi describant sibi Deuteronomium, ut discant, ait, timere Deum. Eadem de causa, cap. XXXI, vers. 10, jussit ut Deuteronomium toti populo quolibet septimo anno remissionis legatur: quinimo illud ipsum lapidibus ad æternam memoriam inscribi jussit, *Deut.* XXVII, 3, et *Josue* VIII, 32.

Cur? Causa Prima.

Secunda.

Deuteronomium est perpetua concio.

Auctor Deuteronomii, uti et totius Pentateuchi, est Moses, qui illud primo populo viva voce promulgavit, deinde illud ipsum iis scripto reliquit, ut patet *Deuter.* XXXI, 9: « Scripsit, inquit, Moses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus. » Excipe tamen ultimum caput, quod non a Mose, sed ab Esdra, vel potius a Josue discipulo et successore Mosis, scriptum esse patet eodem cap. ult. vers. 5 et 6, ubi mors et sepultura Mosis describitur. Licet enim Philo in *Vita Mosis*, et Josephus lib. IV *Antiq.* cap. ult., putent hæc prophetice ab ipso Mose ante mortem esse conscripta: tamen contrarium est verius, illudque significant tum alia, tum illa verba: « Et non cognovit homo sepulcrum ejus, usque in præsentem diem; » quæ plane de tempore, quod mortem ejus secutum est, accipienda sunt.

Moses primo dixit, deinde scripsit Deuteronomium.

Dixit ergo, et simul scripsit Moses Deuteronomium anno 120 et ultimo vitæ suæ, qui fuit mundi 2493, a diluvio 836, ante nativitatem Christi 1456; idque paucis et ultimis pene anni illius septima-

Anno ultimo vitæ suæ, mense

undecimo. nis, ut patet ex eo quod scriptum sit Deuteronomium post mortem Aaronis, quæ contigit eodem anno, mense quinto, ut patet *Numer.* xx, 28, et *Numer.* xxxiii, 38; atque post victoriam de Og et Sehon, post prophetiam Balaam, post cladem Beelphegor, post censum populi, post bellum Madianiticum, et alia quæ a cap. xx *Num.* usque ad finem recensentur. Hæc enim omnia secuta sunt mortem Aaronis; atque post hæc omnia, Moses paulo ante mortem cœpit promulgare, ac deinde conscribere Deuteronomium, puta mense undecimo anni quadragesimi, prima die mensis, uti diserte dicitur *Deut.* xiii: hic ergo cycneam vocem edit Moses.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hisce tribus capitibus relegit et repetit Moses iter, casus et gesta 40 annorum, quibus vagati sunt per desertum. Hoc autem capite repetit gesta in Sina, et vers. 20, in Cadesbarne, ubi ob murmur exploratorum, omnes ad mortem et ad peregrinationem 40 annorum sunt damnati.

1. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare Rubrum, inter Pharan et Thophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum : 2. undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis : 4. Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon ; et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai, 5. trans Jordanem in terra Moab ; cœpitque Moyses explanare legem, et dicere : 6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens : Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis. 7. Revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum, et ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra Meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten. 8. En, inquit, tradidi vobis, ingredimini et possidete eam, super qua juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos. 9. Dixitque vobis illo in tempore : 10. Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi. 11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est). 12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia. 13. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. 14. Tunc respondistis mihi : Bona res est, quam vis facere. 15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. 16. Præcepique eis, dicens : Audite illos, et quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. 17. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. 18. Præcepique omnia quæ facere deberetis. 19. Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne, 20. dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi : ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis ; noli timere, nec quidquam paveas. 22. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis : Mittamus viros qui considerent terram, et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates. 23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. 24. Qui cum perrexissent et ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri ; et considerata terra, 25. sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt : Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est

nobis. 26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri 27. murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. 28. Quo ascendemus? Nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes : Maxima multitudo est, et nobis statura procerior : urbes magnæ, et ad cœlum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. 29. Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis eos; 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. 31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, 33. qui præcessit vos in via, et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis. 34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait : 35. Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris, 36. præter Caleb filium Jephone : ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum. 37. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit : Nec tu ingredieris illuc; 38. sed Josue filius Nun, minister tuus, ipse intrabit pro te : hunc exhortare et robora, et ipse sorte terram dividet Israeli; 39. parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, et filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur : et ipsis dabo terram, et possidebunt eam. 40. Vos autem revertimini et abite in solitudinem per viam maris Rubri. 41. Et respondistis mihi : Peccavimus Domino; ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, 42. ait mihi Dominus : Dic ad eos : Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum; ne cadatis coram inimicis vestris. 43. Locutus sum, et non audistis : sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem. 44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi : et cecidit de Seir usque Horma. 45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. 46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

Vers. 1. Miraculosa vox Mosis, Antonii, Vincentii, etc.

1. HÆC SUNT VERBA QUÆ LOCUTUS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL. — Hinc miraculo factum videtur, ut Mosis vox a toto Israele, id est a duobus vel tribus hominum millionibus audiretur, inquit Abulensis. Idem colligitur clarius ex cap. XXIX, 10: « Vos, ait, statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, etc. Omnis populus Israel, liberi et uxores vestræ, et advenæ qui tecum morantur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas. » Ita vox S. Antonii de Padua, S. Vincentii Fererii, et aliorum præconum Apostolicorum ad plures leucas, non tantum audita, sed et intellecta fuit a gentibus exteris, et illorum linguæ imperitis.

TRANS JORDANEM. — Moses non transierat Jordanem, sed citra eum consistebat; dicitur tamen trans Jordanem hæc locutus, quia respectu terræ promissæ (juxta quam Scriptura solet consignare plagas et situs locorum) regio hæc trans Jordanem erat. Hinc Scriptura eam trans Jordanem vocat, ut patet *Numer.* XXXII, 32; *Deuter.* IV, 46. Forte Moses scripsit, *cis Jordanem;* sed Josue, vel quisquis hæc Mosis diaria digessit, in Chanaan jam consistens, pro eo substituit, *trans Jordanem* (1).

CONTRA MARE RUBRUM. — Hoc enim mare arcuatur : unde Hebræi vagando et gyrando per desertum, sæpius ad illud accesserunt, inquit Abulensis. Hinc Septuaginta vertunt, *prope mare Rubrum.* Verum ex tabulis cosmographicis patet campestria Moab (in quibus hæc dicta sunt) longissime distare a mari Rubro. Melius ergo respondet Pererius, τὸ *contra*, vel *e regione*, dici de loco etiam longe dissito, modo alteri sit oppositus : sicut hic mare Rubrum obversum erat Hebræis, consistentibus in campestribus Moab. Meminit Moses maris Rubri, ut injiciat Hebræis memoriam transitus miraculosi maris Rubri, itaque eos impellat, ad hæc Dei sui tam benefici mandata observanda.

(1) Juxta alios vox עבר, quæ proprie significat *transitum, trajectum*, deinde denotat omnem tractum, qui fluvio alluitur aut interfluente aqua dirimitur, sive tractus ille sit citerior, sive ulterior.

In solitudine campestri, scil. in planitie Moabitica. Cf. infra vers. 5.

Secundo, quia mare Rubrum fuit initium, campestria vero Moab fuerunt terminus peregrinationis Hebræorum : utrumque ergo hic consignat Moses. Hebraice est *contra mare* סוף *suph*, id est termini, per quod accipi posset mare Mortuum, quod terminat terram sanctam ab Oriente, illique vicina et opposita sunt campestria Moab. Verum mare *suph* alibi passim significat mare Rubrum, quod Ægyptum ab Arabia disterminat, et ita hic vertunt Chaldæus et Septuaginta (1).

Mare Suph, id est termini, est mare Rubrum, cur?

INTER PHARAN, ET THOPHEL, ET LABAN. — Chaldæus, et ex eo Rupertus *Thophel* accipit, non ut proprium, sed ut appellativum, ut sit idem quod murmuratio; sic et *Laban*, id est album, significare manna. Unde vertit : « Corripuit, eo quod peccarunt in deserto; et quia irritaverunt Deum in campestribus, contra mare Rubrum; et in Pharan, ubi murmurati sunt adversus manna; et in Haseroth, ubi irritaverunt Deum super carnes, et in eo quod fecerunt vitulum aureum. » Simili enim modo Jacob sub mortem corripuit et increpavit Ruben, Simeon et Levi, *Genes.* XLIX, et Josue Israelitas, *Josue* ult., et Samuel populum, I *Reg.* XII. Verum patet hic non materiam, sed locum locutionis Mosis describi, ac proinde Thophel et Laban, æque ac Pharan et Haseroth, esse propria locorum nomina, uti docent Septuaginta: quare paraphrastice hæc addidit Chaldæus, uti et illud de vitulo aureo : illius enim hic in Hebræo nulla est mentio; Hebræus enim tantum dicit in Haseroth esse *sufficientiam*, id est abundantiam, *auri*, hoc est, ut Noster vertit, *auri plurimum*. Unde Septuaginta vertunt, *auri fodinas*.

Vers. 2. 2. UNDECIM DIEBUS, — scilicet locutus est hæc Moses. Ita aliqui, sed obstant sequentia, « per viam montis Seir; » nec enim in via ambulando et proficiscendo, tantæ multitudini loqui poterat Moses. *Secundo*, Cajetanus et Oleaster explicant, *q. d.* Undecim dierum iter est ab Horeb usque ad Cadesbarne, quod vicinum est Chananææ (2); sed Hebræi ob murmur ab ejus ingressu dilati et circumducti sunt per quadraginta annos. Verum hæc expositio nec vera est, nec ad propositum. Quid enim hoc facit ad locum vel tempus, quo hæc locutus est Moses? Insulsius est quod fingit R. Salomon apud Lyranum, iter ab Horeb ad Cadesbarne esse undecim dierum, sed Hebræos illud triduo confecisse; hoc enim tridui figmentum multis hic confutat Abulensis.

Qui hic undecim dies? Resp. Prima. Secunda. Tertia.

Quarta, et vera. Dico ergo hæc, uti et præcedentia, designare locum in quo sequentia locutus est Moses, *q. d.* Campestria Moab, ubi Deuteronomium promulgavit Moses, distant ab Horeb sive Sina, undecim diebus, eundo per viam montis Seir, qua scilicet itur versus Idumæam, progrediendo usque ad Cadesbarne, et inde circum Idumæam pergendo ad campestria Moab. Nam a Sina usque ad Cadesbarne sunt 17 leucæ unius horæ; a Cadesbarne usque ad campestria Moab sunt 34 leucæ; ut patet ex tabulis Adrichomii; a Sina ergo ad Moab sunt 51 leucæ : quare si quolibet die conficias quatuor leucas cum dimidia, undecim diebus venies a Sina usque ad hæc campestria Moab. Ita Abulensis.

Tropologice S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. I : « Israel, ait, verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit : subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglecte vivendo laxavit. »

Vers. 3. 3. UNDECIMO MENSE, PRIMA DIE MENSIS. — Deuteronomium ergo promulgavit Moses primo die mensis Sebet, qui nostro januario respondet. Primus enim Hebræorum mensis erat Nisan, puta martius; ac consequenter undecimus erat januarius, duodecimus februarius. Sic Christus prima die januarii, circumcisione sua, nomineque Jesu legem novam condere, eamque suo sanguine sancire cœpit, ut merito hoc novi anni et vitæ Christianis sit exordium, quod hic portendit et præfiguravit Moses, dum eodem mense et die promulgavit Deuteronomium (3).

Moses prima die januarii promulgans Deuteron. fuit typus Christi eadem die circumcisi.

Vers. 7. 7. VENITE AD MONTEM AMORRHÆORUM, — ad montem Galaad et regnum Og; hoc enim eo cæso occuparunt Hebræi, *Numer.* XXI, 35.

Vers. 8. 8. UT DARET ILLAM EIS ET SEMINI EORUM. — Τὸ *et* significat *id est;* nec enim Abraham, Isaac et Jacob unquam per se possederunt terram promissam, sed tantum in filiis et posteris suis. Sic et alibi sumitur τὸ *et*, uti ostendi *Levit.* VI, 2.

Vers. 10. 10. NON POSSUM SOLUS SUSTINERE VOS. — Septuaginta, *ferre vos, q. d.* Regimen vestrum, vestrique curam, puta totius populi onus, solus sustinere non valeo. Erat enim Moses non tantum judex populi, sed et pater, pædagogus et mater, quæ filios suos in sinu portat, ut patet *Numer.* XI, 11 et 12.

Vers. 11. 11. DOMINUS, etc., BENEDICAT VOBIS, — dando scilicet cum prolibus copiam bonorum temporalium et spiritualium; Dei enim benedicere est benefacere, quia efficax est Dei verbum.

Vers. 15. 15. TULIQUE, etc., NOBILES, — Hebraice, *tuli capita tribuum vestrarum.* Hebræi in eo qui gerit magistratum septem virtutes requirunt : *primo*, sapientiam; *secundo*, humilitatem; *tertio*, timorem Dei; *quarto*, odium avaritiæ; *quinto*, amorem veritatis; *sexto*, philanthropiam; *septimo*, bonum nomen.

Vers. 17. 17. NULLA ERIT DISTANTIA PERSONARUM (Hebraice,

(1) In hebr. non est *contra mare Suph*, sed *contra* seu *e regione Suph*. Itaque multis *Suph* videtur esse locus in regione Moabitica situs, ita dictus fortasse quod in finibus regionis situs esset : nam *suph finire*, et *terminum* denotat; neque hac voce sola, aiunt, Erythræum mare unquam indicatur. Ita Allioli ad h. l.

(2) Ita et Rosenmullerus.

(3) Vers. 4. Τὸ *in Edrai* non videtur referendum ad *mansit*, sed ad *percussit*. Cf. *Num.* XXI, 33, et infra III, 1.

Vers. 5. *Trans Jordanem.* Rectius, ait Allioli, *juxta littus Jordanis.*

non agnoscetis facies in judicio, id est, personam non considerabitis, an dives sit, an pauper); ITA PARVUM AUDIETIS UT MAGNUM, NEC ACCIPIETIS CUJUSQUAM PERSONAM, QUIA DEI JUDICIUM EST, — *q. d.* Quia cum judicatis, Dei vices geritis; Deus autem in judicio æquissimus est, nec personam respicit. Historia hæc descripta et explicata est *Exod.* XVIII, 19. Audi S. Hieronymum in epist. *ad Damas.*: « Alienum te a personis omnium redde in judicio, ac propter justitiam in judicio pauperem defendas, nec propter gratiam diviti indecenter assistas, aut si non potes facere, cognitionem respice causarum. » Et Petrum Ravennatem in quadam epistola : « Nihil adeo gloriose lucet in judice, sicut amare et exhibere justitiam sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone, exuit personam judicis, quisquis amicum induit. Æquitas cui judex obsequitur, sinistram odii vel amoris dexteram nescit. Nam talis esse debet juris minister, ut in ejus manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra justitiæ. » Rursum S. Hieronymus *in Amos*: « Quicumque, ait, consanguinitate aut amicitia, vel e converso hostili odio vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia. » Et Innocentius III Pontifex, lib. *De Vilitate conditionis humanæ*: « Vos, ait, non attenditis merita causarum, sed personarum; non jura, sed munera; non quid ratio dictet, sed quid voluntas affectet; non quid sentiat, sed quid mens cupiat; non quid liceat, sed quid libeat. » Et infra : « Pauperum causam cum mora negligitis, divitum cum instantia promovetis. In illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, istos cum facilitate tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis. » Et infra : « Clamat pauper, et nullus exaudit; loquitur dives, et quilibet applaudit. Dives locutus est, et omnes tacuerunt; pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? et si offenderit, subvertent eum. Clamat vim patiens, et nullus exaudit; vociferatur, et non est qui judicet. Diviti dicunt : Tu sede hic bene; pauperi vero : Tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum. » Hinc Solon, teste Laertio, rogatus : « Quid est lex? » respondit : « Araneæ tela; » quia si quid in eam inciderit debile, retinetur; grave autem pertransit tela rescissa; pauperes enim violantes legem plectuntur, divites impune agunt quod libet. Et Ovidius :

Moral. de acceptione personarum.

> Curia pauperibus clausa est; dat census honores,
> Census amicitias : pauper ubique jacet.

Vis exempla non accipientium personas? Elias libere increpavit Achab regem, Elisæus Joram, Nathan Davidem, Isaias Manassen, Daniel Nabuchodonosor et Balthasarem, Jeremias Joakim et Sedeciam, Joannes Baptista Herodem, Christus Scribas et Pharisæos. Vis Gentilium? Papinianus Jurisconsultus a Caracalla Imperatore jussus ejus parricidium, quo fratrem Getam occiderat, in senatu diluere, recusavit dicens, « non tam facile parricidium excusari posse quam patrari. » Epaminondas filium corona donatum, deinde securi feriri jussit, quod præcepti paterni contemptor cum hoste conflixisset, eumque vicisset. Brutus consul et M. Torquatus filios capite mulctarunt, quod cum Tarquiniis contra patriam conspirassent. Zaleucus Locrensis cum legem tulisset de adultero excæcando, ejusque filius in adulterio deprehensus esset, se uno, filium altero privavit oculo, ne ob acceptionem personæ lex lata violaretur. Ita Valerius Maximus, lib. VI, cap. V.

19, 20 et 21. CUMQUE VENISSEMUS IN CADESBARNE, DIXI VOBIS : VENISTIS AD MONTEM AMORRHÆI, etc., VIDE TERRAM QUAM DOMINUS DEUS TUUS DAT TIBI, — quia Cadesbarne est juxta Chanaan; tantum enim interest mons Idumææ. Unde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan, ad eam statim invadendam. Vers. 19, 20 et 21.

22. DIXISTIS : MITTAMUS VIROS, QUI CONSIDERENT TERRAM. — Hinc patet ipsos Hebræos petiisse mitti exploratores, qui, eis annuente Deo et Mose, missi sunt *Num.* XIV. Vers. 22.

28. URBES MAGNÆ, ET AD COELUM USQUE MUNITÆ, — id est, muris altissimis vallatæ et munitæ; et, ut Septuaginta vertunt, τετειχισμέναι, id est *muratæ*: est hyperbole; similis est cap. IX, vers. 1. Vers. 28.

FILIOS ENACIM (id est, filios gigantum, puta gigantes ex posteris Enac gigantis) VIDIMUS IBI. — Hæc historia explicata est *Num.* XIII.

31. PORTAVIT TE DOMINUS DEUS TUUS, UT SOLET HOMO GESTARE PARVULUM FILIUM SUUM. — « Portavit, » id est deduxit, direxit, fovit, protexit, scilicet *primo*, per columnam nubis et ignis; *secundo*, dando manna; *tertio*, protegendo te ab hostibus, eosque debellando; *quarto*, conservando tuas vires et sanitatem, item vestes, et calceos singulorum. Unde cap. II, vers. 7, dicitur Deus habitasse cum Hebræis 40 annis. Vers. 31.

33. METATUS EST LOCUM (præcedens castra in columna nubis) IN QUO TENTORIA FIGERE DEBERETIS. Vers. 33.

36. QUIA SECUTUS EST (Caleb) DOMINUM. — Hebraice, *quia perfecit* (scilicet ut iret) *post Dominum*, id est, perfecit mandata mea, sequendo me, mihique in omnibus plene et perfecte obsequendo. Vers. 36.

39. ET FILII, QUI HODIE BONI AC MALI IGNORANT DISTANTIAM, — puta parvuli vestri, qui nondum habent usum rationis, ut bonum a malo discernant (1). Vers. 39.

43. ADVERSANTES IMPERIO DOMINI. — Hebraice, *exacerbastis os Domini*, id est, repugnastis ejus verbis et jussis; itaque eum, ejusque os et vultum irritastis. Vers. 43.

(1) Vers. 41. Pro *cumque instructi*, etc., in hebr. est, *et accinxistis sua quisque instrumenta belli, et temere ascendistis.*

Vers. 44. 44. AMORRHÆUS, etc., PERSECUTUS EST VOS, SICUT SOLENT APES PERSEQUI, — *q. d.* Sicut apes irritatæ magno numero et furore persequuntur lacessentes se : ita et hostes vestri, scilicet Amorrhæi, vos persecuti sunt.

Vers. 46. 46. SEDISTIS ERGO IN CADESBARNE MULTO TEMPORE. — In Hebræo additur, *secundum dies quibus mansistis.* Quod Vatablus sic explicat, *q. d.* Tot diebus mansistis in Cadesbarne post regressum exploratorum, quot ibidem manseratis ante eorum regressum. *Secundo,* Hebræi in *Seder Olam* sic explicant, *q. d.* Mansistis in Cadesbarne tot diebus, quot mansistis deinceps in reliquis omnibus mansionibus simul videlicet annos 19 : bis enim novemdecim faciunt 38 ; quibus adde duos annos elapsos, antequam venirent in Cadesbarne, habebis 40 annos peregrinationis in deserto. Verum nil tale ex nostra versione colligi potest, nec etiam ex Hebræo : τὸ enim *secundum dies quibus mansistis,* non aliud est, quam repetitio et explicatio Hebraica ejus quod præcessit, scilicet *multo tempore.* Unde noster Interpres hanc repetitionem Hebræam, quasi otiosam, et Latinis auribus inusitatam, omisit.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repetit transitum Hebræorum per fines Idumææ, vers. 4, et Moabitidis, vers. 9, et Ammonitidis, vers. 18, incolis earum intactis. Denique bellum et victoriam de Sehon, vers. 24.

1. Profectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus : et circuivimus montem Seir longo tempore. 2. Dixitque Dominus ad me : 3. Sufficit vobis circuire montem istum, ite contra Aquilonem ; 4. et populo præcipe, dicens : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. 5. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos : neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. 6. Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis : aquam emptam haurietis, et bibetis. 7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum, novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos : habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. 8. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, et de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. 9. Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium : non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem. 10. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe, 11. quasi gigantes, crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim. 12. In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi : quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. 13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. 14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit : donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus : 15. cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio. 16. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores, 17. locutus est Dominus ad me, dicens : 18. Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar : 19. et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium : non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem. 20. Terra gigantum reputata est : et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, 21. populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum : et fecit illos habitare pro eis, 22. sicut fecerat filiis Esau, qui

habitant in Seir, delens Horrhæos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens. 23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis. 24. Surgite, et transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium. 25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo: ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. 26. Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens: 27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram. 28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est nobis concedas transitum, 29. sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir: et Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. 31. Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus, incipe possidere eam. 32. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. 33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo. 34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis, non reliquimus in eis quidquam. 35. Absque jumentis, quæ in partem venere prædantium: et spoliis urbium, quas cepimus, 36. ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. 37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: et cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

Vers. 1. 1. CIRCUIVIMUS MONTEM SEIR,—puta Idumæam: Idumæorum enim parens fuit Esau, qui dictus est Edom, quia rufus; et Seir, quia pilosus. Vide hos Hebræorum gyros per desertum, et circa Idumæam, in tabulis Adrichomii ad vivum descriptos. Porro Idumæa dicitur *mons*, quia alta est et montosa. Unde Abdias vers. 3 et 9, ait Idumæos morari in scissuris petrarum et montibus, additque: « Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. » Ita S. Hieronymus *De Locis Hebr.*

Vers. 3. 3. ITE CONTRA AQUILONEM, — ite contra terram promissam, quæ est ad Aquilonem Idumææ, quam circumiistis jam longo tempore versus Meridiem et Orientem; sed vestri misertus, volo ut quantocius incidatis iter vestrum per extrema Idumææ, ut recta contendatis in Chanaan, videlicet inter Moabitas et Ammonitas incedendo, per regna Og et Sehon.

Vers. 4. 4. TRANSIBITIS PER TERMINOS FRATRUM VESTRORUM, FILIORUM ESAU. — Licet enim *Num.* XX, 21, Idumæi initio negarint transitum Hebræis; hinc tamen, et ex vers. 6 et 29, patet eos Hebræis tandem transitum, saltem per extrema regionis suæ concessisse. Ita Abulensis, licet aliter sentiat Lyranus cum Rabbi Salomone.

5. NE MOVEAMINI CONTRA EOS, — Hebraice, *ne misceatis bellum*, scilicet cum eis. Vers. 5.

6. CIBOS EMETIS AB EIS PECUNIA, ET COMEDETIS. — Hinc patet Hebræos carni et ventri addictos, in deserto non tantum comedisse manna, sed et alios cibos, quos vel emebant ab Idumæis, aliisque vicinis gentibus, vel venabantur, vel ex pecoribus suis accipiebant. Idem patet *Josue* I, 11; ita Andreas Masius ibi, Pererius in *Exodi* XIII, disp. 7, Lorinus in cap. XVI *Sapientiæ*, Abulensis in *Exodi* XVI, Quæst. XII (1). Vers. 6. Hebræi in deserto præter manna alios cibos comederunt.

10. EMIM PRIMI FUERUNT HABITATORES EJUS, — scilicet Moabitidis. Nota: Erant olim diversa genera, vel progenies gigantum, ut patet *Gen.* XIV, 5. Alii enim dicebantur *Emim*, id est terribiles, videlicet aspectu, ob immanem proceritatem et vastitatem corporis: אימה *ema* enim hebraice est *terror*. Ita Chaldæi et S. Hieronymus in *Quæst. in Gen.* cap. XIV. Rursum Oleaster *Emim* ab אמה *amma*, id est cubitus, deducit, quasi dicas: Viri cubitorum, scilicet multorum. Secundi erant Vers. 10. Gigantes varii. Emim unde dicti?

(1) Vers. 7. *Novit iter tuum*, curam gessit itineris tui per desertum, iter tuum direxit, prosperum fecit, et in eo te variis beneficiis affecit. Cf. *Ps.* I, 6.

Vers. 9. *Ar* Mosis temporibus et diu postea fuit Moabitarum metropolis.

Raphaim unde? Primo. Secundo. Tertio. *Raphaim*, qui tum alibi, tum hic versu 11, in Hebræo nominantur, ita dicti, vel a primo gigante, eorum parente, Rapha, cujus mentio est I *Paral.* XX, 6; vel quod remissos facerent hominum animos, eosque immani sua statura et mole percellerent et dissolverent: רפא *rapha* enim significat remittere dissolvere. R. Nehemannus, et ex eo Andreas Masius in *Josue* XII, 4, putant *Raphaim* esse cognomen Hevæorum; cum enim חוים *Chivvim*, id est, Chevæi, sive Hevæi, dicti sint a serpentibus, quod eorum instar, in terræ cavernis habitarent, hinc pariter dicti sunt Raphaim, quasi dicas, Inferi, eo quod sub terra in specubus degerent: sic enim Isaias cap. XXVI, vers. 14, infe-

Enakim unde? Primo. Secundo. ros vocat Raphaim. Tertii erant *Enakim*, scilicet filii et posteri Enac gigantis, de quo *Josue* XXI, 14, et cap. XV, vers. 13 et 14. Aliqui tamen putant Enac non esse nomen, sed cognomen, quasi dicas, Torquatus, eo quod hi gigantes torquati incederent: ענק *anac* enim torquem significat. Sic apud Romanos, T. Manlius a torque, quem in pugna apud Anienem Gallo detraxit, dictus est Torquatus.

Vers. 12. Horrhæi qui? 12. IN SEIR AUTEM PRIUS HABITAVERUNT HORRHÆI (de quibus *Gen.* XIV, 5, quos percussit Codorlahomor, vastans montana Seir. Andreas Masius in *Josue* XII, 4, censet חוריים *Churim*, id est, Chorræos, sive Horrhæos, fuisse Troglodytas, itaque dictos a cavernis, quos incolebant (חור *chur* enim foramen, antrum, cavernam significat) æque ac Hevæi, quorum cognati fuerunt Horrhæi, quos deinde expulerunt Idumæi, ut hic dicitur, perinde ac Amorrhæos expulerunt Hebræi: hoc enim est quod sequitur:) SICUT FECIT ISRAEL IN TERRA POSSESSIONIS SUÆ, — puta in terra duorum regum, Og et Sehon: necdum enim cæteram terram promissam ingressi erant Israelitæ (1).

Vers. 15. 15. CUJUS (Domini) MANUS FUIT ADVERSUM EOS, — *q. d.* Domini virtus, potestas et vindicta, quæ manu apud homines exerceri solet, fuit exserta contra murmuratores, ut interirent, vel, ut hebraice est, ad perdendum vel conterendum eos in deserto.

Vers. 19. Ammonitæ et Idumæi ob merita patrum servati. 19. QUIA FILIIS LOT DEDI EAM. — Filii Lot fuerunt Ammon et Moab: unde ob merita Lot, voluit Deus posteris ejus cedere Ammonitidem et Moabitidem, æque ac posteris Esau, ob merita Isaaci et Abrahæ, avorum, voluit cedere Idumæam, expulsis Horrhæis, noluitque Hebræos ea invadere, vel occupare.

(1) Quæ his vers. et infra vers. 20 inserta sunt de origine et sedibus gentium quarumdam antiquissimis; probabile est a Mose addita esse, cum hos sermones ad populum habitos litteris mandaret. Non est igitur, cur illa prorsus non esse a Moso, sed ab alia manu historiæ illustrandæ causæ addita, a quibusdam affirmetur.

Sicut fecit Israel, vers. 12, id est, sicut facit, seu in eo est ut faciat. Etenim verba quæ actionem indicant, haud raro sunt capienda de re, quæ in procinctu est, ut fiat. Neque est igitur cur hæc verba post Mosen inserta arbitremur.

Vers. 20. 20. IN IPSA (Ammonitide) OLIM HABITAVERUNT GIGANTES, QUOS AMMONITÆ VOCANT ZOMZOMMIM. — Hi sunt qui *Genes.* XIV, 5, vocantur *Zuzim*, id est robusti, ut ibi vertunt Septuaginta; inde enim hebraice מזוזי *mezuze* vocantur postes domorum, quia validi sunt et fortes. *Zomzommim* autem he- Zomzommim qui? braice sonat, *primo*, flagitiosos et sceleratos: זמה Primo. *zimma* enim est scelus, facinus. *Secundo*, inusitatæ Secundo. et excogitatæ magnitudinis. *Tertio*, famosos, ce- Tertio. lebres, qui sunt in ore et reputatione hominum: unde Chaldæus vertit חשבני *chusbane*, id est spectatos, celebres: radix enim זמם *zamam* significat cogitare, reputare, machinari et moliri. Hinc videtur quod Ammonitæ et Moabitæ, æque ac Hebræi, usi sint lingua Hebræa: *Zuzim* enim, Ammonitæ locuti *Zomzommim*, *Emim*, vers. 11, sunt nomina Am- sunt hebraice. monitica et Moabitica, æque ac Hebræa. Lot enim, eorum parens, versatus fuit in familia Abrahæ Hebræi, patrui sui, descenditque ab Heber, in cujus familia mansit lingua Hebræa, in divisione gentium et linguarum in Babel. Omnes enim hæ gentes, adeoque omnes Chananæi usi sunt lingua Chananæa, quam affinem esse linguæ Hebrææ docet S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XIX. Unde et exploratores missi a Josue in Jericho locuti sunt cum Raab Chanaanitide, utique ejus linguam Chananæam intelligentes, et ab ea intellecti. Vide Serarium in cap. II *Josue*, Quæst. XXV.

Vers. 21. 21. ET FECIT (Dominus) ILLOS (Ammonitas) HABITARE PRO EIS (pro Zomzommim).

Vers. 23. 23. HEVÆOS QUOQUE, etc., CAPPADOCES EXPULERUNT, — *q. d.* Sicut Hevæi expulsi sunt a Cappadocibus, Horrhæi ab Idumæis, Raphaim ab Ammonitis: ita et incolæ Palæstinæ, et imprimis Sehon cum suis, a vobis, o Hebræi, expellentur. An hi Cappadoces fuerint Græci, an Palæstini, dicam *Jerem.* XLVII, 4.

Vers. 25. 25. HODIE INCIPIAM MITTERE TERROREM ATQUE FORMIDINEM TUAM IN POPULOS, QUI HABITANT SUB OMNI COELO, — ad quos videlicet fama rerum, a me pro te gestarum, perveniet, ut sequitur. Commode ergo τὸ *omni* accipiendum est. Ita Oleaster. R. Salomon docet, vel potius fingit, terrorem Mosis fuisse sub omni cœlo: quia in victoria de Sehon et Og stetit sol, sicut stetit, quando pugnavit Josue contra multos reges in Gabaon, *Josue* X, 12. Nil enim tale de Mose dicit Scriptura.

Vers. 28 et 29. 28 et 29. TANTUM EST (tantum requirimus) UT NOBIS CONCEDAS TRANSITUM, SICUT FECERUNT FILII ESAU (per extrema ditionis suæ, ut dixi vers. 4) ET MOABITÆ, QUI MORANTUR IN AR. — Prius ergo Moabitæ transitum aliquem in limitibus Ar dederunt Hebræis (2); sed paulo post, videntes cædi ab eis Sehon regem, cœperunt sibi timere, maxime cum secundo ad eos alio flexu accederent

(2) Omissis hisce conjecturis, simplicius dici potest, Idumæos de quibus *Num.* XX, 14-21, quique Hebræis transitum negarunt, diversos esse ab iis, qui hic memorantur, *Filiis Esau, qui habitant in Seir.*

Hebræi : unde vocarunt Balaam, qui malediceret Hebræis, *Num.* XXII, 5. Ita Abulensis. Censet Andreas Masius in *Josue* cap. XII, 3, Ar esse Areopolim.

Vers. 30. Deus obduravit Sehon, quomodo ?

30. QUIA INDURAVERAT DOMINUS DEUS TUUS SPIRITUM EJUS, — subducendo ei gratiam mollientem, et ex alia parte formidinem ac metum Hebræorum ei injiciendo : regi enim Gentili jure timendum erat, ne Hebræi specie transitus dolose occuparent ejus regnum; itaque ei petitionem Hebræorum de transitu proponendo, quem ipsum omnino negaturum præsciebat; unde consecutum est ut Hebræi eumdem vi et bello tentarent, in quo Sehon succumberet, et traderetur in manus eorum. Vide de obduratione dicta *Exodi* cap. VII, vers. 3.

Vers. 33. 33. PERCUSSIMUSQUE EUM CUM FILIIS SUIS, ET OMNI POPULO SUO. — Tradit Josephus, ex se, ut videtur, more suo rem exornans, quod in bello hoc multi ex Amorrhæis siti sint mortui; alii ruentes ad fluvium Arnon, jaculis confixi sint; alii ad mœnia fugientes, a fundibulariis præventi, usque ad internecionem deleti sint.

Quinque privilegia Mosis præ Aarone.

Ex dictis hucusque patet quod Moses, licet exclusus sit terra sancta, æque ac Aaron, multa tamen præ eo habuerit privilegia et gaudia. *Primum,* quod in partem terræ sanctæ, quæ est ultra Jordanem, scilicet in Galaaditidem, ingressus sit : Aaron vero jam ante mortuus fuerit in monte Hor. *Secundum,* quod debellarit Og et Sehon, eorumque regna occuparit, et suis diviserit. *Tertium,* quod exceperit benedictionem Balaam. *Quartum,* quod Madianitas deleverit. *Quintum,* quod e propinquo totam terram promissam speculatus sit. Ita Abulensis.

Vers. 34. 34. INTERFECTIS HABITATORIBUS EARUM, VIRIS AC MULIERIBUS, ET PARVULIS. — Quia Deus jusserat omnes gentes, quarum urbes possessuri erant Hebræi, totaliter deleri, ut patet cap. XX, versu 16.

Vers. 37. 37. QUÆ ADJACENT TORRENTI JEBOC, — ubi Jacob luctatus est cum angelo, *Genes.* XXXII, 22, pertinetque ad Ammonitas.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repetit Moses victoriam de Og, et quomodo ejus æque ac Sehon, ditionem diviserit inter tribum Gad, Ruben et dimidiam Manasse, ea lege ut ipsi alias tribus præeant, et in Chanaan inducant. Denique, vers. 23, *orat Moses ut sibi detur ingredi in Chanaan; sed Deus ei silentium indicit.*

1. Itaque conversi ascendimus per iter Basan; egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai. 2. Dixitque Dominus ad me : Ne timeas eum; quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua, faciesque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon. 3. Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus : percussimusque eos usque ad internecionem, 4. vastantes cunctas civitates illius uno tempore; non fuit oppidum, quod nos effugeret : sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. 5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. 6. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos : 7. Jumenta autem et spolia urbium diripuimus, 8. tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem; a torrente Arnon usque ad montem Hermon, 9. quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir; 10. omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha et Edrai civitates regni Og in Basan. 11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. 12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad, et civitates illius dedi Ruben et Gad. 13. Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob : cunctaque Basan vocatur terra gigantum. 14. Jair filius Manasse possedit

omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan Havoth Jair, id est, Villas Jair, usque in præsentem diem. 15. Machir quoque dedi Galaad. 16. Et tribubus Ruben et Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon : 17. et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra Orientem. 18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens : Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem; expediti præcedite fratres vestros filios Israel, omnes viri robusti, 19. absque uxoribus, et parvulis atque jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt quas tradidi vobis; 20. donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit, et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Jordanem : tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. 21. Josue quoque in tempore illo præcepit dicens : Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus; sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. 22. Ne timeas eos : Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. 23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens : 24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ. 25. Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. 26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi : Sufficit tibi : nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. 27. Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem, austrumque et orientem, et aspice, nec enim transibis Jordanem istum. 28. Præcipe Josue, et corrobora eum atque conforta : quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es. 29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

Vers. 8. et 9.

8 et 9. TULIMUSQUE TERRAM, etc., A TORRENTE ARNON USQUE AD MONTEM HERMON, QUEM SIDONII SARION VOCANT, ET AMORRHÆI SANIR. — Mons ergo Hermon vocatur *Sarion* et *Sanir;* vocatur et *Sion,* vel *Seon,* ut patet cap. IV, vers. 48. R. Salomon putat *Sanir,* vel *Senir,* esse nomen Germanicum, æque ac Chananæum, significans nivem, qua coopertus est semper mons Hermon. Idem censet R. Nehemannus, et ex eo Masius, *Josue* XII, 5; quin et Chaldæus *Sanir* interpretatur nivosum (1).

Hermon dicitur Sanir, unde?

Hermon dicitur, quia nive semper riget.

Addit Masius hunc montem esse contiguum Libano, ejusque quasi partem spectantem ad Orientem, quæ ob nivem rigida est, vasta et inculta, indeque dictam esse Hermon, vel Chermon. *Cherem* enim, vel *herem,* significat rem perditam, corruptam, succisam, vastatam, quæ nulli est usui vel fructui.

Vers. 11.

11. SOLUS QUIPPE OG, REX BASAN, RESTITERAT DE STIRPE GIGANTUM, — intellige in regione illa : nam alibi adhuc exstitisse gigantes patet *Numer.* XIII, 34, *Josue* XV, 14, et I *Paral.* XX, 6; ibi ergo ex gigantibus remanserat sola stirps Og : nam alii percussi et deleti sunt a Codorlahomor, *Gen.* XIV, 5. Fabulantur Judæi Og fuisse reliquum ex diluvio, et ex gigantibus, qui ante diluvium fuerunt, *Genes.* VI, 4, itaque Og octingentos et plures vixisset annos; qua de re dixi *Genes.* VII, in fine.

MONSTRATUR LECTUS EJUS PERREUS IN RABBATH (hæc postea dicta est Philadelphia, teste S. Hieronymo in *Locis Hebraicis*), NOVEM CUBITOS HABENS LONGITUDINIS, ET QUATUOR LATITUDINIS. — Talmudici tradunt hunc lectum fuisse cunas Og, cum esset parvulus : nam cum crevit in virum, aiunt, solum pedem ejus fuisse 120 cubitorum, non communium, sed giganteorum, qualis erat Og; ac consequenter tam ipse, quam lectus ejus, facile leucam integram occupassent, inquit Abulensis; de qua fabella plura dixi *Num.* XXI, 35 (2).

Fabula, lectum Og fuisse ejus cunas.

Physice, vasta ista corpora sæpe parum habent mentis. Vulgo dicitur illud Sophoclis, ἄνους ὁ μακρὸς, *amens longus,* dictitant enim prælongis mentem deesse, pusillis adesse animum : parvi enim

(1) Hermon coll. Arab. proprie significat *prominentem montis verticem.* Sanir proprie est *lorica.* « Apprime autem, inquit Simonis in *Onomast. v. t.* p. 71, montibus altis id nominis convenit, quia naturali sua constructione præstant gentibus inexpugnanda munimina. Sic Θώραξ nomen montis est in Magnesia; et pars Alpium vocatur *Brennus; Bren* autem, vel *Bryn* veteribus Germanis *galeam* notavit. »

(2) Pro *monstratur* hebr. est *nonne est,* etc. חלוח pro חלא ponitur. Lectum illum, tanquam spolium, in suam metropolim Rabbath secum abstulisse potuerunt, idque ante prælium Mosis cum Og commissum. Igitur hæc circumstantia Israelitis innotescere potuit, antequam David hanc Ammonitarum regiam expugnaret, II *Sam.* XII, 26.

sunt animosi. De valde procero dicitur : « Longurio est, et caliga Maximini, » id est, prælongus est et insulsus. Hinc et Vegetius, lib. I, cap. v : « In bello, inquit, non tam staturæ militis rationem habere convenit, quam virium. » Celebratur illud Athenæi : « Nullus malus magnus piscis; » diciturque de iis qui prægrandi sunt corpore, cæterum ingenio nullo. Virtus animæ unita fortior est in parvo, quam divisa in magno.

Symbolice lectus peccatoris et luxuriæ, qui et quantus ?

Symbolice, Abulensis hic, *Quæst.* III : « Og, ait, hebraice idem est quod coacervans, et signat peccatorem, qui peccata peccatis superaddit, donec veniat in profundum malorum. Peccatum enim, cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat, ut fiat habitatio omnis spiritus immundi, maxime luxuriæ; in quo cum quis novem cubitos longitudinis, et quatuor latitudinis habuerit, tanquam in lecto requiescit immobilis. *Primus* ergo cubitus, vel gradus, est in cibis exquisitis. *Secundus*, in dulcibus et continuis poculis, quia venter mero æstuans despumat in libidinem, ut ait S. Hieronymus. *Tertius* est in spectaculis. Nam, ut ait Poeta :

Novem gradus luxuriæ.

> Spectatum veniunt; veniunt spectentur ut ipsæ.
> Iste locus casti damna pudoris habet.

Et *Jerem.* cap. IX : Intravit mors per fenestras nostras; et : Oculus meus deprædatus est animam meam. *Quartus* est in cantilenis lascivis. *Quintus* est in aromatibus, quæ venerem provocant. *Sextus* est in donis et munusculis. *Septimus*, in mollibus lectis. *Octavus*, in temporali sociorum lætitia. *Nonus*, in turpi usu feminarum. Habet quoque iste impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos. *Primus* est turpis cogitatio. *Secundus*, perficiendi consensus. *Tertius*, consequens operatio. *Quartus*, diuturna assuefactio, quæ tandem facit hunc lectum ferreum, ut a nulla bona monitione, vel inspiratione superari possit. » Hucusque Abulensis.

CUBITI VIRILIS MANUS. — Hebraice, *secundum cubitum viri.*

Vers. 14. 14. JAIR, FILIUS MANASSE, POSSEDIT OMNEM REGIONEM ARGOB. — « Filius, » id est nepos. Vide *Num.* XXXI, 41. Hebræi enim omnes posteros vocant filios. Sic Judæi vocantur *filii Israel*. Sic Elisabeth vocatur *filia Aaronis, Lucæ.* I, 5. Asa et Ezechias vocantur *filii Davidis*, III *Reg.* XV, 11, et IV *Reg.* XVIII, 3 (1).

USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. — Abulensis vult hæc verba addita esse, non a Mose, sed ab Esdra, qui Dei instinctu libros legis a Chaldæis combustos restauravit, et de novo conscripsit; æque ac illud, vers. 1 : « Monstratur lectus ejus, » etc., eo quod paulo ante mortem Mosis hæc contigerint. Verum non est necesse hoc dicere : nam tres et plures menses ab hisce gestis usque ad mortem Mosis fluxerunt.

Adde, si hæc addita sunt ab alio quopiam, non ab Esdra, sed ab eo qui diaria hæc Mosis paulo post digessit, esse addita. Denique, non est verisimile Esdram Pentateuchum totaque Biblia ex memoria, vel Dei instinctu, restaurasse : nec enim Chaldæi exemplaria omnia, quæ per totam Judæam aliasque gentes sparsa erant, comburere potuerunt. De qua re alibi fusius dicetur.

15. MACHIR (id est, posteris Machir) QUOQUE DEDI GALAAD, — id est, partem Galaad. Nam Rubenitæ etiam et Gadditæ ejus partem habebant, ut sequitur. Vers. 15.

17. TERMINOS CENERETH. — « Cenereth » est Genezareth, sive mare Galilææ, vel Tiberiadis, uti dixi *Num.* XXXIV, 12. Vers. 17.

USQUE AD MARE DESERTI, — usque ad mare Mortuum, sive lacum Asphaltitem, *Num.* cap. XXXIV, vers. 3 et 12.

18. PRÆCEDITE FRATRES VESTROS, — armati in Chanaan. Vers. 18.

20. DONEC REQUIEM TRIBUAT DOMINUS FRATRIBUS VESTRIS, — donec scilicet debelletis Chananæos, trans Jordanem habitantes, quod factum est per septem annos, post mortem Mosis, sub Josue : deinde ab eodem, per alios septem annos, inter tribus divisa est terra, ab eisque pacifice possessa : ergo post quatuordecim annos Rubenitæ et Gadditæ redierunt ad sua, scilicet ex Chanaan in Galaad. Ita Abulensis. Vers. 20.

24. DOMINE DEUS, TU COEPISTI OSTENDERE SERVO TUO MAGNITUDINEM TUAM. — Notat Abulensis, si quis ab avaro aliquid petat, ut ei persuadeat, dicat hoc et plura sibi deberi : sin autem a liberali et magnifico (qualis est Deus) petat, ut ei persuadeat, non debita, sed beneficia ejus alleget. Magnanimus enim libenter audit se dedisse, et non accepisse beneficium. Vers. 24.

25. TRANSIBO IGITUR, ET VIDEBO TERRAM HANC OPTIMAM TRANS JORDANEM. — Quasi dicat : Transeam, quæso, et videam terram, pro qua 40 annis laboravi; sunt enim verba orantis. Patet ex Hebræo. Sic Hebræi sæpe sumunt futurum pro optativo quo carent. Vers. 25.

ET MONTEM ISTUM EGREGIUM. — « Montem, » scilicet Moria, in quo Abraham obtulit Isaac, et in quo ædificanda est Sion et templum, qui proinde appellatus est mons divinæ visionis, ideoque *egregius*, et hebraice *bonus* per excellentiam vocatur. Ita Cajetanus. Chaldæus vertit, *videam montem istum bonum, et domum sanctuarii.*

29. MANSIMUSQUE IN VALLE CONTRA FANUM PHOGOR. — Hebraice, *contra domum*, id est, templum Phogor (2). Vers. 29.

(1) *Et* Jairus *vocavit eos* tractus *ex nomine suo*, vocavit *Basanem*, seu tractus Basanis, *vicos Jairi.*

(2) Vox *Gai*, quæ proprie *vallem* denotat, hic est nomen proprium loci, cujus situs *Num.* XXI, 20 describitur.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite et sequenti usque ad XII, *Moses, repetito Decalogo et legibus quibusdam, ad eorum observationem populum excitat, maxime commemorando beneficia Dei eis collata; unde, hoc capite toto, urget beneficium datæ legis in Sina, cum igne et fumo : inde vers.* 41, *designat tres urbes refugii, pro homicidis casualibus et involuntariis.*

1. Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia quæ ego doceo te; ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. 2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis. 3. Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. 4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem. 5. Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus : sic facietis ea in terra quam possessuri estis, 6. et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. 8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros? 9. Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, 10. a die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens : Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore quo vivunt in terra doceantque filios suos. 11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cœlum : erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo. 12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis. 13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, et decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. 14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos cæremonias et judicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis. 15. Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : 16. ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, 17. similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, 18. atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis : 19. ne forte elevatis oculis ad cœlum videas solem et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. 20. Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die. 21. Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam quam daturus est vobis. 22. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem : vos transibitis, et possidebitis terram egregiam. 23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit : 24. quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. 25. Si ge-

nueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis : 26. testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis, non habitabitis in ea longo tempore ; sed delebit vos Dominus, 27. atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. 28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt ligno et lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. 29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. 30. Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus. 31. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est : non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis. 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, a summo cœlo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est, 33. ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vixisti : 34. si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis : 35. ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. 36. De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis ; 37. quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, 38. ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo ; et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem ; sicut cernis in præsenti die. 39. Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius. 40. Custodi præcepta ejus atque mandata quæ ego præcipio tibi : ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. 41. Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad Orientalem plagam, 42. ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium, possit evadere : 43. Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben : et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad : et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. 44. Ista est lex quam proposuit Moyses coram filiis Israel. 45. Et hæc testimonia et cæremoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto, 46. trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto 47. possederunt terram ejus, et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum. 48. Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon, 49. omnem planitiem trans Jordanem ad Orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

Vers. 1. 1. UT FACIENS EA VIVAS, — vita præsenti, diuturna et prospera. Vide dicta *Levit.* XVIII, 5.

Vers. 2. Verbo Dei non esse addendas traditiones, docent hæretici. Refut. Primo. 2. NON ADDETIS AD VERBUM QUOD VOBIS LOQUOR, NEC AUFERETIS EX EO. — Hæretici hæc verba rigide et plane universaliter accipiunt, indeque inferunt non esse admittendas ullas traditiones, nec canones Pontificum, nec cæremonias Ecclesiæ.

Verum inepte et insulse hæc dicunt : nam *primo*, si ita est, ergo contra hanc legem peccavit Josue, Prophetæ, Christus et Apostoli, qui multa Mosi et Pentateucho addiderunt.

Secundo *Secundo*, Moses non ait, « quæ scribo, » sed « quæ loquor : » ergo perverse hæretici torquent hæc ad verbum Dei scriptum, ut excludant traditum, et viva loquentis voce, id est traditione, acceptum.

Tertio. *Tertio*, si id vult Moses, quod volunt hæretici; ergo ipse Moses pugnat secum. Nam capite XVII, vers. 10, jubet sub pœna mortis obediri decreto sacerdotis et pontificis.

Quarto. *Quarto*, alioqui omnes Reges, Imperatores, Principes et Magistratus peccarent contra hanc Dei legem; multa enim ipsi edicta addiderunt hisce Dei legibus et judiciis.

Quinto. *Quinto*, Calvinus fatetur Apostolos addidisse quosdam ritus et cæremonias, adeoque novos posse addi; quinimo ipse cum suis novam Ecclesiæ speciem, novos ritus, novos ministros; novam docendi, concionandi, orandi, regendi, et sacramenta administrandi formam instituit: sic et ejus Ministri quotannis novas constitutiones in suis Synodis condunt et instituunt, quas sane addunt huic Dei verbo.

Sexto. Lex hæc cæremonialis est, unde Judæos spectat, non Christianos. *Sexto*, hæc verba Moses dixit Judæis, non Christianis, iisque jubet ut circumcisionem, aliaque sacra, et Sacramenta veteris legis servent, nihilque iis addant: ergo lex hæc proprie cæremonialis est, nec Christianos obligat, sed Judæos; alioqui enim hæretici deberent circumcidi, edere phase, gestare fimbrias, etc.: hæc enim verba hic loquitur et præcipit Moses.

Esto ergo daremus hæreticis, hæc intelligenda esse ita, ut ipsi volunt; nihil inde concludent pro sua opinione: nam hæc dicta sunt Judaico populo, qui exiguus erat, et in parva regione conclusus, idemque rudis et crassus: unde ei data fuit lex, tot tamque variis præceptis distincta, ut aliis non videretur esse opus, secus est de lege nova, quæ spargenda erat per totum orbem; unde in ea merito Christus, paucis universalibus præceptis traditis, alia ordinanda commisit Pastoribus et Rectoribus Ecclesiæ, uti recte advertit Gabriel Vasquez, I II, *Quæst.* XCV, art. 1, disp. 152, cap. IV.

Addit legi, qui aliquid ei contrarium inducit. Dico ergo: Sensus hujus loci est, *q. d.* Ad præcepta mea, quæ ego hoc capite et sequentibus præcepturus sum vobis, o Judæi, non addetis aliquid, scilicet eis repugnans et contrarium, præsertim quod Beelphegor, ut sequitur, vel alterius novi numinis aut idoli cultum et religionem inducat. Hæc enim nova numina, novamque religionem, et ritum sacrorum excludere toto hoc capite et passim in Deuteronomio intendit Moses. Addit itaque legi Dei, quæ præcipit unum Deum colendum esse, aliquid, qui docet colendum esse Baal, Astartem, solem, lunam, aliosque deos. Τὸ ergo *ad verbum*, idem est quod *contra verbum;* sic enim sumitur עַל *al*, id est *ad*, pro *contra*, *Psal.* II, 2, *Numer.* XIV, 2. Sic Paulus, *Galat.* I, 8, anathema dicit iis qui aliud evangelizant præter id quod ipse evangelizavit: *præter*, id est, *contra;* agit enim de iis qui judaismum addere volebant christianismo, itaque evertebant christianismum. Hisce ergo verbis: « Non addetis, nec auferetis, » tantum præcipit Deus ut sua lex integre servetur, ut nihil ex ea addendo, vel minuendo vitietur aut mutiletur; sed tota sarta tecta maneat, et observetur, quod alia phrasi, capite V, versu 32, alibi dicit: « Non declinabitis ad dexteram, nec ad sinistram. » Cui tamen non obstat, qui insuper leges parentum, vel humanorum magistratuum addit et observat; nisi parentes, vel magistratus aliquid legi Dei contrarium præciperent.

Itaque hisce verbis, « non addetis, » etc., non vult dicere, non servabitis aliud, quam id quod nunc præcipio; sed in hoc quod præcipio nihil mutabitis, addendo, vel minuendo, sed integre facietis, ut jubeo, et non aliter. Ita Bellarminus et alii passim.

Secundo addit verbo Dei, qui sua dicta venditat pro dictis Dei. *Secundo*, « non addetis ad verbum quod vobis loquor, » aliquid scilicet tanquam meum, vel a me dictum, aut jussum; nulli enim hominum licet scripta aut præcepta sua venditare pro præceptis a Deo dictatis, aut pro Scripturis sacris. Similis phrasis est *Apoc.* cap. ult. vers. 18: « Contestor, ait, omni audienti verba prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. » Alioqui enim, non tantum Christus et Prophetæ, sed et ipsi Judæi multa addiderunt legi Dei, ut cælaturas, omnemque ornatum templi, ut festum sortium sub Esther, festum dati ignis, festum encæniorum, etc. Hæc enim non a Deo, sed a Judæis sancita et instituta sunt. Denique, hæc non sunt addita, sed potius inclusa legi Dei, quia lex Dei jubet obediri parentibus, magistratibus, pontificibus eorumque legibus.

Judæi multa addiderunt verbo Dei.

Vers. 3. 3. OCULI VESTRI VIDERUNT OMNIA QUÆ FECIT DOMINUS CONTRA BEELPHEGOR, — de quibus dixi *Num.* cap. XXV.

Vers. 6. 6. HÆC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA ET INTELLECTUS. — Quasi dicat: Custodia harum legum ostendet vos esse sapientes et prudentes, atque a sapientissimo legislatore Deo, sapientissime, sanctissime et castissime edoctos, ab eodem per omnia regi, exaudiri et defendi.

« Sapiens, inquit S. Bernardus, est cui quæque res sapiunt prout sunt, » scilicet divinæ ut divinæ, humanæ ut humanæ, æternæ ut æternæ, caducæ ut caducæ.

Quædam responsa optima. Refert Plutarchus in *Convivio septem Sapientum*, eos inter se disputasse, quis populus, « quænam respublica foret optima et felicissima? *Primus*, inquit, Solon respondit: In qua injuriæ alicujus auctorem non minus illæsi, quam qui læsus est, in jus rapiunt et puniunt. *Secundus* Bias dixit: In qua legem universi tanquam tyrannum metuunt. *Tertius* Thales: Ubi, inquit, neque divites nimis, neque pauperes sunt cives. *Quartus* Anacharsis: In qua cum reliqua habeantur, virtuti tamen potior, vitio deterior conditio defertur. *Quintus* Cleobulus: In qua cives reprehensionem magis metuunt, quam legem. *Sextus* Pittacus: Ubi magistratum gerere non licet malis, licet bonis. *Septimus* Chilo: In qua maxime

leges, minime oratores audiuntur. » Hæc vere, sed verius Moses hic : « In qua populus Deum timet, Deique legibus ac voluntati obedit. » Hæc nimirum sapientissima et beatissima est respublica.

Vers. 7. 7. NEC EST ALIA NATIO TAM GRANDIS (tam eximia, tantæ dignitatis), QUÆ HABEAT DEOS APPROPINQUANTES SIBI, SICUT DEUS NOSTER ADEST CUNCTIS OBSECRATIONIBUS NOSTRIS. — Videbatur enim Deus cum Mose et Hebræis in tabernaculo habitare, cum eis conversari et colloqui, dubia omnia resolvere, præire in columna nubis, eosque per omnia dirigere et protegere. Multo magis Deus adest Christianis, præsertim in Venerabili Sacramento, in quo corporaliter, realiter et essentialiter nobiscum habitat, non angelus, sed Christus ipse, verus Deus, et verus homo.

Vers. 9. 9. NE OBLIVISCARIS VERBORUM (id est, rerum et portentorum) QUÆ VIDERUNT OCULI TUI. — Sic *verbum* pro re, metonymice tanquam signum pro re signata, accipitur *Psalm.* XC, 3 : « Liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero, » id est, a re aspera et acerba ; et *Luc.* I, 37 : « Non erit impossibile apud Deum omne verbum, » id est omnis res (1).

Vers. 11. 11. ACCESSISTIS AD RADICES MONTIS (Sina) QUI ARDEBAT USQUE AD COELUM. — Hebraice, *usque ad cor cœli,* id est usque ad medium cœli, hoc est usque ad cœlum ipsum. Cœlum hic non sidereum, sed aereum, sive æthereum, in quo sunt nubes, intellige. Simili hebraismo dicitur Jonas, David et alii fuisse in medio mari, in mediis fluctibus, id est in ipso mari magno et vasto, in ipsis vastis fluctibus.

Vers. 13. 13. OSTENDIT VOBIS PACTUM SUUM, — id est legem, quæ est conditio pacti inter vos et Deum initi.

DECEM VERBA, — decem præcepta, quæ fuerunt quasi decem fœderis conditiones. Græci decem hæc verba voce composita vocant δεκάλογον.

Vers. 15. 15. CUSTODITE IGITUR SOLLICITE ANIMAS VESTRAS. — Hebræa cum Vatablo ita prægnantius vertas, *cavete ergo accurate quam cara est vobis anima vestra,* ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis : qui enim eam custodit, custodit animam suam.

NON VIDISTIS ALIQUAM SIMILITUDINEM, etc., IN HOREB, — quasi dicat : in Sina audistis Deum loquentem, sed non vidistis eum per essentiam, neque per effigiem ; quare nec illam imitari, effingere, vel exprimere potestis, fabicando statuam maris, feminæ, aut alterius rei, cogitando, aut fingendo quod talis sit Deus qualis in statua illa monstratur.

Idem viderunt nonnulli Gentiles, inter quos Statius ita canit :

> Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
> Forma Dei, mentes habitare et pectora gaudet.

Agesilaus monentibus ut quemdam, qui belle lusciniæ vocem imitabatur, audiret, respondit se ipsam lusciniam audisse. Idem Judæis dicendum erat ad Gentes, invitantes eos ad simulacra Dei, scilicet, se Deum ipsum audisse in Sina.

Vers. 16. 16. NE FORTE DECEPTI FACIATIS, etc., IMAGINEM MASCULI VEL FEMINÆ, — uti Gentiles deos habuerunt mares alios, alios feminas. Quin et Trismegistus in *Pœmandro* cap. I, III, VII, Deum vocat marem feminam ; ait enim : ὁ Θεὸς ἀῤῥενόθηλυς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς, απεκύησε λόγον ἕτερον νοῦν δημιοῦργον, hoc est, *Deus mas femina, existens vita et lumen, genuit Verbum, quod alteram mentem* (Spiritum Sanctum) *producit.* Verum ipse vocat Deum marem-feminam, non quod revera sexum maris et feminæ habet, sed quod in generando Verbo totum fecerit solus, quod in generatione humana faciunt conjunctim mas et femina. Nam Deus Pater Verbum suum generavit quasi pater, idemque concepit quasi mater : alioqui hæc locutio insolens est, et male sonans.

Vers. 19. 19. NE ADORES EA QUÆ CREAVIT DEUS IN MINISTERIUM CUNCTIS GENTIBUS. — Pro *quæ creavit Deus,* hebraice est, *quæ divisit Deus,* ut vicissim et quasi partito tempore, singulis gentibus et provinciis inserviant, lumenque præbeant. Vide *Gen.* I, 14. Ita Rabanus. Hinc Judæi fabulantur gentes singulas a sua stella regi, se vero a Deo.

Vers. 20. Fornax ferrea est servitus durissima. 20. VOS AUTEM, etc., EDUXIT DE FORNACE FERREA ÆGYPTI, — puta de servitute durissima, quæ maxime vos afflixit, quæque quasi fornax vos adussit, et quasi ferrea vos conclusit, ne exitus, vel effugium ullum pateret (3). Sic *Isaiæ* XLVIII, 10, dicitur : « Elegi te in camino paupertatis ; » pauperes enim paupertate, quasi camino, affliguntur et uruntur. *Secundo,* alludit hic Moses ad coctionem laterum, quos Hebræi in Ægypto formabant, et coquebant in fornacibus lateritiis, ex quibus liberavit eos Deus, educens in Chanaan.

Vers. 24. 24. QUIA DOMINUS DEUS TUUS IGNIS CONSUMENS EST, — *q. d.* Deus injuriæ sibi illatæ est vindex, eamque acerrime punit, instar ignis omnia vastantis. Vide dicta *Exod.* III, 2, et *Hebr.* XII, 29. Quocirca ignis vim, terrorem, aliasque dotes eximias considerantes Persæ, eum coluerunt ut numen. Audi Maximum Tyrium : « Persæ diarium ignem adorant, nimirum divinitatis signum, insatiabilem, voracem. » Huic cum sacrificant, illi alimentum præbentes dicunt : « Ede, ignis, Domine. » Erat ergo eis ignis sacer et æternus, quem quocumque rex exercitum duceret, magni numinis instar, argenteis altaribus impositum præferebant. Ita Pierius, *Hierogl.* 46, cap. XXXVIII.

Symbolice S. Gregorius, hom. 5 *in Ezech.* : « Deus, ait, ignis consumens est, quia mentem quam repleverit, a peccatorum rubigine puram reddit. » S. Syncletica in Vitis Patrum, libro V, tract. *De*

(1) Vers. 10 pro *in die* in hebr. est *diem*, quod pendet e *docebis* vers. 9.

(2) Fornaci, non *ferrea*, sed *ferrariæ*, id est, in qua ferrum coquitur et liquefit, terra Ægyptiaca comparatur ob servitutem, qua pressi in ea sunt Israelitæ, durissimum maximeque ipsis terribilem. Ita Winzerus.

Compunctione : « Labor, ait, est et magnum certamen impiorum qui convertuntur ad Deum, et postea inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignem accendere volunt, prius fumantur, et ex fumi molestia lacrymantur, sicque obtinent quod volunt; etenim scriptum est : Quia Deus noster ignis consumens est : ita oportet et nos divinum ignem, cum lacrymis atque laboribus in nobis ipsis accendere. »

DEUS ÆMULATOR, — *q. d.* Deus est zelotes, non patitur rivalem, sed solus summe vult coli : de quo cap. V, vers. 9.

Vers. 26. Cœlum et terra sunt muti testes Dei.

26. TESTES INVOCO HODIE COELUM ET TERRAM, CITO PERITUROS VOS. — Nota : Moses et Prophetæ per prosopopœiam, creaturis irrationalibus vitam, sensum et testimonium attribuunt, easque ad gravissimam obtestationem, qua populum compungant et commoveant, testes vel judices invocant; præsertim cœlum et terram, quia hæ minæ et pœnæ extenduntur ad omnes secuturas generationes : unde Moses ad hujus prædictionis et comminationis memoriam, noluit testes morituros vocare, sed cœlum et terram, quia in æternum manent. Immortales ergo et æterni sunt hi testes, qui omnibus futuris temporibus perseverabunt, et mutis vocibus Deo loquentur hæc esse vera, hominibusque (præsertim hæc verba Mosis legentibus) pariter inclamabunt hæc divina præcepta, æque ac minas.

Omnes enim creaturæ tacite obediunt, consentiunt, et attestantur suo Creatori, ejusque legi et ordinationi. Unde Baruch, cap. III, vers. 34, ait : « Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt; vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus; et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. » Consequenter, eadem tacite quasi applaudebant, et attestabantur hisce verbis Mosis; ipse enim erat præco Dei creatoris, *q. d.* Cœlum et terram testes invoco, ut cœlum nobis dando lucem, terra nos sustinendo, dum hæc loquor et edico, reipsa muti testes sint, me hæc vobis prædixisse. Rursum, ut, cum plagæ, quas hic vobis prædico, evenerint, iidem et testes sint, quod mea hæc prædictio et minæ fuerint veræ, et simul sint vindices ac cooperatores Dei, qui hasce plagas per cœlum et terram vobis infliget. Nam, ut ait Sapiens, cap. V, 21 : « Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. » Quare si hi testes vitam et vocem haberent, aut si per miraculum Deus eis vocem daret, uti aliquando dedit, omnes una voce clamarent, et condemnarent impios; quamdiu autem eam non habent, tacite et muta voce clamabunt, et condemnabunt impios.

Isaias compellat cœlum et terram ob tres causas.

Sic Isaias, cap. I, vers. 1, cum ait : « Audite, cœli, et auribus percipe, terra, » utitur prosopopœia ad inanimes creaturas, ut gravior sit oratio, et plena indignatione, idque *primo*, ut significet Judæos omnia sua bona, a cœlo et terra per Deum accepisse. *Secundo*, quia Judæi adorarunt solem, lunam, lapides, ideo ea nunc, quasi ipsorun judices invocat. *Tertio* et maxime, quia cum ipsi nollent audire Deum, invocat inanima, quæ semper obediunt Deo, ut gravissima sit querela et exprobratio; invocat, inquam, quasi testes mutos, ut quandoque sint vindices Creatoris sui, ut cœlum, ait Rupertus, Judæis se præbeat æneum, terra se præbeat ferream, sed maxime in die judicii, cœlum in eos fulmina vibret, terra vero iis dehiscat. Simili modo facit Moses hic, et *Deut.* XXX, 19, et XXXI, 28, et XXXII, 1.

Secundo, cœlum sunt angeli, terra sunt terrigenæ.

Secundo, cum cœlum et terram testes invocat, invocat omnia quæ in cœlo et in terra sunt, per metonymiam, ac præsertim angelos et homines, qui proprie dicti testes sunt. Ita Theodoretus. Sic Poeta ait :

> Vos æterni ignes, et non violabile numen
> Testor.

Putabant enim Ptatonici ignes cœlestes, id est, stellas esse animatas a suis intelligentiis, sive angelis præsidibus, quos quasi minores deos colebant.

Aqua, sal, ranæ, exorcizantur duplici sensu.

Simili modo cum exorcizamus et adjuramus creaturas irrationales, adjuratio non dirigitur ad illas, quia non intelligunt eam; sed ad naturam rationalem quæ illis præsidet, easque movere potest, ut ait D. Thomas. Sic exorcizatur aqua, sal, domus : partim enim invocatur virtus divina, ut in usu harum rerum assistat, et diaboli vim coerceat; partim per virtutem divinam præcipitur diabolo, ut abscedat, et in his non noceat. Sic exorcizantur locustæ, mures, ranæ, grandines, tempestates, etc., ut Deus damna eorum avertat, et diabolus per illa non noceat. Vide Dominicum a Soto, lib. VIII *De Justitia*, Quæst. III, art. 3.

Vers. 29. 29. CUMQUE QUÆSIERIS IBI DOMINUM DEUM TUUM, INVENIES EUM, SI TAMEN TOTO CORDE QUÆSIERIS, ET TOTA TRIBULATIONE (scilicet in vera contritione et conversione) ANIMÆ TUÆ. — Hebraice est, *in tota anima tua*. Insinuat, quod contritio vera, quæ peccatorem Deo reconciliat, debeat procedere ex amore Dei super omnia; hoc enim est quærere Deum ex toto corde, et ex tota tribulatione animæ. Ita Suarez, III part., *Quæst.* LXXXV, art. 1, disp. IV, sect. 2.

Vers. 30. 30. POSTQUAM TE INVENERINT (comprehenderint : est hebraismus) OMNIA.

NOVISSIMO TEMPORE, — id est in fine temporis, quo complebitur pœna tibi inflicta a Deo, *q. d.* Post plagas a Deo immissas, tandem sapies, et reverteris ad eum. Ita Vatablus, Abulensis et alii.

Vers. 31. 31. NEQUE OBLIVISCETUR PACTI, IN QUO (id est *quod;* ita Hebræa, Septuaginta et Chaldæa) JURAVIT PATRIBUS TUIS.

Vers. 32. 32. INTERROGA DE DIEBUS ANTIQUIS, — scilicet de factis, quæ contigerunt in diebus antiquis.

A SUMMO COELO USQUE AD SUMMUM EJUS. — Hebraice, *ab extremo cœli usque ad extremum ejus*, id est ab Oriente usque ad Occidentem, *q. d.* Interroga ea, quæ toto orbe unquam apud homines

alicubi contigerunt. Similis phrasis est *Matth.* XXIV, 31. Ita Vatablus.

Vers. 33. 33. SICUT TU AUDISTI ET VIXISTI. — Ita Romana, Hebræa, Chaldæa et Septuaginta. Perperam ergo Plantiniana legunt, *et vidisti, q. d.* Instar miraculi fuit quod tu vocem Dei tam terribilem ex Sina audires et viveres, de quo rursum cap. V, 24.

Vers. 34. 34. SI FECIT DEUS UT INGREDERETUR, — non mutans locum, sed operationem, vocans scilicet, liberans et educens te ex Ægypto.

ET HORRIBILES VISIONES, — quia in triduanis Ægypti tenebris mira spectra Ægyptiis objecit Deus, iisque eos perculsit, uti dixi *Exodi* X, 22 et sequentibus (1).

Vers. 36. 36. ET IN TERRA OSTENDIT IGNEM MAXIMUM, — quia ignis ex Sina prodire videbatur; vox vero super eum ex cœlo, id est ex aere, formari et descendere videbatur.

Vers. 37. 37. PRÆCEDENS IN VIRTUTE, — per angelum suum, qui castra præibat in columna nubis, quique perculit et prostravit hostes tuos, *Exodi* cap. XXIII, vers. 20 (2).

(1) In hebræo est, *terrores magnos.*

(2) Pro *semen eorum*, habent hebræa *semen ejus*, sive minus accurate dictum pro *semen eorum*, sive forsan Moses in mente habuerit proavorum Hebræorum unum præcipuum, Abrahamum vel Jacobum; unde constructione excidit. Pro *præcedens*, hebr. est *in facie sua*, id est, præsens ipsemet.

Quæ vers. 41-43 afferuntur de urbibus refugii, loco alieno huc illata esse, multi existimant, quos inter jam Calmetus in *Commentario* ad h. l.

Pericopam inde a vers. 44 ad vers. 49 alii arbitrantur indicis instar præmissam ei, quod a cap. V usque ad finem cap. XXVIII decurrit, legum syntagmati; alii eam pro adnotatione habent adjecta sermoni primo a Mose in solemni totius populi (saltem per legatos repræsentati) conventu habito, cap. I, 6, IV, 40. Nova libri sectio incipit cap. V, 1, ut notatur in codd. Hebraicis.

42. QUI OCCIDERIT NOLENS, — scilicet nesciens, ignoranter et inadvertenter. Ita Hebræa, Chaldæa, Septuaginta. Vers. 42.

48. USQUE AD MONTEM SION, QUI EST ET HERMON. — Alius ergo est hic Sion, a Sion monte Hierosolymæ et templi; hic enim Sion erat ab alia Jordanis parte, et Hebraice scribitur per *schin*: Sion vero templi scribitur per *tsade;* vide de hoc Sion dicta cap. III, vers. 8. Vers. 48.

49. MARE SOLITUDINIS, — mare Mortuum, sive lacus Asphaltites. Vers. 49.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses populo iterat et refricat decalogum. Secundo, vers. 22, narrat populi pavorem, cum daretur lex in Sina, quo perculsus rogavit, ut Deus cætera præcepta non sibi, sed Mosi eloqueretur: unde Moses solus in montem ad Deum ascendit.

1. Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum: Audi, Israel, cæremonias atque judicia quæ ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea, et opere complete. 2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. 3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui impræsentiarum sumus, et vivimus. 4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. 5. Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus; timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem, et ait: 6. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. 7. Non habebis deos alienos in conspectu meo. 8. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra. 9. Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, 10. et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me et custodientibus præcepta mea. 11. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit. 12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. 13. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 14. Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat

servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. 15. Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati. 16. Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. 17. Non occides. 18. Neque mœchaberis. 19. Furtumque non facies. 20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 21. Non concupisces uxorem proximi tui : non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt. 22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna, nihil addens amplius : et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. 23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis : 24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam, vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie quod, loquente Deo cum homine, vixerit homo. 25. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. 26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere? 27. Tu magis accede, et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi : loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. 28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi; bene omnia sunt locuti. 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum? 30. Vade et dic eis : Revertimini in tentoria vestra. 31. Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et cæremonias atque judicia : quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem. 32. Custodite igitur et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram; 33. sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ.

Vers. 3. 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM, — subaudi tantum, *q. d.* Non tantum cum patribus iniit Deus pactum in Sina, sed etiam nobiscum. Simile est *Gen.* XXXII, 28, et alibi. Secundo et simplicius, *q. d.* Deus in Sina pactum non inivit cum Abraham, Isaac, Jacob aliisque patribus, qui in Ægypto, vel ante mortui sunt; sed cum nobis ipsis, qui vivimus. Nam, ut notat S. Augustinus, multi præsentes supererant et aderant, qui in Horeb legem audierant pueri, qui scilicet necdum attigerant annum vigesimum, ac proinde neque censi, neque pœna murmurantium, de qua *Num.* cap. XIV, 29, ut scilicet perirent in deserto, comprehensi fuerant, quos Moses vocat *omnes*. Intelligit enim *omnes* accommode, scilicet omnes qui legem in Sina audierant, et etiamnum supererant.

Hebræa majorem habent emphasim; sic enim habent, *non cum patribus pepigit Jehova pactum istud, quia cum nobis, nobis istis hic hodie, omnibus nobis viventibus.*

Vers. 4. 4. FACIE AD FACIEM LOCUTUS EST NOBIS. — Non quasi formam aut speciem ejus videritis : hoc enim negavit cap. IV, 12; sed « facie ad faciem, » id est coram, sine internuntio. Decalogum enim a vers. 6 ad 22, angelus vice Dei ex Sina proclamavit, coram toto populo; sed reliqua præcepta judicialia et cæremonialia acceperunt Hebræi internuntio Mose, ut sequitur, qui in montem conscendit solus, cum populus ob metum ignis, et vocis angelicæ territus, et a monte fugiens, jussu Dei ad castra et tentoria sua rediit, uti dicitur vers. 30 et 31 (1).

Vers. 5 5. EGO SEQUESTER ET MEDIUS FUI. — Fuit ergo Moses mediator inter Deum et populum, ut ait Apostolus *ad Galat.* III, 19 : quidni ergo Sancti vocentur mediatores?

Vers. 6. 6. EGO DOMINUS DEUS TUUS, QUI EDUXI TE DE TERRA ÆGYPTI, DE DOMO SERVITUTIS. — Hebraice, *de domo*

(1) Cum Mosaicæ institutiones universim triplicis generis præcepta continent, videlicet moralia, cæremonialia, et politica seu forensia, sunt qui decalogum ad partem moralem solum pertinere existimant : sed perperam. Decalogus enim legis totius est symbolum et compendium. V. g. præceptum sabbati ex magna saltem parte ad cæremonias pertinet; rursum præcepta judicialia ob theocratiam æque sunt religiosa et moralia, et vice versa. Hoc jam viderat Spencerus : « Decalogus, ait, summa totius legis et fœderis cum populo initi fuisse videtur; ideoque par erat, ut præcepta moralia, judicialia et cæremonialia brevi quasi tabella Moses simul exhiberet. » Cf. Bähr, *symbolik d. Mos, Cultus* I, 384.

servorum, puta de ergastulo, id est de Ægypto, ubi durissimam serviebas servitutem. Nota, pro *Dominus*, hebraice est nomen tetragrammaton *Jehova*, quod proprium est divinæ essentiæ, quæ fons est omnis creaturæ, cui proinde quasi primo, et summo omnium principio, summa religione servire debet homo omnisque creatura. Rursum, pro *Deus*, hebraice est *Elohim*, quod Deum qua judicem et gubernatorem omnium significat; *Elohim* ergo Dei legislatoris majestatem, sapientiam, dominium et imperium summum Hebræis inculcat (1).

Vers. 7. 7. NON HABEBIS DEOS ALIENOS IN CONSPECTU MEO. — Nulli veri sunt dii alieni, sed unus est verus Deus, qui cum communis sit omnium, nulli potest esse alienus. Vocantur ergo dii alieni, non qui vere tales sunt, sed quos alienigenæ, puta gentes a Deo vero alienæ, ut deos habent et colunt; unde hebraice est : *Non erunt tibi elohim*, id est dii, *alii*. Vetat ergo ne quis alius habeatur Deus, etiamsi is unus sit; præcipit vero ut se solum unumque Deum agnoscant et colant, tum interno mentis sensu et affectu, tum externa adoratione et sacrificio.

IN CONSPECTU MEO, — coram me; Septuaginta et Chaldæus vertunt, *præter me*, *q. d.* Noli colere idola me videntе, et abditissima etiam tua contemplante; ne putes te oculos meos latere, neve velis tam gravem majestati meæ, omnia intuenti, injuriam irrogare. Posset secundo, τὸ *coram me* accipi pro *e regione mei*, *q. d.* Non opponas mihi alios deos, sicut vers. 23 in Hebræo dicitur, *non habebis deos alienos mecum;* et huic sat consonat τὸ *præter me*, uti vertunt Septuaginta (2).

An sculptile ad primum, an ad secundum præceptum pertineat? Josephus et Philo ad secundum referunt.

Judæi hic primum statuunt et absolvunt Decalogi præceptum, ita ut secundum sit : « Non facies tibi sculptile; » ultima vero duo, scilicet : « Non concupisces uxorem proximi; » et : « Non concupisces rem proximi, » sint unum, scilicet decimum præceptum. Ita Josephus, Philo, lib. *De Decal.*. Commentarii Ambrosio et Hieronymo adscripti in epist. *ad Ephes.* cap. VI, Athanasius in *Synopsi;* hos avidissime sequitur Calvinus, ut hinc fortius telum contra imagines torqueat. E contrario, τὸ *non facies tibi sculptile* non esse secundum,

Respon- sed spectare ad primum præceptum, docent Cle-

mens Alexandrinus, lib. VI *Strom.;* S. Augustinus, *Quæst.* LXXI *in Exodum*, et *epist.* 119, cap. XI; S. Hieronymus in *Psal.* XXXII, et communiter Scholastici in III, dist. 37. Idque longe verius et aptius est. *Primo*, quia hæc duo, scilicet : « Non habebis deos alienos, » et « non facies tibi sculptile, » eodem spectant, videlicet, ut unum solum Deum jubeant esse colendum. Id magis patebit § sequenti. deo, ad primum spectare. Prob. Primo.

Secundo, quia alioqui non decem, sed undecim erunt præcepta Decalogi; duo enim postrema, quæ Judæi conjungunt, disjungenda sunt. Nam tam differunt : « Non concupisces uxorem proximi; » et : « Non concupisces bona proximi, » quam differunt : « Non mœchaberis, » et : « Non facies furtum. » Hæc enim actum externum, illa vero actum internum, puta concupiscentiam, mœchiæ et furti vetant. Atqui hæc duo distinguuntur, ut patet; ergo et illa. Unum enim et idem utrobique est objectum, a quo species et distinctio actuum et præceptorum desumenda est. Unde et in Hebræo utrobique repetitur τὸ *non concupisces*, tam *Exodi* XX, 16, quam hic vers. 21, ubi recto ponuntur ordine, uti et *Exodi* XX, 16, apud Septuaginta : licet ibi in Hebræo et nostro commixtus et confusus eorum sit ordo; præponitur enim concupiscentia domus concupiscentiæ uxoris. Secundo.

Dices : *Rom.* VII, 8, citantur hæc duo præcepta ut unicum, videlicet : « Non concupisces. »

Respondeo, Apostolum non curasse ea distincte describere, quia tantum intendit probare, non solum opus externum, sed etiam concupiscentiam internam, lege Dei esse vetitam, ut patet ex antecedentibus et sequentibus.

8. NON FACIES TIBI SCULPTILE. — Superiori versu vetuit deos alios in genere, hic speciatim simulacra deorum vetat; iis enim præcipue deos suos colebant gentes, imo et illa ipsa, ut deos habebant : quod licet neget Calvinus, diserte tamen docet Isaias, cap. XLIV, 17, Baruch toto cap. VI, Jeremias, cap. X, Sapiens, cap. XIII, 10. Vetat ergo hic Deus simulacra deorum, tum fieri, tum coli : utrumque enim nefas est. Vers. 8.

Nota *primo* : Hebræum פֶּסֶל *pesel* significat sculptile, a radice פָּסַל *pasal*, id est sculpere, dolare. Simulacra enim pleraque sculpi solebant aut dolari in statuas : sub sculptili tamen intellige et ductile, fusile, tornatile, etc. Sculptile continet ductile, fusile, etc.

Nota *secundo* : Pro *sculptile* Septuaginta, *Exodi* cap. XX, 4, vertunt *idolum;* nam passim in Scriptura per sculptilia intelliguntur idola. Porro licet Origenes et Theodoretus strictius hic idolum accipiant, ut sit effigies rei non existentis, quomodo Gentiles sphingas, Tritones, Centauros aliasque chimæras effingebant : similitudo vero, quæ deinceps prohibetur, sit rei existentis expressio, v. g. imago solis, lunæ, hominum, bestiarum, reptilium; melius tamen secundum communem ejus significationem, accipiemus idolum, ut sit simulacrum falsi dei et ficti, sive deus ille sit res aliqua vera et existens, sive non. Unde : Sculptile est idolum.

(1) Plato *De Legibus*, lib. X, initio : « Deos esse, eosque bonos, et justitiæ multo plus quam homines colentes, fere hæc nobis pro omnibus legibus pulcherrima sit et optima præfatio. » Cicero, *De Legibus*, lib. II, sect. 16 : « Sit hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, piorumque et impiorum habere rationem. »

(2) Septuaginta sequitur Gesenius vertens *præter me*, sed contra linguæ hebr. usum. Rectius Vulgatus, *coram me*. Hac lege ostendere voluit Deus Israelitis, se variarum religionum mixturam, et præter suum etiam aliorum deorum cultum nullo modo probare. Erat enim hæc vulgatissima illorum temporum superstitio, ut homines præter ejus terræ, quam habitabant, Deum, etiam aliorum Deos coli posse ac debere putarent.

Idolum est imago mendax.

Nota *tertio* : Idolum Græcis erat imago quævis inanis et mendax, ut, verbi gratia, vana phantasmata, spectra, et umbræ mortuorum, uti patet ex Platone in *Theæteto*, Luciano in *Dialogo de mortuis*, Homero, *Odyss.* XI ; unde a Virgilio vocantur

Tenues sine corpore vitæ,

Et :

Cava sub imagine formæ.

Εἴδωλον enim est diminutivum ab εἶδος, quasi dicas : Formula, icuncula, umbratilis species. Hinc S. Scriptura et scriptores Ecclesiastici nomen idoli arctarunt ad imaginem Dei, qui habetur Deus, revera non est, sive Deus imagine repræsentatus, sive ipsa etiam imago habeatur Deus. Patet hoc I *Corinth.* VIII, 4 : « Scimus quia nihil est idolum in mundo, » *q. d.* Deus qui repræsentatur idolo, non est Deus, ideoque idolum nihil est; et *Esther* cap. XIV, 11 : « Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt, » id est idolis. Unde Scriptura Hebræa idola passim vocat תוהו *tohu*, id est inane; אלילים *elilim*, id est vana, vel deiculos; שקר *sceker*, id est mendacium; לא יועילו *lo ioilu*, id est qui non proderunt : vide S. Hieronymum in *Osee* VII.

Error Henrici Stephani circa idolum.

Quare falluntur et fallunt Henricus Stephanus et Joannes Scapula in suis lexicis, dum asserunt idolum apud scriptores Ecclesiasticos vocari omne simulacrum, numen aliquod repræsentans, quod honore et cultu dignamur. Non enim simulacrum quodlibet, vel imago numinis cujuslibet, est idolum, sed tantum imago numinis falsi, uti docet ex Tertulliano S. Cyprianus in *Exhort. ad martyrium*, cap. II, et Athanasius, orat. *Contra idola*, sub finem.

Calvinus et Abulensis putant hic omnem Dei imaginem vetari.

Ex dictis patet imperitia hæreticorum nostrorum, dum asserunt omnes omnino imagines hic jure naturæ vetari. Unde Calvinus, videns quam absone hoc dicatur, licet tacite omnes imagines carpat, tamen asseverat non omnes, sed Dei tantum imaginem hic vetari : qua in re suffragatur ei a Catholicis Abulensis, qui censet jure naturæ hic vetari omnem Dei imaginem. Idem asserit Durandus in III, dist. 9, *Quæst.* II; sed ipse eam putat hic vetari, jure non naturæ, sed positivo divino, de qua re dicam § sequenti.

Refel. Primo.

Verum pari modo hoc refellitur : nam *primo*, imago veri Dei non est idolum.

Secundo.

Secundo, hic tantum aliorum deorum cultus vetatur, uti patet ex antecedentibus et sequentibus; præcessit enim : « Non habebis deos alienos; » sequitur : « Non adorabis ea, neque coles; » ergo sculptile quod hic fieri vetatur, est sculptile vel imago deorum alienorum; alioqui enim non unum, sed duo, imo tria diversa hic ponenda essent præcepta. Unde sculptile explicans Moses, vers. 23, ait : « Non facietis deos argenteos, neque deos æreos. » Sic et *Levit.* cap. XIX, 4, idola vocat « deos conflatiles, » uti et alibi sæpe. Imago autem Dei non est alius Deus ab eo, neque cultus imaginis cultus est alterius Dei. Cultus enim imaginis, juxta tritum axioma S. Basilii et Damasceni ad prototypum refertur.

Tertio.

Tertio, certum est Deum non vetuisse omne sculptile, aut artem sculptoriam, utpote qua ipse exornavit Ooliab et Beseleel, eaque uti jussit ad Cherubim effigianda, eademque uti voluit Mosen in serpente æneo efformando, *Num.* cap. XXI, 8. Si ergo determinatum aliquod sculptilis genus tantum vetuit, unde illa determinatio petatur melius, quam ex verbis immediate præcedentibus? videlicet ut sic accipiamus : « Non facies tibi sculptile, » id est sculptiles deos alienos.

Quarto.

Quarto, Deus imaginem sui corpoream et sensibilem objecit oculis Abrahæ, Isaac, Jacob, Isaiæ, Ezechielis, Mosis aliorumque multorum, cum eis apparuit : ergo eam non vetuit, quasi jure naturæ illicitam. Nec dicas Deum in hac sui imagine, lege naturæ vetita, secum dispensasse : si enim eadem prorsus lege et præcepto naturæ, quo vetantur dii alii, vetatur et imago Dei veri; ergo sicut in illo dispensare nequit Deus, ita nec in hoc potest.

Responsio Calvini futilis.

Respondet Calvinus temporale tantum illud fuisse Dei symbolum, quod ad legem perpetuam trahi non debet. Sed inane est hoc effugium : lex enim Decalogi æterna et perennis est, et sculptile quod hic vetatur, omne accipiendum est, tam temporale, quam perpetuum : alioqui si aliquo tempore detur imago Dei, quæ non sit mala, nec vetita; certe imago omnis natura sua, vel jure naturæ vetita dici non debet. Decalogus enim constantia naturæ præcepta continet : ergo sicuti Deus ne unico quidem momento idola colendi facultatem dare potest, ita nec potest sui imaginem exhibere, si illa æque naturæ, id est Deo Deique cultui per se repugnat.

Objicit Calvinus hoc præcepto concomitanter saltem vetari omnem superstitionem, et quidquid Deo aliquo modo est injurium. Tale autem est velle Deum, qui purissimus est spiritus, ad corporalia spectra deducere.

Respondeo, indeque formo quintum argumentum : imago Dei non est injuria, neque inhonorifica Deo; ergo jure naturæ non est vetita. Antecedens probo. *Primo*, quia angelis, etiam si purissimi sint spiritus, nulla fit injuria, si pingantur; ergo nec fit Deo, si pingatur, et ratio est, quia homines corporei non possunt Deum et angelos concipere, nisi per signa corporea.

Hinc *secundo*, idem probo ex simili : nam S. Scriptura Deo injuria non est, cum ἀνθρωποπαθῶς Deo aures, nares, oculos, manus, pedes aliaque membra attribuit : quin vero non tantum dignatus est Deus ad humana verba, et humanæ imaginationis imaginem descendere, sed ad ipsam etiam formam humanam, quando Verbum caro factum ejus figuram admisit. Cur ergo Dei hominis facti memoriam imagine servare et venerari

non liceat? cur rursum menti nostræ ad cœlestia tardæ, ex visibili imagine ad invisibilia ascendere non liceat? non enim deitatem ejusque attributa imagine directe et perfecte expingere, sed tantum aliquatenus adumbrare conamur, ut Deum menti et memoriæ objicere, ejusque conceptum aliquem formare possimus : alioqui enim nulla ratione Deum concipere possemus. Nam, ut ait Aristoteles, nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu et in phantasia. Intellectus enim nihil concipere potest sine phantasmate; phantasma autem est imago rei visæ, vel alio sensu perceptæ.

Objectio Calvini. Objicit *secundo* Calvinus, *Isaiæ* XL, 25, de simulacris, sive idolis loquens Deus : « Cui, inquit, similem me fecistis? » ergo Deus imaginem sui fieri vetuit.

Resp. Respondeo : Sensus est, *q. d.* Cur idola, cur simulacra falsa fecistis Deum vestrum? cur ea mihi adæquastis? cur incommunicabile nomen meum eis dedistis? cur meam potentiam et opes eis attribuistis? Vide *Jerem.* X, 6, et *Sapient.* XIV, 21. Ex eo enim quod Gentiles et Judæi simulacra faciebant similia, imo æqualia Deo vero, hoc ipso etiam faciebant Deum simulacris similem et æqualem. Simile enim, cum sit relativum æquiparantiæ, suo simili est simile, et contra. Hoc autem magna erat Dei injuria et vilipensio, scilicet eum æquare statuis saxeis et æreis, aut etiam dæmonibus, qui in iis colebantur.

An hoc primum præceptum sit partim naturale, partim cæremoniale? Affirmat Gabriel Vasquez. Quæritur hic ulterius, esto imago Dei, et imago aliarum quarumlibet rerum, non vetetur jure naturæ, an saltem illa Judæis non vetetur hic lege Dei positiva? Affirmat Gabriel Vasquez, lib. II *De Adorat.* disp. 4, cap. II et seq.: censet enim ipse, hoc præceptum, uti et quartum de colendo sabbato, partim esse naturale et perpetuum, scilicet quatenus præcipit cultum unius Dei, et vetat cultum deorum aliorum : partim esse cæremoniale et temporaneum, quod solis Judæis sit datum, nunc vero cum Judaismo sit abolitum, scilicet, non facies imaginem Dei, vel rei alterius. Unde hoc præceptum : « Non facies tibi sculptile, » etc., sic explicat, *q. d.* Non facietis, o Judæi, ullam effigiem, talem scilicet, quæ modo adorationi accommodato sit facta, puta ut per se talem sculpatis, vel pingatis, quæ commode adorari possit; nam si non per se, sed propter aliud, puta ad aliquid aliud exornandum, eam sculpatis, id non veto. Unde Cherubini arcæ hic non vetantur: quia non per se, sed propter arcam tegendam et ornandam sunt facti. Sic et Salomon in templo palmas, aliaque cælavit et sculpsit, non per se, sed ad ornatum templi. Si dicas Mosen Dei jussu fecisse effigiem serpentis ænei, eamque per se, non ad ornatum alterius; respondet Vasquez Deum ibi in hac lege sua positiva dispensasse. Huic sententiæ favet Origenes, Tertullianus, Alexander Alensis, Albertus, Bonaventura et alii, quos citat Vasquez, cap. II et III.

Verum verius est hic non vetari omnes imagines, sed tantum superstitiosas et idololatricas, ac proinde hoc præceptum per omnia esse naturale, non positivum, nec cæremoniale, uti et reliqua omnia Decalogi, excepto unico, puta quarto, quod est de sabbato colendo : ita docent Damascenus, Beda, D. Thomas, Burgensis, Cajetanus, quos citat Vasquez, cap. I, et passim recentiores cum Francisco Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIV, sect. 2. Verius est hoc primum præceptum tantum esse naturale.

Probatur *primo*, iisdem rationibus, quas paulo ante contra Abulensem et contra Calvinum attuli, atque imprimis ex eo quod Septuaginta sculptile hoc vocent idolum, et Scriptura passim sculptilia vocet deos alienos. Audi Isaiam, cap. XLIV, 6 : « Quis formavit Deum, et (id est) sculptile ad nihil utile? » ubi Deum alienum sive idolum vocat sculptile; et vers. 15, cum ait : « Plantavit pinum, etc. ex eo operatus est Deum, et adoravit; fecit sculptile, et curvatus est ante illud; » et vers. 17 : « Reliquum autem ejus (pini) Deum fecit, et sculptile sibi, curvatur ante illud. » Prob. Primo.

Secundo, Salomon rex piissimus, ex se, sine Dei jussu, præter Cherubim arcæ, fecit Cherubinos maximos, scilicet decem cubitorum, qui extendebant alas per totam longitudinem Sancti sanctorum : hæ autem statuæ per se consistebant, ut idola Gentium, ac proinde erant factæ modo accommodato ad adorationem, qua in re Salomon non peccavit, quia non formavit eos ad adorationem, videlicet ut essent quasi idola : ergo hoc præcepto vetantur tantum idola, non autem imagines per se erectæ, vel adorabiles, id est quæ ab aliquo impio commode adorari possent. Secundo.

Tertio, idipsum significat vox *tibi*, cum ait : « Non facies tibi sculptile, » quod scilicet tibi sit instar Dei et idoli. Idem significat id quod sequitur : « Non adorabis ea, et non coles; » quæ *ea*, nisi sculptilia et idola? hæc enim sola adorantur. Ita Cajetanus. Tertio.

Quarto, alioqui Judæi non potuissent habere sphæras et globos astronomicos : hi enim per se sunt similitudines et repræsentationes cœli orbiumque cœlestium, atque possunt adorari, suntque adorabiles, æque ac sol, luna et cœli. Rursum, non potuissent domi habere imagines avorum et proavorum, quod tamen apud Gentes et apud fideles semper fuit solemne, atque magnum incitamentum virtutis. Fateor tamen Judæos, non ex obligatione hujus legis, sed ex devotione et religione, ut magis abessent ab omni specie idoli et violationis legis hujus, sponte sua vix usos esse imaginibus, et in templis nunquam; id enim docet Josephus, Philo, Origenes et alii. Unde Poeta Judæos ita describit : Quarto. Judæi vix usi sunt imaginibus. Cur?

> Qui puras nubes, et cœli numen adorant.

Unde cum Pilatus et Petronius, Præsides Judææ, tentassent imagines Tiberii et Caligulæ in templum inducere, Judæi usque ad mortem restiterunt, teste Josepho, lib. XVIII *Antiq.* IV et X.

Rursum, eo tempore, jure non positivo, sed naturali, vetitum fuit Judæis ne imaginem Dei in templo, aut alibi publice toti populo proponerent, idque ob evidens periculum idololatriæ. Multi enim ex populo rudes et proclives in idola, illam pro numine coluissent : hoc autem periculum non erat in privatis sapientibus. Vidit enim Moses, Isaias et alii Deum in corpore assumpto, quasi in imagine : cur ergo eam expingere non potuissent?

Objectio. Dices, cap. IV, 15, dicitur : « Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, » *q. d.* Non apparui vobis in aliqua specie, vel imagine, ne vos aliquam similem faciatis : ergo absolute omnem imaginem vetat in se, et simpliciter; esto finis legis fuerit, ne eam tandem colerent, facerentque idolum.

Respon-sio. Respondeo : Deus hic proprie non sancit præceptum de non facienda imagine, sed tantum narrat se Hebræis in Sina non apparuisse per ullam speciem visibilem, ne Hebræi illius imaginem et idolum fabricarent, quod scilicet ipsi colerent et adorarent. Facile enim evenisset ut crassi Judæi videntes hoc Dei simulacrum, masculum, vel femineum, primo cogitassent Deum esse talem, scilicet masculum, vel feminam, quem colendo, non Deum verum, sed falsum coluissent. Deus enim verus non est mas, vel femina, et vicissim Deus mas vel femina, non est verus Deus, sed falsus et fictitius. Deinde sensim mentem et sensum in ipsum simulacrum defixissent, ibique hæsissent, cogitantes illud esse suum numen, non cogitando illam tantum esse imaginem sui numinis. Id enim factitasse Gentiles et Judæos, dixi initio hujus paragraphi. Substantia ergo præcepti est : « Non facietis sculptile, id est idolum; » finis vero præcepti est, « ut non colatis, nec adoretis illud. » Facere enim, vel habere idolum, ut idolum, peccatum est, esto illud non colas, nec adores. Duo ergo hoc præcepto vetantur, *primum,* non facere, nec habere sculptile sive idolum, quasi idolum; *secundum,* illud non adorare, nec colere.

Substantia et finis primi præcepti.

NEC SIMILITUDINEM OMNIUM QUÆ IN COELO SUNT DESUPER. — Hic explicat sculptile, ut patet ex Hebræo, scilicet quod sit idolum, sive similitudo numinis, quod est in cœlo, terra vel aquis.

ET QUÆ VERSANTUR IN AQUIS SUB TERRA. — Mare enim terra non est altius, ut volunt aliqui mathematici, sed inferius et depressius : unde *Psalm.* XXIII, 2, dicitur : « Quia ipse super maria fundavit eum, » scilicet orbem terræ; terra ergo mari est altior.

Vers. 9. 9. NON ADORABIS EA (geniculando et prosternendo te coram illis, illaque invocando), ET NON COLES, — per oblationes, festa, et præsertim per sacrificia. Hebraice est, *non servies eis,* scilicet latria, ut explicant Septuaginta, μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, *q. d.* Sacrificio non testaberis te origine esse servum idoli alicujus, quasi illud, per creationem, summum in te dominii jus obtineat.

Zelus Dei quid? EGO ENIM SUM DOMINUS DEUS TUUS, DEUS ÆMULATOR, — sive zelotes, ut vertunt Septuaginta. Zelus hic Dei, ait S. Augustinus *Contra Adimantum,* cap. XI, non cruciatum animi, sed tranquillissimam sincerissimamque justitiam significat, qua animam impune non sinit fornicari. *Secundo,* zelus hic declarat Dei charitatem, inquit Theodoretus, qua animam, quasi sponsam suam et uxorem, sibi adimi non permittit. Lex enim vetus instar viri erat, populus erat instar uxoris : si is a lege deficeret, fornicari dicebatur, ut sæpe ei improperant Prophetæ. De hoc amore et zelo zelotis Dei vide S. Dionysium, *De div. Nomin.* cap. IV, pag. 1, in fine, ubi ait : « Zelotes dicitur Deus, quia amat creaturas; » nam qui amat, in rem amatam fertur, et quia sæpe quædam impediunt adoptionem rei amatæ, nascitur in voluntate conatus ad ea repellenda, qui dicitur zelus, ait D. Thomas (1).

Deus punit peccata patrum in filios, tum innocentes. REDDENS INIQUITATEM (pœnam iniquitatis) PATRUM SUPER FILIOS, IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM, HIS QUI ODERUNT ME. — Aliqui hæc accipiunt de sola iniquitate parentum, eo quod Deus illam in filiis, etiam innocentibus, subinde ad exemplum cæterorum, temporali et corporali pœna puniat. Ita D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXVII, art. 8, Hugo Victorinus, Abulensis, et Vasquez, I II, *Quæst.* LXXXIII, art. 4, disput. 135, cap. I, imo Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. XV, ubi ait Deum hanc pœnam statuisse ob populi duritiem, ut legi divinæ obedirent amore, si non sui, saltem liberorum et filiorum suorum. Verum hoc rarum est, et quasi extraordinarium : unde communiter Patres accipiunt hunc locum de filiis qui peccata parentum imitantur. Ita S. Hieronymus in XVIII *Ezech.*, S. Augustinus, *Contra Adimantum,* cap. VII, S. Gregorius, lib. XV *Moral.* cap. XXII, Chrysostomus, homil. in illud *Psalm.* LXXXIV : *Non in æternum irasceris nobis;* Theodoretus, Acacius, Severus, Diodorus in Catena Græcorum, in *Exod.* XX, 5, et Rabanus ibidem; idque clare exprimit Chaldæus tam hic quam *Exod.* XX, dum vertit : *Visitans peccata patrum in filios transgressores,* etc., *quando filii sequuntur peccata patrum*; et noster Interpres, dum vertit hic et *Exod.* XX, « in tertiam et quartam generationem iis, » vel, « eorum qui oderunt me; » unde Moses, *Exod.* XXXIV, 7, cum dixisset : « Nullus apud te per se innocens est, » hanc eamdem subtexuit sententiam. Itaque τὸ *his qui oderunt me,* tam ad filios quam ad parentes referendum est.

Tum, et potius, nocentes.

Sensus hujus loci. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Deus tam severe sum justus, ut peccata parentum in filios, qui eos imitantur, vindicem, ut tam filii quam parentes in

(1) קַנָּא, *zelotes*, de marito dicitur, qui rivalem pati nequit : sic Deus socium in cultu, quem ab hominibus postulat, ferre non potest. Hinc idololatria alibi dicitur *adulterium.*

filiis suis puniantur. Licet enim videar silere aliquandiu, si tamen videam filios aut nepotes iisdem vestigiis insistere, et mensuram patrum implere, gravior in eos incumbet animadversio mea, quam si nulla parentum peccata præcessissent.

Mensura peccatorum.

Solet enim Deus non statim ad peccata vindicanda prosilire, sed exspectare donec mensuram peccatorum a se definitam, multitudine sua et enormitate homines compleverint. Hinc illa sunt: « Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, » *Genes.* XV, 16. « Et vos implete mensuram patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis justus, » *Matth.* XXIII, 32 et 35. Cum vero completa fuerit hæc mensura, tunc uno quasi gurgite effundit iram suam Deus, graviusque punit posteros, non quam mereantur, sed quam punivisset, si soli ipsi peccassent. Exempla sunt in posteris Salomonis, Jeroboam, Manasse, etc.

Objectio ex S. Augustino.

Quare, quod S. Augustinus, *Enchirid.* cap. XLVI, et ex eo S. Leo, *epist.* 86, hunc locum ita explicant, et dicant parvulos non solum obligari peccatis primorum parentum, Adæ et Evæ, sed etiam suorum proximorum parentum, donec reatus ille sacramento regenerationis solvatur, disputando dictum accipi debet. Jam enim constat e Scriptura et Patribus tantum Adæ peccatum transfundi in posteros; in cæteris vero, quemque onus suum laturum.

Alia ex Ezechiele.

Dices: *Ezech.* XVIII, 3, Dominus retractat hanc Judæorum querulam parabolam: « Patres comederunt uvam acerbam (id est peccaverunt), et dentes filiorum obstupescunt, » aitque se effecturum ut hæc amplius inter eos non usurpetur parabola: ergo non vindicat peccata patrum in filios.

Respondeo: Loquitur ibi Dominus de filiis insontibus. Judæi enim parabolam istam jactantes, se insontes et innoxios, ob sola parentum peccata, puniri querebantur. Ita Patres citati.

IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM, — quousque se fere patrum protendit vita et scelerum memoria. Notat S. Athanasius, tract. *De communi essentia Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* ante finem, hic significari quod Dei clementia major sit ejusdem justitia, in eo quod peccata patrum puniat tantum in tertiam et quartam generationem; benefacta vero parentum præmiet in millia, id est in mille generationes.

Narrat Plutarchus in *Apophthegmat. Roman.*, Artaxerxem Xerxis filium dexteram manum habuisse longiorem sinistra, indeque dictum Longimanum; cumque id illi vitio verteretur, ipse in bonum omne et regiam virtutem convertit, dicens sibi tanquam optimo principi Deum communicasse, ut manum haberet ad largiendum amplissimam et longissimam, alteram vero, nempe sinistram, ad accipiendum et detrahendum brevissimam et contractam: quippe rege dignius, et « beatius est magis dare quam accipere, » *Act.* XX, 35. Multo magis Deus ad benefaciendum est Longimanus, ad castigandum Brevimanus, ad accipiendum Nullimanus. Nihil enim a creaturis accipere potest; sed potius omnia quæ habent, ipse illa eis elargitur. Et in hoc consistit ejus beatitudo, opulentia et bonitas immensa, qua ut mare redundans bona sua communicat, et profundit in angelos et homines.

Posset tamen *secundo,* hic numerus definitus pro indefinito accipi: « In tertiam et quartam generationem, » id est in multas generationes, tumque perfecta et quasi adæquata erit antithesis pœnæ impiorum parentum, cum præmio bonorum. Tria enim et quatuor, perinde ac mille, apud Hebræos denotant magnam multitudinem. Ternario enim, ob mysterium SS. Trinitatis, libenter utitur Scriptura, et per eum copiam significat. Hinc illud *Isai.* XL, 12: « Qui appendit tribus digitis molem terræ; » *Genes.* XVIII, 6, et *Matth.* XIII, 33, farinæ sata tria; *Eccle.* IV, 12: « Funiculus triplex difficile rumpitur; » sic vulgo dicimus, ter felix, id est maxime felix; ter maximus, etc. Ita S. Chrysostomus, homil. 47 *in Matth.* Vide Riberam in *Amos* I, 3.

Ternarius significat copiam.

Tropologice, inquit S. Hieronymus in cap. XVIII *Ezech.*, pater est incentivum vitii, filius est peccatum, nepos est opus perpetratum, pronepos est gloriari de peccato; quæ duo ultima maxime punire solet Deus.

Tropologice.

10. ET FACIENS MISERICORDIAM IN MULTA MILLIA, DILIGENTIBUS ME. — Hebraice et Chaldaice, *in mille,* id est in plurimas generationes. En quam memor est pietatis et obsequii nostri divina bonitas, quamque nos hic amore, uti prius timore et metu pœnæ, ad legis suæ custodiam incitat et impellit (1).

Vers. 10.

Symbolice, nota hic millenarium symbolum esse Dei ejusque infinitatis, et infinitæ misericordiæ. Est enim millenarius cubus denarii (decies enim decem faciunt centum, decies centum faciunt mille), et finis omnium numerorum. Sic Deus est cubus et finis omnium, atque per misericordiam omnes ad se, quasi ad finem eorum ultimum, puta ad æternam felicitatem, reducere conatur.

11. NON USURPABIS NOMEN DOMINI DEI TUI FRUSTRA, — scilicet in vanum, *q. d.* Non adjicies horribile nomen Dei sculptilibus, inquit S. Cyrillus, lib. IV *in Joan.* LI, et Clemens, lib. VI *Stromat.*, ante finem, Tertullianus quoque, lib. *De Idololatria,* cap. XX: « Non assumes, inquit, nomen Dei in vano, » id est in idolo. Verum illud jam vetitum audivimus primo præcepto, quo vetatur idololatria: illud idem tamen vetatur quoque hoc secundo præcepto, quatenus idipsum profanatio est nominis divini; sed hic non est adæquatus

Vers. 11. Secundum præceptum. Explicatur Primo.

(1) *Præcepta mea.* Pro *mea* hebræa habent *ejus,* et Masorethæ ad marginem *mea* legi jubent; *ejus* tamen, quamvis minus correctum, esse genuinum multi censent; nam et alias subinde Scriptores Hebræi, sui obliti ejus persona, quem loquentem inducunt, excidunt, et ipsi loquuntur.

hujus præcepti sensus, nam et multa alia eo vetantur.

Secundo. *Secundo*, S. Thomas (1), II II, *Quæst.* CXXII, art. 3, censet hoc secundo præcepto solum perjurium proprie et directe prohiberi. Unde et Chaldæus vertit, *non jurabis in nomine Domini Dei tui frustra.* Quin et Hebræa ita vertas, *non assumes nomen Dei tui ad mendacium.* Hebræum enim שוא *scaf*, et vanum et mendacium significat : uti et *vanum* pro mendace, subinde latine usurpamus.

Tertio. *Tertio* et optime, Theodoretus in *Exod.* XX, et passim Doctores censent hic non solum perjurium, sed omnem irreverentiam et abusum nominis divini vetari, ne divinum nomen, ait Theodoretus, nominetur, præterquam aut doctrinæ causa, aut precationis, aut alicujus necessitatis. Hoc enim clare significat versio nostra, et Septuaginta, *non accipies nomen Domini Dei tui in vanum.*

Nota : Per *nomen Dei*, hic non tantum intelligitur tetragrammaton *Jehovah*, ut volunt Hebræi, sed et omnia alia Dei nomina, cujuscumque sint linguæ ; imo de nomine *Jesus*, hoc præceptum maxime accipiendum esse probat Abulensis, *Quæst.* VII, in cap. XX *Exod.*, ex eo quod nomen Jesus venerabilius sit nomine Deus. Deus enim creatorem significat ; Jesus vero Deum significat ut redemptorem et salvatorem. Unde nomen Jesus Deo, sive Creatori, novum et majorem addit titulum, scilicet Salvatoris.

Nomen *Jesus* venerabilius nomine *Deus.*

Moralem exaggerationem hujus præcepti, et quomodo utendum sit nomine Dei, quamque grave peccatum sit eo per perjurium abuti, vide apud D. Thomam in *Opusc.* VII. Ubi inter cætera ait : Juramento confitemur quod prima veritas non est nisi in Deo ; in hoc autem fit reverentia Deo. Unde lex jubet ne quis juret per idola, sed per Deum. Perjurus ergo facit injuriam Deo, sibi ipsi et omnibus hominibus : *primo* Deo, quia cum jurare per Deum nihil aliud sit nisi invocare ejus testimonium, cum juras falsum, aut credis Deum nescire verum, et sic ponis ignorantiam in Deo, cum tamen omnia nuda et aperta sint oculis ejus ; aut quod diligat mendacium, cum tamen dicat Psaltes : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium ; » aut derogas potentiæ, quasi non possit perjurium convincere aut punire. *Secundo*, facit injuriam sibi, quia obligat se judicio Dei ; nihil enim est aliud dicere : Per Deum ita est, nisi, Deus puniat me si non est ita. *Tertio*, injuriatur aliis hominibus ; nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi invicem : dubia autem juramentis confirmantur, et « omnis controversiæ finis est juramentum, » *Hebr.* VI, 16.

QUIA NON ERIT IMPUNITUS QUI SUPER RE VANA NOMEN EJUS ASSUMPSERIT. — Pro *impunitus*, *Exod.* XX, 7, habetur *insons ;* sed *insons* ibi capitur pro impunito, metonymice, uti et alibi sæpe, ut I *Reg.* XXVI, 9 ; *Proverb.* XI, 21. Jam sensus est, *q. d.* Deus severe puniet, vel in hac vita, vel in futura, eum qui nomen Dei in vanum assumit ; est liptote, quæ Hebræis est frequens, ut *Mich.* II, 1 : « Væ qui cogitatis inutile, » id est peccatum, quod non tantum inutile, sed et maxime noxium est. I *Reg.* XII, 21 : « Nolite declinare post vana (idola) quæ non proderunt, » id est quæ maxime oberunt. *Jerem.* XXXII, 35 : « Quod non mandavi, » id est quod severe prohibui. Sic de Pallante, viro virtute præstanti, ait Virgilius, *Æneid.* lib. XI :

Liptote.

> Quem non virtutis egenum
> Abstulit atra dies.

Nota : Deus huic secundo præcepto, æque ac primo, pœnam apponit, vel ob rei præceptæ gravitatem, vel ad coercendam Hebræorum ad ea violanda proclivitatem.

Ita Deus fame triennali punivit Israelem, ob perjurium Saulis, quo contra fidem datam a Josue, occidit Gabaonitas : unde eis traditi sunt posteri Saulis, qui ab eis crucifixi sunt ; itaque lues cessavit, II *Reg.* XXI. Ita ob perjurium Sedeciæ regis, Jerusalem, totaque Judæa eversa est, IV *Reg.* XXIV et XXV, et *Ezech.* XVII. Porro blasphemum Deus lapidari jussit, *Levit.* XXIV. Nota quoque est pœna blasphemi Sennacherib, IV *Reg.* XIX. Paulus quoque blasphemos tradidit Satanæ, I *Timoth.* I.

12. OBSERVA DIEM SABBATI, UT SANCTIFICES EUM. — Hic, uti et *Exodi* XX, perfectum de sabbato colendo datur præceptum, cujus præludium et inchoatio in manna præcessit, *Exodi* XVI, 23, imo in genesi mundi : exinde enim coli cœpisse sabbatum, ostendi *Gen.* II, 3.

Vers. 12. Tertium præceptum.

Nota : Præceptum hoc, quatenus diem, et tempus aliquod Dei cultui publico et externo dandum præcipit, morale est et naturale : hoc enim faciendum esse dictat lex naturæ ; quatenus vero diem septimum, sive sabbatum ad hoc determinat, eoque quiescere jubet, cæremoniale est, ideoque jam in lege nova abolitum. Ita D. Thomas, II II, *Quæst.* CXXII, art. 4, ad 1.

Lex sabbati partim naturalis, partim cæremonialis.

Nota *secundo* : Sabbatum, id est quies Dei, quo scilicet Deus ab opere creationis cessavit die septimo mundi, sacramentum fuit, et causa legalis et cæremonialis hujus festi sabbati. Hoc festum rursum allegorice typus erat sabbati, id est quietis, qua Christus quievit in sepulcro eodem die. Tropologice vero typus erat sabbati nostri, quo a peccatis cessare debemus, de quo vide Athanasium, hom. in illud : *Omnia mihi tradita sunt*, et S. Hieronymum in cap. LIX *Isaiæ*, et S. Gregorium, lib. XI *Registri*, epist. 3. Anagogice vero sabbatum typus erat et causa sabbati et quietis æternæ in cœlis, uti docet S. Paulus *Hebr.* IV, 3, nam, ut ait S. Joannes, *Apoc.* XIV, 13 : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur illos. » Unde Rupertus hoc præceptum anagogice sic exponit, *q. d.* « Memento ut diem sabbati sanctifices, » id

Sabbati sacramenta et significata allegorice, tropologice, anagogice.

(1) Quem sequitur Rosenmullerus ad h. l.

est, in omnibus operibus tuis Dei retributionem et requiem æternam paratam attende.

Origo sabbati juxta Gentiles. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Quæres, quæ fuerit origo sabbati? Gentiles, ait Diodorus in Catena Græcorum *Exodi* XX, censebant Hebræos in honorem Saturni sabbatum colere; diem enim septimum vocant ipsi diem Saturni, sicut primum vocant diem Solis, secundum Lunæ, tertium Martis, etc. Seneca vero, teste S. Augustino, lib. VI *De Civit.* XI, ridet Judæos, quod septimam ætatis et vitæ partem otiando perderent. *Tertio,* Plutarchus, lib. IV *Sympos.* Quæst. V, censet Judæos in honorem Bacchi, qui Sabbos dictus est, Sabbatum celebrare. *Quarto,* Apion apud Josephum, lib. II contra eumdem, narrat Judæos, Ægypto exeuntes, laborasse ulceribus inguinum, quæ Ægyptii sabbo vocabant, eaque septimo die cessasse : ideoque eum diem ab illis sabbatum esse vocatum, ac celebratum. Sed hæc Gentilium sunt commenta et calumniæ. *Quinto,* Lactantius, lib. VII *Institut.* cap. XIV, censet sabbatum dici a septem, quasi dicas, septimus dies. Verum patet sabbatum non Latinam, sed Hebræam esse vocem, ac significare quietem, a radice שבת *scabat,* id est quievit.

Prima origo et causa sabbati.

Dico ergo : *Prima* origo et causa instituendi sabbati fuit, ut homines sabbato opus creationis, et beneficium institutæ a Deo naturæ, conditique universi expenderent, ut patet *Gen.* II, vers. 3, et hic vers. 14.

Secunda.

Secunda causa fuit, ut Hebræi in sabbato laboriosæ servitutis Ægyptiacæ, et ab ea liberationis memoriam celebrarent : hæc causa datur hic vers. 25; unde et pridie sabbati egressi sunt ex Ægypto, uti ostendi *Exodi* XII, 41.

Tertia.

Tertia fuit, ut sabbatum dicatum Deo signum esset electionis divinæ, qua Deus Israelem, præ aliis gentibus, sibi in populum adoptavit. Hæc causa significatur *Exodi* XXXI, 13; unde sabbato Judæi a Gentibus secernebantur. Hinc Ovidius :

Cultaque Judæo septima sacra viro.

Quarta.

Quarta, ut sabbato, a laboribus totius septimanæ, daretur requies servis, ancillis et animalibus, ne nimio labore opprimerentur. Hæc causa datur hic vers. 14.

Causa symbolica.

Symbolica causa est : quia septenarius numerus est mysticus, quo multum utitur S. Scriptura; significat enim integrum rei complementum, sicut hebdomas dierum continua et perpetua eorumdem est revolutio; hinc sabbatum erat septimus dies : sic septimus annus erat libertatis, et sabbati terræ; septem hebdomadæ dierum erant pentecoste, septem hebdomadæ annorum erant jubilæum. Hinc septenarius in Scriptura significat plenitudinem et universitatem, inquit S. Augustinus, ut patet I *Reg.* II, 5, in Hebræo, *Jerem.* XV, 9, *Eccle.* XI, 2.

Septenarius significat plenitudinem.

Arithmetica. Septenarius est virgo sine patre et matre, ἑπτάς quasi septas a cultu. Græca aspiratio in *s* vertitur.

Causam hujusce rei Arithmeticam dat Philo, libro *De mundi opificio* : Septenarius, inquit, solus intra denarium, nec gignit, nec gignitur, sine patre est et matre. Unde Pythagoræi eum vocant virginem : hinc congruit Deo et rebus divinis : ideoque Græcum ejus nomen ἑπτὰς a veteribus dictum est *septas,* ἀπὸ τοῦ σεβάσμου, id est a cultu et reverentia. Sic enim Græca aspiratio sæpe in litteram *s* vertitur, teste Prisciano, ut ex ἅλς factum est *sal*; ex ὑπέρ, *super*; ex ὗς, *sus*; ex ὕλη, *sylva*; ex ἥμισυ, *semis*; ex ἕξ, *sex*; ex ἑπτά, *septem*; ex ἕρπω, *serpo.*

Physica.

Physicam congruentiam dat S. Hieronymus in *Amos* V : Galenus, inquit, docet febres ardentissimas septimo die solvi; si non primo, secundo, id est decimo quarto die; si non secundo, tertio, id est, vigesimo primo die, ut omnes labores et molestiæ septenario numero conquiescant.

Septenarius est nodus rerum omnium.

Cicero, in *Somnium Scipionis,* ait septenarium esse nodum et plenitudinem rerum omnium : quia scilicet Deus est unitas, a quo fluit senarius creaturarum, videlicet angeli, elementa, mixta inanima, stirpes, bruta, et homo; deinde septimo rursus ad primam unitatem, scilicet Deum, revertimur, in eaque desinimus, a quo, per quem, et in quem omnia sunt dirigenda, ut explicat Andreas Masius in *Josue* VI, 13.

Senarius significat mortalia, septenarius immortalia.

Hinc Philo, lib. I *Allegor.,* ait senario significari mortalia : quia senarius est divisibilis; septenario vero, quia secari nequit, significari felicia et immortalia. Unde Deus sex diebus complevit opus suum, scilicet mortale; septimo vero ab eo quievit, sed alias diviniores formationes incepit. Errat vero Philo in eo, quod subdit : « Nam rusticanæ simplicitatis est putare, sex diebus, certoque tempore, quod mundo posterius est, mundum esse conditum; » ubi sex dies creationis mundi non litteraliter, sed symbolice accipit; quod et fecit aliquando S. Augustinus : qua de re dixi *Genes.* I.

Plura de perfectione septenarii videat qui volet apud Philonem, et Macrobium, lib. I *in Somnium Scipionis,* cap. VI, et A. Gellium, lib. III, et Andream Masium supra (1).

UT SANCTIFICES EUM, — *q. d.* Observa et celebra sabbatum, quasi sanctum, et a reliquis diebus separatum, quietique et recolendo creationis operi, aliisque Dei beneficiis, dicatum, cujus finis ut te moneam, addidi vocem *memento*, *Exodi* XX, 8. Hæc ergo sanctificatio sabbati, quæ hic directe præcipitur, non erat alia, quam vacatio ab omni opere, ut patet vers. 14, et *Exodi* XX, 10; nam colendo hoc modo sabbatum, ut jusserat Deus, tacite profitebantur Hebræi Deum creatorem esse et largitorem bonorum omnium. Finis vero præcepti erat, ut otium haberent vacandi Deo rebusque divinis, et Dei beneficiis recolendis; unde *Exodi* XX, 11, dicitur quod Deus benedixerit et sanctificaverit sabbatum, videlicet hoc ipso, quo sabbatum ab aliis diebus, ad sui cultum jam dic-

(1) Adde Bähr, *symbolik d. Mosaisch. Cultus*, lib. I, cap. II, § 7.

tum segregavit. Scribit Josephus, lib. VII *Belli*, XXIV, et Plinius, lib. XXXI, cap. II, in Judæa fluvium esse qui per sex dies fluat, septimo fluere desinat, relinquatque alveum siccum, ideoque eum *Sabbaticum* vocari.

Sabbato non licebat coquere, nec ignem accendere. Sabbatum pro quolibet festo, imo pro hebdomada tota capitur.

Nota : Sabbati summa erat solemnitas præ cæteris festis omnibus : unde nec cibum in eo parare licebat, uti de manna vidimus *Exodi* XVI, 29; nec ignem accendere, ut patet *Exodi* XXXV, 3 : quæ tamen in aliis festis facere licebat. Hinc factum est ut nomen *sabbati* omnibus aliis festis communicaretur, omniaque vocarentur sabbata, ut patet *Levit.* XXIII, 11, 24, 33, imo et tota hebdomada, a potiori sui parte et die, vocaretur sabbatum (hinc ait Pharisæus : « Jejuno bis in sabbato, » id est hebdomade), atque a sabbato reliqui dies denominarentur, ut prima sabbati, sive post sabbatum, erat dies Dominica; secunda sabbati, erat dies lunæ, et ita consequenter. Vide S. Hieronymum, epist. 150 *ad Hedibiam*, Quæst. IV. Usurpatur autem subinde pluralis pro singulari, idemque est *sabbata* et *sabbatum*, ut una sabbatorum est prima sabbati. Vide Riberam, lib. V *De Templo*, cap. I.

De mutatione sabbati, quo creatus est mundus a Deo, in Dominicam, quo recreatus est mundus a Christo resurgente, deque cultu Dominicæ a Christianis debito, vide S. Thomam in *Opusc.* VII, ubi inter cætera docet quod fideles in festis tam ab otio, quam ab opere servili abstinere debeant; nam, ut ait Ecclesiasticus cap. XXXIII : « Multam malitiam docuit otiositas. » Fideles ergo in festis occupari debere, *primo*, in sacrificiis tum internis, ut sunt devotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, spei et charitatis; tum externis : hinc Judæi in sabbato duplicabant sacrificium juge, *Numer.* XXVIII, 9. *Secundo*, in lætitia spirituali. *Tertio*, in carnis et concupiscentiarum mortificatione, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, *Rom.* XII, 1. *Quarto*, in actibus misericordiæ, *Hebr.* XIII, 16 : « Beneficientiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus; » *Jacobi* I, 27 : « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. » *Quinto*, in legendo et audiendo verbum Dei aliaque pia. Hoc enim Judæi faciunt etiam hodie, *Actor.* XIII : « Voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur. » Nam, ut ait Christus, *Joan.* VIII : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. »

Hinc in Concilio Carthaginensi IV, capite LXXXIV, excommunicantur qui die solemni, Ecclesiæ conventu prætermisso, vadunt ad spectacula.

Peccant ergo fideles qui, audita Missa otio vacantes, totum diem in chartis vel aleis, aut in choreis inhonestis, ebrietatibus, comessationibus, aliisque peccatis et vanitatibus transigunt; quod in Concilio Toletano III, cap. XXII, graviter prohibetur. In eos etiam detonat Malachias II : « Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assument vos secum. » Et Isaias I : « Solemnitates vestras odivit anima mea, facte sunt mihi molesta, laboravi sustinens. »

Porro fructus et præmia colentium festa describit Isaias cap. LVIII, cum ait : « Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo; et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, tunc delectaberis super Domino : » en *primus* fructus, qui est suavis quædam voluptas spiritus in rebus ad Deum pertinentibus. « Et sustollam te super altitudines terræ : » en *secundus*, *q. d.* Faciam ut magno animo contemnas omnia terrena, eaque cum S. Paulo arbitreris ut stercora. « Et cibabo te hæreditate Jacob patris tui : » en *tertius*, *q. d.* Replebo te spiritualibus bonis in hæreditate cœlesti. Denique adjiciet Deus et temporalia bona, ut promittit ipse *Levit.* XVI, 2 et 4.

Qui vero festa violant, puniuntur *primo*, in corpore, puta morbis et casibus, ut crura vel brachia sibi frangant laborando. *Secundo*, in bonis damna patiuntur, a furibus spoliantur; eorum equi, boves, etc., moriuntur; domus conflagrat, fiuntque pauperes. *Tertio*, bonis spiritualibus privantur. Peccant enim *primo*, in Deum Patrem, cujus potentia die Dominico mundum creavit; *secundo*, in Filium, qui eodem die nos redemit; *tertio*, in Spiritum Sanctum, qui eodem die ad nos missus est.

Audi Jeremiam, cap. XVII : « Si non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, etc., succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non exstinguetur. » Audi Ezechielem, XX : « Sabbata mea violaverunt; dixi ergo, ut effunderem furorem meum in deserto, et consumerem eos. » Vide II *Esdræ* XIII, 15. Ita Deus violantem Sabbatum morte punit, *Exodi* XXXI, 14, et *Num.* XV, 35; vide et II *Machab.* XV, 4 et seq., ubi Nicanor, contemnens Sabbatum Judæorum, ab eis cæditur. Vide Gregorium Turonensem, *De Gloria Confess.* cap. LXXXI, ubi narrat contemnentem festum B. Mariani igne fuisse punitum; et cap. XCIX, narrat de alio, qui in festo laborans, colli et faciei contorsione punitus est.

Vers. 14. Opus quod vetitum sabbato, quod non?

14. NON FACIES IN EO QUIDQUAM OPERIS, — intelige servilis, ut exprimitur in simili *Levit.* XXIII, 28, et non necessarii : poterant enim Sabbato jumenta adaquare, ex fossis extrahere, etc., uti docet Christus *Matth.* XII, 3 et seq.; item ægros curare, uti fecit Christus. Nam, ut ait Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* XII : « Opus salutis et incolumitatis, non est opus hominis, sed Dei. » Multo minus vetatur hic opus spirituale, quale est omnis actio pia et religiosa. Hæc enim sabbatum decet et ornat.

Judæi superstitiose coluerunt, et etiamnum colunt sabbatum, ut ab omni prorsus opere abstineant; hinc Christum persecuti sunt usque ad mortem, eo quod sabbato ægros curaret. Tritum est illud de Judæo in Anglia, qui in foveam sabbato cadens, nolensque extrahi, a Christiano judice coactus est et Dominico in eadem remanere: cum enim ille diceret :

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo,

respondit judex, uti referunt Annales Angliæ :

Sabbata nostra quidem, Salomon, celebrabis ibidem.

Quin et Machabæi sabbato pugnare et se defendere noluerunt; sed suorum strage edocti, consilium et mentem mutarunt, I *Machab.* II, 38 et sequentibus.

ET PEREGRINUS QUI EST INTRA PORTAS TUAS. — *q. d.* Negotiator, sive quis alius alienigena, etiam incircumcisus et Gentilis, cum tecum est, publicum loci festum non violet, sed servet tecum otium sabbati. Ita Cajetanus et alii.

Vers. 16. Quartum præceptum. Honor quadruplex debitus parentibus.

16. HONORA PATREM TUUM ET MATREM. — « Honora » *primo,* amando; *secundo,* reverentiam internam et externam exhibendo; *tertio,* obediendo; *quarto,* juvando et subveniendo : hæc enim quatuor complectitur honor, hæcque parentibus sunt debita : unde Scriptura sub honore etiam munera donaque accipit, ut patet I *Timoth.* V, 3 et 17; atque de iis etiam hoc præceptum intelligit Christus, *Matth.* XV, 6, ut ibi notat S. Hieronymus.

Exemplum memorabile pietatis in parentes refert Plinius, libro VII, cap. XXXVI : « Humilis, ait, in plebe, et ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carceri inclusam matrem, cum impetrasset aditum a janitore, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens : quo miraculo matri donata salus filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis; et locus ille deæ pietati consecratus est, templo Pietati exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. » Idem fecit filia Cimonis ducis : « Hæc enim Cimonem consimili fortuna affectum, parique custodiæ traditum, jam ultimæ senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit, » inquit Valerius Maximus, lib. V. Illustre quoque est quod refert Fulgosius, lib. V, cap. IV, de Toletano homine, cujus pater faber aurarius a Petro primo rege Castulonis ob falsas suspiciones ad mortem damnatus erat : hic enim ejus filius amore in patrem singulari, lacrymis precibusque agere non destitit, ut servato patre ipse pro eo occideretur. Quod assecutus, vitamque amittens, vitam dedit patri a quo vitam acceperat. Ibidem narrat Alexium Isaaci Imperatoris Constantinop. filium, patrem a fratre imperio oculisque orbatum in regnum armis restituisse, et quanquam omnes eum Imperatorem salutarent, ipsum tamen hoc nomen cum imperio in patrem resignasse. Insigne quoque est, quod narrat Egnatius, lib. V, cap. IV, de Cardinali Grimano, qui pro patre Antonio carceri se obtulit.

UT LONGO VIVAS TEMPORE. — Unde *Ephes.* VI, primum hoc mandatum dicitur in promissione; æquum enim est ut filii, qui grati sunt parentibus de vita accepta, longam ejus conservationem mereantur, uti dixi *Ephes.* VI, 3. Vide et S. Thomam in *Opusc.* VII, ubi inter alia ait post Deum juberi statim coli parentes, ob similitudinem quam habent cum Deo; nam *primo,* dant filiis stabilimentum quoad esse, *Eccli.* VII : « Gemitus matris tuæ non obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses. » *Secundo,* dant filiis nutrimentum; *tertio,* documentum, maxime ut timeant Dominum, et abstineant ab omni peccato; illi filios ad sacramenta, ad fidem, ad religionem, ad mores Christianos erudiunt et deducunt. Exemplum illustre est in Tobia.

Addit S. Thomas filios a parentibus accipere vitam, sicut milites a rege accipiunt feudum, ut, si ei sint fideles, ejus conservationem; sin infideles, ejus privationem mereantur. Affert ex Cassiodoro et S. Ambrosio, lib. V *Hexam.,* exemplum ciconiarum, quæ, cum parentes senuerunt, eos plumis suis fovent, escasque afferunt, et pia vicissitudine juvenes reddunt, quod a parentibus parvuli susceperunt. Vide novem benedictiones morigeris filiis promissas, quas recensui *Gen.* IX, 23 et 26.

Longævitas quænam promissa piis filiis? Prima : Tempus est mensura operationis, non otii. Secunda. Tertia litteralis.

Notat Abulensis quod qui honorat parentes, licet cito moriatur, diu tamen vixit, quia tempus mensura est actuum, non otii; unde *Sap.* IV, dicitur : « Consummatus in brevi explevit tempora multa; » et sic omnes boni sunt longævi. Sed hic sensus mysticus est, et subtilior quam solidior.

Secundo, S. Hieronymus in *Ephes.* VI, sic explicat, « ut longo vivas tempore, » in terra scilicet, non morientium, sed viventium, id est in cœlo. Verum sequentia verba, tam hic, quam *Exodi* XX, 12, significant terram hic intelligi promissam Israelitis, scilicet Chanaan, *q. d.* Si honores parentes, in terra Chanaan lacte et melle manante, longævus vives. Fecit et præstitit id Deus rudi illi populo, vel certe idipsum meliori dono et gratia spirituali compensavit, ut etiamnum facit. Hoc longævitatis præmium, quasi lege et talione quadam naturæ, filiis morigeris competit; unde et a Gentilibus cognitum fuit, ac experimentis sæpius comprobatum. Ita Homerus, *Iliad.* ρ, puta 17, de Hippothoo : « Nec nutricationis, ait, vicem parentibus reddidit, et ideo brevis illi contigit vita. » Et Plato cum in libris *De Legibus* honorem parentibus debitum commendasset, ita concludit : « Quod si ita exacte servaverimus, digna a Diis præmia referemus, plurimum bona cum spe viventes. »

Vers. 17. Quintum præceptum.

17. NON OCCIDES. — Vetat hic occisionem hominis, non bruti aut plantæ, uti intelligebant Manichæi. Vide S. Augustinum, lib. I *De Civit. Dei,* XX et XXI, idque patet ex Hebræo. Soli enim homini compe-

tit verbum רצח *ratsach*, id est occidit; unde מרצחים occidetis, non mœchabimini, non furtum facietis. Cur Deus singulos hic compellet?

meratsechim vocantur homicidæ.

Sub homicidio vetantur verbera, rixæ, iræ, etc.

Vetat ergo hic Deus injustam hominis occisionem (qualis est ea, quæ fit privata auctoritate, nisi fiat ad necessariam sui suorumve tutelam), item verbera, rixas et iram, quæ huc tendunt, suntque quasi via et inchoatio homicidii. Vide D. Thomam in *Opusc.* VII, pulchre homicidii et aliorum vitiorum hic vetitorum deformitatem describentem.

Idque *primo*, ut doceret unumquemque, dum Deo Deique legibus paret, honore æquari frequentissimo populo, imo et mundo universo; unde alibi justum laudans ait : Ego sum Dominus Deus tuus; *secundo*, ut quisque legi redderetur obsequentior, dum sibi, non turbæ, dictum audit, id quod præcipitur; *tertio*, ut ostenderet Deus quanti quemque faceret, utpote quem ad oraculorum suorum epulum invitat, quantique principes et magistratus cives suos etiam abjectissimos æstimare, quamque decenter et æque cum eis agere, eosque compellare debeant, utpote quos Rex regum tanto dignatur honore. Prima causa. Secunda. Tertia.

Vers. 18. Sextum præceptum.

18. NEQUE MOECHABERIS. — Vetat hic Deus omnem concubitum extra matrimonium, omnemque membrorum illorum, quæ generationi destinata sunt, abusum, scilicet fornicationem, adulterium, incestum, sodomiam, bestialitatem, pollutionem, vitiaque hisce cognata, uti sunt oscula, verba, aspectus, tactus et gestus impudici. Ex parte enim notiori et famosiori, puta mœchia, sive adulterio, totum libidinis genus, omnesque ejus species intelligi voluit. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LXXI. Ex hoc ergo loco, ex communi Interpretum sententia, patet fornicationem simplicem, quæ est soluti cum soluta, uti et quamvis libidinem extra conjugium, jure naturæ et divino esse vetitam. Licet ergo Moses in Pentateucho fornicationem hanc disertis et expressis verbis non vetuerit, tamen eam hoc loco universali præcepto comprehendit et vetuit. Fornicationem vero cum conjugata, vel desponsata, expresse vetuit *Deut.* XXII, 21 et seqq. quia hæc est adulterium, quo fit injuria tertio, scilicet sponsæ, ipsique matrimonio, vel sponsalibus. Fornicationem simplicem hic vetari, sicque intelligendum esse præceptum : « Non mœchaberis, » senserunt et docuerunt veteres Hebræi. Unde Tobias, cap. I : « Attende, ait, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire. » Et *Eccli.* XIX, 3 : « Qui se jungit fornicariis, erit nequam; putredo et vermes hæreditabunt illum. » Vide dicta I *Cor.* VI, 9. Idem colligitur ex *Ezech.* cap. XVI et cap. XXIII, et alibi passim. Prophetæ enim sæpe comparant idololatriam fornicationi, quasi rei turpi, illicitæ et infami.

Sub mœchia vetatur quævis libido.

Notat D. Thomas mœchum et mœcham violare, *primo*, legem naturæ; *secundo*, ordinationem Dei, *tertio*, Sacramentum matrimonii, ideoque committere sacrilegium; *quarto*, esse proditores, quia subtrahunt se suis maritis vel uxoribus, seque tradunt alienis; *quinto*, esse fures : quia faciunt ut bona virorum vel uxorum veniant ad alienos, puta ad filios adulteri. Vide *Prov.* II, 16. Pœnas adulterii apud varias gentes recensui *Gen.* cap. XXXVIII, 29.

Vers. 19. Septimum præceptum vetat usurpari rem alienam.

19. FURTUMQUE NON FACIES. — Pari modo vetatur hic omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait S. Augustinus. Notat Philo, lib. *De Decalogo*, post initium, Deum in concione et cœtu tam multorum millium Hebræorum, singulos compellare, non omnes, nec plures; dicit enim : Non occides, non mœchaberis, non furtum facies; non autem : Non

Vers. 20. Octavum præceptum vetat omnem linguæ abusum.

20. NEC LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM. — A principaliori crimine falsi testimonii, cætera quoque minora ei affinia intellige, puta detractionem, contumeliam, irrisionem, susurrationem, omnemque aliam injuriam quæ proximo per verba irrogatur, denique omnem linguæ abusum. Ita D. Thomas, II II, *Quæst.* CXXII, art. 6.

Audi quantum peccatum sit detractio. *Primo*, ex S. Scriptura, *Eccli.* X, 11 : « Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occulte detrahit. » *Prov.* XXIV, 9 : « Abominatio hominum detractor; » et vers. 21 : « Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. » *Eccli.* XXVIII, 15 : « Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. » *Rom.* I, 30 : « Detractores Deo odibiles. » Denique Scriptura passim detractorum linguam comparat gladiis, novaculæ acutæ, armis et sagittis. *Secundo*, ex Doctoribus et Patribus qui gravius peccatum docent esse detractionem, quam sit furtum et rapina : tollit enim famam, quæ auro est præstantior. S. Hieronymus in *Psalm.* C, ait eam esse pejorem fornicatione. S. Petrus apud Clementem, epist. 1 *ad S. Jacobum*, eam æquiparat homicidio; multi enim malunt perdere vitam quam famam. S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Popul.* : « Detrahens, ait, fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti; » hæ sunt Thyestææ cœnæ. S. Bernardus, *De Triplici custodia*, manus, linguæ et cordis, linguam detrahentem ait esse viperam et lanceam trisulcam, quæ ictu uno tres confodit, scilicet dicentem, audientem, et eum cui detrahitur. Ait quidam maximam hominum partem ob hoc crimen interire. Plura vide apud P. Busæum in *Panario*, Canisium et Felis. in *Decal.*

Vers. 21. Nonum præceptum vetat concupiscentiam uxoris alienæ. Judæi putabant concupiscentiam

21. NON CONCUPISCES UXOREM PROXIMI TUI. — Nota : Concupiscentia vetatur speciali præcepto, quia plerique putabant sexto præcepto : « Non mœchaberis, » et septimo, « non furtum facies, » tantum vetari actum externum, internum vero non esse vetitum, nec cavendum; quin et post datam a Deo legem, Josephus, lib. XII *Antiq.* XIII, id putasse videtur, uti et Judæi alii, quos corrigit Christus, *Matth.* V, 23 et 29, quasi hoc præcepto : « Non concupisces, » tantum vetetur conatus exterior ad

Internam non esse peccatum.

facinus complendum; sed ille jam vetitus est sexto et septimo præceptis; et ut is hoc præcepto vetetur, non tam quia exterius se prodit, eo vetatur, quam quia a mala voluntate procedit. Illa enim in se mala (ideoque vetita) virus malitiæ suæ actui externo instillat, eamque proprie hæc verba significant et prohibent, cum dicitur : « Non concupisces. » Unde colligas omnem alium voluntatis motum, præceptis aliis adversantem, pariter iisdem vetari, quando concupiscentia feminarum et bonorum, ad quam naturaliter maxime proclives sumus, hic vetatur.

Error Calvini, hic vetari omnem concupiscentiam, etiam involuntariam.

Hæretici, Lutherus et Calvinus in alio sunt extremo; censent enim vetari hic concupiscentiam, quæ e peccato originali est reliqua, puta motus appetitus sensitivi et voluntatis inordinatos, qui rationem et liberum voluntatis assensum prævetiniunt. Verum hoc esse falsum, et tantum voluntariam concupiscentiam, sive consensum voluntatis in illicitas delectationes, hic vetari, multis ostendi *Rom.* VII, 7.

Decimum præceptum vetat concupiscentiam rei alienæ.

NON DOMUM, NON AGRUM. — Post concupiscentiam uxoris nono præcepto vetitam, decimo hoc vetat concupiscentiam rei alienæ : hæc enim distinguenda esse ostendi vers. 7. Hic ergo rectus ordo præceptorum servatur, qui *Exodi* XX, 16, non servatur, nisi a Septuaginta : ibi enim Mosi non fuit propositum, servare ordinem, sed tantum ipsa præcepta enarrare.

Moraliter concupiscentia vetita est ob sex rationes. Prima.

Moraliter D. Thomas, *Opus.* VII : « Concupiscentia, ait, vetita est, *primo,* propter concupiscentiæ infinitatem; concupiscentia enim quid infinitum est. Quilibet autem sapiens debet intendere finem aliquem, imo nullus debet ire per viam infinitam. *Eccle.* cap. V : Avarus non implebitur pecunia. *Isaiæ* cap. V : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis! Et quod concupiscentia nunquam satietur, ratio est, quia cor hominis factum est ad recipiendum Deum. Unde Augustinus in I *Confess.* : Fecisti nos, Domine, ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Id ergo quod minus est Deo, ipsum implere non potest, *Psalm.* CII : Qui replet in bonis

Secunda.

desiderium tuum; *secundo,* quia aufert quietem, quæ multum est delectabilis. Semper enim cupidi solliciti sunt acquirere non habita, et habita custodire, *Eccle.* V : Saturitas divitis non sinit eum dormire; *Matth.* VI : Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum; et ideo Christus, *Lucæ* VIII, divi-

Tertia.

tias spinis assimilavit, ut dicit Gregorius; *tertio,* quia causat in divitiis inutilitatem. Facit enim divitias esse non utiles, nec sibi, nec aliis. Non enim utuntur eis nisi conservando, *Eccli.* XIV : Viro cu-

Quarta.

pido et tenaci sine ratione est substantia; *quarto,* quia tollit justitiæ æquitatem, *Exodi* XXIII : Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum; *Eccli.* XXXI : Qui au-

Quinta.

rum diligit, non justificatur; *quinto,* quia necat charitatem Dei et proximi; quia secundum Augustinum quanto magis habet quis de charitate, tanto minus de cupiditate; et e converso, *Eccli.* VII : Neque fratrem charissimum auro spreveris; necat etiam charitatem Dei, quia sicut nemo potest duobus dominis servire, ita neque Deo et mammonæ, ut dicitur *Matth.* VI; *sexto,* quia pro- Sexta. ducit omnem iniquitatem : est enim radix omnium malorum, et ideo si in corde radicata est, et homicidium, et furtum, et omnia mala operatur, et ideo dicit Apostolus, I *Timoth.* VI : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. » Porro quomodo concupiscentia superanda sit, ita prosequitur :

Concupiscentia vincitur quatuor modis. Primo.

« Vincitur autem quatuor modis : *primo,* occasiones exteriores fugiendo, ut puta malam societatem, et omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum. *Eccli.* cap. IX, 5 : Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit; *Prov.* VI : Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? et ideo præceptum fuit Lot, ut fugeret ab omni circa regione, *Gen.* XIX. *Secundo,* cogitationibus aditum Secundo. non præbendo, quia occasio sunt excitandæ concupiscentiæ; idque faciendum est per carnis afflictionem, I *Cor.* IX : Castigo corpus meum, etc. *Tertio,* orationibus insistendo, quia nisi Domi- Tertio. nus custodierit civitatem, etc.; *Sapient.* VIII : Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; *Matth.* XVII : Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. Si enim duo pugnarent, et velles unum juvare, alterum vero non, oporteret primo auxilium dare, secundo vero abstrahere. Inter spiritum autem et carnem est prælium continuum. Unde oportet, quod si vis quod spiritus vincat, quod des ei auxilium, et hoc fit per orationem : carni vero subtrahas, et hoc fit per jejunium : nam caro per jejunium debilitatur. *Quarto,* licitis occupa- Quarto. tionibus insistendo, *Eccli.* XXXIII : Multam malitiam docuit otiositas; *Ezech.* XVI : Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium. S. Hieronymus : Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum; inter omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. Hieronymus *ad Paulinum* : Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. »

Tropologice, decem præceptis decem vitia superantur.

Hæc ergo sunt decem præcepta, quibus, ait S. Augustinus, quasi decem chordis, decem bestiæ, id est vitia superantur; tangis *primam* chordam, id est primum præceptum, cadit bestia superstitionis; tangis *secundam,* et cadit bestia perjurii, et nefandarum hæresum; tangis *ter-*

tiam, et cadit bestia amoris sæculi; tangis *quartam*, et cadit bestia impietatis; tangis *quintam*, et cadit bestia crudelitatis; tangis *sextam*, et cadit bestia libidinis; tangis *septimam*, et cadit bestia rapacitatis; tangis *octavam*, et cadit bestia falsitatis; tangis *nonam*, et cadit bestia adulterinæ cogitationis; tangis *decimam*, et cadit bestia cupiditatis.

Vers. 26. 26. QUID EST OMNIS CARO, UT AUDIAT VOCEM DEI VIVENTIS, etc., ET POSSIT VIVERE? — *q. d.* Nihil est omnis homo, nullarumque virium, ut tam terribilem Dei præsentiam et vocem audire et sustinere possit, quin protinus in animi vitæque deliquium incidat, nisi quasi miraculose a Deo roboretur et conservetur. Sic Daniel, cap. x, ait ad angelum : « Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil remansit in me virium. » Illa enim lege veteri, quæ erat timoris et servorum, Deus, vel potius angelus vice Dei, etiam Sanctis se terribilem, æque ac augustum exhibebat, eosque percellebat. Hinc parentes Samsonis, ex illa communi hominum illius ævi concepta opinione, ob visum Dominum, se morituros putabant, *Judic.* cap. XIII, vers. 22. Vide dicta *Exodi* XXXIII, 20.

Deus olim apparebat terribilis, ita ut eum videntes putarent se morituros.

31. TU VERO HIC STA MECUM. — Moses enim, proclamante Deo Decalogum, aliquantum remotus stabat a populo, in ascensu montis Sina : inde jussus est a Deo descendere ad populum, ut ei præciperet redire ad castra; quo facto rursus ascendit ad cacumen et caliginem Sina, ibique manens quadraginta diebus et noctibus, audivit a Deo alia præcepta, judicialia et cæremonialia, quæ doceret populum, ibique tabulas lapideas Decalogo inscriptas a Deo, id est ab angelo Dei, accepit. Vers. 31.

32. NON DECLINABITIS, NEQUE AD DEXTERAM, NEQUE AD SINISTRAM : — quia custodia legum est et dicitur via ad Deum, cœlum et beatitudinem; hinc Scriptura dat ei dexteram et sinistram. Vers. 32.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses refricat et inculcat præceptum diligendi Deum ex toto corde. Secundo, vers. 10, *hortatur ut Dei legisque Dei semper sint memores in Chanaan, promittens, si id faciant, terræ fertilitatem et prosperitatem.*

1. Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque judicia quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam : 2. ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. 3. Audi, Israel, et observa, ut facias quæ præcepit tibi Dominus, et bene sit tibi, et multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem. 4. Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo : 7. et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. 8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, 9. scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ. 10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob; et dederit tibi civitates magnas et optimas quas non ædificasti, 11. domos plenas cunctarum opum quas non extruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta et oliveta quæ non plantasti, 12. et comederis, et saturatus fueris : 13. cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. 14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt : 15. quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui; nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. 17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et cæremonias quas præcepit tibi : 18. et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi : et ingressus possideas terram optimam,

de qua juravit Dominus patribus tuis, 19. ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. 20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? 21. dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti : 22. fecitque signa atque prodigia et pessima in Ægypto contra Pharaonem, et omnem domum illius, in conspectu nostro, 23. et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. 24. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. 25. Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

Vers. 4. 4. AUDI, ISRAEL : DOMINUS DEUS NOSTER, DOMINUS UNUS EST. — Hinc Dei nomen est אחד *echad*, id est unus, *Isaiæ* LXVI, 17, in hebræo, *qui purificantur ad hortos post echad*, id est unum, puta Deum; et *Job* XXXI, 15. Ab *echad* Deus a Syris dictus est *Ahad*, indeque ab Assyriis dictus est *Apad;* nam, ut docet Macrobius, lib. I *Saturn.* XXIII, Adad summus erat Assyriorum deus; cui etiam deam Atargatim uxorem assignabant : per Adad solem (quem, quia solus et unus est in mundo, qui omnium viventium est causa, et quasi pater, deum esse putaverunt), per Atargatim terram intelligentes, quod ex his duobus omnia procreentur.

Ratio cur Deus sit unus, est *primo*, quia Deus est ens simplicissimum, æque ac absolutissimum et perfectissimum : ergo unum. Si enim essent duo dii, unus haberet aliquid perfectionis quod non habet alius, ac consequenter aliquid perfectionis utrique deesset : ergo neuter esset absolute perfectissimus : ergo neuter esset Deus. Deus enim omnium rerum perfectiones in se continet et complectitur. Unde D. Thomas, I *part., Quæst.* XI, art. 4, docet solum Deum plane et plene esse unum, quia in solo Deo est plena et summa unitas, puta simplicitas, quæ omnis et omnino compositionis est expers, cum ex adverso angeli componantur ex actu et potentia, atque ex essentia et existentia; homo vero ex corpore et anima, cætera ex materia et forma, atque ex subjecto et accidente : quorum nihil est in Deo. Deus ergo summe unus est, quia incompositus et simplicissimus.

Secundo, si essent duo dii, haberent duas et diversas voluntates; ergo possent velle contraria : ex quo bellum inter ipsos, et magna perturbatio in orbis regimine consequeretur.

Tertio, si essent duo dii, unus limitaret et stringeret alterius virtutem et imperium : sicut in republica cum duo sunt consules, unus ab alio pendet, unus limitat alterius potestatem, imo regimen partitur et dividit. Deus autem est infinitus, et illimitatæ virtutis, qui integrum, non divisum habet imperium; ergo unus est, non duo. Ita S. Cyprianus, libro *De Idolorum vanitate* : « Unus, ait, omnium Dominus est; neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnium teneat potestatem. »

Quarto, Deus est monarcha mundi : monarchia enim est optimum regimen; unde Homerus non vult plures regere, sed εἷς κοίρανος ἔστω, rex unicus esto. Ita S. Cyprianus loco citato, idque probat exemplis : « Romanos, ait, geminos (Romulum et Remum) unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompeius et Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus; multo magis unus mundi est rector, qui universa quæcumque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest : visu clarior est; nec comprehendi : tactu purior est; nec æstimari : sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. »

Quinto, sicut ab unitate oriuntur omnes numeri, et a centro omnes lineæ quæ ducuntur ad circumferentiam : ita a Deo oriuntur omnes res creatæ; debent ergo in uno principio, puta Deo, quasi in sui centro coire, uniri et terminari.

Sexto, unus debet esse mundi rector, qui omnia ita varia, apte inter se congrue ordinet et associet; alioqui enim omnia in unum ordinem non convenient, nisi ab uno ordinentur. Oportet ergo ut primum movens et gubernans, quod omnia reducit in unum ordinem, sit tantum unum; hoc autem est Deus.

« Unus *ergo* Deus, una fides, unum baptisma : » quod axioma non tantum est fidelium, sed et infidelium Philosophorum, Oratorum, Poetarum, Hæreticorum et Mahometanorum, quorum hoc est symbolum : « Non est Deus nisi unus, et Mahomet apostolus ejus. » Ita D. Thomas et Scholastici, I *part., Quæst.* XI, art. 3.

Nota : In Hebræo innuitur mysterium Trinitatis et Incarnationis. Sic enim habet : « Audi, Israel, Deus, Deus noster Deus unus est (1). » Idem in-

(1) Vide Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, tom. I, pag. 307 seqq., ubi vim hujus loci, veterumque Rabbinorum commentationes egregie exponit.

nuitur ab Isaia, cap. VI, vers. 3, ubi Seraphim clamant : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; » quod veteres Rabbini, ut R. Simeon filius Joai, sic exponunt : « Sanctus, ait, hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus Sanctus, » teste Galatino, lib. II, cap. I. Additque eos sanxisse ut minimum bis in die, scilicet oriente et occidente sole, tam illa Isaiæ, vel potius Seraphim verba, quam hæc Mosis a quolibet Judæo quotidie recitentur, quod apud eos ad sua usque tempora perseverasse ait, nimirum ut ita personarum Trinitatem cum divinæ essentiæ unitate profiterentur. Nam nomen « Deus » ter repetitum, æque ut « sanctus » apud Isaiam significat tres personas; secundo vero loco additum τὸ *noster* significat Verbum assumpsisse carnem nostram, nobisque datum, et nobis natum esse Emmanuelem. Qua ratione etiam David dixit *Psalmo* LXVI : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. » Citat et Genebrardus in fine lib. I *Chronolog.*, veterem Rabbinum, R. Ibba, qui dicit hos tres קדוש *cados*, id est *Sanctus*, alibi vocari tria specula, tria luminaria, tres supremos patres, principio et fine carentes : alibi vocari coronam, sapientiam et intelligentiam : alibi tria *iodim*', designantia tres Jehova, id est tres personas divinas.

Ab Hebræis hoc mysterium acceperunt Ægyptii, apud quos hoc Serapidis oraculum ad Thulem regem exstat apud Suidam in voce *Thulis* :

Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
Ταῦτα δὲ σύμφυτα, ταῦτα καὶ εἰς ἕν ἴοντα τέτυκται.

Primum Deus, deinde Verbum, et Spiritus cum illis.
Illa autem congenita, et in unum coeuntia.

Vers. 5. 5. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM.—Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent, *et diliges*. Jansenius in cap. LXXI *Concord. Evang.*, et alii, ponunt vim in τῷ *et, q. d.* Quia unus est Deus noster, uti præcessit, ideo totam spem et amorem tuum in uno Deo, non in pluribus pones et collocabis. Sed τὸ *et* apud Hebræos sæpe redundat; et sic noster Interpres hic illud, ut redundans, omisit.

Est hoc eminentissimum eminentissimæ virtutis, scilicet charitatis, præceptum; sicut enim inter metalla eminet aurum, inter elementa ignis, inter cœlos empyreum cœlum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini : ita inter virtutes eminet et præcellit charitas, sive dilectio Dei et proximi. Ea enim est aurum radiantissimum, quo cœlestia eminus bona : ignis est cœlestis, qui animos omnium circa se inflammat : empyreum cœlum est, in quo habitat Deus et Beati : sol est, qui omnia illuminat, fecundat et vivificat : seraphica virtus est, quæ S. Franciscum aliosque charitate flagrantes Seraphinos ardentes effecit. Vis plura? accipe : *primo*, charitas est quasi regina, cæteras virtutes regens et moderans.

Octo charitatis dotes. Prima.

Secunda. *Secundo*, est quasi mater alias virtutes alens, reficiens, roborans, sustinens, ait Laurentius Justinianus, lib. *De Ligno vitæ*, cap. III.

Tertia. *Tertio*, charitas facit nos amicos et filios Dei, ejusque hæredes et cohæredes Christi; hinc ait S. Joannes, *epist.* I, cap. IV : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est. »

Quarta. *Quarto*, sola charitas est quæ dividit oves ab hædis : « Quæ dividit inter filios regni æterni, et filios perditionis æternæ, » ait S. Augustinus, libro XV *De Trinit.* cap. XVIII.

Quinta. *Quinto*, charitas est quasi forma et anima virtutum, eisque vim merendi tribuit; unde ait S. Augustinus : « Sola charitas perducit ad Deum. »

Sexta. *Sexto*, charitas est vinculum perfectionis, *Coloss.* III, 14, quod nos arctissime Christo et proximis astringit; unde ait Paulus : « Quis nos separabit a charitate Christi? » etc.; et S. Bernardus, serm. 83 *in Cant.* : « Conformitas, ait, cum Verbo in charitate, maritat animam Verbo. »

Septima. *Septimo*, charitas est ignis inexstinguibilis, qui omnia, etiam dura ut ferrum, vincit et superat. Nam omnia vincit amor; et : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. » « Quid amore violentius? triumphat de Deo amor, » ait S. Bernardus, serm. 64 *in Cant.* Charitas imperat odio, iræ, timori, cupiditati, oculis, auribus, manibus, etc., omniaque in Deum dirigit.

Octava. *Octavo*, charitas quasi aquila solem, puta Deum, irretortis oculis intuetur; et ad eum igneis alis duabus, puta amore Dei et proximi, evolat, ait S. Augustinus in *Psalm.* CXXI. Hinc idem Augustinus in I *Joan.* IV, 7 : « Semel, ait, breve præceptum tibi præcipitur : Dilige, et fac quod vis. »

Diliges Deum ex omni valde tuo, id est ex omni facultate tua. EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA FORTITUDINE TUA. — Nota : Pro *ex tota fortitudine tua*, hebraice est בכל מאדך *bechol meodecha*, id est, *ex toto valde tuo*, quod Chaldæus refert ad bona externa, vertitque, *ex omni substantia tua*, vel *ex omnibus divitiis tuis*; verum melius vertit Noster et Septuaginta ἐξ ὅλης δυνάμεώς σου, id est, *ex omni virtute*, hoc est fortitudine, *tua*, quod S. Lucas, cap. X, vers. 27, vertit, *ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua*. S. Matthæus vero, cap. XXII, vers. 37, vertit, *in tota mente tua*. Diliges ergo Deum *ex omni valde tuo*, id est, diliges Deum ex omni facultate et possibilitate tua, et, ut Vatablus vertit, *pro omni virili tuo*.

An cor, anima, et fortitudo in amore Dei distinguenda sint? Primo, distinguit ea Rabanus. Quæres, an et quomodo distinguantur hæc tria, scilicet diliges Deum ex toto corde, ex tota anima et ex toto valde, id est tota fortitudine, vel ex totis viribus?

Primo, Rabanus hic : Animæ rationali, ait, quæ memoria constat, intellectu et amore, SS. Trinitatis fides commendatur in eo quod dicit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, quasi diligere ex toto corde, sit diligere ex tota memoria, quæ Patri adscribitur; ex tota anima, sit ex toto intellectu, qui Filio datur; ex tota fortitudine, sit ex tota voluntate, quæ Spiritui Sancto

accommodatur. Nyssenus vero, lib. *De Creatione, hominis*, per animam accipit partem animæ vegetativam, per cor sentientem, per mentem intelligentem.

Et S. Augustinus.

Rursum S. Augustinus, lib. I *De Doctr. Christ.*, cap. XXII, per cor accipit cogitationes, per animam vitam, per mentem, sive virtutem intellectum, quasi hic præcipiat Deus ut hæc omnia in illum, qui ea nobis contulit, conferamus. Audi S. Augustinum : « Cum ait : Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur. »

S. Bernardi expositio.

Secundo, S. Bernardus, sermone 20 *in Cant.* : « Mihi, ait, videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ vero amor ad industriam seu judicium rationis, virtutis vero dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem, quasi dicat : Dilige Dominum Deum tuum toto et pleno cordis affectu ; dilige tota rationis vigilantia, et circumspectione ; dilige et tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas. Fortis enim est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. »

Melius alii censent hæc tria idem inculcare.

Tertio, simplicius hæc tria secundum phrasim Hebræam accipi possunt, ut unum idemque significent ; tantum enim ad majorem energiam et inculcationem fit hæc trina repetitio. Sensus ergo est, *q. d.* Diliges Deum ex tota voluntate, totoque ejus affectu et conatu. Hujus rei et sensus genuini signum est, quod Scriptura ex hisce tribus, aliquando tria ponat, aliquando duo tantum, ut capite X, versu 12 : « Diligas eum, etc., in toto corde tuo, et in tota anima tua. » Simile est lib. IV *Reg.* cap. XXIII, vers. 3. Aliquando addit quartum, videlicet « ex tota mente tua, » ut patet *Luc.* cap. X, vers. 27. Idem ergo hæc omnia significant, scilicet, diliges Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, tota mente tua, id est toto animo et affectu, ita scilicet, ut omnia Dei præcepta impleas, et nullam amoris tui partem des idolo, aut rei cuiquam Deo contrariæ, quasi plures habeas deos. Deus enim tuus unus est ; ergo amor tuus in plures deos non est partiendus, sed unus Deus tibi amandus, unoque eo tibi fruendum est, ut ait S. Augustinus, lib. I *De Doctrina Christ.* cap. XXII, in quem proinde omnia tua referas oportet, ita ut generatim velis ipsum esse finem omnium tuarum cogitationum, actionum et amorum, ut eo venire merearis, ubi continuo et intentissimo actu Deum in æternum diligas ; quæ dilectio hic præstari non potest, sed præmii loco dabitur in cœlis ; quare neque hic secundum litteram præcipitur (est enim finis præcepti, qui ipso præcepto non præcipitur, sed tantum medium ad finem), sed tantum secundum sensum anagogicum insinuatur. Secundum quem sensum hæc verba accipit S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. ult., ubi præceptum hoc dilectionis Dei, a nobis in hac vita impleri posse negat ; sicuti et ibidem asserit præceptum illud : Non concupisces, a nobis hic impleri non posse, sed nos tendere eo, ut in cœlo illud impleamus, videlicet secundum sensum anagogicum ; nam secundum sensum litteralem præcipitur tantum, ut desideria prava omnino evellere conemur, eoque conari possumus in hac vita ; secundum anagogicum vero sensum innuitur, ut nulla in nobis talia desideria sint : quod non præcipitur, ut hic impleatur, sed præsentis luctæ erit merces in cœlo.

Explicatur ad litteram lex dilectionis.

Lex dilectionis ex toto corde a nobis impleri potest.

Ex dictis patet hoc præceptum litteraliter in hac vita impleri posse. Possumus enim diligere Deum ex tota possibilitate nostra, seu quantum pro statu et infirmitate hujus vitæ possibile est ; et quia alioqui frustra præciperetur nobis in hac vita, adeoque Deus præciperet impossibilia, quæ nemo præstare potest. Denique Josiam regem ac similes implesse hoc præceptum patet IV *Regum* XXIII, 25. Vide Bellarminum, lib. II *De Monachis*, cap. XIII.

Jansenii explicatio hyperbolica rejicitur.

Quare non est necesse cum Jansenio confugere ad hyperbolem, hocque præceptum exponere hyperbolice ; quasi dicat : Diliges Deum ex toto corde, id est, ita ut præcipua cogitatio et dilectio tua versetur circa Deum ; sicuti vulgo dicimus : Hic homo totus est in studiis, cætera facit obiter. Hæc enim hyperbole improprium facit sensum, atque elevat vim et energiam hujus primi et maximi mandati.

Summus amor Dei hac lege præcipitur, isque triplex, primo, comparative ; secundo, finaliter.

Hoc ergo præcepto, exigitur ab homine totus et summus Dei amor, non extensive aut intensive, sed tantum comparative, finaliter et appretiative. *Primo*, comparative, ut scilicet ita totum cor et affectum des Deo, ut nullam ejus partem des dæmoni aut peccato. Ita Vasquez, I II, *Quæst.* CCIX, art. 3 ; *secundo*, finaliter, ut in genere Deum habeas, quasi finem omnium tuarum actionum, eumque ut summum bonum et finem ultimum rebus omnibus præferas, ut malis omnes res perdere, quin et vitam tuam, quam Deum Deique gratiam ; *tertio*, appretiative, ut applices cor totum, id est voluntatem tuam, ad ejus legi per omnia obediendum, ut sanctæ ejus voluntati te per omnia conformes ; ac proinde diligas eum pleno amore, non tantum concupiscentiæ, sed et amicitiæ. Unde quod hic dicitur : «Ex toto corde,» alibi dicitur : « Ex corde integro, » vel : « Cor ejus perfectum erat cum Deo, » et : « Incessit in omnibus mandatis Domini. » Nam in hoc dilectionis præcepto, omnia particularia Dei præcepta virtute continentur, sicuti conclusiones continentur in suis principiis ; tum quia amor Dei includit obedientiam Dei ; tum quia, sicut Deus est idea et speculum perfectissimum, in quo res perfectius

Tertio, appretiative.

In lege amoris Dei, omnes aliæ Dei leges implicite continentur.

In Deo est ordo diligibilium.

apparent, et videntur a Beatis, quam in seipsis : ita quoque ipse est totum bonum, quod maxime est diligibile, et in eo est ordo diligibilium; dilecto ergo ipso, omnia diligemus quæ diligibilia sunt, ait Abulensis.

In charitate consistit perfectio, cur ?

Atque hæc est causa cur in charitate et dilectione Dei, omnis hujus vitæ perfectio, tam Christiana quam Mosaica consistat, uti docent Patres et Doctores. Nam reliqua, ut « jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas et privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, » ait Abbas Moses apud Cassianum, *Collat.* I, cap. VII.

Cur Deus diligendus sit ex toto corde? Prima causa. Quia Deus est creator cordis.

Quæres *secundo*, cur Deus diligendus sit ex toto corde? Respondeo : Causa a priori est *prima*, quia Deus est creator, donator et conservator ipsius cordis, omniumque bonorum naturalium et supernaturalium, quæ in corde, totoque homine sunt; ergo par est ut hæc omnia in eum redeant, et per amorem quasi refluant. Amor enim Dei est summus Dei cultus et honor. Unde S. Augustinus in *Sent.*, Sent. 244 : « Hoc, ait, ab homine colitur, quod diligit. Unde quia Deus omnibus rebus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur. » Unde S. Bernardus, *epist.* 353, quærenti cuidam, « quid a nobis requirat Deus, » respondit : « Cor nostrum nihil dignius perficere potest, quam ut ei se restituat a quo factum est, et hoc a nobis Dominus expetit, dicens : Fili, da mihi cor tuum. Tunc siquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat et circumflectitur super eum, et nihil vult possidere penitus præter eum, sicque colligato sibi animo eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor; nec aliud dixerim cor Domino dare, quam ipsum captivare in omne obsequium ejus, et ita voluntati ejus ex toto supponere, ut nihil aliud velit, quam quod noverit eum velle. Itaque cor Domino datum, ipsum in omnibus et de omnibus adorabit, et gratias aget, etiamsi multa sensibus nostris molesta videantur, etc. Qui cor suum dedit Deo, cantabit melodice, et dicet cum Propheta David : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam in gloria mea, etc. Proinde omnes qui cor suum Deo tradiderunt, psallunt in tribulationibus, in pressuris, in angustiis, in fame et siti, in nuditate et dejectione, in maledictis, in conviciis et derisionibus, in flagellis, ac etiam morte intentata in cordibus plus exultant. » Et inferius : « Conversio totalis ad Deum cordis nostri est alienatio a sæculo, et a seipso, et in Deo fieri per virtutem et in ipso quiescere per invisibilem et remotam animi pacem, » etc.

Secunda, quia cor est imago Dei creatoris.

Secunda, quia Deus creavit cor, sive mentem ad imaginem et similitudinem suam : unde tribuit ei capacitatem quamdam infinitam, quæ a nulla re creata, sed a solo Deo impleri et satiari potest : « Cor parvum est, inquit Hugo, lib. III *De Anima*, et magna cupit; vix ad unius milvi refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit. » Et hoc est, quod ait S. Augustinus : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Deus ergo est centrum cordis et amoris nostri; unde dicebat Abbas Antonius : « Ego Deum amo, non timeo. »

Deus est centrum cordis et amoris.

Tertia, quia Deus est finis hominis.

Tertia, quia Deus, uti principium, ita finis est hominis omniumque creaturarum; omnes ergo eum, ut talem toto corde et affectu prosequi et diligere debent. Quocirca tradunt graves Auctores, S. Augustinum in suis amoris cum Deo deliciis et colloquiis, ita Deum affari solitum : « Domine, valde exultat in te anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus noster. Quare si per impossibile fieri posset ut Augustinus esset Deus, et tu esses Augustinus, omnino vellem ut tu esses Deus, non Augustinus. » Quæ sententia sane accipienda est; explicabo eam (Deo dante) proximo opere in Prophetas, *Ezech.* VIII, 3 et 5.

Quarta, quia Deus summe estamabilis, quia ipse est summum bonum.

Quarta, quia Deus est summum, immensum et increatum bonum, quod est fons omnis boni, quodque in se omnia bona, tam creata, quam possibilia continet in gradu eminentissimo et perfectissimo; ergo summe est amabilis; ergo ex toto corde amandus : cætera enim bona præ Deo vana et nihil sunt, fumus et umbra sunt, ac proinde per se non sunt diligenda, sed tantum propter Deum : « Omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est, » ait S. Augustinus. Merito ergo B. Jacoponus amore Dei ebrius jugiter flebat, ac rogatus causam, hanc dedit : « Quia amor (Deus) non amatur. » Merito B. Magdalena, quasi cerva sagittis amoris Christi saucia, dicebat : « Quæsivi quem diligit anima mea per vicos et plateas, inveni eum, tenui eum, nec dimittam. » Merito per triginta annos in horrida spelunca, solo ejus amore dulcissime se pavit, ut jure canat de ea Petrarcha :

> Namque famem, frigus, durum quoque, saxa, cubile
> Dulcia fecit amor.

Dulcedo enim divini amoris, cum cor alicujus occuparit, facit ut omnis mundi et carnis dulcedo amarescat, et amaritudo dulcescat. Id expertus B. Gregorius Nazianzenus ita scribit *ad Nemesium* :

> Namque tuum supera feriat si Christus ab arce
> Pectus, et in medio figat tibi corde sagittam;
> Sejunctim inspiciens utrumque oculatus amorem,
> Quanto sit Domini stimulus mage dulcis, habebis
> Perspectum.

Quis non amore liquescat, si Deum pro se hominem factum, si Jesum parvulum, si laborantem, si sudantem, si algentem, si coronatum, si crucifixum intueatur? Merito S. Augustinus, lib. *De Sancta Virg.* cap. LV : « Toto, ait, vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. » Et Sponsa : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. »

S. Catharina Senensis, amoris Christi sponsi sui vulnere sauciata, instanter ab eo petiit ut a se cor

suum et propriam voluntatem radicitus evelleret, ut tota transiret in ejus amorem. Visa est sibi videre Christum cor sibi e latere eximentem, et post aliquot dies aliud cor illustre afferentem ac dicentem : « Ecce filia mea, habes pro corde tuo cor meum. » Exinde tota mutata mire amore Christi æstuavit.

Josaphat rex, teste Damasceno in ejus Vita, cap. XXXVII, amore hoc æstuans regnum reliquit, purpuram cum cilicio commutavit, ex aula in eremum secessit, voluptates, opes et gloriam ut stercora calcavit, ad omnia dura et acerba monasticæ vitæ studia alacri animo se tradidit, illud Psalmistæ clamans : « Adhæsit anima mea post te, » o Christe, « suscipiat me dextera tua, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Ita exultans in paupertate currebat per eremum quærens suum præceptorem Barlaam, cui deinde ad finem usque vitæ, in isto rigore alacris et constans adhæsit.

Tropologice. Tropologice S. Bernardus : « Diliges, ait, Deum ex toto corde, id est dulciter, ne illectus; ex tota anima, id est prudenter, ne deceptus; ex tota fortitudine, id est fortiter, ne oppressus ab amore Domini avertaris. »

Amore Dei facile omnia dura superantur. Hoc ergo dilectionis præceptum infige animo, et omnia dura, omnes tentationes, omnes labores facile superabis, vitamque ages suavissimam æque ac sanctissimam; nam, ut ait Petrus Ravennas : « Teneræ militiæ est, solo amore de omnibus vitiis reportare victoriam. » « Quis enim, ait Paulus, nos separabit a charitate Dei? tribulatio, angustia? etc. certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. Deus se totum dedit tibi, tu, te totum da, imo redde Deo. O quam felix est, qui totum cor et affectum Deo dat! qui non delicias, non opes, non aliquid creatum amat, sed unum, immensum et æternum bonum! « Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et nova, sero te amavi; cognoscam te, cognitor meus, cognoscam te, » ait S. Augustinus, lib. X *Confess.* VII. O Domine, si te tuaque bona nossent homines, si perspicerent quam sis per omnia præstans et amabilis, quomodo amarent te, et præ te cætera omnia despicerent; quam suavis es amanti! quam potens speranti! quam deliciosus fruenti! Tu enim es abyssus et oceanus bonorum omnium. O charitas quæ semper ardes, et nunquam exstingueris, charitas, Deus meus, accende me; jubes ut amem te, da quod jubes, et jube quod vis. Da, Domine Jesu, ut amore amoris tui moriamur amori carnis et mundi, qui pro amore amoris nostri dignatus es mori. Utinam mille cordibus te amare, mille linguis te laudare possemus!

Deliciæ amoris Dei.

Jesu cordis tripudium,
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Mel, nectar, melos aurium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Vide S. Bernardum, serm. *De diligendo Deo*, et serm. *De triplici dilectione*, et tract. *De diligendo Deo*.

Vers. 7. 7. ET NARRABIS (hebr. *et acues*, id est, ut Vatablus et alii, iterabis, revolves, repetes hæc mea præcepta) FILIIS TUIS. — *Secundo, acues*, id est acute, hoc est præcise, distincte, clare et aperte præpones et explicabis ea filiis tuis : sicuti materia vel quæstio obscura acuitur a doctore, dum ab eo clare per partes pertractatur, exponitur, ventilatur et discutitur. Est metaphora ducta a gladio, qui dum acuitur, sæpius impellitur ad cotem. Significat ergo crebro et continuo revolvenda, explicanda et inculcanda esse filiis Dei præcepta, ut et ipsi acuantur et incitentur ad ea cognoscenda et exsequenda.

Tradunt Hebræi Hierosolymis tantum olim fuisse studium legis divinæ, ut ultra quadringentas publicas scholas et synagogas habuerint, in quibus lex Dei docebatur.

ET MEDITABERIS. — Hebraice, *loqueris* cum eis, sicut famulus cum hero suo familiariter loquitur, ut ejus mentem exquirat, quam onere expleat.

Pia praxis eundi cubitum prævia oratione. DORMIENS. — Hebraice *incubando*, dum cubitum concedis, vel dum cubas : neque enim dormiens quis meditari potest. Est hæc Christianorum piorum sancta et utilis praxis, ut, cum cubitum concedunt, orent et pii aliquid cogitent, in eaque cogitatione indormiant, ita præter alia diaboli tentationes et illusiones, atque fœda phantasmata elidunt et evadunt. Idem faciunt, cum noctu evigilant. Qua de re audi sancientem S. Bernardum, lib. *De Vita solitaria* : « Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens, in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis, et surgens facilis et agilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti. Sobrium enim cibum sobriumque sensum sequitur sobrius somnus : carnalis vero somnus et brutus, et sicut dicitur letheus, abominandus est servo Dei. »

Galli exemplum. Hinc R. Moses censuit gallos gallinaceos, suo cantu media nocte, homines docere ut tum surgant ad laudandum Deum; testis est Pineda in *Job*. cap. XXXVIII, 36. Ubi S. Gregorius tradit gallos profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus; mane vero leniores ac minutiores : quasi qui prioribus excitent dormientes, posterioribus invitent jam expergefactos, ad matutinam orationem Deo fundendam; quem ipsi suaviori voce laudant, ac suo modulo venerantur, unde et Ecclesia canit : « Gallus jacentes excitat, et somnolentos increpat. »

Denique, hinc S. Ephrem, tom. III *Serm. Ascet.*, et Beatus Dorotheus, *serm.* 11, et S. Bernardus, lib. *De Vita solitaria*, impense viris piis tam ves-

pere quam mane exactam sui curam, custodiam et examen commendant; quin et Pythagoras, ait S. Hieronymus, lib. III *Contra Ruffinum*, cap. X, sanxit, « duorum quam maxime habendam esse curam, mane et vesperi, id est eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus. » Unde et « nocturnæ aves, ait S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XXIV, canoro carmine occasum diei solent prosequi, ne immunes abeant gratiarum actionum, quibus Creatorem suum omnis creatura collaudat. » Idem, serm. *in Malach. proph.* in fine tom. II: « Aves, ait, propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, et ingratus es! Imitare ergo, frater, minutissimas aves, mane et vespere Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes sola dies non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, et insomnem suscepti laboris industriam psalterii serie consolare. »

Audi Senecam, lib. III *De Ira*: « Animus, ait, quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam altus, quam tranquillus et liber! »

Audi Hugonem Victorinum, lib. III *De Anima*: « Redi ad cor tuum, et subtiliter discute teipsum; considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis vel deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris : et cum totum interioris et exterioris hominis statum plene cognoveris, non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. »

Audi S. Bernardum : « Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari quid ipse sit, quid intra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, vilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. »

Alia explicatio Lyrani.

Secundo, Lyranus et Abulensis ita exponunt, *q. d.* Interdiu ita jugiter et efficaciter meditare hæc mea præcepta, ut eadem tibi dormienti in somnis recurrant : nam, ut ait Aristoteles, I *Ethic.*, « meliora sunt phantasmata in somnis studiosi, » id est ejus, qui studet virtuti. Ita S. Xaverius ex diurna orandi consuetudine, etiam dormiens orabat, exclamabatque : O Deus, o Jesu, amor mi, Deus meus, et omnia !

S. Xaverius exusu etiam dormiens orabat.

Tales erant olim et monachi illi qui, quod parum dormirent, et fere pervigilarent in Dei laudibus, dicti sunt Acœmetæ, quasi dicas, Non dormientes; qualis fuit Isidorus, de quo Palladius in *Lausiaca* ait, quod nunquam data opera dormierit, sed in opere, ait, vel sumptione cibi somno oppressus connivebat aliquando, ita ut frustum quod ori ingesserat, ex eo excideret; causam rogatus respondit : « Si quando persuaseris angelis ut dormiant, tum virtutis studioso quoque persuaseris. » Tales enim ex diutina et assidua meditatione de Deo, rebusque divinis, easdem somniabant.

Hinc Plutarchus, lib. *Quomodo quis suos in virtute profectus sentire possit*, ex Zenone hoc dat signum magni in ea progressus : « Ex somniis, ait, deprehendere licet num quis profecerit in studio virtutis. Si enim in somnis nulla capitur voluptate erga turpitudinem, neque gravi inhiat crimini quo se contaminet, prorsusque nihil videt cum vitio et fœditate conjunctum, consentaneum est omnia in tuto esse posita. Siquidem, ut equi jugales recta currere instructi, non deserunt viam, etiam dormiente auriga : ita bruti affectus domiti, nec in somniis facile recalcitrant. »

Hinc S. Hieronymus Eustochium virginem ita instituit : « Esto, ait, cicada noctium, psalle spiritu, psalle et mente; lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis stratum tuum riga. » Et : « Sanctis ipse etiam somnus oratio est. »

Denique monet Jeremias *Thren.* II, 19, dicens : « Consurge, lauda (id est, ora Deum) nocte in principio vigiliarum; » noctem enim Judæi, æque ac Romani, distribuebant in quatuor vigilias, et in singularum principio Jeremias suadet ut laudemus Deum. Ita Ecclesia olim noctu faciebat; inde enim habemus in Officio Ecclesiastico tres nocturnos et Laudes.

ATQUE CONSURGENS. — Unde inolevit in bonis Christianis usus hic, inquit Abulensis, ut, cum primum e lecto surrexerint, mox a Dei laudibus incipiant, vel aliquid pium et sanctum meditentur; incredibile enim est quantum animæ prosit meditatio matutina. Experientia quotidiana nos clare docet eam esse totius Societatis nostræ fulcrum et fundamentum, omnemque zelum, efficaciam et fructum cunctarum actionum nostrarum per diem, ex ea manare et profluere. Quisquis ergo hæc legis, obtestor te per tuam aliorumque salutem, ut idipsum experiaris et practices, præsertim si Theologus sis aut Ecclesiasticus; ac discas et assuescas quotidie aliquid meditari de brevitate vitæ, de tua morte, judicio, æternitate, de vita et passione Christi aut Sanctorum, indeque efficacia proposita concipias, quod illo die iram, superbiam, gulam, etc., mortificabis; quod te in humilitate, charitate, patientia, etc., exercebis; quod has illasve animas convertes : atque senties per totum diem magnum robur

Meditatio matutina utilissima.

et animos tibi addi, ad eadem perficienda : præsertim si proposita pia, quæ mane concepisti, per diem subinde recolas et renoves, atque per orationes jaculatorias acuas et accendas. Primitiæ ergo cogitationum et actionum, æque ac diei, Deo dandæ sunt; idque *primo*, quia illæ Deo, utpote primæ causæ, auctori naturæ et gratiæ, datorique bonorum omnium quasi debentur, uti docet S. Basilius in *Fusior reg.*, resp. 37, et S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, serm. 19, num. 4, et S. Dionysius, *De Divin. Nomin.* cap. III; imo Apollonii Tyanæi fuit hoc præceptum : « Adveniente aurora cum diis esse versandum, » teste Philostrato in ejus Vita, libro I, cap. XII.

Dum evigilas, primas cogitationes da Deo, quatuor de causis. Prima.

Secunda. *Secundo*, quia decet ut omnes actiones diurnæ sumant a Deo principium (hinc illud Arati et Theocriti : ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, quod Virgilius vertit, *a Jove principium*), atque ex eo dirigantur in sanctum finem, ac perfecte per omnia fiant. Hinc S. Bernardus, *De Vita solitaria*, idipsum jubet : « Ut surgentibus, ait, nobis ad laudes Dei, omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formetur et vivificetur. » Et S. Ephrem, tom. I, serm. *De Orando Deo* : « Si orationem operi præmiseris, et surgens e lecto, primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit. » Et Salomon, *Proverb.* VIII, 17 : « Qui mane vigilant ad me, invenient me : mecum sunt divitiæ et gloria. »

Tertia. *Tertio*, quia idipsum faciunt angeli, sol, aves, aliæque creaturæ. Audi S. Basilium, epist. 1 *ad Gregorium Nazianzenum* : « Ecquid beatius, quam hominem in terra concentum angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis et canticis Creatorem venerari? » Et S. Ambrosius *in Psalmo* CXVIII, serm. 19 : « Grave est, si te otiosum in stratis solis orientis radius inverecundo pudore conveniat, et lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Occurre ergo ad solis ortus, ne lumina tua primus diei fulgor exagitet. » Et infra : « Si hunc solem (Christum) prævereris, antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem; ipse prius in tui cordis illucescet arcano, iterumque dices ad eum : Exitus matutinos, et vespere delectabis. »

Quarta. *Quarto*, quia idipsum fecerunt sapientes et sancti. Therapeutæ apud Philonem, libro *De Vita contempl.*, « quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam : oriente sole petentes diem vere felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine. » Esseni, ait Josephus, lib. II *Belli*, VII, ante solis ortum nihil profani loquuntur; sed ei (non soli, sed solis auctori Deo) patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur precantes. » Sic olim Christiani antelucanos agebant cœtus, ad canendum Christo et Deo, teste Plinio ad Trajanum. De hymnis matutinis monachorum ad galli cantum, testis est S. Chrysostomus in I *ad Timoth.*, homil. 14. Ita Theodoricus rex Gothorum « antelucanos suorum sacerdotum cœtus, minimo comitatu expetebat quotidie, et grandi sedulitate venerabatur, » ait Sidonius Apollinaris, libro I, *epist.* 2. Alexander Severus Imperator a Mammæa matre edoctus, mane in larario suo rem divinam faciebat, ait Lampridius. Denique his omnibus antiquior David, *Psalm.* LXII, 1 : « Deus, ait, Deus meus, ad te de luce vigilo. » Et vers. 7 : « Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te. » Et *Psalm.* V, 4 : « Domine, mane exaudies vocem meam; mane astabo tibi et videbo. » Et *Psalm.* LVIII, 17 : « Exaltabo mane misericordiam tuam. » Et *Psalm.* LXXXVII, 14 : « Mane oratio mea præveniet te. »

Sensus horum omnium est, *q. d.* Moses, crebro pro commoditate tua, o Israelita, de præceptis Dei, et maxime de illo primo et maximo, quod immediate præcessit, scilicet : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » cogitabis, loqueris et meditaberis, tam domi, quam foris, tam mane, quam vespere. Hinc Hebraice תורה *thora*, id est lex, nonnulli, ut P. Pineda in *Job* cap. XXII, vers. 22, deducunt a תור *thur*, id est explorare, aut circumquaque lustrare et obsidere, quia lex universa assidue et diligenter exploranda, et circumquaque custodienda ac observanda, ne quis in uno offendat. Cum enim præcepta omnia legis connexa sint, et in hoc dilectionis Dei præcepto, quasi in centro coeant, « hinc in uno offendens fit omnium reus, » *Jacobi* II, 10. Circumlustranda ergo, et quasi obsidenda est legis custodia, ejusque murus omni ex parte tuendus, ne qua hosti pateat aditus ad legis mentisque expugnationem.

Ver. 8. Frontalia et liminaria, præcepta Judæorum.

8. LIGABIS EA QUASI SIGNUM IN MANU TUA, ERUNTQUE ET MOVEBUNTUR INTER OCULOS TUOS. — Pro *movebuntur* hebraice est טוטפות *totaphot*, quod Pagninus et Vatablus vertunt *frontalia*; alii *specilia*, vel *conspicilia* (per præcepta enim Dei conspicimus quid bonum, quid velit Deus, *Psal.* CXVIII, vers. 6); alii *monimenta*, vel *memorialia*. Noster, *Exodi* cap. XIII, 16, vertit, *quasi appensum quid, ob recordationem ante oculos tuos;* Septuaginta, *immobile ante oculos tuos*. Porro *totaphot* nonnulli deducunt a טפף *taphaph*, id est, plodere, complodere, eo quod *totaphot* sive *frontalia* ad frontem plodendo, per singulos ictus et pulsus, quasi campanulæ sonantes, admonerent Hebræos de servanda lege et præceptis Dei. Unde vocabantur *phylacteria*, *q. d.* Conservatoria legis. Judæi olim hæc omnia ad litteram, uti sonant, acceperunt, ut patet *Matth.* cap. XXIII, 5; unde etiamnum sententias Hebraicas legis suæ, parietibus suis domi inscribunt, et cum orant, appendunt ante se chartulam continentem hæc verba : « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est; » usque ad vers. 10, « cum introduxerit, » etc. Verum melius ea metaphorice, vel parabolice accipias, *q. d.* Ita continuam præceptorum et dilectionis Dei habebis recordationem, ac si ipsa frontalibus, dextralibus et liminaribus inscripta, tuis

oculis perpetuo objicerentur et observarentur. Ita Abulensis ; vide dicta *Exodi* cap. XIII, 9. Simili metaphora ait Deus Sioni, *Isaiæ* cap. XLIX, 16 : « In manibus meis descripsi te ; » quod explicat, dum subdit : « Muri tui coram oculis meis semper. » Pie et vere S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XVIII : « Omni, ait, momento, o Domine, me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar : sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea. »

14. NON IBITIS POST DEOS ALIENOS, — non sequemini cultum deorum alienorum. Vers. 14.

16. SICUT TENTASTI IN LOCO TENTATIONIS, — qui inde hebraice dictus est, *massa umeriba, Exodi* cap. XVII, vers. 7. Vers. 16.

17. TESTIMONIA, — id est leges, quæ testantur quid velit Deus a nobis fieri. Vers. 17.

20. CRAS, — tempore futuro. Vers. 20.

25. ERITQUE NOSTRI MISERICORS. — Hebraice, *et justitia erit nobis.* Sed *justitia* hic et alibi capitur pro misericordia, cujus rei causas dedi II *Cor.* cap. IX, vers. 9. Vers. 25.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Hebræis ut Chananæos, eorumque idola deleant : primo, quia ipsi sunt populus a Deo electus; secundo, vers. 9, quia Deus eorum fortis est, fidelis et vindex malorum. Tertio, vers. 12, multa eis bona promittit, si legem Dei servent. Quarto, vers. 18, monet ne timeant Chananæos, licet plures et fortiores, eo quod Deus contra eos pro Hebræis sit pugnaturus.

1. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te; 2. tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, 3. neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo ; 4. quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis ; irasceturque furor Domini, et delebit te cito. 5. Quin potius hæc facietis eis : Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite. 6. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. 7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores : 8. sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris ; eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. 9. Et scies quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes : 10. et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. 11. Custodi ergo præcepta et cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. 12. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam juravit patribus tuis : 13. et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. 14. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis. 15. Auferet Dominus a te omnem languorem, et infirmitates Ægypti pessimas quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. 16. Devorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. 17. Si dixeris in

corde tuo : Plures sunt gentes istæ quam ego, quomodo potero delere eas? 18. noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, 19. plagas maximas quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus. Sic faciet cunctis populis quos metuis. 20. Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, et latere potuerint. 21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis : 22. ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. 23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : et interficiet illos, donec penitus deleantur. 24. Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cœlo : nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. 25. Sculptilia eorum igne combures : non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. 26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

Vers. 1. 1. SEPTEM GENTES. — *Genes.* XV, 19, numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi : tres ergo reliquiæ, vel ante perierant, vel aliis septem permixtæ fuerunt, uti dixi *Genes.* XV.

Tropologice, septem gentes hostiles significant septem vitia capitalia; de qua re fuse agit Cassianus, *Collat.* V, cap. XVI, et sequentibus.

Vers. 2. 2. TRADIDERITQUE EAS TIBI, — hebraice *ante te*, id est, in potestatem tuam.

Vers. 3. 3. NEQUE SOCIABIS CUM EIS CONJUGIA. — Nota : Tantum vetatur hic ne misceant connubia cum Chananæis, quamdiu manent idololatræ. Nam si convertantur, et ad populum Dei aggregentur, jam Judæi sunt, non Chananæi; itaque cum iis conjugium inire fas est. Cessat enim tunc ratio legis quæ datur vers. 4, « quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis. » Sic Salmon duxit Rahab Jerichuntinam, quæ receperat exploratores missos a Josue, *Matth.* I, 5; nam Rahab facta est proselyta, et sacra Judaica suscepit.

Vers. 6. 6. QUIA POPULUS SANCTUS ES DOMINO. — « Sanctus, » id est, separatus ab illis gentibus, verique Dei religioni addictus.

UT SIS EI POPULUS PECULIARIS. — Hebraice, *ut sis ei populus segulla*, id est, instar cimelii sive rei charissimæ et pretiosissimæ. Vide dicta *Exodi* cap. XIX, vers. 5.

Vers. 10. 10. ET REDDENS ODIENTIBUS SE STATIM. — Pro *statim*, hebraice est *in facies suas*, id est, dum adhuc vivunt, *q. d.* Deus pœnam peccatis parentum debitam non differt in filios, sed eam ipsis parentibus, dum vivunt, irrogat. Chaldæus hæc non de pœna accipit, sed de bonis, et præmiis virtutum aliquarum, quas habent impii; vertit enim, *retribuens inimicis suis bona, quæ ipsi faciunt coram eo, in vita sua, ut perdat eos* (in futura vita), *et non differt facere bonum inimicis suis, pro bonis, quæ faciunt coram eo, sed in vita eorum retribuit eis.* Verum hunc sensum elidunt ea quæ sequuntur : « Ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus restituens eis quod merentur. » Genuinus ergo sensus est de pœna impiorum, *q. d.* Cavete, o Hebræi, ne Deum offendatis, quia sicut Deus præstat bona diligentibus se in mille, id est, plurimas generationes, ita statim punit odientes se, ut patuit in pœna colentium vitulum aureum, *Exodi* XXXII, et concupiscentium carnes, *Num.* XI, et pœna Core, Dathan et Abiron, *Numer.* XVI, et pœna murmuris Mariæ, *Num.* XII (1).

Vers. 13. 13. BENEDICETQUE FRUCTUI VENTRIS TUI, — puta filiis tuis; copia liberorum erat benedictio veterum illorum, uti Rebeccæ, *Genes.* XXIV, 60, et Abrahæ, *Genes.* XXII, 17, et Liæ, *Genes.* XXX, 13; idque tum propter se : fecunditas enim magnum est bonum, tam parentum, quam reipublicæ; tum ob spem Messiæ, ex posteris ipsorum nascituri. Hinc nota erat apud Hebræos esse sterilem et illiberem; suspicio enim erat talem scelus aliquod admisisse, ob quod hac communi, quasi gentis suæ, benedictione privaretur, ut colligitur *Osææ*, IX, 14, et *Genes.* XX, 18. Ita Maldonatus in *Lucæ* I, 25 (2).

Copia proles erat benedictio Hebræorum.

Sterilitas erat nota quasi infamiæ.

Vers. 16. 16. DEVORABIS OMNES POPULOS (gladio eos consumendo, et opes eorum diripiendo ita) UT NON PARCAT EIS OCULUS TUUS, — ut scilicet nemini hostium Chananæorum in terra tibi promissa parcas, sed omnes occidas; idque *primo*, propter enormia eorum scelera, maxime libidines, uti dixi *Levit.* XVIII, 27; *secundo*, ne sint Judæis scan-

(1) Rosenmullerus : « *In faciem cujusque eorum*, ut ipsi videant et sentiant se a Deo plecti. »

(2) Pro *et armentis*, etc. hebræa habent, *fœtus boum tuorum et femellos ovium tuarum*, id est, boum et ovium greges erunt fœcundissimi.

dalo; ut hic dicitur, eosque trahant ad enormem libidinem.

Vers. 20. 20. ET CRABRONES. — De his crabronibus dixi *Exodi* XXIII, 28, et *Josue* ult. vers. 12.

Vers. 21. 21. DEUS TUUS IN MEDIO TUI EST, — tecum est, te adjuvat. Similis phrasis est *Exodi* XVII, 7.

Vers. 22. 22. NON POTERIS EAS DELERE PARITER, — id est, simul, eodem tempore. Vide dicta *Exodi* cap. XXIII, vers. 29 (1).

Vers. 24. 24. DISPERDES NOMINA EORUM, — disperdes eos cum tota prosapia, ne nomina eorum maneant in filiis, sed tota eorum memoria deleatur.

25. ARGENTUM ET AURUM DE QUIBUS FACTA SUNT.— Vers. 25. Hebraice est, *quod est super ea,* id est, quo tecta, vel cooperta sunt. Solebant enim idola lignea, vel ænea inaurari, et auro vel argento obduci, ad ornatum et reverentiam eis conciliandam (2).

QUIA (quod) ABOMINATIO EST DOMINI DEI TUI, — abominabile est coram Deo tuo.

26. NE FIAS ANATHEMA, SICUT ET ILLUD EST. — He- Vers. 26. braice, *ne fias cherem,* id est, res excidio addicta, quæ succidenda, et ad nihilum redigenda est, *sicut est ipsum idolum;* hoc enim succidi et annihilari debet. De *cherem* vide dicta *Levit.* ult. 28.

(1) Vers. 23. Pro *interficiet* in hebr. est *magno terrore eos afficiet.*

(2) Pro *ne offendas*, hebræa habent *ne illaqueeris eo*, id est, ne statuas servatas tandem incipias colere.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses exhortari Hebræos ad custodiam legis Dei : primo, ob beneficia ab eo accepta, quia scilicet, Deus eos manna aluit in deserto, vestesque eorum illæsas servavit. Secundo, vers. 7, ob beneficia ab eo accipienda, in ubertate terræ Chanaan, si Deo obediant. Tertio, vers. 19, intentando eis excidium, si Deum deserant.

1. Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias : ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua juravit Dominus patribus vestris. 2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. 3. Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. 4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. 5. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, 6. ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. 7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque et fontium ; in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi : 8. terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, et malogranata, et oliveta nascuntur : terram olei ac mellis. 9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris : cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur ; 10. ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. 11. Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et cæremonias quas ego præcipio tibi hodie : 12. ne, postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis, 13. habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri cunctarumque rerum copiam, 14. elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis : 15. et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas, et nullæ omnino aquæ : qui eduxit rivos de petra durissima, 16. et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui, 17. ne

diceres in corde tuo : Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. 18. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. 19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos, et adoraveris : ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas. 20. Sicut gentes quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Vers. 1. 1. OMNE MANDATUM, QUOD EGO PRÆCIPIO TIBI HODIE, CAVE DILIGENTER UT FACIAS. — « Cave, » id est caute observa, et, ut hebraice est, *custodi*, idque quia hoc fieri debet propter Deum, et ex mandato Dei; nam, ut recte ait Abulensis : « Si homines servientes dominis terrenis, propter eorum reverentiam, attentissimi sunt ne quid in eorum ministerio deficiat; quam attenti et cauti esse debemus, cum Deo ministramus, vel aliquod ejus mandatum facimus! quia reverentia Dei, æque ac majestas, distat in infinitum a reverentia et majestate hominum. Idcirco cum magno timore facere debemus mandata Dei, caventes diligentissime ne quid ibi deficiat; hinc dicitur *Psal.* II : Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; et alibi : Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Hanc ergo reverentiam et cautelam significat τὸ *cave ut facias*, id est, sis multum attentus ad hæc. » Hucusque Abulensis.

Vers. 3. 3. AFFLIXIT TE PENURIA. — Nam in deserto Hebræi non invenerunt carnes, nec segetes, imo nec olera sæpe : unde murmurarunt, ideoque Deus dedit eis manna, ut patet *Exodi* XVI, 3.

Moraliter disce hic Deum eos, quos affligit penuria, pascere manna, id est, cibo spiritali, ut qui jejunant ventre, reficiantur in mente; ut qui carent consolationibus terrenis, abundent cœlestibus. Sicut vice versa, qui abundant consolationibus humanis, destituuntur divinis; unde et filii Israel mox ut gustarunt fruges terræ Chanaan, perdiderunt manna de cœlo, *Josue* V, 12. Sic Jacob pauper et miser, fugiens Esau, vidit scalam erectam in cœlum, Deumque illi innixum, *Gen.* XXVIII, 12. Sic S. Joannes in exilio fame et ærumnis afflictus, vidit sublimia illa mysteria Apocalypseos. Sic Stephanus in lapidatione vidit Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Hinc Christus Joannis discipulis hoc sui signum ab Isaia prædictum assignat : « Pauperes evangelizantur, » *Matth.* XI, 5. Et S. Jacobus, *epist.* cap. II, vers. 5 : « Nonne, ait, Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » « Ita Religiosus est pauper in cella, dives in conscientia, » ait S. Bernardus. Et Apostolus, II *Cor.* IV, cum dixisset vers. 8 : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur (penuria affligimur), sed non destituimur, » subdit vers. 16 : « Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

UT OSTENDERET TIBI, QUOD NON IN SOLO PANE VIVAT HOMO (vos enim sustentavit in deserto per 40 annos, sine pane, per manna), SED IN OMNI VERBO QUOD EGREDITUR DE ORE DEI. — Hebraice, *super omne quod egreditur os Domini, vivet homo*, *q. d.* Homo vivet re quacumque quam jusserit Dominus, aut ordinarit ad vitæ humanæ sustentationem, uti Judæi vixerunt ex manna; adeo, ait Abulensis, ut, si Deus mandaret nobis ut comederemus colubros, basiliscos, lapides, æs, etc., melius illis, quam delicatissimis cibis nutriremur; imo si vellet, aut juberet, sine omni cibo viveremus; uti Simeon Stylites viginti octo quadragesimas sine cibo et potu transegit, et Christus 40 dies vixit sine cibo in deserto, atque tentanti eum diabolo ad gulam, respondit hæc ipsa verba : « Non in solo pane vivit homo, » etc. Sic et Elias, Moses et alii diu sine cibo vixerunt. Simile etiamnum fit in Sanctis qui, orationi et contemplationi intenti, spiritualibus delectationibus pascuntur, quæ memoriam et appetitum cibi et rerum sensibilium exstinguunt. Ita Cassianus, *Collat.* XIX, cap. IV, refert de Joanne Abbate, quod deliciis spiritualibus occupatus, non recordabatur an pridie comedisset, necne.

Si Deus vellet nos comedere serpentes, illi ut perdicibus alerentur. Simeon Stylites 28 quadragesimas sine cibo vixit.

Nota hebraismum : *Egressus est sermo ex aliquo*, vel ex ore alicujus, id est, placitum, libitum, vel decretum est illi. Sic dicit Laban cum suis, *Gen.* XXIV, 50 : « A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum, » *q. d.* Domino placet ut Rebecca nubat Isaaco, nos Dei placito reluctari non possumus, nec debemus; et *Jerem.* XLIV, 17, dicunt impii Judæi : « Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, » id est, omne quod libuerit.

Egressus est sermo, id est placitum, decretum est.

Mystice, S. Ambrosius in *Luc.* IV : Vivit, ait, homo omni verbo Dei, id est, alimento verbi cœlestis, quo alitur anima, præ quo fames corporis est negligenda; et tale verbum, *primo*, est Christus; *secundo*, S. Scriptura; *tertio*, oratio et inspiratio Dei. Hunc sensum volunt aliqui esse litteralem, sed ex dictis patet esse mysticum.

Mystice.

Vers. 4. 4. VESTIMENTUM TUUM QUO OPERIEBARIS, NEQUAQUAM VETUSTATE DEFECIT. — Quia, inquit Aben-Esra, manna fuit talis temperamenti, ut non gigneret sudorem, quo vestes perustæ inveterantur. Sed hoc non sufficiebat hic; solo enim usu teruntur vestes, præsertim si quis iter faciat. Fuit

Vestes Hebræorum cum ipsis crevérunt in deserto.

ergo miraculosa soliditas, per 40 annos a Deo concessa vestibus Hebræorum, ut nullatenus rumperentur, vel tererentur. Hinc rursum videntur vestes hæ cum parvulis crevisse; nam alioqui illæ crescentium corporibus non quadrassent, itaque Hebræi grandiores facti, nudi incedere debuissent; unde enim singuli in tanto numero vestes alias sibi comparassent? Ita Abulensis. Ita S. Apollonii (qui fuit pater 500 monachorum, miræ sanctitatis vir) vestimenta non veterascebant, ait Palladius in *Lausiaca*, cap. LII, cum tamen in deserto Thebaidis vixerit 40 annis, æque ac Hebræi.

Simile miraculum præstitit Deus S. Abrahamio Eremitæ, quod enarrat S. Ephrem, qui ei fuit familiaris, in illius Vita : « Erat, ait, aspectus ejus velut flos rosæ; divina enim gratia ipse sustentabatur in omnibus, et jucunditate spiritalis lætitiæ fruebatur. Quin et in hora obdormitionis suæ ita specioso vultu cernebatur, quasi angelorum comitatu stipatus fuisset. Sed et alia in eo admiranda Dei gratia visa est, quod totis quinquaginta abstinentiæ suæ annis, vestem cilicinam, qua indutus fuerat, nunquam mutaverit, quæque ita perseveranter ad finem usque vitæ ipsi servivit, ut etiam alii participes ejusdem illius vestis postea fuerint, quæ ei prius jam inveterata usui fuerat. » Causa meritoria hujus integritatis corporis et vestium fuit integritas et constantia mentis. « Per omne *enim* tempus conversionis suæ nunquam a regula instituti sui deflexit, neque unquam iisdem temporibus dies illum aliqua sine lacrymis præteriit. Non appropinquavit corpori ejus oleum, neque faciem suam, aut pedes unquam aqua abluit. Sic autem se in sui instituti certamine gerebat, quasi quotidie moriturus esset. In admiranda illa sua abstinentia, assiduisque vigiliis, ac lacrymarum fluentis, humicubationibus et corporis maceratione nunquam remissior aut imbecillior factus est, neque segnitie, vel tædio aliquo fatigatus : sed velut esuriens quispiam, aut sitiens, sic mens ejus nunquam sui instituti dulcedine poterat satiari. »

Ita S. Maria Ægyptiaca in eremo vixit 47 annis, ac primis septemdecim duobus panibus (quos secum eo detulerat) et oleribus victitans, reliquis triginta sine cibo vitam egit, ac vestibus consumptis nuda, frigore et æstu tosta, ut videretur Æthiopissa. Hinc ipsa ad Zozimam : « Cibus, ait, potus et vestimentum mihi est verbum Dei; quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Et *Job* XXIV, juxta Septuaginta : « Eo quod ipsi non habeant vestimentum, petram sibi circumdederunt. » Et S. Paulus primus Eremita, anno ætatis 113, moriens ad S. Antonium : « En, ait, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris, operit inculta canities; en vides hominem pulverem mox futurum; sed quia jam dormitionis meæ tempus instat, et, quod semper cupiebam dissolvi, et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ : tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imo terræ terram reddas. » Ita S. Hieronymus in Vita S. Pauli.

Apud Judæos traditio est ipsorum majores, in Ægypto, tria quæ a suis acceperant majoribus, non mutasse : scilicet *nomina*, *linguam* et *vestes*. Ita refert noster Serarius in *Josue* II, Quæst. XXV.

PES TUUS NON EST SUBTRITUS. — Hebr. *non intumuit*, *q. d.* Pes tuus neque intumuit, neque læsus, aut attritus est. Solent enim itinerantes in pedibus contrahere turgentes vesicas, quæ prius inflantur, quam subterantur : rursum solent diu ambulando, pellem pedum deterere.

Dices : *Num.* XI, 1, dicitur quod populus dolebat propter laborem itineris.

Respondeo : Labor iste fuit modicus, scilicet, fatigatio aliqua, non autem pedum læsio. Adde laborem hunc non tam fuisse causam, quam prætextum murmuris, ut ibi dixi. Denique, unicus fuit iste unius illius temporis, vel diei labor; cæteris enim diebus deinceps eos laborasse non legimus. Ita Abulensis; quinimo omnes valentes et vegetos fuisse ad iter sat significat Psaltes, *Psal.* CIV, 37, cum ait : « Non erat in tribubus eorum infirmus. »

Secundo : « Pes tuus non est subtritus; » pes, id est calceus, tum quia pes, id est calceus, opponitur hic vestimento, tum quia ita se explicat Moses, *Deut.* XXIX, dicens : « Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. » Sic *Exod.* XXI, 3, Hebræum גַּף *gaph*, id est corpus, sumitur pro corporis indumento, unde Noster vertit, « cum qua veste (hebraice est *gaph*, id est, *cum quo corpore*) intravit, cum tali exeat. » Sic *Isaiæ* XLI, 3 : « Semita in pedibus ejus non apparebit : *in pedibus*, id est in calceis lutulentis et detritis. Sic saraballa Chaldaice significat tibias, et tibialia, teste S. Hieronymo in *Daniel.* III. Ita Sanchez, *Prolegom. in Cant.*

EN QUADRAGESIMUS ANNUS EST, — ex quo Ægypto egressi hæc vestium et sanitatis beneficia a Deo continue percepimus.

9. CUJUS (terræ Chanaan) LAPIDES FERRUM SUNT, — *q. d.* In Chanaan sunt fodinæ ferreæ, e quibus eruuntur lapides, et massæ rubricæ, ex quibus conflatur ferrum. Vers. 9.

10. UT, CUM COMEDERIS ET SATIATUS FUERIS, BENEDICAS DOMINO. — Judæi etiamnum in conviviis utuntur longa benedictione et gratiarum actione, adeoque in festis seorsim calicem et seorsim panem benedicunt : quin et in mensa quoties novi et lauti quid affertur, iterant benedictionem, ut cum lautius vinum, vel aromata, vel fructus arborum, etc., afferuntur, dicunt : « Benedictus sis, Domine Deus noster creator, qui bonus es, et benefacis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus, » etc., ut patet ex eorum libro rituali. Hinc et Christus tum alias, tum Vers. 10.

in ultima cœna gratias egit, et benedixit tam calicem quam panem. Et Apostolus, I *Timoth.* IV, 3, dicit cibos, quos creavit Deus, percipiendos esse cum gratiarum actione. « Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. » Vide ibi dicta.

Vers. 15. 15. IN QUA ERAT, etc., DIPSAS. — Chaldæus vertit, *locus sitis*; recentiores vertunt, *siccitas*; sed nostro Interpreti consentiunt Septuaginta et Hebræa : צמאון *tsimmaon*, a צמאה *tsimma*, id est a siti, deducitur : unde Isidorus, lib. XII *Etymolog.* cap. IV : Dipsas, inquit, latine dicitur situla, scilicet a siti; dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eo quod morsi ab eis, continuo inarescant et siti ardeant : quare potum incessanter haurientes, tandem crepant et dissiliunt. De his agit Solinus in *Polyhist.*, cap. *De Africa*, et alii historici, præsertim qui de exercitu Catonis in Libya scribunt, ubi sub arenæ cumulis id genus serpentis delitescit : iidem narrant militem a dipsade morsum ad mare insano impetu accurrisse, cumque magnam salsarum aquarum vim ebibisset, repente exstinctum esse. Magna ergo fuit Dei providentia et benevolentia erga Hebræos, quod ipsi per quadraginta annos ab his serpentibus, qui in deserto abundant, non sint læsi.

Dipsas serpens a siti, quam excitat, dicitur.

Vers. 16. 16. ET POSTQUAM AFFLIXIT AC PROBAVIT. — Hebr. *ut affligeret et probaret te, atque sic tandem benefaceret tibi.* Sed eodem redit sensus, *q. d.* Prius te Deus afflixit et probavit per sitim et famem; sed mox dando aquas et manna, misertus est tui : patet ex præcedenti.

Vers. 17. 17. NE DICERES IN CORDE TUO : FORTITUDO MEA, ET ROBUR MANUS MEÆ, HÆC MIHI OMNIA PRÆSTITERUNT. — Errat ergo Seneca dicens : « Deorum immortalium munus est quod vivimus, philosophiæ quod bene vivimus; » et ille qui dicebat Jovi : « Det vires, det opes, animum æquum mihi ipse parabo. »

Moraliter de diffidentia sui. Primo. Nota : Permittit Deus suos in arcta redigi, ut eos doceat diffidere sibi suisque viribus, et fidere Deo; hinc orat totus Israel, imminente Holopherne, *Judith* VI : « Ostende, Domine, quoniam non derelinquis præsumentes de te, et de sua virtute gloriantes humilias; » nam, ut dicitur *Proverb.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini : ad ipsam currit justus, et exaltabitur; » et *Psal.* XXX, vers. 5 : « Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus. » Ita Judas Machabæus, invocato Domino, Nicanorem aliosque hostes prostravit, II *Machab.* cap. XV.

Secundo, Præfidentes vincuntur a dæmone. Docet S. Basilius, *Institut. de vita perfecta*, servos Dei a dæmone variis tentationibus agitari, sed eos vinci qui plus æquo sibi confidunt; nam, ut ait Serapion apud Cassianum, *Collat.* V, cap. IV : « Impossibile est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit, industria vel labore proprio victoriam certaminis semel obtinere non posse; » et *Jerem.* cap. XVII : « Maledictus, ait, homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. » S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XV : « Credebam, ait, me fore aliquid cum nihil essem; cogitabam me esse prudentem, et deceptus sum; dixi quod dives essem, et nullius egerem, et nesciebam quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miserabilis. Sed nunc video quoniam, si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est. Credebam me sufficere per me, nec percipiebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti a me, et cecidi statim in me, et quod surrexi fuit ex te. »

Tertio. Exempla fidentium Deo non sibi. Hinc oratio David, *Psalm.* XVII, 2 : « Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. » Davidis exemplum secuti sunt sancti Patres in eremo, qui teste Cassiano, *Collat.* X, cap. X, ad quasvis vel tentationes vel actiones statim in initio orabant : « Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. » Eumdem versiculum usurpat Ecclesia initio Horarum canonicarum : causam dat ibidem Cassianus. Et S. Paulus, *Philip.* II : « Deus est qui operatur in vobis velle et perficere; » et cap. IV : « Omnia possum in eo qui me confortat; » et II *Cor.* II : « Deo autem gratias, qui semper nos triumphat (triumphare facit) in Christo Jesu; » et S. Jacobus, cap. I : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. » Et Poeta : « In ipso vivimus, movemur et sumus. » « Neque enim, ut ait S. Augustinus, lib. IV *De Genes. ad litt.* cap. XII, mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus suum regimen subtraxerit (1). »

(1) Pro *ut impleret pactum suum*, in hebr. est *ad faciendam potentiam*, id est, ad parandas opes, ex orationis contextu : conf. vers. 17.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses refricat Hebræis eorum murmura et peccata, maxime adorationem vituli aurei, cujus pœnam, scilicet excidium gentis, ipse deprecatus est, idque eo fine, ut humilient se, eaque deinceps caveant.

1. Audi, Israel : Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad cœlum usque muratas, 2. populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere. 3. Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. 4. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. 5. Neque enim propter justitias tuas, et æquitatem cordis tui, ingredieris ut possideas terras earum ; sed quia illæ egerunt impie, introeunte te, deletæ sunt, et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob. 6. Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. 7. Memento, et ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti. 8. Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit, 9. quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus : et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. 10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. 11. Cumque transissent quadraginta dies et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, 12. dixitque mihi : Surge, et descende hinc cito ; quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile. 13. Rursumque ait Dominus ad me : Cerno quod populus iste duræ cervicis sit ; 14. dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cœlo, et constituam te super gentem, quæ hac major et fortior sit. 15. Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu, 16. vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat : 17. projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. 18. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. 19. Timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice. 20. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum. 21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem qui de monte descendit. 22. In incendio quoque et in tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum ; 23. et quando misit vos de Cadesbarne, dicens : Ascendite, et possidete terram quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei ves-

tri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis; 24. sed semper fuistis rebelles, a die qua nosse vos cœpi. 25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus, 26. et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. 27. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum; 28. ne forte dicant habitatores terræ de qua eduxisti nos : Non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, et oderat illos; idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine, 29. qui sunt populus tuus et hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.

Vers. 1. 1. TRANSGREDIERIS HODIE JORDANEM. — « Hodie, » id est nunc, brevi, puta intra paucas septimanas; nam eodem præcise die non transierunt Hebræi Jordanem, sed post duos menses; hæc enim dixit Moses prima die mensis undecimi, ut patet cap. I, vers. 3. Hebræi autem transierunt Jordanem decima die mensis primi, anni sequentis, ut patet *Josue* IV, 19.

ET AD COELUM USQUE MURATAS, — id est altissimis muris muratas; est hyperbole, qualis est illa Poetæ :

Aurea femineus perstringit sidera clamor.

Simili hyperbole ait Christus quod, in destructione Jerusalem, non manebit lapis super lapidem : ita enim vulgo loquimur, cum horrendum aliquod plenumque excidium menti subjicere volumus; S. Scriptura autem sermoni vulgari se accommodat.

Vers. 3. 3. DEUS TUUS IPSE TRANSIBIT ANTE TE, — videlicet devorans et delens, uti sequitur, hostes tuos, tam efficaciter et velociter, quam ignis ligna aut stipulam absumit.

Vers. 5. 5. ÆQUITATEM (hebraice, *rectitudinem*) CORDIS TUI, — puta mentis et voluntatis tuæ.

Vers. 6. 6. CUM DURISSIMÆ CERVICIS SIS POPULUS, — *q. d.* Cum maxime cervicosus, rebellis et inobediens sis.

Vers. 10. 10. DIGITO DEI, — digito suo. Hebræi enim sæpe pronomen absolutum ponunt pro reciproco.

CONCIO, — cœtus populi.

Vers. 18. 18. PROCIDI ANTE DOMINUM, — non statim a confractione tabularum legis; nam prius occidit Moses 23 millia adorantium vitulum, populum graviter increpuit, vitulum contrivit, etc.; quæ posterius hic narrantur, sed anterius facta sunt, scilicet antequam Moses ascenderet rursum in Sina, ibique coram Domino procideret. Hoc enim post omnia jam dicta, scilicet postridie, factum est, ut patet *Exod.* XXXII et seqq.

Putant aliqui Mosen ternos quadraginta dies, sive tres quadragesimas in Sina coram Domino jejunasse, scilicet *primam*, antequam acciperet a Deo primas legis tabulas, *Exod.* XXIV, 18; *secundam*, ante secundas, *Exod.* XXXIV, 28; *tertiam* mediam inter utramque, qua supplicavit Domino ut parceret populo qui vitulum aureum adoraverat, uti hic dicitur, vers. 25. Ita censent Hebræi, Hugo Cardinalis et Cajetanus in cap. X *Exod.*, Genebrardus, Adrichomius, Marzilla in cap. X *Deuter.* Idem probabile esse censent Lyranus in cap. X *Deuter.*, Abulensis (etsi contrariam sententiam ipse amplectatur) in cap. XXXIII *Exodi*, Quæst. III, Dionysius in cap. XXXIV *Exod.*, Salianus anno mundi 2544. Probant id, quia Moses hoc capite ter nominat quadraginta dies sui jejunii, scilicet vers. 12, 18 et 25; sed quadraginta dies vers. 25, iidem sunt cum illis vers. 18, ut liquet intuenti. Quare communior Doctorum est sententia, Mosen duas tantum quadragesimas jejunasse, ac proinde tertiam jam nominatam eamdem esse cum secunda. Nam Moses orando veniam adorati vituli a populo simul disposuit se ad accipiendum secundas legis tabulas, eidem populo pœnitenti communicandas. Ratio est, quia Moses in Exodo, ubi hæc fuse narrat, tantum bis nominat quadraginta dies sui jejunii, scilicet primos ante primas legis tabulas, *Exod.* XXIV, 15; secundos ante secundas, *Exod.* XXXIV, 28. Vide Abulensem loco jam citato.

Multi putant Mosen ter 40 dies jejunasse.

Vers. 22. 22. IN INCENDIO QUOQUE. — Locus hic dictus est Incendium, in quo murmurarunt Hebræi, ob laborem itineris, ideoque Deus in eos ignem immisit, ut dicitur *Numer.* XI, 1.

IN TENTATIONE, — ubi Hebræi tentarunt Deum postulantes aquam, in Raphidim, ideoque locus dictus est hebraice *Massa*, id est tentatio, *Exod.* XVII, 7; sicut et sequens locus dictus est Sepulcra concupiscentiæ, *Numer.* XI, 14.

Nota : Est hic hysteron proteron, sive inversus ordo; jungit enim Moses has tentationes cum illa in Horeb, ut conglobando plures Hebræorum tentationes et murmura, eorum duritiem exaggeret, et postea, vers. 25, redit ad secundam mansionem quadraginta dierum in monte Horeb sive Sina, quæ contigit ante incendium, et ante Sepulcra concupiscentiæ, et ante missos exploratores.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses Hebræis inculcare Dei legem et metum : primo, ex tabulis legis, quas Dĕus iis dedit; et in arca recludi, arcamque a Levitis circumgestari jussit, ut per eam Hebræi fœderis et legis Dei semper admonerentur. Secundo, quia Deus noster est Deus deorum, et Dominus dominantium, vers. 17.

1. In tempore illo dixit Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem ; faciesque arcam ligneam, 2. et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca. 3. Feci igitur arcam de lignis setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. 4. Scripsitque in tabulis, juxta id quod prius scripserat, verba decem quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est, et dedit eas mihi. 5. Reversusque de monte, descendi et posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. 6. Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. 7. Inde venerunt in Gadgad : de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in Terra aquarum atque torrentium. 8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. 9. Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. 10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus; exaudivitque me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit. 11. Dixitque mihi : Vade, et præcede populum, ut ingrediatur et possideat terram quam juravi patribus eorum ut traderem eis. 12. Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua; 13. custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi? 14. En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra, et omnia quæ in ea sunt : 15. et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius : 17. quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. 18. Facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. 19. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti. 20. Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies : ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. 21. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui. 22. In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum : et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

Vers. 1. 1. FACIESQUE ARCAM LIGNEAM, — illam scilicet cujus fabrica descripta est in Exodo. Nota : Arca fabricata est a Mose, post acceptas a Deo secundas tabulas legis, ut patet *Exod.* XXXIV, 28, conferendo cum *Exod.* XXVII, 1; sed, ante eas, jussit Deus arcam fabricari, *Exod.* XXV, 10. Fit hic mentio arcæ, quia arca facta est propter tabulas legis, ut scilicet earum esset cista et custos. Est ergo hic hysteron proteron; narratur enim arcæ fabrica ante datas tabulas legis, cum post illas contigerit.

Vers. 6. 6. FILII AUTEM ISRAEL MOVERUNT CASTRA. — Est hic rursum hysteron proteron; interrumpitur enim series cœptæ orationis, usque ad vers. 10: talia plura sunt in hisce libris. Est ergo hic quasi parenthesis, adjecta propter tribum Leviticam; quia enim arcæ, in qua erant tabulæ legis, præcessit mentio, hinc per parenthesin subditur mors Aaronis, qui Deum offenderat, et successio filii ejus Eleazari, ad quem custodia legum a Deo datarum pertinebat; deinde institutio tribus Levi, et Levitarum consecratio, quorum erat portare arcam coram populo, ut per eam populum de fœdere et lege Dei servanda perpetuo admonerent.

IN MOSERA. — Distinguitur hæc mansio a Moseroth, *Numer.* XXXIII, 31; nam Moseroth non est Hor, cum inter Moseroth et Hor multæ interjiciantur mansiones, *Numer.* XXXIII. Mosera autem est Hor: in Moseroth ergo fuit vigesima septima, in Mosera trigesima quarta mansio Hebræorum. Similiter « Beroth filiorum Jacan, » seu, ut hebraice est, *Beroth Bene Iacan,* alia est mansio a *Bene Iacan*, de qua *Numer.* XXXIII, 31, uti patet legenti. Neque novum est diversa loca habere eadem vel affinia nomina, et contra eumdem locum habere plura nomina.

Mosera ergo *Numer.* XXXIII, 37, vocatur Hor: ibi enim mortuus est Aaron; et consequenter Beroth filiorum Jacan est Cades, de quo *Numer.* XXXIII, 37. Ita Abulensis. Quæ vero mansiones, *Numer.* XXXIII, respondeant Gadgad et Jetebatha, quæ hic sequuntur, non constat; Vatablus tamen opinatur Gadgad esse Oboth.

Vers. 8. 8. EO TEMPORE SEPARAVIT (Dominus, uti habent Hebræa) TRIBUM LEVI. — Verisimile est hanc esse secundam separationem Levitarum, et diversam ab ea quæ contigit in Sina, vivente Aarone, *Numer.* III, 6. Hæc enim videtur contigisse post mortem Aaron, in Jetebatha, sub Eleazaro: alioqui enim frustra mors Aaronis, et Eleazari successio hic insereretur vers. 7. Fuit ergo hæc quasi confirmatio, et primæ separationis quæ facta est, *Numer.* III, repetitio, sub novo pontifice: ita Cajetanus. Aliter Abulensis: Ipse enim censet hanc esse eamdem separationem tribus Levi cum illa *Numer.* III; versus enim 6 et 7 obiter interjici, ut refricent mortem Aaronis, itaque hunc vers. 8 connectendum esse cum vers. 5: tunc enim omnia optime cohærent; quæ sententia satis est probabilis: plura enim talia Pentateucho interjecta sunt, uti dixi in procemio Geneseos.

UT PORTARET ARCAM FOEDERIS (communium Levitarum hoc erat; sed quod sequitur), ET STARET CORAM EO IN MINISTERIO,—ad sacerdotes tantum qui ejusdem cum Levitis erant tribus, videtur referendum. Hi enim soli stabant coram Domino, ministrantes in tabernaculo et sacrificantes, et horum erat benedicere populum.

Vers. 9. 9. DOMINUS POSSESSIO EJUS, — *q. d.* Ea quæ Domino dantur, puta oblationes, primitiæ, etc., cedunt in possessionem Levitarum; nec enim aliam habent in Israel.

Vers. 10. 10. EGO AUTEM STETI IN MONTE, SICUT PRIUS, QUADRAGINTA DIEBUS. — Nonnulli putant Mosen ter per quadraginta dies fuisse in monte Sina, et hanc tertiam esse vicem. Verum patet hanc non tertiam, sed secundam esse, atque eamdem cum illa, de qua cap. præced., vers. 18. Quare rursum est hic hysteron proteron; hic enim versus recto ordine ponendus esset ante initium capitis.

Vers. 12. 12. ET NUNC, ISRAEL, QUID DOMINUS DEUS TUUS PETIT A TE? — *q. d.* Cum toties tibi, o Israel, Deus peccata condonarit, hoc unicum pro omni suo beneficio et clementia petit a te, ut scilicet deinceps timeas eum: æquum ergo est ut hoc facias.

Moraliter de timore Dei, fructus ejus. Primus.

Nota: Timor Dei refrænat animam a concupiscentiis, et incitat ad omne bonum. « Beatus homo qui semper est pavidus, » *Proverb.* XXVIII. « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi, » *Psalm.* CXI. « Timor Domini sicut paradisus benedictionis, » *Eccli.* XL. « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, » *Eccle.* XII. « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, » *Psalm.* II. « Si pater ego sum, ubi est honor meus; et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » *Malach.* I, 5. « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et corpus et animam mittere in gehennam, » *Matth.* X. « Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, » *Eccli.* XXVII. Hinc ait Jonas: « Hebræus ego sum, et Deum cœli timeo. »

Secundus.

Secundo, timor Dei est initium sapientiæ et pietatis, imo est consummatio earumdem, inquit Sapiens: quantum ergo crescis in timore Dei, tantum crescis in sapientia et pietate, tantumque places Deo. « Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei, » *Eccli.* II. « A timore tuo concepimus, et peperimus spiritum salutis, » *Isai.* XXVI, juxta Septuaginta. Hinc de S. Monica matre sua ait S. Augustinus in *Confess.*: « Erat in corde ancillæ tuæ timor castus, » etc.

Tertius.

Tertio, timor filialis non est aliud quam amor Dei: ex eo enim quod amamus Deum quasi patrem, timemus eum offendere. « Ad omne opus bonum ducit amor et timor Dei: ad omne peccatum ducit amor et timor mundi, » inquit S. Augustinus in *Sententiis.*

Quartus.

Quarto, timor Dei dat constantiam in tentationibus et adversis. « Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes ejus, » *Eccli.* XXXIV. Timore Dei martyres superarunt tormenta.

Quintus.

Quinto, timor Dei parit Dei favorem, et bona omnia. « Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum, » canit B. Virgo. « Multa bona

habebimus, si timuerimus Deum, » *Tobiæ* IV. « Non est inopia timentibus eum, » *Psalm.* XXXIII.

Sextus. *Sexto*, parit cordis gaudium. « Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, » *Eccli.* I. Denique parit fiduciam de felici ex hac vita transitu, estque custos castitatis, innocentiæ et virtutum omnium, inquit S. Hieronymus, *epist.* 127.

Vers. 14. 14. COELUM COELI. — Hebraice, *cœli cœlorum*, id est, cœli vastissimi et altissimi, qui omnes inferiores orbes ambiunt.

Vers. 15. 15. PATRIBUS TUIS CONGLUTINATUS EST DOMINUS. — Verbum *conglutinatus*, significat vehementiam amoris divini, quod per eam arctissime nos sibi Deus uniat, qui summus est amoris effectus, æque ac indicium.

Sic anima Sichem dicitur conglutinata cum Dina, *Gen.* XXXIV, 3, et anima Jacob dicitur dependere ex anima Benjamin, vel, ut hebraice est, illi colligata esse, *Genes.* XLIV, 34.

Vers. 16. 16. CIRCUMCIDITE IGITUR PRÆPUTIUM CORDIS VESTRI. — Septuaginta σκληροκαρδίαν, id est *duritiam*, et, ut Chaldæus, insipientiam cordis vestri. Præputium enim metaphorice cordi tribuitur, et significat voluntatem pravitate, luxuria, vanitate et cæcitate obtectam et obduratam. Vide dicta *Levit.* XXVI, 41.

S. Gregorius vero, lib. XXVIII *Moral.* VII, per cor accipit mentem, sive rationem; ait enim : « Circumcidite præputia cordis vestri, id est, postquam luxuriam a carne exstinguitis, etiam superflua cogitationum resecate. »

Vers. 18 et 19. 18 et 19. AMAT (Deus) PEREGRINUM : ET VOS ERGO AMATE PEREGRINOS. — Deus hic Hebræis commendat misericordiam, ut miseris, quales sunt peregrini, pupilli et viduæ, opitulentur, sicut Deus eos peculiariter amat et juvat; nam, ut ait Psaltes : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. »

Vers. 21. 21. IPSE (Deus) EST LAUS TUA, — id est, ipse est objectum laudis tuæ, vel materiale, quem scilicet jugiter laudare debes; vel formale, propter quem laudaris, quique te omnibus gentibus laudabilem facit. *Secundo*, Deus est « laus, » id est, fortitudo et virtus tua, qui te omnibus populis laudabilem facit. Metonymice ponitur effectus pro causa. Sic ait Poeta : « Sunt sua præmia laudi, » id est virtuti; et *Psalm.* VIII : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem : » hebraice est, fundasti fortitudinem; et *Psalm.* CV : « Laudamini (id est, confirmamini, animos capite) in nomine sancto ejus. »

Nota : Deus est summa majestas, bonitas, sapientia, potentia, providentia, qua nos creat, conservat, pascit, protegit, justificat, glorificat : hinc summe a nobis est laudandus, hocque solum ei rependere possumus. « Immola Deo sacrificium laudis, » *Psalm.* XLIX, 9. « Te decet hymnus Deus in Sion, » *Psalm.* LXIV, 2. Angelorum opus est laudare Deum, inquit S. Basilius in *Psal.* XXVIII. Angeli enim assidue clamant : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, » *Isaiæ* VI. Beati in cœlo non aliud habent negotium : eorum enim vox est *Apoc.* IV : « Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, et divinitatem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. » Testantur magi et sagæ inter se esse ordinem quemdam hierarchicum, id est diabolicum, scilicet summos inter eos non aliud facere quam blasphemare Deum, medios intoxicare homines et animalia, infimos cooperari mediis. Ita e contrario summi in hac vita Sancti sunt, qui cum B. Virgine assidue canunt : « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; » medii, qui in vita activa proximos juvant ad salutem; infimi, qui mediis per suas opes et opera externa subserviunt. Morale de laude Dei. Primo.

Sol, luna, omnesque creaturæ muta voce laudant Deum; clamant enim : « Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude, » *Eccli.* cap. XLIII, 32. Ita fecit David, *Psal.* XXXIII : « Benedicam Dominum in omni (tam adverso, quam prospero) tempore : semper laus ejus in ore meo. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Benedicat omnis caro nomen sanctum ejus. » Secundo.

Hinc omnes angelos, homines et creaturas cum Davide, et tribus pueris in camino, invitare debemus ad Dei laudem, dicentes : Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, cœlum, sidera, pisces, volucres, laudate, et superexaltate eum in sæcula. Tertio.

Hinc rursum non tantum ore, sed et corde toto ac opere Deum laudare debemus, ut vita nostra sit continua Dei laus; ac præsertim ut peccatores, qui suis peccatis Deum blasphemant, convertamus, ut sua pœnitentia, et pia vita Deum laudent. Utinam te, Domine, mille cordibus, mille linguis, imo omnium hominum et angelorum voce laudare possem!

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in sua concione Moses, primo, terrendo Hebræos per pœnas Pharaoni, et Core, Dathan ac Abiron, ob peccata inflictas; secundo, alliciendo eos promissis bonis Chananææ, quam Ægypto præfert; tertio, vers. 26, proponendo eis benedictionem et maledictionem.

1. Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et cæremonias, judicia atque mandata, omni tempore. 2. Cognoscite hodie quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium : 3. signa et opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, et universæ terræ ejus, 4. omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus : quo modo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem ; 5. vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum : 6. et Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben : quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel. 7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, 8. ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, et possitis introire, et possidere terram ad quam ingredimini, 9. multoque in ea vivatis tempore, quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum, lacte et melle manantem. 10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ ; 11. sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluvias. 12. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. 13. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra : 14. dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum, 15. fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini. 16. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos ; 17. iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima quam Dominus daturus est vobis. 18. Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate. 19. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris. 20. Scribes ea super postes et januas domus tuæ : 21. ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum in terra quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cœlum imminet terræ. 22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei, 23. disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quæ majores et fortiores vobis sunt. 24. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, a flumine magno Euphrate ad usque mare occidentale erunt termini vestri. 25. Nullus stabit contra vos : terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. 26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem : 27. benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis ; 28. maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis

de via quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos quos ignoratis. 29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal : 30. qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi : qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul. 31. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis et possideatis illam. 32. Videte ergo ut impleatis cæremonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

2. COGNOSCITE, — id est considerate; est metalepsis (1).

DISCIPLINAM. — Hebraice מוסר *musar*, id est castigationem, qua scilicet variis pœnis et modis Deus vos, quasi pueros, erudivit et formavit, tum in Ægypto, tum post egressum ex Ægypto. Ita Vatablus.

Vers. 4. 4. QUOMODO, etc., DELEVERIT EOS (Ægyptios) USQUE IN PRÆSENTEM DIEM, — id est, omnino deleverit eos, ita ut nunc nemo superstes sit, qui vobis noceat.

Vers. 6. 6. ELIAB, QUI FUIT FILIUS RUBEN, — non immediatus, sed mediatus, puta nepos, vel abnepos.

Vers. 10. 10. CUM DOMIBUS, — cum filiis et familia. Vide sex domus significationes apud Abulensem hic.

TERRA ÆGYPTI, etc., UBI AQUÆ DUCUNTUR IRRIGUÆ. — Hebraice est, *quam rigabas pede, sicut hortum* : rigare pede, est rigare labore et fossione sua, videlicet ex flumine Nilo deducendo aquas per sulcos et fossas, *q. d.* Aquam in Ægypto non habebatis nisi in campis, nec nisi per laborem vestrum, deducendo scilicet sulcos ex Nilo in campos, uti in hortis fieri solet; in Ægypto enim raræ, vel nullæ sunt pluviæ. At in Chanaan, terra, et in campis, et in montibus, sine labore ex cœlo et cœlesti pluvia abunde irrigatur, *q. d.* Ergo multo melior est terra Chanaan ad quam tenditis, Ægypto, unde existis (2).

Ægyptus irrigatur non pluvia, sed Nilo.

Vers. 11. 11. DE COELO EXSPECTANS PLUVIAM. — Hebr. *de pluvia cœli bibit aquam, q. d.* Terra Chanaan, non aqua Nili, sed cœlesti irrigatur : unde Deus eam visitat, oculique Domini toto anno super eam sunt, quia ejus curam semper gerit Dominus, providens stato tempore pluviam, ventum, calorem, frigus, etc., ne quid desit ad fructus et fruges producendas et maturandas.

14. TEMPORANEAM ET SEROTINAM. — Pluvia temporanea est, quæ mature et tempestive mense octobri, jactis in terram seminibus, in Judæa depluit, itaque semina germinare facit. Serotina est, quæ sero mense aprili aut maio, depluit, fruges que et fructus ad maturitatem perducit. Significat ergo hæc phrasis omnem pluviam tempestivam, opportunam frugibus. Hinc Prophetæ, ut Osee VI, 3, et Joel II, 23, comparant Christum pluviæ temperaneæ et serotinæ : quia Christi adventus gratissimus, et maxime opportunus fuit mundo et hominibus ad salutem. Erant enim hæ pluviæ et gratissimæ omnibus, et multum exspectatæ, maximeque necessariæ. Vers. 14. Pluvia temporanea est, quæ pluit tempore sementis; serotina, quæ sub messem pluit.

Allegorice, pluvia temporanea fuit doctrina legis data per Mosen, qua semina jacta per patres legis naturæ germinarunt. Doctrina legis novæ est pluvia serotina, qua fructus maturescunt et perficiuntur. « Nihil enim ad perfectum adduxit lex, » ut ait Apostolus, quia perfectio et maturitas Evangelio servabatur. Et hoc est quod ait Zacharias cap. XI, vers. 1 : « Petite a Domino pluviam in tempore serotino, » id est, petite a Deo doctrinam Evangelii, qua arida totius terræ irrigatur, uti explicat S. Hieronymus.

Hinc patet terram promissam ex se et natura sua ante ingressum Hebræorum, cum incoleretur a Chananæis, fuisse valde fertilem. Unde vocatur terra lacte et melle manans, et talis ab exploratoribus inventa est, *Numer.* XIII, 28. Præcipuam tamen suam ubertatem habuit ex influentia Dei, et populi religione, ut patet hinc, vers. 13, et *Isaiæ* I, 19. Unde peccante populo, eam subtrahebat Deus, ut minatur hic vers. 17, et ita evenisse patet *Aggæi* I, 19 et sequent., Amos IV, 7 et sequent., *Jerem.* XII, 13, et passim in Prophetis. Sic Pentapolis, quæ olim fuit fertilissima, ut patet *Genes.* XIII, 10, ob peccata Sodomitarum, conversa fuit in mare salsissimum. Hinc illud *Psalm.* CVI, 34 : « Convertit terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea. » Judæa erat fertilis, tum ex se, tum speciali concursu Dei.

Anagogice, fecunditas terræ promissæ significabat abundantiam bonorum spiritualium, in terra viventium, electis promissa in cœlis : qua de re vide Procopium hic.

18. SUSPENDITE EA PRO SIGNO, — assidue ea vobis proponite; est catachresis. Vide dicta cap. VI, Vers. 13.

(1) Ex Hebræo vertas, *cognoscite hodie (neque enim cum filiis vestris* loquor, *qui non noverunt et qui non viderunt Jovæ, dii vestri, disciplinam) ejus magnitudinem*, etc.

(2) Intelligendum hoc de machinis quæ in gyrum circumaguntur pedibus, quibusque Ægypti aquam Niloticam hauriunt, atque ad loca altiora deducunt. Describit illas machinas Philo, qui in Ægypto vixit, in libro *de Confusione linguar.* tom. I edit. Mangey, pag. 410, his verbis : « Sicut se habet helix, instrumentum aquaticum. Nam ejus in medio, gradus quidam, quibus agricola, ubi terras vult irrigare, insistit : circumvolvitur autem necessario : at ne decidat, semper firmum aliquid, quod prope est, manibus amplectitur, quo sustentetur, totum corpus habens pendulum : nam pedibus manuum vice, manibus pedum vice utitur : stat enim manibus, per quas agere solemus, agit autem pedibus, quibus nos solemus stare. »

vers. 8. Aliter Abulensis : Per manum, inquit, significatur operatio, per oculum intellectus consideratio, *q. d.* Præcepta ista sint colligata in manibus, id est in operatione vestra, quæ signatur per manum; sintque inter oculos vestros, id est in consideratione mentis vestræ, ut assidue consideretis num in aliquo deficiatis.

Vers. 21. Judæi possedissent Chanaan usque ad finem mundi si non peccassent.

21. QUAMDIU COELUM IMMINET TERRÆ.— Hebraice, *juxta dies cœli super terram*, id est, quamdiu cœlum terræ imminebit, puta in æternum; est hyperbole significans in finem usque mundi, sive usque ad diem judicii. Itaque nisi peccassent Judæi, derelinquendo Deum, et Messiam respuendo, possedissent terram promissam, usque ad finem mundi. Hoc enim eis hic promittit Deus.

Vers. 22. 22. VIIS EJUS, — mandatis ejus, quæ sunt quædam viæ directivæ actuum nostrorum ad finem ultimum, scilicet ad Deum et ad beatitudinem (1).

Vers. 26. 26. EN PROPONO IN CONSPECTU VESTRO HODIE BENEDICTIONEM ET MALEDICTIONEM. — Acer hic est stimulus ad Dei legem et metum. Vis benedici a Deo, Deum time, Deo obedi : si enim ei sis inobediens, maledicet, id est malefaciet, tibi, teque acerrime et in hac vita et in futura puniet. Eodem stimulo urget Hebræos Moses, cap. XXX, 19, cum ait : « Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum. »

(1) Vers. 24. *A deserto*, scilicet Sin, sive Pharan, a parte australi. *Mare occidentale*, Mediterraneum scil. In hebr. est *mare posticum*, quia Hebræis pars *antica* mundi oriens erat.

Vers. 29. 29. PONES BENEDICTIONEM SUPER MONTEM GARIZIM, MALEDICTIONEM SUPER MONTEM HEBAL, — *q. d.* Curabis a Levitis proclamari benedictionem ex monte, vel potius versus montem Garizim super observantes legem Dei, et maledictionem ex monte, vel potius versus montem Hebal, super prævaricatores legis, populo respondente Amen. Vide hæc fusius explicata capite XXVIII, in fine, *Josue* VIII, sub finem.

Vers. 30. 30. QUÆ EST JUXTA VALLEM TENDENTEM ET INTRANTEM PROCUL. — Pro *vallem* hebraice est *elon*, quæ vox ilicem, vel arborem e quercuum genere significat, uti Septuaginta et Noster passim vertunt : sed Noster hic quercetum, per quercus synecdochice significari intellexit, vallem scilicet quercubus refertam : vallem enim fuisse optime norat S. Hieronymus, qui loca sancta accurate lustravit.

Rursum, pro *vallem tendentem*, hebraice est *elon more*, id est quercetum, vel vallis monstratoris, uti docet Masius in *Josue* XXIV. Jam vallis monstratoris est vallis protensa, monstrabilis, magna, pulchra, et, ut Noster vertit, *Gen.* XII, 6, illustris (2). Est hæc vallis juxta Sichem, ad quam primo venit Abraham, veniens ex Chaldæa in Chanaan. Nam juxta Sichem esse montes hos Garizim et Hebal docet Josephus oculatus testis, cui potius credendum est quam Eusebio : is enim auctor est lib. *De Locis Hebraicis*, qui falso S. Hieronymo tribuitur, uti recte probat Masius in *Josue* VIII, 30.

Auctor libri *De Locis Hebraicis* est Eusebius.

(2) Rosenmullerus vertit, contra *Galgalam prope Terebinthum Moreh*. Moreh nomen viri est, a quo arbor illa aut tractus nomen habuit.

CAPUT DECIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hucusque Moses Hebræos ad legem Dei in genere exhortatus est, nunc ad particularia descendit (hoc enim boni concionatoris est munus), atque hoc capite jubet, non in montibus et lucis, sed uno in loco, quem Deus elegerit, offerri victimas, decimas, primitias, et vota, ibique epulari coram Domino; carnes autem non immolatas Deo, permittit, vers. 20, *comedi quolibet loco, si is a templo sit dissitus, dummodo sanguine abstineant.*

1. Hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. 2. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum. 3. Dissipate aras eorum, et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite : disperdite nomina eorum de locis illis. 4. Non facietis ita Domino Deo vestro : 5. sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis; 6. et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium. 7. Et

comedetis in conspectu Domini Dei vestri : ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos et domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. 8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. 9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, et possessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 10. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore habitetis, 11. in loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo : illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum, et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. 12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur ; neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos. 13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, 14. sed in eo quem elegerit Dominus ; in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi. 15. Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis : sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile ; sive mundum, hoc est, integrum et sine macula, quod offerri licet, sicut capream et cervum, comedes, 16. absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes. 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris, et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum ; 18. sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus, et filia tua, et servus et famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis, et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. 19. Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra. 20. Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua : 21. locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. 22. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis : et mundus et immundus in commune vescentur. 23. Hoc solum cave ne sanguinem comedas ; sanguis enim eorum pro anima est : et idcirco non debes animam comedere cum carnibus ; 24. sed super terram fundes quasi aquam, 25. ut bene sit tibi et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini. 26. Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles, et venies ad locum quem elegerit Dominus ; 27. et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui : sanguinem hostiarum fundes in altari ; carnibus autem ipse vesceris. 28. Observa et audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. 29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum : 30. Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, et requiras cæremonias earum, dicens : Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. 31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis offerentes filios, et filias, et comburentes igni. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino : nec addas quidquam, nec minuas.

Vers. 2. 2. GENTES QUAS (id est quarum terram et opes) POSSESSURI ESTIS.

SUBTER OMNE LIGNUM FRONDOSUM. — Gentiles enim arbores consecrabant diis, præsertim Dianæ, quam nemoribus delectari putabant. Hinc in historiis Martyrum sæpe legimus eos fuisse ad aliquam arborem ductos, ut ibi deos adorarent ; nec raro arbores istas ad preces Martyrum radicitus fuisse evulsas.

Vers. 3. 3. DISPERDITE NOMINA EORUM. — Ita legendum cum Romanis et Hebræis, non *earum*, uti legunt Plantiniana, *q. d.* Ita disperdite idola, eorumque templa, aras et lucos, ut ne memoria quidem idolorum relinquatur in eis, imo ut nomina eorum prorsus aboleantur, et æterna oblivione sepeliantur.

Vers. 4. 4. NON FACIETIS ITA DOMINO DEO VESTRO, — *q. d.* Non ubilibet in montibus, collibus, lucis, uti faciunt idololatræ, sed in uno tantum loco quem elegerit Dominus, sacrificabitis. Ubi nota : Deus ad hoc primo elegit locum Silo; ibi enim positum fuit tabernaculum et altare, *Josue* XVIII, 8, ibique mansit toto tempore Judicum, usque ad Heli, ut patet *Judic.* cap. ult. vers. 9. Inde voluit illud Deus transferri in Nobe, I *Reg.* XXI, 1; inde in Gabaon; inde demum transtulit illud Salomon in Jerusalem, ad templum a se exstructum, II *Paral.* cap. I, vers. 3 et 13.

Vers. 5. 5. UT PONAT NOMEN SUUM IBI, — ut memoria nominis ejus specialiter eo loco sit, ibique colatur, ipseque habitet ibi, tanquam in templo suo (1).

Vers. 6. 6. PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM,—primitias frugum, quas manibus et labore vestro messuistis.

VOTA, — oblationes ex voto.

Vers. 7. 7. COMEDETIS IN CONSPECTU DEI VESTRI, — de hostiis pacificis, sive de oblationibus quibus vesci licitum est laicis. Nam hostiis pro peccato, votivis, et holocaustis vesci non poterant laici, ut patet *Num.* XVIII, 9 et 15.

IN CONSPECTU DEI, — id est atrio, coram tabernaculo, quod est sedes et domus Dei.

IN CUNCTIS AD QUÆ MISERITIS MANUM (quæ scilicet labore vestro pepereritis vobis, in his) LÆTABIMINI, — epulando ex iis coram Domino.

Nota : Voluit Deus Judæos celebrare sua festa et victimas cum gaudio, ut ad illa libentius et crebrius redirent, utque eos, et magis Christianos, incitaret ad gaudium spiritale, quo coli vult Deus, ut sic in lætitia, quasi perenne cum eo festum ineamus, quod in cœlo consummabimus. Ita David *Psal.* LXXVI, 4 : « Renuit, inquit, consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum. » Et *Psal.* LXXXIII, 3 : « Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Et S. Paulus, I *Thessal.* V, 16 : « Semper gaudete. » Et *Philip.* IV, 4 : « Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. » Rursum *Psal.* LXVII, 4 : « Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. » Gaude, non in sæculo, sed in Domino. « Illud verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, et quod cum possederis, nemo tollet a te; cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum, » inquit S. Bernardus, *epist.* 114. Ita Esther regina cap. XIV, 16 : « Tu scis (Domine) quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum; et nunquam lætata sit ancilla tua (o purum cor!) ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus. »

Morale de lætitia spirituali.

Hæc lætitia dilatat cor et spiritus, animamque et corpus vegetat, ac omnia a Deo impetrat. « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui, » *Psal.* XXXVI, 4. « Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa, » *Prov.* XXVII, 22. Rursum omnia dura evincit : « Ibant » Apostoli « a conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Et Paulus : « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. » Et Jacobus : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. »

Ejus fructus.

Medium ad hoc gaudium suggerit *Eccle.* cap. III, vers. 12 : « Cognovi, inquit, quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua. » Vis semper esse lætus, bene facito : bona conscientia semper gaudet. « Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum, » *Eccli.* I, 11. Quis non gaudeat semper in tribulationibus, cogitans illud S. Pauli? « Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

Medium ad eam.

Vers. 8. 8. SINGULI QUOD SIBI RECTUM VIDETUR. — Non enim servabant Hebræi cæremonialia hæc præcepta in deserto, uti et superius dixi.

Vers. 10 et 11. 10 et 11. HABITETIS IN LOCO QUEM ELEGERIT DOMINUS, — *q. d.* Commoremini secure in loco ubi est tabernaculum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, juxta præceptum meum, confluet, non metuentes, ne hostes fines vestros invadant (2).

Vers. 12. 12. LEVITES QUI IN URBIBUS TUIS COMMORATUR. — « Tuis, » quas scilicet tu, o Israel, Levitis dedisti:

(1) Quod hic Deus unico tantum loco ritu solemniori colendus præcipitur, in quo ipso loco et decimas ac primitias offerri (infra XIV, 23 seq.; XV, 20; XXVI, 2), ibique festum Paschatos (XVI, 5 seq.), festum Pentecostes (*ibid.* 11) et festum Tabernaculorum (*ibid.* 16) celebrari, ibi denique de causis controversis consuli sacerdotes oportebat (XVII, 8), hoc de Wette ad templi Hierosolymitani et Levitarum auctoritatem sanciendam spectare arbitratur, et inter argumenta serioris, qua hic liber scriptus sit, ætatis habet. Exstare enim, ait, *Exod.* XX, 24, legem, qua de *uno*, quo sacra facienda sint, loco nihil omnino cautum, imo pluribus locis sacrificia offerri permissum, certe non prohibitum est. Respondeo *primo*, cum Rosenmullero, legem *Exod.* XX, 24, pertinere ad illud tempus, quo tabernaculum nondum exstructum esset; *locum* autem (*Deut.* XII, 5) ubi Jova *ponet suum nomen*, id est, ubi ei sacra fient, nihil aliud esse nisi ipsum tabernaculum, non vero templum a Salomone Hierosolymis ædificatum. Cf. *Exod.* XXIX, 44, 45. *Secundo*, Mosen hic loqui de templo, quod ab Israelitis Chanaanitidem ingressis ædificandum divino instinctu prævidebat, credere quid vetat?

(2) Versiculus 10 est prothesis, vers. 11 vero apodosis, ut sensus sit, *quum trajecto Jordane habitaveritis*... vers. 11, tunc *in loco*, etc.

in illis enim 48 sibi datis a populo, seorsum habitabant Levitæ.

Vers. 15. 15. SI AUTEM COMEDERE VOLUERIS (videlicet carnes, extra tabernaculum, in urbe tua) COMEDE JUXTA BENEDICTIONEM DEI TUI, — id est comede de illis, quæ benefice et largiter dederit tibi Deus (1).

SIVE IMMUNDUM FUERIT, HOC EST MACULATUM. — « Maculatum, » id est mancum (opponitur enim integro), puta si sit cæcum, claudum, mutilum : hæ enim sunt maculæ victimarum, ut patet *Levit.* XXII, 22.

SICUT CAPREAM ET CERVUM COMEDES. — Vox *sicut*, non ad præcedens *offerri*, sed ad sequens *comedes*, referenda est; sensus enim est : Comedes quæ Domino immolari possunt, puta oves et boves, esto sint mancæ, quas immolare non licet, sicut capream et cervum, quæ pari modo immolare non licet : patet ex Hebræo.

Vers. 18. 18. IN CUNCTIS AD QUÆ EXTENDERIS MANUM, — id est in omnibus bonis et facultatibus tuis (2).

Vers. 20 et 21. 20 et 21. QUANDO, etc., VOLUERIS VESCI CARNIBUS, etc., LOCUS AUTEM QUEM ELEGERIT DOMINUS DEUS TUUS, UT SIT NOMEN EJUS IBI, SI PROCUL FUERIT, OCCIDES DE ARMENTIS ET PECORIBUS, etc., ET COMEDES. — Nota : Jussit Deus *Levit.* III, vers. ult. et cap. XVII, vers. 11, omnem sanguinem animalium mactatorum sibi effundi et offerri; adipem vero animalium eorum, quæ immolari poterant, puta ovis, bovis et capræ, esto actu non immolarentur, sed tantum mactarentur ad esum, sibi jussit incendi et adoleri, *Levitici* VII, 25, si nimirum animal hoc Hierosolymæ, vel non procul a templo mactaretur. Unde hic, non quidem expressa lege sancit, sed tamen tacite innuit congruum esse, ut qui non procul a templo habitant, cum animal aliquod tale, scilicet immolabile, mactare volunt ad esum, illud mactent ad ostium tabernaculi, vel templi, tum ut sanguis coram Deo fundatur, tum ut adeps Deo adoleatur, quo facto reliqua carne vesci posse. Licet enim « locus quem elegit Dominus, » intelligi possit Hierosolyma, vel urbs, in qua erat tabernaculum, aut templum; tamen magis proprie intelligitur ipsum templum vel tabernaculum, quia additur, « ut sit nomen ejus ibi : » hoc enim proprie competit templo, ut dixi vers. 5 et 14. Rursum, licet Hierosolymitæ rigido jure absolute possent domi mactare ovem et bovem, dummodo sanguinem Deo effunderent, et adipem mitterent ad templum, adolendum Deo: tamen magis decens erat dignumque Deo, ut ea mactarentur juxta templum, ut ita ipsa quasi censerentur Deo mactari, et offerri per suas primitias, partesque nobilissimas, puta per sanguinem, qui Deo effundebatur coram tabernaculo, et per adipem, qui Deo adolebatur cum aliis victimis, in altari holocaustorum : hinc consequenter videtur quod hæc animalia fere mactata fuerint a sacerdotibus, quorum proinde ingens erat turba, quibus pro honorario pars aliqua animalis mactati dabatur.

Quia vero nimis molestum fuisset iis, qui in aliis, præsertim remotis a templo, urbibus habitabant, singulos boves suos et oves mactandos adducere Hierosolymam ad templum, indeque mactatos domum reducere : hinc Deus hic cum iis dispensat, permittitque ut domi suæ eosdem mactent, dummodo ibidem sanguinem Domino effundant, et adipis esu ob Domini honorem abstineant; ita Abulensis, Oleaster et alii.

Si alibi habitabat, ibi ovem vel bovem mactare poterat, sed sanguinem Deo effundere debebat.

Disce hic, Christiane, quam epulas tuas cibumque omnem Deo offerre, quamque tam ante, quam post mensam, Deo benedicere debeas.

Lyranus tamen putat hanc legem loqui tantum de primogenitis ovium et boum, quæ Deo offerri et immolari debebant in tabernaculo, vel templo : sed si longe ab eo abessent, poterant possessores ea vendere, vel comedere, dummodo pretium eorum afferrent ad templum, ut dicitur cap. XIV, vers. 24. Verum hic primogenitorum nulla fit mentio, sed tantum carnium. Rursum, primogenita illa cap. XIV, vendi jubentur, et pretium afferri ad templum, ut ibi ex eo aliud animal ematur, quod Deo immoletur, ut deinde ex eo epulentur coram Domino : quæ omnia plane diversa sunt ab hoc casu. Denique, ex primogenitis, utpote Deo immolatis, vesci non poterant immundi, qui tamen vesci poterant hisce carnibus, ut patet vers. seq.

Lyrani explicatio rejicitur.

Qui animal immolabile mactabat ad esum, id facere debebat apud templum, si habitabat Hierosolymæ, cur?

22. MUNDUS ET IMMUNDUS IN COMMUNE VESCENTUR. — Hebraice *simul*, vel pariter, id est sine discrimine, *vescentur* : quia videlicet hæ carnes non sunt Deo oblatæ. Vers. 22.

23. SANGUIS ENIM EORUM PRO ANIMA EST. — Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, *sanguis enim eorum est anima*, id est sanguis eorum est vehiculum animæ, id est vitæ : quia sanguine alitur et conservatur vita, ideoque pro animali, et vita animalis, sanguinem mihi dari et libari volo : ne ergo comedas vitam ejus, comedendo sanguinem; vita enim mihi debetur. Vide dicta *Lev.* cap. V, vers. ult. et cap. XVII, 11. Vers. 23.

27. IN ALTARI, — juxta altare, ad basin altaris. Vers. 27.

CARNIBUS VESCERIS, — si videlicet obtuleris eas in hostiam pacificam.

32. QUOD PRÆCIPIO TIBI, HOC TANTUM FACITO, — *q. d.* Ne facias, aut fingas tibi in cerebro tuo ido- Vers. 32.

(1) Abrogatur hoc loco lex de carne non comedenda nisi in epulis sacrificalibus. Cf. *Lev.* XVII, 3.

(2) Quærunt Interpretes quænam sint primogenita de quibus vers. 17. « Videtur, ait Rosenmullerus, sicut decimarum, ita quoque primogenitorum duplex fuisse genus..... In animalibus id, quod post primogenitum Deo sacrum primo natum esset, ad epulas sacras adhiberi debebat. Hoc proprie quidem fuit secundo genitum, sed potuit tamen primogenitum vocari respectu domini animal possidentis, cui primum illud partu obveniebat. » Sed melius placet sententia Bonfrerii, putantis, primogenita generis masculini offerenda fuisse Deo, sexus vero feminei in loco tabernaculi sacri comedenda. De his igitur hic esset sermo.

lum, uti præcessit; sed in rebus et cæremoniis Dei, fac tantum illud, quod Deus vel per se, vel per vicarios suos, puta sacerdotes, præceperit. Vide dicta cap. IV, vers. 2.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus pseudoprophetam, et amicum qui suadet cultum Dei alieni, occidi et lapidari; urbem vero, quæ Deum alienum coluit, jubet, vers. 13, funditus deleri usque ad pecora, omnemque ejus supellectilem cum urbe comburi.

1. Si surrexit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, 2. et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis; 3. non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra. 4. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. 5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur; quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis : ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus; et auferes malum de medio tui. 6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoras tu, et patres tui, 7. cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, 8. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis et occultes eum, 9. sed statim interficies; sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum. 10. Lapidibus obrutus necabitur : quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis; 11. ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile. 12. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos : 13. Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoratis : 14. quære sollicite et diligenter; rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam, 15. statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora; 16. quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus : non ædificabitur amplius, 17. et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua : ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis, 18. quando audieris vocem Domini Dei tui, custodies omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

Vers. 2. 2. SEQUAMUR DEOS ALIENOS QUOS IGNORAS, — scilicet esse deos, quia nimirum ipsi ea signa divinitatis et providentiæ tibi non ostenderunt, quæ ego in Ægypto et in deserto ostendi.

Vers. 3. 3. TENTAT (id est tentari permittit) VOS DOMINUS. — Nam, ut ait S. Jacobus, cap. I, 13, Deus proprie neminem tentat; permittit autem Deus te tentari, ut per hoc elucescat et pateat omnibus, an diligas Deum, nec ne.

Moraliter, S. Gregorius, XXVIII *Moral.* cap. VII : « Tribus, ait, modis nos conditor noster interrogare consuevit. *Primo*, cum flagelli districtione

nos percutit, et quanta nobis insit vel desit patientia, ostendit. » Sic interrogavit S. Job. *Secundo*, cum quædam quæ nolumus præcipit, et nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit. Sic interrogavit Abraham, jubens ei immolare filium, *Genes.* XXII. Sic et hic dicitur : « Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum. Tentare quippe Dei est magnis nos jussionibus interrogare. Scire quoque ejus, est nostram obedientiam nosse nos facere. *Tertio*, cum aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit, et nobis mensuram humilitatis nostræ innotescit. » Ita fecit S. Paulo, cum exclamavit : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! »

UT PALAM FIAT. — Hebraice et Græce est, *ut sciat;* scilicet Deus per experientiam, et per eventum, quod per præscientiam præscivit ab æterno. Aliter S. Augustinus, lib. I *De Genesi contra Manichæos*, cap. XXII : *Ut sciat*, inquit, id est ut scire nos faciat quantum in ejus solida dilectione profecerimus. Idem cogitent fideles, hacque cogitatione se obarment, cum oriuntur hæreses, uti pulchre docet Vincentius Lirinensis, in lib. *Contra hæreses*, ubi hunc *Deuteron.* locum perurget.

Vers. 5. Via est modus vivendi.

5. UT ERRARE TE FACERET DE VIA, QUAM TIBI PRÆCEPIT DOMINUS. — « De via, » id est de ritu vivendi, et serviendi Deo. Hebræum enim דרך *derech*, id est via, significat modum vivendi, conversationem, institutum, tenorem vitæ.

Vers. 9.

9. SED STATIM INTERFICIES (accusabis eum, ut statim interficiatur; nam sequitur) SIT PRIMUM MANUS TUA SUPER EUM, — *q. d.* Tu primus in eum lapidem mitte, deinde totus populus; quod non potest intelligi, nisi de eo qui publice per accusatores et judices condemnatus est.

Vers. 13. 13. EGRESSI SUNT FILII BELIAL, ET AVERTERUNT, — id est cœperunt apostatæ avertere. *Surgere* enim et *egredi* sæpe in Scriptura significat incipere, et rem aliquam aggredi, uti superius dixi. *Egredi* pro *incipere.*

Filii Belial sunt homines rebelles et pessimi, qui jugum legis et Dei excutiunt, puta filii diaboli : hic enim primus fuit Belial, id est apostata. Septuaginta vertunt, παράνομοι, id est *exleges*. Vide dicta II *Corinth.* VI.

SERVIAMUS DIIS ALIENIS, QUOS IGNORATIS. — Est enallage personæ; τὸ enim *serviamus* est vox apostatarum, τὸ *vero quos ignoratis* est vox Dei; apostatæ enim dicerent : Quos scitis esse famosos et celebres apud Gentes.

Vers. 15. 15. STATIM PERCUTIES. — Ad stragem hanc congregabatur universus Israel, uti factum est contra Rubenitas, *Josue* XXII, 12.

Vers. 16. 16. CONSUMAS DOMINO DEO TUO, — scilicet in honorem Dei tui; erat enim magnus Dei cultus, et quasi quoddam sacrificium, perdere et punire homines illos, ita Deo injurios, blasphemos et sacrilegos cum omnibus suis, et statuere anathema, in exemplum cæterorum : unde Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. II, anathemata hæc vocat *devotamenta*.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Refricat Moses legem de animalibus mundis et immundis, de qua Lev. XI. *Secundo, vers.* 22, *præter decimas primas, præceptas* Num. XVIII, *jubet secundas dari, et tertias, vers.* 28.

1. Filii estote Domini Dei vestri : non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. 2. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo : et te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram. 3. Ne comedatis quæ immunda sunt. 4. Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram, 5. cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum. 6. Omne animal quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis. 7. De his autem quæ ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryllum : hæc quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. 8. Sus quoque quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis. 9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis : quæ habent pinnulas et squamas, comedite; 10. quæ absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. 11. Omnes aves mundas comedite. 12. Immundas ne comedatis, aquilam scilicet, et gryphem, et haliætum. 13. Ixion, et vulturem ac milvum juxta genus suum; 14. et omne corvini generis, 15. et struthionem ac noctuam, et larum atque accipitrem juxta genus suum; 16. herodium ac cygnum, et ibin, 17. ac mergulum, por-

phyrionem, et nycticoracem, 18. onocrotalum, et charadrium, singula in genere suo; upupam quoque et vespertilionem. 19. Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur. 20. Omne quod mundum est, comedite. 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hædum in lacte matris suæ. 22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos, 23. et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis : ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. 24. Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, 25. vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tua, et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus : 26. et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua : et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua, 27. et Levites qui intra portas tuas est : cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua. 28. Anno tertio separabis aliam decimam, ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore ; et repones intra januas tuas. 29. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur ; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Vers. 1. 1. FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI, — gerite vos ut filios Dei, Deum ut patrem æternum et summum colite et adorate, eique per omnia obedite.

NEC FACIETIS CALVITIUM. — Hebraice, *non ponetis calvitium inter oculos vestros propter mortuum,* id est, ait Vatablus, cum quis ex amicis vestris vita functus fuerit, non tondebitis partem anteriorem capitis, quæ est inter oculos vestros, sicut Gentes faciunt, quæ non habent spem futuræ vitæ et resurrectionis. Vide dicta *Levit.* XIX, 28. Judæi enim etiamnum credunt animæ immortalitatem et futuram vitam : unde orant ipsi pro defunctis, ut patet ex eorum Symbolo, quod recitat Genebrardus in *Chronol.* Porro hunc funeris ritum adhuc hodie servant Judæi. *Primo,* mortuo quopiam mox amici ejus propinquiores lacerant vestes suas, nec comedunt eo die in domo illa, sed foris. *Secundo,* non comedunt carnes, nec bibunt vinum, nisi fuerit sabbatum. *Tertio,* per septem dies luctus nec lavant corpus, nec unguentis perfundunt. *Quarto,* lectum sternunt in pavimento, et a venere abstinent. *Quinto,* nudis pedibus sequuntur funus, et lucernam accendunt in pavimento domus per septem noctes, quod credant animam defuncti redire ad locum ubi a corpore discessit, et deplorare dissolutionem suam. *Sexto,* dicunt orationem, in qua petunt ut anima defuncti requiescat, et ducatur in paradisum.

Vers. 5. Tragelaphus ex hirco et cerva 5. TRAGELAPHUM, — id est hircocervum, est animal ex hirco et cerva progenitum et commixtum : non fictitium, uti hoc nomen accipiunt Dialectici, sed verum, et realiter existens ad Phasim fluvium, barbam et armorum villos hirci habens, reliqua cervo simile. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XXXII. Hebræi putant esse hircum silvestrem. Tragelaphus ergo, æque ac pygargus, et oryx, munda erant animalia, quibus vesci poterant Judæi (1). nascitur.

PYGARGUM. — Pygargus hic non est aquila ita dicta, de qua Aristoteles : aquilæ enim omnes inter immundas aves relatæ sunt, *Lev.* XI, 13; pygargus autem hic censetur animal mundum. Chaldæus putat esse unicornem ; verius est pygargum esse capreæ genus, simile damis, de quo Plinius lib. VIII, cap. LIII (2). Pygargus est capreæ genus.

ORYGEM. — Oryx animal est in Getulia nascens, bisulcum et unicorne, alioqui capræ non dissimile, pilum habens contra aliorum animalium naturam, ad caput versum : sub ortum caniculæ, tanquam ejus sideris adventum præsentiens, fixis oculis eam cœli plagam intuetur, ubi primum signum hoc exoritur, eoque conspecto sternutat, et velut venerabundus adorat. Ita Plinius, lib. II, cap. XL, et lib. VIII, cap. LIII, et Columella, lib. X. Oryx sidus caniculæ adorat.

CAMELOPARDALUM. — Animal erat mundum, ac proinde diversum a camelo, qui erat immundus. Camelopardalus ergo est animal cameli proceritate, colore pantheræ, maculas habens, tenui cervice, capite simile camelo, pedibus et cruribus bovi. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XVIII, et Dion, Camelopardalus capite similis est camelo, pedibus bovi.

(1) Pro *bubalum* hebræa nomen habent animalis ex gazellarum genere, rufi, cervo similis, et serratis cornibus.

(2) Ita vocatur quia maculas in clunibus albas cinereasve habet.

lib. XLII *Histor. Rom.* Vide Antonium Nebrissense in *Quinquag.* cap. VIII (1).

Tropologice, camelopardalus symbolum est hominis variabilis et hypocritæ. Sicut enim ipse collo refert equum, pedibus bovem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum : ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt : si cultum inspicias, sanctum aliquem esse existimes; si orationem audias, satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem invenies; si scripta, bubulcum. Sic quidam in templum sunt angeli, in foro et curia dæmones, in colloquio homines, in mensa lupi, in cubiculis veneres.

Verum quia camelopardalus mundum erat animal, hinc aptius per illud accipias hominem versatilem et gratiosum, qui se omnium moribus et ingeniis, quantum fas est, accommodat, novitque se versare in omnes partes et formas : qualis fuit Ulysses, quem proinde Homerus vocat ἄνδρα πολύτροπον. Sic S. Paulus omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret : hinc cum Judæis servabat legalia, cum Gentibus gentiliter vivebat.

Vers. 13. Ixion est species vulturum.

13. IXION. — Est avis e vulturum genere; unde *Levit.* XI, eam subticuit, ac sub vulturibus intellexit et vetuit Moses. Hebraice vocatur רָאָה *raa*, a videndo, quod acie oculorum valeat. Ita Vatablus et Abulensis. Cætera animalia munda et immunda explicata sunt *Levit.* XI.

Vers. 21.

PEREGRINO, etc., DA UT COMEDAT. — Per *peregrinum* intellige Gentilem, in gentilismo manentem : hic enim non tenebatur legibus Judaicis, ac proinde poterat vesci animalibus immundis. Secus erat de Gentili proselyto, id est converso ad judaismum : hic enim lege Judaica, ac consequenter abstinentia a cibis immundis obstringebatur. Ita Abulensis.

Vers. 22.

22. DECIMAM PARTEM SEPARABIS DE CUNCTIS FRUCTIBUS TUIS. — Ex hoc loco et ex Josepho colligit Theodoretus hic *Quæst.* XIII, Abulensis, Oleaster et Cajetanus, duplices decimas Judæis quotannis fuisse præscriptas. Primæ erant omnium frugum terræ, gregum et armentorum, quæ totæ dabantur Levitis; neque ferebantur in Jerusalem, sed Levitæ, ad quos eæ pertinebant, colligebant eas per civitates sibi vicinas; ex hisce decimis, Levitæ rursum decimam pendebant pontifici et sacerdotibus, ut patet *Num.* XVIII, 26 et 28. Ibi enim agitur de primis hisce decimis.

Duplices decimas dabant Judæi quotannis. Primo.

Secundo.

Secundæ decimæ erant illæ quas quotannis Hebræi separabant, post primam jam dictam decimationem, ex novem residuis sibi partibus accipiendo decimam, ut ex ea, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendum erat, ut patet *Exodi* XXIII, 17, et cap. XXXIV, 23), partim in itinere viverent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, una cum Levitis, quos ad epulandum secum invitabant. Quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis : quia post primitias quæ totæ cedebant Domino, separabat sibi quisque aliquid, tanquam primitias secundas, quibus uteretur ascensurus ad Dominum. Idem dico de primogenitis ovium et boum, videlicet post primogenitum Deo datum, Hebræos separasse aliud animal in hostiam pacificam : idem dico de votis et donariis. De hisce ergo secundis decimis loquitur hic lex, usque ad vers. 28, de hisce etiam egit cap. XII, 17.

Duplices etiam primitias et primogenita.

Tertiæ decimæ erant decimæ quæ singulis triennis separabantur et dabantur pauperibus, viduis, pupillis et Levitis in modum eleemosynæ, ne ipsi ob paupertatem cogerentur servire Gentilibus, a quibus facile indici potuissent ad idololatriam. De tertiis hisce decimis agitur vers. 28, ubi dicitur : « Anno tertio separabis aliam decimam. » Unde patet hanc non eamdem fuisse decimam cum prima, quasi decimæ quæ duobus annis Levitarum erant propriæ, tertio anno jubeantur esse communes pauperibus æque ac Levitis, ut aliqui volunt; sed fuisse aliam, scilicet tertiam : ita enim vertit Interpres. Ita de Tobia dicitur cap. I, vers. 7, quod « in anno tertio proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. » Si Judæi triplices, quidni Christiani unas et simplices Deo dent decimas? si Judæi decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? Novi viros in republica magnos, qui opum suarum, imo omnis lucri sui decimas dant pauperibus, et ad id lege charitatis et religionis putant se quasi obstringi.

Triplices decimas dabant anno tertio.

Præclare Nyssenus, lib. *De Beatitud.* « Si, inquit, misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam insignitus propria nota deitatis? » et Nazianzenus in orat. *De pauperum amore* : « Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. » Et Chrysostomus, hom. 3 *ad Pop.* : « Melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quam esse regem. Hæc enim domos ædificat in cœlis semper mansuras, hæc docet quomodo Deo possis similis fieri. » Et *homil.* 36 : « Magna res est homo, et pretiosa vir misericors. Hæc major est gratia, quam mortuos resuscitare : nam hic tu de Christo bene mereris; illic autem ipse de te : miracula enim Deo debes. »

Misericors misero est Deus.

Audi rarum de hisce decimis exemplum, quod narrat Eugypius in Vita S. Severini Noricorum Apostoli, cap. XVII, contigitque sub annum Domini 475. Lauriacenses cives, moniti a S. Severino decimas dare pauperibus, id facere distulerant, ideoque segetes eorum alias pulchras invasit rubigo; illi ad cor redeuntes, culpam confessi, veniam petierunt a S. Severino, qui eis respondit : « Si decimas obtulissetis pauperibus, non solum æterna mercede frueremini, sed etiam commodis possetis abundare præsentibus; sed quia culpam propria confessione castigatis, de Domini pietate polliceor quod rubigo præsens, licet tam valida,

Exemplum de iis qui detrectant decimas.

(1) De camelopardalo tamen (gall. *girafe*) hoc loco vix est cogitandum, quia illud animal Æthiopiæ tantum est indigenum. Quid sit זֶמֶר difficile dictu est. Bocharto est *rupicapra*, sed ex etymologicis tantum argumentis.

non nocebit : tantum fides vestra ulterius non vacillet; » inde hortatus est indici jejunium, quo expleto placidus imber desperatæ messis amputavit incommoda. Hucusque Eugypius S. Severini discipulus, et oculatus rei gestæ testis.

Quinimo etiamnum Judæi religiosiores, licet templum, sacerdotes et Levitas non habeant, decimum tamen nummum bonorum omnium pauperibus erogant, habentque hoc proverbium : « Da decimas, ut ditescas : » id enim, inquiunt, promisit Deus per Malachiam, cap. VIII, vers. 10, estque verum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iteratur lex de anno septimo remissionis, ut scilicet eo Judæis remittant debita, utque Judæos servos et servas dimittant liberos (de quo vers. 12), eisque dent viaticum. Secundo, vers. 19, iteratur lex de primogenitis Deo offerendis et comedendis in tabernaculo, nisi illa essent manca vel mutila.

1. Septimo anno facies remissionem, 2. quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. 3. A peregrino et advena exiges : civem et propinquum repetendi non habebis potestatem. 4. Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est. 6. Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur. 7. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum; 8. sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. 9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare : nec clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. 10. Sed dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. 11. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ; idcirco ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. 12. Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum : 13. et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris; 14. sed dabis viaticum de gregibus, et de area et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. 15. Memento quod et ipse servieris in terra Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc præcipio tibi. 16. Sin autem dixerit : Nolo egredi, eo quod diligat te, et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat; 17. assumes subulam, et perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, et serviet tibi usque in æternum : ancillæ quoque similiter facies. 18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos; quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis. 19. De primogenitis quæ nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. 20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua. 21. Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo; 22. sed intra portas urbis tuæ comedes illud : tam mundus quam immundus

similiter vescentur eis, quasi caprea et cervo. 23. Hoc solum observabis ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

Vers. 2. 2. CUI DEBETUR ALIQUID AB AMICO, VEL PROXIMO, AC FRATRE SUO, — id est a Judæo, qui genere frater est, ideoque amicus et proximus. Lex ergo hæc solum loquitur de Judæo debitore, qui alteri Judæo aliquid debet : hic enim anno septimo remissionis, omni debito, ex legis hujus indulgentia, solvebatur; non vero loquitur de proselytis, ad judaismum conversis : hi enim, anno septimo, debitis suis obstricti manebant. Ita Abulensis (1).

Proselyti anno septimo non liberabantur suis debitis, sed soli Judæi.

Porro debitum intellige ex mutuo, aut vendito; non autem ex accommodato, quia hoc proprie non est debitum, sed alienum, sive res ad alterum spectans. Ita Abulensis. Vide dicta *Lev.* XXV, 2 et seq.

Vers. 3. 3. CIVEM ET PROPINQUUM REPETENDI NON HABEBIS POTESTATEM. — Hebraice, *ab eo quod fuerit tibi apud fratrem tuum, remittes manum tuam* (id est remittes petitionem debiti, quæ fit extensione manus) *fratri tuo*, puta Judæo.

Vers. 4. 4. ET OMNINO INDIGENS, ET MENDICUS NON ERIT INTER VOS, — *q. d.* Curate pro posse vestro, ut non sint inter vos indigentes et mendici, mutuando videlicet pauperibus, præsertim infirmis aut invalidis, ea quibus indigent, illisque ea remittendo anno septimo, si ante ea solvere et reddere nequeant; cum hoc ergo recte consistit id quod dicitur vers. 11 : « Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : » ibi enim pauperes fore significat, hic vero eis subvenire jubet. Voluit enim Deus semper inter Hebræos esse aliquos pauperes, ut divites haberent occasionem misericordiæ in eos exercendæ : unde etiamsi Hebræi conati fuissent efficere, ne in Israel ulli essent pauperes, nunquam tamen idipsum reipsa perficere potuissent.

In Israel semper erant aliqui pauperes, cur ?

Aliter hæc conciliat Vatablus : ait enim apud Hebræos fuisse privatos pauperes, nullos autem mendicos publicos, uti jam fit in rebuspublicis bene ordinatis.

Rursum hunc locum ita vertit, *præterquam si non sit pauper in te, q. d.* Pauperibus fratribus remittes pecuniam creditam; sed divites fratres excipio, quibus non remittes, cum habeant unde reddere possint (2). Verum hæc versio dissentit ab Hebræo, Chaldæo, Septuaginta et Nostro.

6. FŒNERABIS GENTIBUS MULTIS. — Pro *fœnerabis* hebraice est העבטת *haabatta*, id est mutuabis, vel mutuo dabis. Ita Chaldæus et Septuaginta. Vertunt enim, δανιεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανιῇ. Unde patet Judæos hic nullum suarum usurarum habere patrocinium. Sensus ergo est, *q. d.* Si anno septimo dimittas debita tuis debitoribus, non depauperaberis, sed Deus benedicet tibi, teque ditabit, ita ut mutuum aliis des, sed a nemine accipias; sicut enim per quæ quis peccat, per hæc et punitur : sic vicissim per quæ quis meretur, per hæc et præmiatur, inquit Abulensis. Vers. 6.

9. CAVE. — Septuaginta vertunt, *attende tibi ipsi*. Unde S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, sumptum putat illud celebre dictum : « Nosce teipsum, » quod Gentiles Apollini Pythio tribuerunt. Recte Clemens, lib. III *Pædagogi* : « Est disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse. Si quis enim seipsum norit, Deum cognoscit. » Hinc S. Augustinus, lib. II *Soliloq.* cap. I, ait brevissime ac perfectissime sic orari Deum : « Deus semper idem, noverim te, noverim me. » Et S. Franciscus : « Quis tu Domine? quis ego? » tu abyssus entis, boni, sapientiæ, virtutis, perfectionis et gloriæ : ego abyssus nihili, mali, ignorantiæ, vitiorum, miseriarum et vilitatis omnis. Vers. 9. Moraliter de cognitione sui.

E contrario Plato in *Philebo*, ignorantiam sui vocat genus improbitatis universæ; nam, ut idem ait in *Amatoribus*, nosse seipsum est absolute sapere, ab eoque omnis vitæ sapientia et justitia pendet. Xenophon, lib. IV *De Dictis Socratis*, ait eos qui se ignorant, neque ad regimen sui, neque ad familiæ aut reipublicæ gubernationem idoneos esse.

Quare prudenter monet S. Bernardus in *Meditation.* cap. V : Stude « cognoscere te, quia multo melior et laudabilior es, si te cognoscis, quam

(1) « Plerique Interpretes hunc locum ita explicant, *remittat unusquisque dominus crediti*, creditor, *manum suam; quod mutuum dederit proximo suo, non exigat a proximo suo*, etc. Quam interpretationem nostram facere nullo modo possumus. Ita enim quominus verba struas, impedit primum status constructus vocabuli משׁה; deinde accentus distinctivus major, voci ברעהו appositus; denique id, quod verbum נגשׁ vers. 3 significat *urgere* aliquem, non *exigere* aliquid ab aliquo cum gem. acc., quo significatu semel tantum legitur II *Reg.* XXIII, 25. Verba sic reddenda sunt, *remittat unusquisque dominus*, i. e. creditor, ut contextus orationis arguit, *mutuum manus suæ, quod mutuo dederit proximo suo; ne urgeat proximum suum sive fratrem suum*, i. e. populares suos, *quum indicta fuerit remissio Jovæ*, i. e. remissio in honorem Jovæ, vel quod magis placet, remissio quam Jova dari jussit..... *Mutuum manus suæ*, i. e. quod mutuo datum est a manu sua. » Hæc Maurer. Et Rosenmullerus : « Facile quisque intelligit, Mosen hic non jubere, ut septimo quoque anno creditores debitoribus suis nomina contracta prorsus remittant, neque unquam ea ab his exigant. Sed legislator tantum præcipit, ne septimo quoque anno qui erat sabbaticus, debita exigantur a pauperibus, qui eo anno, quo nullos ex agris proventus percipiebant, non erant solvendo; moram igitur his esse hoc anno concedendam. Sequenti autem, quo ad agrorum suorum culturam iterum redire poterant, utique licitum fuit, debita exigere. » Cf. Michaelis *Jus Mosaic.* P. III, § 157.

(2) Ita et Maurer, qui versiculi 4 membra sic connectit, *præterquam si nullus sit apud te egenus* : qualem vobis spem facio futurum non esse, *nam Jova te fortunabit*, etc.

si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, naturas hominum et animalium, et haberes omnium cœlestium et terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi, etsi non semper, vel sæpe, saltem interdum. »

NE DICAS, etc. APPROPINQUAT SEPTIMUS ANNUS, — *q. d.* Ne dicas : Instat septimus annus remissionis, si quid fratri mutuavero, aut credidero, non restituet mihi, sed instante anno septimo liber a debito erit; itaque non mutuabo, non credam ei. Hæc erat calliditas mutuo dantium, quæ hic vetatur. Poterat esse et calliditas mutuo aecipientium, si videlicet ipsi essent divites, et instante anno septimo peterent mutuum, ut anno septimo ejus restitutione liberarentur. Sed huic calliditati occurrendum erat, negando eis tale mutuum, dicendoque : Tu dives es, ergo mutuo non eges. Ita Abulensis.

NOLENS EI QUOD POSTULAT, MUTUUM COMMODARE,— id est, mutuum dare : nam si quis aliquid alteri accommodasset, sive commodato dedisset, id in specie anno septimo, æque ac aliis annis restituendum erat; erat enim alienum, ut dixi vers. 2. Ita Abulensis.

ET FIAT TIBI IN PECCATUM, — id est, et irascatur tibi Dominus, teque acriter puniat : « peccatum » ergo ponitur pro pœna peccati, metonymice. Ita Vatablus.

Vers. 10. 10. NEC AGES QUIPPIAM CALLIDE, — eo modo quo vers. 9 explicui.

Moraliter de cura pauperum. Moraliter, nota hic quam fuse et impense Deus Hebræis pauperum curam et opem commendet. Eamdem commendat Daniel Nabuchodonosori, *Daniel.* IV, 27, ut per eam peccata sua redimat. Sic Christus pauperes ad convivia vocari præcipit, *Lucæ* XIV, 13, et bona illis collata sibi largita esse asserit, *Matth.* XXV, 40, quodque illi recipient dantes sibi eleemosynam in æterna tabernacula, *Lucæ* XVI, 9. Unde et pauperes spiritu beatos esse pronuntiat, *Matth.* V, 3. Imo ipse pauper esse voluit; quare discipulo cuidam dixit : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. » Hinc et S. Petrus, Christum imitans, dicebat claudo : « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do : in nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula. » Et S. Paulus de se aliisque Apostolis dicebat : « Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, » I *Corinth.* IV, 11; et : « Scio et humiliari, scio et abundare; et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati, » *Philip.* IV, 12. Nazianzenus, orat. 16 *De pauperum amore* : « Nullus, inquit, cultus Deo perinde gratus est ut misericordia erga pauperes. Nam *primo*, Deus vult quosdam esse pauperes, ut nos infirmitatis nostræ submoneant. *Secundo*, pauperes juvandi sunt, quia fratres nostri sunt, tum naturæ, tum imaginis Dei in Christo renovatæ, tum fidei, spei, dilectionis et adoptionis divinæ, tum vitæ beatæ respectu. *Tertio*, quia ad Christum communem fratrem aspiramus. *Quarto*, quia cum nihil sit stabile in præsenti, de opibus per pauperes in tuto collocandis est cogitandum. *Quinto*, ob infinita hujus rei commoda, quæ ad tria revocari possunt, scilicet, ex malis præservatio, salutis certitudo, præviorum maxima fiducia. *Sexto*, quia Deus, qui innumera nobis contulit beneficia, jubet ut pauca fratribus largiamur. *Septimo*, nihil tam Deo proprium, quam misericordia et beneficentia; ille autem nobis imitandus est. *Octavo*, pauperes sub speciali cura et providentia Dei latent, teste Scriptura. *Nono*, quia in die judicii electi ob eleemosynas factas cœlo, reprobi ob eas neglectas inferno adjudicabuntur. »

S. Augustinus, si quando Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc populo annuntiabat, non habere se quod in pauperes erogaret : nam et vasa Dominica ob captivos et alios egentes frangi jussit, et in eos dispensari, inquit Possidonius in ejus Vita, cap. XXIV.

Placilla, Theodosii Imperatoris uxor, sua manu fovebat pauperes et infirmos; cumque nonnulli eam ab iis avocare vellent, respondit : « Aurum distribuere decet Imperatorem; ego autem pro ipso imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offerre debeo : » testis est Theodoretus, lib. V *Histor.* cap. XVIII.

Acacius, Amidæ Episcopus, ut pauperes Persas ad septem millia captivos redimeret, vasa sacra vendidit, dicens suis clericis : « Deus noster neque lancibus, neque poculis eget; quare convenit hæc in ejus milites afflictos dispertiri : » testis est Socrates, lib. VII, cap. XXI. Theophilus quoque : « Præstat, inquit, ægrotorum corpora, quæ verius Dei templa sunt, restaurare, quam templa lapidea ædificare. » Ita Sozomenus, lib. VIII, cap. XII.

12. IN SEPTIMO ANNO DIMITTES EUM LIBERUM, — computando scilicet annum septimum non a venditione servi, sed ab anno remissionis, qui status erat et communis omnibus. Vers. 12.

17. SERVIET TIBI USQUE IN ÆTERNUM, — id est, usque ad jubilæum, post quod aliud et novum quasi sæculum sequebatur. Patet ex dictis *Exodi* cap. XXI, vers. 6. Vers. 17.

ANCILLÆ SIMILITER FACIES, — scilicet dando ei viaticum, non autem perforando ei aurem, inquit Abulensis : nec enim habebatur ancilla Hebræa, ut serva, sed puber effecta, debebat aut duci in conjugem ab hero, vel ab heri filio, aut libera dimitti : quod si nollet, sed mallet manere in domo heri serva, perforabatur ei auris, ait Cajetanus, æque ut servo. Vide dicta *Exodi* XXI, 7.

Symbolice, servus et ancilla sunt ira et cupiditas : hæc tota annorum hebdomade, id est, tota vita, serviant, et subigantur rationi necesse est, usque ad sabbatum, sive septimum annum beatæ impatibilitatis; tum enim ira dimittetur quasi libera, quando transmutabitur in fervorem spi- Symbolice.

ritualem; et cupiditas convertetur in divinum amorem et voluptatem: ita Cyrillus in *Collectaneis ex Deuteronomio*.

Vers. 18. 18. NON AVERTAS AB EIS OCULOS TUOS, QUANDO DIMISERIS EOS LIBEROS. — Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, *non graveris in oculis tuis, cum dimittes eum*, id est, non erit tibi molestum dimittere servum, eumque juvare viatico.

Allegorice. Allegorice Cyrillus, lib. VII *De Adorat.* pag. 137 : Ante Christum, inquit, spiritu servitutis Israel constringebatur, legi punienti subjectus : at postquam anno septimo remissionis, scilicet tempore gratiæ, illuxit Emmanuel, libertate et adoptione filiorum donati sumus, dato viatico, videlicet corpore et sanguine Domini, in Eucharistia.

QUONIAM JUXTA MERCEDEM MERCENARII, PER SEX ANNOS SERVIVIT TIBI. — Chaldæus, Vatablus et alii recentiores vertunt, *quoniam duplici mercede mercenarii servivit tibi sex annis*. Quod Hebræi exponunt duplam dici servi mercedem, qui sex annos servus fuit, quia mercenarii apud Hebræos ad tres tantum annos operas suas locabant : servus vero hic sex annos serviebat, ergo in duplum serviebat, et merebatur.

Verum Septuaginta pro *duplici mercede*, vertunt ἐπίτιον μισθόν, id est, *annua mercede*, ut Hebræum משנה *misne* derivetur, non a שני *sceni*, id est secundus, sed a שנה *schana*, id est annus, *q. d.* Per sex annos, annua mercede tibi servivit : quod Noster æque pleno sensu vertit, *juxta mercedem mercenarii, per sex annos servivit tibi*. Sensus ergo est hic : servus per sex annos ut mercenarius tibi servivit, cui mercedem annuam quotannis persolvere debuisses, ipse vero nullam recepit per sex annos; æquum ergo est ut ejus loco, anno septimo, eum manumittas, cum aliqua annona ad viaticum (1).

Vers. 19. 19. NON OPERABERIS IN PRIMOGENITO BOVIS, — quia hic primogenitus Deo debetur, et iniquum est ut ex animali Dei, ejusque primitiis, tibi vel primas operas, vel lanam præcerpas.

ET NON TONDEBIS PRIMOGENITA OVIUM, — sed cum lana sua afferes ea ad sacerdotem, ut tam lanam, quam ovem des Deo, id est sacerdoti vice Dei.

Tropologice S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* XXXIV : « Moses, inquit, hic vitam inchoantium humanis occupationibus exerceri prohibuit : in primogenito quippe bovis operari, est bonæ conversationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere; ovium quippe primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. Cum ergo vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat. »

Vers. 20. 20. IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI COMEDES EA. — « Comedes, » tu scilicet, o sacerdos (2); est enim hic mutatio personæ : convertit enim Moses sermonem ab offerentibus ad sacerdotes, quorum erat comedere primogenita; nam ad hos solos illa spectabant, ut clare patet *Num.* XVIII, 17. Ita Abulensis. Porro jubet ea hic Deus comedi in loco sancto, puta in atrio templi, quia jusserat eadem sibi offerri in templo fuso eorum sanguine, et adipe concremato, uti fiebat in hostia pacifica, ut patet *Num.* XVIII, 17 : « Quia sanctificata, inquit, sunt Domino, sanguinem tantum eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino. » Post immolationem autem hostiæ pacificæ, carnes ejusdem ab offerentibus eodem loco, puta in atrio templi, comedi debebant; omnis enim victima, quia Deo sanctificata, in loco sancto comedi debebat, ut patet *Levit.* VI, 16, et cap. VII, vers. 6. Idipsum significat hæc lex et phrasis : « Epulaberis coram Domino, » id est, in atrio templi, scilicet ex hostiis pacificis cæterisque oblationibus. Unde ea identidem repetitur *Deuter.* XII, 12, et 18, et XIV, 26, et cap. XVI, vers. 11 et 14, et cap. XXVII, 7. Ubi dicitur : « Immolabis hostias pacificas, comedesque ibi et epulaberis coram Domino Deo tuo. » Igitur ob similitudinem primogenitorum cum hostia pacifica, simili modo jubet hic Deus ut sacerdotes, quibus jure divino cedebant primogenita, eadem offerrent Deo in templo, ac post oblationem eadem ibidem comederent, ut hæc comestio esset consummatio et complementum oblationis similis sacrificio pacifico. Sancit ergo Deus ea, quasi sancta, a sanctis sacerdotibus comedi in loco sancto, præsertim quia sacerdotes habitabant juxta templum, utpote perpetui ejus custodes et ministri : Levitæ vero per omnes Judææ urbes ad populum docendum dispersi erant. Ex dictis patet non recte Cajetanum primogenitum accipere improprie pro primitiis, et carnibus Deo separatis ad epulum sacrum.

Mystice vide Rabanum, qui totus hic, æque ac per reliquam S. Scripturam, mysticus et moralis est. Unde ex ipso magna ex parte conflata est Glossa ordinaria.

Vers. 21 et 22. 21 et 22. SIN AUTEM HABUERIT MACULAM, VEL CLAUDUM FUERIT, etc., NON IMMOLABITUR, etc. SED INTRA PORTAS URBIS TUÆ COMEDES ILLUD. — Si animal primogenitum esset claudum, cæcum, mancum, immolari non poterat, sed pretio sacerdotibus dato redimendum erat : tum a laicis quolibet loco comedi poterat. Ita Abulensis.

(1) Rectius Allioli : Duplicem mercedem mercenarii servivit tibi, hoc est, eamdem operam tibi navavit per sexennium, quam duo mercenarii navassent, et quod fecit, ad id præstandum duobus mercenariis opus fuisset. Nam durior est conditio servi quam mercenarii, et major ab eo labor exigitur.

(2) Rectius, ut videtur, alii per *primogenita*, de quibus vers. 19, ea intelligunt de quibus supra XII, 17, ut mutatio personæ inutilis sit vers. 20.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Refricat festum phase, et azymorum, et vers. 10, *festum pentecostes, et vers.* 13, *festum tabernaculorum, jubetque; vers.* 16, *ut iis omnis masculus compareat coram Domino in tabernaculo. Denique, vers.* 18, *judices per singulas urbes constitui jubet.*

1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias phase Domino Deo tuo : quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. 2. Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. 3. Non comedes in eo panem fermentatum : septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto; ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. 4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque mane. 5. Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; 6. sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi : immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. 7. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua. 8. Sex diebus comedes azyma; et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, 10. et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui; 11. et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi; 12. et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto, custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. 13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas : 14. et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. 15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus; benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum, in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus; 17. sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. 18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; ut judicent populum justo judicio, 19. nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. 20. Juste quod justum est persequeris, ut vivas et possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 21. Non plantabis locum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. 22. Nec facies tibi, neque constitues statuam : quæ odit Dominus Deus tuus.

Vers. 1. 1. OBSERVA MENSEM NOVARUM FRUGUM, — puta Nisan, sive martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ flavescere; illæ enim offerebantur in paschate, scilicet secundo die azy-

morum, ut patet *Levit.* II, 14, et *Levit.* XXIII, 10.

Vers. 2. 2. IMMOLABISQUE PHASE DOMINO, etc., DE OVIBUS ET DE BOBUS. — « Phase, » id est, victimas paschales, quæ in solemnitate paschali de ovibus et bobus offerri jubentur, *Num.* XXVII, 19; nam agnus paschalis non poterat commutari in bovem.

Perperam ergo Hebræi aliqui phase hic accipiunt pro agno paschali, putantque potuisse pro agno substitui vitulum, adduntque rationem, quia in amplis familiis agnus non suffecisset singulis. Verum respondeo : Agnus non erat ad satiandum singulos, sed ut ex eo singuli aliquam partem comederent, in memoriam liberationis ex Ægypto; præter agnum autem alios comedebant cibos, quibus se satiabant. Ita S. Augustinus hic, *Quæst.* XXIV. Vide dicta *Exodi* cap. XII, vers. 5 et 11.

UT HABITET NOMEN EJUS IBI, — ut illic colatur Deus, et invocetur nomine suo.

Vers. 3. 3. NON COMEDES IN EO (cum eo, scilicet phase) PANEM FERMENTATUM. — Totis enim septem diebus paschalibus comedebant panes azymos cum agno, et aliis sacrificiis et cibis, etiam communibus.

Azyma sunt panis afflictionis, cur? COMEDES AFFLICTIONIS PANEM. — Hebraice, *comedes azyma afflictionis panem,* id est indicem et monumentum afflictionis Ægyptiacæ, itemque festinationis et pavoris tui in egressu ex Ægypto, ut sequitur. *Secundo,* « panem afflictionis, » id est affligentem, quia azymus panis gustui insipidus, et stomacho onerosus est. Cajetanus vertit, *panem paupertatis,* et ita verti potest : pauperum enim est carere commoditate fermentandi panem, et uti pane subcinericio, qui azymus est, statimque fit et coquitur.

QUONIAM IN PAVORE (Chaldæus et Septuaginta, *in festinatione*) EGRESSUS ES DE ÆGYPTO, — *q. d.* Quia cum tanta trepidatione et festinatione egressus es de Ægypto, ut non habueris otium fermentandi panem : ad hujus rei memoriam comedes azyma in paschate.

Vers. 6. 6. IMMOLABIS PHASE (proprie dictum, puta agnum paschalem) VESPERE, QUANDO EGRESSI ESTIS, —quando vos comparastis ad egressum; τὸ enim *egressi* significat actum inchoatum. Vide dicta *Exodi* XII, 42. Posset *secundo,* τὸ *quando* referri ad festum Paschæ : nam hebraice est, *stato tempore* (videlicet Paschæ), *quando egressi estis.* Ita Vatablus.

Vers. 7. 7. VADES IN TABERNACULA TUA, — ad domos tuas, ad habitationem tuam.

Vers. 8. Non sex, sed septem diebus paschæ comedebant azyma. 8. SEX DIEBUS COMEDES AZYMA. — Hinc aliqui Judæi putarunt ex lege Dei tantum sex diebus præcepta fuisse azyma; verum septem diebus ea præcipi patet hic, vers. 4, et *Exodi* cap. XII, 19. Dico ergo : Sensus est, *q. d.* Sex diebus comedes azyma, sed non vacabis ab opere; septima vero die, præter azyma, etiam vacabis ab opere, quia est festum cœtus. Ita Lyranus.

QUIA COLLECTA EST, — quia festum est cœtus, quo scilicet populus in templo, gratias Deo acturus, antequam domum redeat, colligitur et adunatur. Vide dicta *Levit.* XXIII, 36.

Vers. 18. 18. JUDICES ET MAGISTROS CONSTITUES IN OMNIBUS PORTIS TUIS. — « Magistros, » id est præfectos, puta viros sapientes, qui quasi magistri et magistratus, præsint juri dicendo, ut sequitur : iidem ergo sunt judices et magistri, quia judices debent esse magistri. Ita Hebræa, Chaldæa et Vatablus. Hinc Plato censuit felices fore respublicas, si Philosophi eas regerent, aut qui eas regunt, philosopharentur (1).

Notá, « in portis, » id est in civitatibus; est synecdoche, uti et cap. seq., vers. 2. Ita Septuaginta et Chaldæa. Nominat portas, quia judicia in portis urbium agi solebant, ut liberius eo, quasi ad locum patentem et publicum, exteri causam suam acturi accederent.

Vers. 19. 19. NON ACCIPIES PERSONAM, NEC MUNERA : QUIA MUNERA EXCÆCANT OCULOS SAPIENTUM, ET MUTANT VERBA JUSTORUM. — Audiant hoc consiliarii et judices. Munerum enim hæc duo sunt mala, *primo,* ut mentem excæcent; *secundo,* ut linguam et sententiam pronuntiandam immutent; nam *primo,* inclinant affectum; *secundo,* affectus inclinat et obnubilat rationem et judicium; *tertio,* ratio inclinat sententiam in favorem ejus qui munera dedit. Vide dicta *Exodi* XXIII, 8.

Vers. 20. 20. NON PLANTABIS LUCUM, ET OMNEM ARBOREM JUXTA ALTARE, — ne videaris imitari sacros lucos Gentilium et idolorum, præsertim Priapi : sacra enim Priapi fiebant in lucis, ut obscœnitates ejus iis tegerentur : unde in hisce lucis omnem turpitudinem exercebant. Nota *omnem,* id est quamlibet; ita enim collectivum *omnis* apud Hebræos sæpe capitur pro distributivo *quilibet* (2).

Tropologice S. Gregorius, Præfat. *in Job,* epist. *ad Leandrum,* in fine : « Quæso, ait, ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras; quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosa loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. » Sic et Philo.

Vers. 21. 21. NEC FACIES TIBI, NEQUE CONSTITUES STATUAM, — scilicet, qualem Gentiles suis diis, vel idolis constituunt.

(1) Rectius, pro *magistros,* hebr. שטרים vertes *scribas,* quibus commissa erat tum cura tabularum genealogicarum, tum varia ministeria (gall. *fonctions administratives*).

(2) Recentiores vertunt, *ne erigito tibi simulacrum* (אשרה proprie *fortuna,* spec. *dea Fortuna,* id est *Astarte,* seu *stella Veneris ejusque simulacrum,* deinde etiam *simulacrum* in universum) *ex quocumque ligno.* De Wette tamen, veteres secutus, vertit, *ne plantato tibi lucum cujuscumque ligni.* Quibus interpretibus fraudi fuisse videtur verbum נטע, ad quod conf. *Dan.* II, 45. Ita Maurer.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus occidi idololatras, et causas legales dubias referri ad sacerdotes, eorumque decretis obediri sub pœna mortis. Secundo, vers. 14, jubet regem deligi ex ipsorum gente, utque is non multiplicet, primo equos, secundo uxores, tertio opes; quarto, ut describat legatque assidue Deuteronomium; quinto, ne superbe se efferat supra populum.

1. Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem, in quo est macula, aut quippiam vitii : quia abominatio est Domino Deo tuo. 2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, 3. ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli, quæ non præcepi; 4. et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel : 5. educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. 6. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. 7. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur : ut auferas malum de medio tui. 8. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. 9. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. 10. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te, 11. juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. 12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel; 13. cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. 14. Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; 15. eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. 16. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. 17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera. 18. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, 19. et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. 20. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus, super Israel.

Vers. 2. 2. INTRA UNAM PORTARUM, — id est, urbium. Similis synecdoche fuit cap. preced., vers. 18.

Vers. 3. 3. ADORENT OMNEM MILITIAM COELI, — id est, adorent quælibet astra, quæ sunt quasi milites Deo famulantes, et pro eo, cum opus est, depugnantes; vide dicta *Num.* IV, 3. Adorationis siderum causa fuit, *prima*, eorum lux et pulchritudo; *secunda*, quod influant in hæc inferiora, eaque vi- Causæ quatuor, cur Judæi ado-

rarint astra. vificent et vegetent; *tertia*, quod ea animata putarent; *quarta*, quod physici aliqui tradant hominem esse opus siderum : hominem enim, cum concipitur et generatur, a Sole sortiri spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove desiderium, a Venere cupiditatem, a Saturno humorem.

Vers. 6. 6. IN ORE DUORUM,—id est, ut Chaldæa, per dictum duorum aut trium testium reus convictus occidatur.

Vers. 7. 7. MANUS TESTIUM PRIMA INTERFICIET EUM. — Hebraice, *manus testium primo erit contra eum, ad interficiendum eum*, id est, primum in eum lapidem conjiciet.

Morale de vindicta apostasiæ. Moraliter, nota hic quantum crimen sit apostasia, quantumque Deus illud vindicet, et a nobis vindicari velit. Nota est pœna Luciferi, Adæ, Salomonis, Juliani. Audi nova.

Sub annum Domini 868, gens Bulgarorum ferox ac bellicosa, relictis idolis, abrenuntiatisque Gentilium superstitionibus, in Christum pro maxima parte credidit; et, abluta salutari baptismatis unda in religionem Christianam transiit. Ferunt autem de hujus gentis rege, quod tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam vivere cœperit, ut diebus, ornamentis regiis indutus coram populo procederet; noctibus vero, sacro vestitu latenter ecclesiam intrans, super pavimentum ipsius basilicæ, substrato tantum sibi cilicio, prostratus in oratione jaceret. Non post multum tempus divina inspiratione commotus, regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinavit in suum locum regem filium suum majorem natu, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis susceptio monachus effectus est, eleemosynis, vigiliis et orationibus diu noctuque intentus. Interea filius ejus, quem regem constituerat, longe a paterna intentione et operatione recedens, prædas cœpit exercere, ebrietatibus, comessationibus et libidinibus vacare, et omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum pater audivisset, nimio zelo accensus sacrum habitum deposuit, militiæ cingulum resumpsit, et cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus filium persecutus est, quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, et in carcerem misit; deinde convocato omni regno suo, filium juniorem regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta christianitate deviaret. His ita patratis, deposito cingulo, et resumpto sanctæ religionis habitu, in monasterium ingressus in sancta conversatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit. Ita Regino, lib. VI, et Martinus Polonus, lib. IV *Chronicorum*.

Anno Domini 870, Carlomannus, cum adhuc esset puerulus, jussu patris attonsus clericus effectus est : deinde procedente tempore ad diaconatus officium, quamvis invitus atque coactus in præsentia genitoris ordinatus est, legitque publice Evangelium, et Pontifici Missam celebranti juxta morem ministravit. Post hæc in apostasia recedens ab Ecclesiastica religione, abjiciens ac spernens negligenter gratiam, quæ ei data erat per impositionem manus, alter Julianus efficitur. Collecta quippe prædonum non modica turba, ecclesias Dei cœpit devastare, ea quæ pacis sunt impugnare, cuncta deripere, et mala inaudita perpetrare. Pro quibus cum crebro a patre correptus fuisset, nec tamen ullatenus accepta pravitas cessaret, novissime ex præcepto patris ei oculi eruuntur, justo Dei judicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Christus est, a suo pectore effugaverat : in tenebras exteriores missus, qui interioribus sua sponte se tradiderat. Orbatusque Ludovicum avunculum suum adiit, miseriarum et calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miseratione motus, Absternacum monasterium S. Willebrordi ei ad subsidium vitæ præsentis concessit, ubi non multo post tempore mortuus est et sepultus. Ita Regino, lib. II *Chronic.*, anno 870. Audi et Sanctos nutantes in re levi punitos.

Catharina Suedica, dum cum matre Romæ esset, jussa est aliquando ob impiorum nequitias domi manere, tantisper dum mater ad stationes et Indulgentias abiret. Interim adest Satan, et acerbas in ejus animum cœpit cogitationes immittere, tanquam aliis suarum animarum lucra captantibus, ipsa instar bruti animantis ab omnibus spiritualibus bonis arceretur. Addebat his ejus cognatos, fratres et sorores in patria cum summa tranquillitate servire Deo, ipsam vero miseram ducere vitam : præstare igitur ne in lucem quidem editam fuisse, quam id genus inertem vitam ducere. Erat hæc in animo sanctæ virginis tentatio vehemens, adeoque eam mœrore et perturbatione oppleverat, ut matre illius revertente et serio præcipiente, ut tanti mœroris causam ediceret, simpliciter responderet se loqui non posse. Et certe jam plane instar mortuæ facies ejus expalluerat, oculi transversi erant : in tantum molestus erat dæmon id genus importunissimis ingerendis cogitationibus. Porro nocte proxima in somnis visa est sibi videre totum mundum quasi inflammatum, seque in medio ignis positam in parva quadam planitie, planeque desperantem ab illis se posse flammis eripi : tum vero apparentem ipsi beatissimam Mariam Virginem, quam his verbis deprecabatur : Adjuva me, charissima Domina mea; illam vero respondentem : Et qua te possum ratione juvare, quæ tanto patriæ teneris desiderio, oblita sponsionis tuæ, et neque Deo, neque mihi, neque matri tuæ, neque patri spirituali obediens; se vero offerentem ad omnia exsequenda, quæ juberet Dei mater; atque tum demum Dei genitricem dicentem : Obedias igitur matri tuæ, et patri spirituali. Expergefacta inde Catharina matrem cum omni

humilitate celeriter adiit, veniam suæ inconstantiæ petiit, promisitque se deinceps ad mortem usque libenter in exilio cum ipsa permansuram. Ita habet Vita S. Catharinæ, cap. VI, quæ exstat apud Surium, 22 martii.

Vers. 8. 8. SI DIFFICILE ET AMBIGUUM APUD TE JUDICIUM ESSE PERSPEXERIS INTER SANGUINEM ET SANGUINEM. — *Sanguis vocatur homicidium, metonymice.* « Sanguis » hic metonymice vocatur homicidium, *q. d.* Si ambiguum sit homicidium, id est homicidii qualitas, aliis asserentibus illud esse voluntarium sive destinatum, ideoque morte puniendum; aliis vero excusantibus, quod casu vel ignoranter admissum sit, ideoque homicidæ esse jus asyli, in civitatibus refugii. Ita Lyranus, Abulensis et alii. Sic inter *causam et causam*, id est, si causa et lis sit ambigua, aliis dicentibus esse justam, aliis esse injustam; sic inter *lepram et lepram* (ita enim legendum est cum Romanis, Hebræis, Chaldæis et Græcis, non autem inter *lepram et non lepram*, uti legunt Plantiniana), scilicet aliis asserentibus esse lepram mundam vel mundissimam, quæ hominem a sacris non arcet; aliis vero dicentibus esse lepram immundam, et arcentem a sacris.

Nota : Legales causæ et quæstiones erant duplices : scilicet *primo*, erant sacræ et cæremoniales, uti quæstio de fide, religione et cæremoniis : talis erat controversia de lepra : hæ spectabant ad sacerdotes, uti per se patet; *secundo*, erant judiciales, uti de sanguine et homicidio : hæ spectabant ad magistratum laicum, et in singulis urbibus erant judices, ad eas judicandas constituti, uti dictum est cap. præced., vers. 18; qui si non possent litem dirimere, tenebantur eam deferre Hierosolymam ad sacerdotes et ad pontificem, qui eam definiebat. Omnia enim hæc ex lege vel judiciali vel cæremoniali definienda erant; legis autem interpres erat pontifex, de quo mox plura: unde sequitur pontificem fuisse tum summum judicem controversiarum, etiam legalium.

Pontifex olim erat summus judex controversiarum, etiam legalium.

ASCENDE AD LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS, — ascende in Jerusalem, ubi est templum, in quo habitat Dominus. Ita Abulensis. Voluit Deus supremam auctoritatem judicii esse in loco tabernaculi vel templi, quia hic locus erat Dei, id est divinæ præsidentiæ. Deus ergo præsidens in templo illuminabat et dirigebat sacerdotes et judices inibi commorantes, ne errarent in judicio, sed justam, æquam et veram sententiam pronuntiarent. Rursum justitia est res sancta et inviolabilis: hinc Deus judices voluit residere in loco sacro. Architas dicebat judicem esse aram; ad utrumque enim confugiunt qui injuria afficiuntur, significans judices tales esse debere, qui oppressis sint præsidio, et instar sacri asyli : testis est Aristoteles, lib. III *Rhetor.*

Hierosolymæ erat summum tribunal, cur ?

Vers. 9. 9. VENIESQUE AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, ET AD JUDICEM. — Aliqui, ut Lyranus et Sigonius, lib. VI *De Republ. Hebræorum*, cap. VII, hæc divisim accipiunt, *q. d.* Si dubium sit de rebus sacris, consule sacerdotes; sin de civilibus, consule judicem sæcularem, ut τὸ *et* capiatur pro *aut*. Verum hoc dici nequit, quia non divisim, sed simpliciter et absolute vult Deus hic recurri ad sacerdotes, in omnibus causis dubiis, quæ ex lege divina decidi debent. Legis enim interpretatio pertinebat ad sacerdotes, et maxime ad pontificem, qui erat hierarcha et princeps sacerdotum; hoc enim est quod subdit : « Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus. »

Lyranus putat in sacris judices fuisse sacerdotes, in civilibus laicos. Refellitur. Primo.

Secundo, quia sacerdotes fuisse judices, non tantum in causis sacris, sed etiam civilibus, imo in causa homicidii, diserte docet Ezechiel, cap. XLIV, vers. 24. Idem patet hic, cap. XXI, 5, ubi agens Moses de homicidio occulto, ait : « Accedant ad sacerdotes, etc., et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est, judicetur. » Idem docet Josephus, lib. II *Contra Apionem*, cum ait : « Sacerdotes inspectores omnium, judices controversiarum, et punitores damnatorum constituti sunt a Mose. » Et Philo, lib. III *De vita Mosis*, docet Mosen ex consilio sacerdotum qui de more ei assidebant, damnasse ad mortem hominem colligentem ligna in sabbato; de quo *Numer.* XV, 35. Imo Abulensis docet summum Pontificem vocari hic judicem, eo quod ipse solus in concilio, audito aliorum judicio, proferre soleret sententiam mortis. Ita Caiphas in concilio tulit sententiam mortis in Christum, *Joan.* XI, 50. Ita Ananias pontifex in concilio præcepit percuti Paulum, *Act.* XXIII, 2. Ita Ananus pontifex Jacobum fratrem Domini in concilio mortis reum peregit, teste Josepho, lib. XX, cap. VIII. Ita alius pontifex S. Matthiam, quasi blasphemum, in concilio morti adjudicavit, dicens : « Scriptum est : Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, » si credimus actis S. Matthiæ.

Secundo. Sacerdotes erant judices in causis, etiam criminalibus.

Ita Caiphas condemnavit Christum, Ananias Paulum, Ananus Jacobum.

Tertio, quia vers. 12 expresse dicitur : « Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, etc., morietur; » hoc ergo imperium erat sententia judicialis et definitiva pontificis.

Tertio.

Pari modo apud Gentiles, communi ac naturali consensu, cuncta sacerdotum arbitrio regebantur, etiam quæ ad politicum spectabant imperium, ut de Æthiopibus testatur Strabo, lib. XVII *De Ægyptiis*, Ælianus, lib. XIV *Variarum histor.* cap. XXXIV; de Persis eorumque Magis, Eusebius in *Chronolog.*, Agathias, lib. II, et alii; de Atheniensibus et Areopagitis, Josephus, lib. XIV *Antiquit.* cap. XIX; de Gallis et Druidis, Cæsar, lib. VI *De Bello Gall.*; de Romanis et eorum auguribus, Cicero, lib. II *De Legibus*, et alii. Si igitur (quod Socrates apud Xenophontem, lib. IV *De dictis Socratis*, dicit) quod ab omnibus gentibus observatum est, id non nisi a Deo sancitum esse, dicendum est, profecto etiamsi nulla de his in divinis Scripturis lex appareret, tamen sacerdotum judiciaria potestas, divino instinctu et jure concessa, ex dictis jam satis probata haberetur. Hinc et initio

Gentilium politia a sacerdotibus regebatur. Exempla.

Episcopi olim erant judices in causis, etiam civilibus.

Ecclesiæ, Episcopi erant judices causarum, etiam civilium, quæ inter Christianos agitabantur, uti dixi I *Corinth.* VI, 5.

Dico ergo : Sancit hic Deus ut minores judices oppidorum in causis tam sacris quam politicis, puta in dubiis, non tam facti quam juris et legis divinæ, recurrant ad sacerdotes et ad pontificem, qui legis sententiam et mentem explicantes, secundum eam causam decidant. Leges enim non tantum cæremoniales, sed et judiciales, quæ justam reipublicæ et politiæ gubernationem spectabant, a Deo erant præscriptæ, et hisce sacris libris consignatæ, quarum proinde explicatio ad sacerdotes pertinebat.

In dubiis juris pontifex erat judex apud Hebræos cur ?

Non in dubiis facti aut mere civilibus.

Secus erat in causis et dubiis facti, aut mere civilibus, puta talibus, quæ non ex lege Dei, sed ex jure, vel naturæ vel positivo humano et rationali resolvi debebant ; in his enim non opus erat consulere sacerdotes (poterant tamen, et sæpe de facto eos consulebant), sed vel sapientes, vel judices et principes sæculares, qualis fuit Othoniel, Gedeon, Jephte, etc.

Judex sæcularis debebat sequi et exequi sententiam pontificis.

Hinc sequitur per judicem hic vel intelligi pontificem, ut vult Vatablus, sive ejus vicarium, ut vult Abulensis ; vel potius (ut colligitur ex vers. 12) judicem sæcularem, inquit Cajetanus, Lyranus, Sigonius et Oleaster, qui debebat sequi sententiam sacerdotum et pontificis, ejusque tantum erat approbator et executor : unde hic junctim dicitur : « Venies ad sacerdotes et ad judicem, » quasi unum idemque sit judicium sacerdotum et judicis ; et quia alioqui potuisset judex discrepare a sententia sacerdotum, itaque litigantes judicis sententiam sequi potuissent, relicta sententia sacerdotum et pontificis, quod tamen hic vetatur. Rursum, dissidentibus inter se pontifice et judice, quod facile et proclive erat, lis terminari et decidi non potuisset. Tales judices laicos, puta principes familiarum, sacerdotibus in judicando adjunxit Josaphat rex, ut patet II *Paralip.* XIX, 8. Excipio Samuelem, et si qui alii fuerunt judices simul et prophetæ. Hi enim ex dono prophetiæ regebant et judicabant populum, unde non egebant concilio sacerdotum.

Hebræi hic intelligunt concilium Sanhedrim ; quodnam hoc ?

Unde Hebræi hunc versum referunt ad concilium Sanhedrim, quod erat summum, instar parlamenti, et judicabat de rege, lege et propheta, ad illudque erat ultima appellatio. Porro Sanhedrim constabat septuaginta viris, qui tam ex sacerdotibus quam ex primariis viris cujusque tribus assumebantur, quasi illi hic intelligantur per τὸ *judicem,* id est judices, ut vertit Chaldæus, *q. d.* Venies ad sacerdotes et ad judices, id est ad concilium Sanhedrim, in quo sunt sacerdotes et judices sæculares, quibus omnibus præest summus Pontifex. Vide Sigonium, lib. VI *De Republ. Hebræorum,* cap. VII.

Vers. 10. Ex scientia legis,

10. ET FACIES QUODCUMQUE DIXERINT QUI PRÆSUNT LOCO QUEM ELEGERIT DOMINUS. — Hebraice est, *et facies super os verbi, quod annuntiabunt tibi ex eo loco quem eliget Jehova.* Quod Cajetanus sic accipit, quasi hic in ambiguis jubeat lex consulere oraculum Dei, residentis in propitiatorio. Verum sequentia significant, non ad oraculum, sed ad scientiam et interpretationem sacerdotum hæc pertinere ; sequitur enim : « Et docuerint te juxta legem ejus. » Fateor tamen, si dubia hæc pontifices ex lege et ex scientia sua resolvere non possent, recurrisse et consuluisse oraculum Dei, ut patet *Numer.* XXVII, 21.

non ex oraculo, dubia definiebat pontifex.

Vers. 10 et 11. Absolute, non conditionate, standum erat sententiæ pontificis.

10 et 11. ET DOCUERINT TE JUXTA LEGEM EJUS. — Non quasi hac conditione acquiescendum sit sacerdotum judicio ; si videlicet illud litiganti vel alteri cuipiam videatur esse juxta legem Dei : ita enim frustraneum et evanidum esset hoc eorum judicium, frustraque ad eos recurri juberet Deus. Semper enim pars damnata a sacerdotibus excipere potuisset, eos non judicasse secundum legem, ab eisque appellasset ad ipsam legem, ac consequenter debuisset ulterior constitui judex et censor, qui judicaret an sacerdotes recte secundum legem judicassent, necne. Rursum, de hoc censore dubitari potuisset an veram tulisset censuram, ac consequenter illa ab alio iterum, et hæc rursum ab alio, et hæc denuo ab alio et alio examinari debuisset ; itaque fuisset hic appellatio et progressio in infinitum, causæque mansissent indecisæ, ac lites fuissent æternæ et immortales.

Assertive ergo hæc verba accipienda sunt, *q. d.* Subditi acquiescere debent, et præsupponere sacerdotum et pontificis judicium datum esse juxta legem Dei ; nam, ut ait Malachias, cap. II, vers. 7 : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est ; » intellige, nisi manifeste cernatur contrarium, scilicet quod pontifex expresse contra legem judicet, legemque pervertat ; tum enim non illi, sed legi Dei obediendum erat. Patet hic sensus ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, qui sic habent : *Facies quod docuerint ad os legis* (id est juxta legem, ex lege) *quam docuerint te, et juxta judicium quod dixerint tibi, facies.*

Vers. 12.

12. NOLENS OBEDIRE SACERDOTIS (pontificis) IMPERIO, QUI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO, — qui scilicet eo tempore fungitur pontificatu.

EX DECRETO JUDICIS MORIETUR. — Pro *ex,* corrige *et,* uti corrigunt Romana ; Hebræa vero, Chaldæa et Græca pro *et* habent *aut, q. d.* Qui noluerit obedire pontificis imperio, aut decreto judicis, morietur : unde Lyranus ex hoc loco probat hæc disjunctim debere accipi, *q. d.* Qui non vult, vel pontificis sententiæ in re sacra, vel judicis laici decreto in re civili, obedire, hic morte plectatur, sine alia causa aut quæstione. Verum hunc sensum superius refutavi.

Aut pro *et.*

Dico ergo τὸ *aut,* quod est in Hebræo, capi pro *et,* tam hic quam alibi, ut *Proverb.* XXX, 31 ; *Levit.* IV, 23 et 28 ; *Numer.* XXV, 6. Hæc enim verba respondent et referenda sunt ad vers. 9 : quos enim ibi jubet adiri, hic jubet audiri eisque obediri ;

vers. autem 9 sic ait : « Veniesque ad sacerdotes et ad judicem, » ubi omnes codices Hebræi, Græci et Latini habent *et*, non *aut* : ergo τὸ *aut*, quod hic est in Hebræo, pariter pro *et* accipi debet, *q. d.* Qui non vult obedire pontificis sive judicis decreto, moriatur; idem enim erat judicium pontificis et judicis, vel quia idem erat tunc pontifex et judex, ut vult Vatablus et Abulensis; vel quia judex sæcularis sententiam suam conformare tenebatur sententiæ et decreto sacerdotum et pontificis, illudque sequi et exsequi debebat, uti dixi vers. 9.

Idem erat judicium pontificis et judicis.

Vers. 15. 15. DE NUMERO FRATRUM, — puta de gente tua, de Hebræis (1).

Vers. 16. 16. NON MULTIPLICABIT SIBI EQUOS, — tum ne in bello confidat in multitudine et fortitudine equorum, quia « fallax est equus ad salutem, et in abundantia virtutis suæ non salvabitur, » *Psalm.* XXXII; tum ne erigatur in superbiam, magnoque fastu et pompa incedat, itaque populo dominari velit, eique gravia onera et tributa, ad suam pompam sustinendam, imponat, uti fecit et peccavit Salomon, qui habuit 40 millia equorum in stabulis, et curruum equitumque 12 millia. Unde multi et merito metuunt saluti Salomonis, putantque eum esse damnatum; videtur enim Deus illi gloriam terrenam concessisse, ut privaret eum gloria cœlesti et æterna. Notent hoc reges et principes.

Ita Alphonsus Aragonum rex pompam perosus, sine stipatorum manu et comitantium turba incedebat; cumque hoc alii carperent, suaderentque ut more aliorum principum stipatus graderetur, respondit : « Ego minime solus, ut vos putatis, sed innocentia associatus vado, neque est quod, benevolentia civium fretus, extimescam. » Ita Agesilaus sine pompa incedebat, dicens majestatem et gloriam prudentia et virtute esse parandam; et rogatus quomodo princeps absque stipatoribus possit esse tutus, respondit : « Si subditis ita imperet, ut pater filiis. »

Judæis non equi, sed equorum copia fuit vetita.

Hinc aliqui putant Judæis vetitum fuisse equorum usum; unde Oriolanus in notis ad librum *Machab.* opinatur Judæos nunquam usos esse equis, sed asinis. Verum verius est, non equos, sed tantum equorum copiam, Judæis fuisse vetitam, tum hic, tum *Psalm.* LXXV, 7, et *Isaiæ* II, 8, uti ibi diserte docent S. Hieronymus, Procopius, Basilius. Hinc pii reges et principes Judæorum, in bellis fere peditatu, vix equitatu sunt usi, uti patet in Machabæis : impii autem reges magno equitatu sunt usi, uti patet de Joram, II *Paral.* cap. XXI, vers. 9.

NEC REDUCET POPULUM IN ÆGYPTUM, EQUITATUS NUMERO SUBLEVATUS, — ut scilicet bellum inferat Ægyptiis, velitque Ægyptum occupare. Hebræa habent, *non reverti faciet populum in Ægyptum, ut multiplicet equos*, id est, ut multos equos sibi in Ægypto coemat, inquit Vatablus, Cajetanus et alii. Verum ad hoc non erat necesse reducere populum in Ægyptum, sed sufficiebat duos tresve mercatores eo mittere, ad equos coemendos : quare solerter noster Interpres τὸ *ut multiplicet equos*, ita accepit, quasi dicat : Ut multiplicando equos, et equitatus numero sublevatus et superbiens, audeat invadere Ægyptum, eoque populum reducat (2).

(1) Legem hanc de electione regis, non a Mose datam videri, sed a sacerdotibus, legum ac traditionum Mosaicarum statoribus, post Salomonis ætatem additam, censet de Wette, sed absque idonea ratione. Digna sunt, quæ in legem hanc regiam monuit Herbst in *Observat. de Pentateuchi 4 libror. poster. auctore et editore* : « Ex formula, inquit, *cum ingressus fueris, dabit tibi, habitaveris*, illis legibus communi, quæ res Hebræorum post occupatam Palæstinam respiciunt, patet, legem hanc datam esse, dum adhuc in castris detineretur legislator. Ex verbis autem, *si dixeris* (cogitaveris), *constituam super regem, sicut habent*, etc. patet, illum qui hanc dedit legem, rem supposuisse, *quam nunquam fieri exoptabat*, et præmonuisse, quid fieri oporteret, si id contingeret, quod, *ne contingeret*, metuebat. Non comprobatur a legislatore regia potestas, sed cavetur, ne id, quod prohiberi non amplius poterat, damno esset. Quem autem magis hæc lex salubriter præmonens decuit, quam Mosen, qui in omnibus quæ præceperat, clarissima summæ mentis suæ providæ edidit specimina, qui ipse in aula regia in virum adultus noverat despotismum, et quæ in res subditorum inde redundare solent mala. Moses, qui gentis suæ mentem mobilem, et indomitum sane pruritum, exterarum gentium mores consuetudinesque æmulandi noverat, suspicari et prævidere poterat, Israelitas rege invisibili, per sacerdotes tantum et Levitas adeundo, non contentos, sed regem petituros fore, quem oculis suis cernere, quem precibus suis adire, quem exercitibus præficere, quem regio splendore induere possent. Sane qui minus providens est animus, hæc prævidere potuit. Jam cum hanc rem prohibere non posset, concessit eam, legislatoris prudentis instar, qui cum legem quamdam non observatum iri scit, satius ducit eam tollere, quam cæterarum auctoritatem infringere, certisque eam coercuit limitibus, ne, si contigerit, exitio foret genti Hebraicæ. Samuel ergo precibus Hebræorum regem petentium non ideo restitit, *quod hæc lex non nota*, vel Theocratiæ Mosaicæ contraria erat potestas regia, sed quia sciebat, Mosen tantummodo concessisse, ut majora inhibeantur mala. Tandem precibus annuit, quod lege jam Moses abusum præcidisset. »

(2) Hebræa tamen aptiorem dant sensum. Cf. I *Reg.* X, 28, 29. Aliam præterea hujus legis rationem affert Michaelis, cujus summa huc redit : Veritus videtur Moses, ne equorum alendorum studio, terræque Gessenitiæ pulchritudine ac vicinitate illectus rex, hanc tanquam avitam Israelitarum possessionem armis repeteret, suaque regna, coloniam in eam deducturus, adaugeret. Nolebat autem Moses, veteris hospitii memor, hanc Ægyptiis inferri injuriam : prævidebat fortasse etiam, damnosam hanc Palæstinæ regibus regionem fore, quippe ex qua perpetua cum præpotentibus Ægypti regibus bella subnasci necesse esset. Quæ cum ita essent, non solum Moses populum in Ægyptum reduci vetuit, sed et illecebras reditus abesse voluit, nimiaque equorum copia regibus interdixit, ne eorum alendorum studio sibi provinciam populoque suo patriam optaret Gessenitidem. Fuisse enim equorum in Ægypto mirabilem abundantiam, jam apparet ex II *Paral.* XIII, 3; I *Reg.* X, 29. Neque tamen omnem equorum usum Moses prohibuit, sed et noluit

Legimus de Platone, in ejus apophthegmatibus, quod cum aliquando equum conscendisset, mox descenderit, dicens *vereri se μὴ ἱπποτυφίᾳ λήφθῃ*, id est, *ne equestri fastu corriperetur*. Superbum enim animal est equus, et equitare quiddam habet altum et magnificum. Hac ergo fastus causa noluit Deus regem sui populi multiplicare equos; sed dicere cum Davide, *Psalm.* XIX, 8 : « Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. »

PRÆSERTIM CUM DOMINUS PRÆCEPERIT VOBIS, UT NEQUAQUAM PER EAMDEM VIAM REVERTAMINI. — Quando et ubi Dominus hoc præceperit, nusquam est scriptum. Præcepit autem ne per eamdem viam, illam scilicet quæ ducit in Ægyptum, reverterentur, partim quia Hebræi proni erant ad vitia et mores Ægyptios; partim ne Ægyptum videntes fertilem, ex Nili inundatione, parvi penderent liberationem Dei, qui eos inde e miserrima servitute eduxerat.

Vers. 17. 17. NON HABEBIT UXORES PLURIMAS, QUÆ ALLICIANT ANIMUM EJUS. — Hebraice est, *ut non recedat cor ejus*, scilicet a lege Dei. Hinc intelligimus, ait S. Augustinus, *Quæst.* XXVI, et Rabanus, tunc permissum fuisse regibus, ut plures haberent uxores, quam unam, uti habuit David; non autem multas, uti habuit Salomon, idque ne multiplicando eas, pervenirent tandem ad alienigenas, quæ eos ad idola deducerent, uti contigit Salomoni. *Secundo*, ne populus reges suos imitans in luxum et libidines diffluerent; nam regis ad exemplum totus componitur orbis, et ut Pindarus ait : Rex est ingenium et mores omnium. Et alius : Rex est cor populi.

Sic Convallo pio apud Scotos regnante, mire floruit apud eos religio et probitas : ita ut S. Columbanus ad eam videndam, ex Hibernia in Scotiam trajecerit, ac rediens rogatus quænam ibidem vidisset miracula, responderit : « Vidi unum instar omnium, regem videlicet Convallum, qui in mediis deliciis et peccatorum incitamentis, cum Monachis et Episcopis de sanctimonia contendit; qua de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de rege ipso hiscere sinistri quippiam audeant. Unde effectum est, ut plus regis virtus ferocem populum a solitis flagitiis et seditionibus, quam ejusdem auctoritas coerceat. » Ita refert Hector Boethius, *Hist. Scotiæ*, lib. IX.

Alphonsus Aragonum rex, cum sui de regum muniis, deque eorum et regnorum felicitate disceptarent, dixit : Optime eam S. Augustinus hisce verbis expressit : « Reges felices erunt et regna, si *primo*, juste imperent; *secundo*, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur, sed se homines esse meminerint; *tertio*, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestatis ejus famulam faciunt; *quarto*, si Deum timent, diligunt et colunt; *quinto*, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; *sexto*, si tardius vindicant, facile ignoscunt; *septimo*, si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; *octavo*, si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; *nono*, si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant; *decimo*, si luxuria tanto est castigatior, quanto posset esse liberior; *undecimo*, si malunt cupiditatibus quam quibuslibet gentibus imperare; *duodecimo*, si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; *decimo tertio*, si pro suis peccatis, humilitatis, et miserationis, et orationis sacrificium, Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Reges et Imperatores dicemus esse felices, item et eorum regna. » Ita Panormitanus in Vita Alphonsi.

NEQUE ARGENTI ET AURI IMMENSA PONDERA. — Ne scilicet rex ex cupiditate auri et opum spoliet subditos, et ne ex opibus in fastum et luxum diffluat : in quo etiam peccavit Salomon, nimiis tributis premens populum ad suum luxum, III *Reg.* XII, 4. Audiant eum reges confitentem suam vanitatem : « Coacervavi, inquit, mihi argentum et aurum, et substantiam regum atque provinciarum, » etc. cumque me vertissem ad universa, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. » *Eccle.* II, 8 et 11.

Trajanus Imperator fiscum suum vocabat lienem, eo quod ejus nimium augmentum, subditorum et populi, a quo pecunia fisci exigitur, sit detrimentum : crescente enim et intumescente liene, cæteri artus et membra tabescunt. Trajanus ait fiscum esse lienem.

Vers. 18. 18. DESCRIBET (describi curabit) SIBI DEUTERONOMIUM, etc. LEGETQUE ILLUD OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ. — Non quod continue vel quotidie illud legere teneatur; sed toties legat, ut memor sit eorum quæ in Deuteronomio scripta sunt.

Vers. 19. 19. UT DISCAT TIMERE DOMINUM. — Hunc enim Dei timorem magis inculcat Deuteronomium quam Exodus, vel Leviticus; est enim Deuteronomium ardens et perpetua concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei. Ita Abulensis.

Notent et hoc principes. Peccarunt in hac re reges Juda, ideoque regnum perdiderunt : unde Helcias, abjectum in angulo inveniens Deutero- Vera religio est basis imperii.

magnos equorum greges a regibus pasci, et ingentem bello ali equitatum, cujus exigua in Palæstima defendenda utilitas fuisset. Ad vecturas autem quod attinet, rarior in Palæstina montibus vallibusque præcipitibus abrupta, equorum usus, frequentior asinorum, quorum et magnos greges Israelitarum majores pascere consueverant. Antiquam hanc atque a patribus acceptam vecturæ rationem a posteris etiam servari voluit legislator, Palæstinæ aptam, Ægypto ineptam, ut ipso œconomiæ et vitæ genere in Palæstina populum retineret.

nomíum, attulit illud ad Josiam, qui magna religione illud excepit, legit et adimplevit, itaque rempublicam Hebræorum cum religione restituit, ut patet IV *Reg.* XXII et seq.

E contrario Jeroboam, Baasa, Jehu aliique reges Israel imperium quod a Deo acceperant, ob neglectam Dei veri religionem, mox perdiderunt, et ultra tertium vel quartum hæredem non propagarunt. Ita Constantinus Imperator dicebat : « Romani Imperii dignitas et amplitudo fontem atque radicem habet veram pietatem. » Ita regnarunt feliciter pii et religiosi principes Christiani, Theodosius, Marcianus, Justinus, Justinianus et alii; infeliciter vero regnarunt infideles et impii, Constantius, Julianus, Valens et alii plurimi.

Audi quid de uno Valente scribat Nicephorus, lib. XI, cap. L. Cum Valens contra Gothos Constantinopoli egrederetur, accurrit Isaacius eremita, et freno equi illius arrepto dixit : « Quonam, o imperator, proficisceris, qui adversus Deum bella geris, neque tecum illius opem trahis? ille contra te Barbaros excitavit, quia tu impiorum hominum linguas exacuisti : redde igitur Orthodoxis ecclesias, quas eis ademisti, et victor evades : si id nolueris, experieris quam sit durum contra stimulum calcitrare, et impotentem linguam in cœlum tollere ; neque enim ipse redibis, et perdes quas tecum ducis copias. » Valens ira æstuans : Ego vero, inquit, redibo victor, et dignas a te temeritatis tuæ sumam pœnas, tuamque prædictionem falsam esse ostendam. Et confestim comprehendi hominem, et in custodia asservari, donec rediret, jussit. At ille abductus vociferabatur : « Eneca etiam, si mendacia esse deprehenderis verba mea. » Paulo post Valens cum suo exercitu fœde periit, ipseque fugiens ad paludes, in casa a Gothis concrematus est.

Porro pii et boni principis effigiem describit David, *Psalm.* LXXI et C. Item S. Scriptura in Davide II *Regum* VII, in Salomone, Asa, Josaphat, Ezechia et Josia in libris *Regum*. Mira vero fuit vox Constantini Imperatoris, qui Episcopis sui sæculi dicebat : « Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam a Deo Episcopus constitutus sum, » uti refert Eusebius, lib. IV *Vitæ ejus*, cap. XXIV. Pater vero ejus Constantius Imperator Christianos, qui semper libere fidem professi essent, stipatores suos et regni custodes, apostatis omnibus et profanis ejectis, constituit : inquiens tales in præcipuis et fidis amicis habendos, plurisque quam ingentes thesauros æstimandos esse. Ita Eusebius, lib. I *Vitæ Constant.* cap. XI.

Denique Justinus Imperator creans Tiberium Cæsarem, eumque purpura investiens, dixit ei : « Honora Deum et Ecclesiam ejus, olim heram et dominam, nunc vero matrem tuam; nosce quis antea fueris, et quis hodie factus sis : pauperes imprimis dilige, et eleemosynæ apud te non deficiant. » Ita Nicephorus, lib. XVII, cap. XL.

Vers. 20. 20. NEC ELEVETUR COR EJUS IN SUPERBIAM, SUPER FRATRES SUOS, — scilicet super gentem suam, super Hebræos, *q. d.* Hebræi ex gente et genere, sunt fratres regis : ergo supra eos insolenter non se efferat rex, ut putet illos legibus Deuteronomii teneri, se vero supra illas esse; unde sequitur : « Neque declinet in partem dexteram vel sinistram, » scilicet a præcepto, ut habent Hebræa; sed recta legis via incedat : itaque a Deo assequetur præmium, « ut longo tempore regnet ipse et filii ejus. » Talis rex et regum exemplar fuit Josaphat, de quo Damascenus in Vita Barlaam et Josaphat ita scribit : « Illud exploratum habebat, omnium regiorum munerum hoc primum et præstantissimum esse, ut homines ad Dei metum, ac justitiæ cultum erudiat; quod etiam ipse faciebat, seipsum videlicet ad imperio tenendas animi perturbationes comparans, subditosque suos admonens, atque optimi naucleri instar justitiæ clavum sedulo tenens. Nam hæc demum veri regni lex ac norma est, nimirum voluptatibus imperare, iisque dominari quemadmodum ipse etiam faciebat. Quippe nec de majorum nobilitate, nec de regia gloria, in qua versabatur, ullo modo se efferens (quandoquidem luteum omnes generis auctorem habemus, ejusdemque argillæ pauperes æque ac divites sumus), verum in humilitatis abyssum mentem suam assidue conjiciens, futuramque beatitudinem animo et cogitatione complectens, inquilinum hic seipsum esse ducebat : ea autem propria esse statuebat, quibus post hujus vitæ peregrinationem frueretur. »

Audi et Gentiles. Cato dixit, « pessimum esse principem, qui regere nequit seipsum. » Et Agesilaus hoc gloriabatur, quod a nemine superaretur laborando, et sibi magis quam subditis imperaret. Si quando aliquid vellet celeriter a militibus peragi, id primus ipse in conspectu omnium faciebat. Idem, intelligens Thasios sibi templa divinosque honores decrevisse, ob beneficia eis præstita, quæsivit e legatis an civitas eorum posset homines in deos convertere; cum affirmarent : « Agedum, inquit, vos ipsos primum deos facite; eo facto credam vobis, posse me quoque a vobis in deum mutari. » Moriens mandavit nullam sui fieri effigiem, aut monimentum : « Si quid enim, aiebat, a me est præclare factum, id monimentum mihi erit; sin vero, ne omnes quidem statuæ, quæ sunt opera hominum illiberalium, mihi nomen conciliabunt. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Pulchre Seneca, *Tragœd.* 2 :

> Regem non faciunt opes,
> Non vestis Tyriæ color :
> Rex est qui posuit metus,
> Et diri mala pectoris.
> Quem non ambitio impotens,
> Et nunquam stabilis favor
> Vulgi præcipitis movet;
> Qui tuto positus loco,
> Infra se videt omnia.

Et Horatius, *Ode* 2, lib. II :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Simulacrum Dei est bonus et sanctus princeps, et « animata Dei in terris imago, » inquit Menander.

« Vespasianus, inquit Tacitus, lib. II, acer solebat militiæ anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans : prorsus, si avaritia abfuisset, antiquis ducibus par. »

« Indorum sapientum præceptum est, Principem, quo natura sublimior est, eo humaniorem se inferioribus si præbuerit, charissimum populo futurum, » inquit Nicephoras Gregoras, lib. VI *Hist.*

Arbitrabatur Cyrus nemini convenire imperium, nisi qui subditis esset melior, inquit Xenophon, lib. VIII *Cyri Pœdiæ*. Idem aiebat bonum principem et magistratum esse legem videntem : quippe qui legis negligentem cernere queat et punire.

Notent principes illud Senecæ, *Tragœd.* 3 : « Qui vult amari, languida regnet manu. » Rursum illud Ammiani Marcellini, lib. XXX : « Regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt devitanda. »

Nerva usque adeo bonus princeps fuit, ut diceret se nihil fecisse, quo minus posset deposito imperio privatus tuto vivere, ait Dio.

Hinc Solon aiebat : « Impera, ubi prius didiceris parere. Regi enim cum didiceris, scies regere. » Agesilaus rex Lacedæmonum se principatum non sibi, sed reipublicæ ejusque sociis et amicis gerere dicebat. Agathon dixit : Princeps meminerit *primo*, quod imperet hominibus; *secundo*, quod secundum leges; *tertio*, quod non semper imperabit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit ut sacerdotes et Levitæ nullam partem habeant in Chanaan, nisi victimas, decimas et oblationes. Secundo, vers. 10, *vetat consuli divinos et maleficos; sed Prophetam, quem eis vers.* 18 *promittit, audiri jubet.*

1. Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent, 2. et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum : Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. 3. Hoc erit judicium sacerdotum a populo ; et ab his qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum, 4. primitias frumenti, vini et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione. 5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini ipse, et filii ejus in sempiternum. 6. Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, 7. ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam et cæteri, excepto eo quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur. 9. Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, 10. nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem ; aut qui ariolos scisciteur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, 11. nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. 12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. 13. Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. 14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt : tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. 15. Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. 16. Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non

videbo, ne moriar. 17. Et ait Dominus mihi : Bene omnia sunt locuti. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui : et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi ; 19. qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. 20. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. 21. Quod si tacita cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? 22. Hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit ; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit ; et idcirco non timebis eum.

Vers. 3. 3. HOC ERIT JUDICIUM SACERDOTUM A POPULO. — *q. d.* Hoc erit jus, vel reditus quem jure suo sacerdotes a populo recipient.

SIVE BOVEM, SIVE OVEM IMMOLAVERINT, — scilicet, in hostiam pacificam.

DABUNT SACERDOTI ARMUM, AC VENTRICULUM. — Nam in holocausto sola pellis cedebat sacerdoti ; in victima vero pro peccato, tota caro ; in hostia autem pacifica, tantum armus et pectusculum dabantur sacerdoti, ut patet ex *Levitico*.

Nota : Pro *armum et ventriculum*, hebraice est, armum, genas et ventriculum. Ita et Chaldæus et Septuaginta. Sed per genas hic intelliguntur partes carneæ, quæ exciso ex quarta animalis parte armo, utrimque relinqui solent in ventriculo, seu pectusculo. Quare armum, genas et ventriculum, idem est quod armum et ventriculum, seu pectusculum, quæ sunt quarta animalis portio : nec enim jure *Exodi* XXIX, 28, et *Levit.* cap. VII, 31, ubi exacte hæc describuntur, ex hostia pacifica aliud cedebat sacerdoti, quam armus et pectusculum. Ita Abulensis. Quare figmentum videtur, quod aiunt Hebræi, hæc tria dari sacerdoti propter Phinees : scilicet dari armum, sive brachium, quia Phinees in fortitudine brachii sui percussit Zambri cum Madianitide, *Num.* XXV ; dari ventriculum, quia Phinees percussit eos in ventre, scilicet in genitalibus ; dari genas, quia has movent sacerdotes, dum orant pro offerente : hæc enim ante factum Phinees consignata sunt sacerdoti, *Exodi* cap. XXIX, 28 (1).

Vers. 5. 5. IPSUM ENIM ELEGIT, UT STET (Septuaginta, *ut assistat coram Domino*, videlicet ut famulus jugiter ministrans ; unde sequitur) ET MINISTRET NOMINI DOMINI, — id est Domino, illum nomine suo compellando, honorando et invocando (2).

Nota : *Stare* significat et famulatum, et ejus permanentiam ; unde *Michææ* V, 4, de Christo dicitur : « Et stabit, et pascet in fortitudine, » *q. d.* Christus manebit cum Christianis jugiter, et fortiter pascens eos ; non transibit ab eis ad alias gentes, uti transiit a Judæis ad Christianos. Ita S. Hieronymus ibi.

Vers. 6. 6. SI EXIERIT LEVITES, etc., ET VOLUERIT VENIRE, DESIDERANS LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS, — *q. d.* Si Levita devotione ductus, et cupiens extra vices suas, reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, uti fecit Samuel.

Vers. 8. 8. PARTEM CIBORUM (oblatorum) EAMDEM ACCIPIET SICUT ET CÆTERI, — qui per vices suas ministrant Deo.

EXCEPTO EO, QUOD IN URBE SUA, EX PATERNA EI SUCCESSIONE DEBETUR, — scilicet exceptis decimis, quas in sua urbe reciperet ; hæc enim sunt quasi hæreditas Levitarum, nec aliam habent. Ita Abulensis (3).

Vers. 10. 10. NEC INVENIATUR IN TE, QUI LUSTRET FILIUM SUUM. — Hebraice, *qui traducat filium per ignem*, id est filium igne cremet, quod faciebant colentes Moloch, uti dixi *Levitici* XVIII, 21, aut qui eum per ignem expiet. Curabant enim aliqui filios suos celeriter per hunc ignem transire, quia persuasum eis erat esse non morituros ante diem, qui tali modo per ignem superstitiose lustrati essent, inquit R. Moyses Maymonides.

Nota : *Lustrare* est expiare ; inde lustratio erat sacrificium expiatorium, quo homines, vel agri expiabantur ; quale describit Virgilius *Æneid.* VI, cum ait :

> Idem ter socios pura circumtulit unda,
> Spargens rore levi, et ramo felicis olivæ,
> Lustravitque viros dixitque novissima verba.

(1) *Victimas*, scil. in sacrificiis pacificis : tunc enim in loco sancto victimæ comedebantur. De aliis sacerdotum reditibus vid. *Lev.* cap. VI et VII. Ita Allioli. Recte Philo in libro *de Præmiis sacerdotum*, tom. II, p. 235 edit. Mangey : « Ex iis, quæ extra altare, convivii causa, tria jubentur dari sacerdoti, armus, maxilla et omasum. » Cf. Josephum, *Antiq.* lib. IV, cap. IV.

(2) Pro *nomini* in hebr. est *in nomine*, id est, Domino jubente et propter eum ministret.

(3) Vers. 8. Proprie, *partem æquam comedant*, seu *recipiant, præter bona ejus ex patribus*, successione paterna. Bene Fagius : « Hoc dicit, omnes Levitas qui Hierosolymam veniant et ibi ministrent Domino, ex æquo participare posse omnibus portionibus, quæ ex oblationibus illis obveniebant ; non autem teneri ut alius cum alio dividat et partiat ea bona, quæ a majoribus suis tanquam propria habebat. Licet enim Levitæ non haberent hæreditatem in terra promissionis, ut aliæ tribus, tamen poterant sibi quædam emere a filiis Israel, quæ illis proprie manebant, et quæ filiis postea relinquebant, de quo vide *Lev.* XXIII, 32, 33. »

Talis lustratio erat illa qua filios Moloch, vel Saturno immolabant, ad publicam vel privatam calamitatem avertendam, uti dixi *Levit.* XVIII (1).

Vers. 13. 13. PERFECTUS ERIS, ET ABSQUE MACULA CUM DOMINO DEO TUO, — ut scilicet idola, ritus et scelera Gentium averseris, unumque Deum colas, eique per omnia obedias; « qui enim servat mandata ejus, in hoc charitas perfecta est, » ait S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 5. Ita perfectus fuit David, *Psal.* LXXXVIII, 21, et alibi : « Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. » Et « Noe » qui fuit « vir justus, et perfectus in generationibus suis, » *Gen.* cap. VI, 9. Ita Abrahæ præcepit Deus : « Ambula coram me, et esto perfectus, » ut Deum per omnia ames, colas, obedias, sentias, sapiasque, dicasque cum S. Augustino : « Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. »

Ordo virtutum ad perfectionem. Præclare Cassianus, lib. IV, cap. ultimo : « Audi, ait, paucis ordinem per quem ascendere valeas ad perfectionem summam sine labore. Principium nostræ salutis sapientiæque est timor Domini : de timore Domini nascitur compunctio salutaris : de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est nuditas et contemptus omnium facultatum : de nuditate humilitas procreatur : de humilitate mortificatio voluntatis generatur : mortificatione voluntatum exstirpantur atque marcescunt universa vitia : expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt : pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur : puritate cordis Apostolica charitatis perfectio possidetur. »

Vers. 15. 15. PROPHETAM DE GENTE TUA, etc., SUSCITABIT TIBI DOMINUS. — Duplex quasi est sensus litteralis hic, usque ad vers. 20, ut recte docent Abulensis et Cajetanus. Prior, ut intelligantur hi versus de communibus Prophetis, quos Deus vicissim et successive post Moysen Hebræis submisit, ad annuntiandum eis et inculcandum Dei legem, ut τὸ *prophetam* sumatur pro *prophetas*. Et hic sensus optime cohæret præcedentibus et sequentibus; præcessit enim ad augures et divinos non esse recurrendum, et Hebræos aliter a Deo esse edoctos, videlicet promisisse Deum, se eis missurum veros Prophetas suos, ne ad divinos recurrere opus haberent; et juxta hanc Dei promissionem, Judæi fere semper usque ad Christum, Prophetas a Deo missos habuerunt; unde Psaltes, *Psal.* LXXIII, 9, tanquam de magna calamitate et derelictione queritur dicens : « Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius, » etc. (2).

Duplex ad litteram hic intelligitur Propheta. Primo.

Posterior sensus, isque potissimus est, ut hæc intelligantur ad litteram de Christo : de eo enim intelligenda esse patet *Actor.* III, 22; *Actor.* VII, 37; *Joan.* I, 45, ideoque hic singulari numero vocat *prophetam*, scilicet per excellentiam; rursum vocat eum similem Mosi, videlicet quoad ducatum populi et legislationem : ita S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XV; *secundo*, quia, sicut Moses populum ex Ægypti, ita Christus homines ex peccati servitute in libertatem asseruit; *tertio*, Moses in Chanaan, Christus in cœlum nos deduxit; *quarto*, uti Moses, ita et Christus, multa fecit miracula, plagasque non Pharaoni, sed dæmoni inflixit; *quinto*, cum Mose loquebatur Deus ore ad os familiariter : ita et cum Christo, idque longe excellentius : erat enim Christus Verbo Dei, Deoque intime unitus. Secundo.

Significat ergo hic Moses Deum missurum veros Prophetas, qui erudiant Hebræos, et verba Dei ad eos referant; et quia inter eos excellet Christus, hinc ipsum esse præcipue Prophetam, de quo hæc accipienda sint, *q. d.* Ego Moses Propheta, Christi summi Prophetæ sum typus et præcursor : en morior, ad Christum vos transmitto, ipsi lampada trado; ipsum audite, ipsum sequimini. Plures enim ejusdem loci esse posse sensus litterales, præsertim cum unus alteri est subordinatus, ex S. Augustino et S. Thoma ostendi *Can.* 36.

In Christo proprie fuit donum prophetiæ. Porro licet Abulensis neget in Christo fuisse verum et proprie dictum donum prophetiæ, quia ad hoc ipse putat requiri obscuritatem cognitionis, quæ in Christo non fuit, ideoque Christum tantum dici Prophetam secundum æstimationem et appellationem vulgi : tamen contrarium est longe verius, scilicet Christum fuisse vere et proprie Prophetam, esto claram habuerit prænotionem futurorum : ad prophetiam enim non requiritur obscuritas cognitionis, uti multis ostendit Franciscus Suarez, III *part.*, Quæst. VII, disp. XXI, sect. 1.

Vers. 15 et 16. 15 et 16. IPSUM AUDIES, UT PETISTI A DOMINO DEO TUO IN HOREB. — In Sina enim, *Exodi* XX, 19, Hebræi territi voce Dei petierunt ne Deus per se, sed per Mosen, quasi Prophetam, loqueretur eis. Sicut ergo ipsi tunc petierunt Prophetam, qui referret eis verba Dei : verba autem Dei non tantum tunc, sed et futuris temporibus necessaria sunt; hinc tacite non tantum tunc Mosen, sed et post eum, alios Prophetas petierunt : erant enim hi eis necessarii æque ac Moses, ut per eos consulerent et discerent voluntatem Dei. Ita Abulensis.

(1) Post *ignem* in hebr. est, *divinans divinationes, augur, auspex, incantator*. Per divinationes autem id genus intelligit R. Bechai (XIII sæcul.), quod nomine græco vocatur Βελομαντία, quodque ad *Ezech.* XXI, 26, S. Hieronymus describit ita : « Ritu gentis suæ (Nabuchodonosor) oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, et commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare. » Similis sortium consuetudo apud veteres Germanos fuit, de qua vide Tacitum in *Germania*; necnon apud Arabes, ut testatur Pocockius.

Vers. 11. *Nec sapiens* (arioli plus aliis scire putantur), *nec consulens pythones et fatidicos, aut interrogans mortuos.*

(2) Vide quæ de hac pericopa XVIII, 15-18, tomo II præmisimus.

Vers. 16. 16. QUANDO CONCIO CONGREGATA EST,— id est, in die, quo totus Israel congregatus est, ad audiendam vocem Dei; hinc vocantur concionatores, qui loquuntur ad totam concionem, id est ad totum populum : et sic Salomon hebraice vocatur *Cohelet*, græce *Ecclesiastes*, latine *Concionator*.

Vers. 18. 18. ET PONAM VERBA MEA IN ORE EJUS, — docebo eum verba mea, quæ loquatur, ut sit interpres meus.

Hæc verba Dei, quæ per Christum ipse nos docuit, complectitur S. Cyprianus tract. *De Oratione Dominica*, aurea illa sententia, quam utinam Christiani et cordibus, et templis, et domibus suis inscribant! est enim ipsa compendium vitæ et perfectionis Christianæ : « Voluntas, inquit, Dei quam Christus docuit et fecit, est *primo*, humilitas in conversatione; *secundo*, stabilitas in fide; *tertio*, verecundia in verbis; *quarto*, in factis justitia; *quinto*, in operibus misericordia; *sexto*, in moribus disciplina; *septimo*, injuriam facere non nosse; *octavo*, factam tolerare posse; *nono*, cum fratribus pacem tenere; *decimo*, Deum toto corde diligere; *undecimo*, amare in illo quod pater est; *duodecimo*, timere quod Deus est; *decimo tertio*, Christo nihil omnino præponere, quia nec vobis ille quidquam præposuit; *decimo quarto*, charitati ejus inseparabiliter adhærere; *decimo quinto*, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere; *decimo sexto*, quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur : hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.»

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Moses designari tres urbes refugii in asylum homicidæ involuntario, quibus tres alias, crescente populo adjici jubet, vers. 9, *vide dicta* Num. XXXV. *Homicidam vero voluntarium ex asylo extrahi, et occidi jubet, vers.* 11. *Denique, vers.* 16, *falso testi pœnam talionis decernit.*

1. Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus et in ædibus; 2. tres civitates separabis tibi in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, 3. sternens diligenter viam; et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides : ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere. 4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est : Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur; 5. sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet; 6. ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis : quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. 7. Idcirco præcipio tibi ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas. 8. Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus est, 9. (si tamen custodieris mandata ejus, et feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis : 10. ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. 11. Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, 12. mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. 13. Non misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi. 14. Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt

priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam. 15. Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. 16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, 17. stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, et judicum qui fuerint in diebus illis. 18. Cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, 19. reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui: 20. ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. 21. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Vers. 5. 5. SED ABIISSE CUM EO SIMPLICITER IN SILVAM (1). — Tropologice S. Gregorius, lib. X *Moral.* cap. IX : « Ad silvam, ait, cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda dilecta nostra convertimur : et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit, cum sese increpatio, plusquam necesse est, in asperitatem pertrahit. Ferrum de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excidit, et amicum percutiens occidit, quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Hic ad tres necesse est urbes fugiat, quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus sub spe, fide et charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur. »

Vers. 6. 6. NE FORSITAN PROXIMUS EJUS, — cognatus scilicet occisi, qui hebraice vocatur גואל *goel*, id est redimens, quia jus redimendi hæreditatem, si ea vendita esset, ad propinquiorem cognatum spectabat.

ET PERCUTIAT ANIMAM, — scilicet vitam : est metonymia ; sic sumitur « anima » infra cap. XXII, vers. 26, et cap. XXIV, vers. 6, et *Act.* XX, 24 : « Non facio animam (vitam) meam pretiosiorem quam me. »

Vers. 13. 13. AUFERES INNOXIUM SANGUINEM, — id est, innoxii sanguinis effusionem tolles, occidendo videlicet effusorem. Unde Chaldæus vertit, *auferes effundentem sanguinem innocentem de Israel.* Est ergo hic duplex metonymia : *prima,* qua sanguis ponitur pro effusione sanguinis; *secunda,* qua effusio ponitur pro homicida.

Vers. 14. 14. NON ASSUMES, ET TRANSFERES TERMINOS PROXIMI TUI. — « Terminos, » scilicet agrorum, ut aliquid ex possessione alterius tuæ adjicias.

Vers. 15. 15. IN ORE DUORUM AUT TRIUM TESTIUM STABIT (id est confirmabitur) OMNE VERBUM, — omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. CUMQUE, etc., INVENERINT FALSUM TESTEM, etc., REDDENT EI SICUT FRATRI SUO FACERE COGITAVIT.—Pœna talionis hic falso testi decernitur : congruum enim est ut quod quis supplicium falso testimonio alteri injuste irrogare voluit, id juste ipsemet patiatur. Ita duo senes falso Susannam adulterii accusantes, mendacii convicti, lapidibus obruti sunt, *Daniel.* XIII.

Pœna decreta falsis testibus.

Audi quid Patres VIII Synodi Œcumenicæ, anno Domini 869 Constantinopoli habitæ, contra Leonem Consulem et Theodorum Protospatharium, qui impulsu Photii et Michaelis Imperatoris contra B. Ignatium Patriarcham falsum dixerant testimonium, decreverint : « Definimus, inquiunt, et promulgamus hos per septem annos epitimium (ita vocatur Ecclesiastica pœna et censura) habere : esse illos duobus annis extra ecclesiam, et aliis duobus intra ecclesiam audire divinas Scripturas usque ad catechumenos; non tamen ullo modo communicare, sed abstinere a carnibus et vino quatuor annis, præter Dominicos dies et Dominicas festivitates : et aliis tribus annis stare cum fidelibus, et mereri divinam communionem in solis Dominicis solemnitatibus cum eleemosynis, orationibus atque jejuniis, ita ut tribus diebus hebdomadæ, secunda videlicet, quarta et sexta feria abstineant a carnibus et vino. »

Gregorius Agrigentinus Episcopus a Sabino et Crescentio falso accusatus, coram Synodo Romana centum et 50 Patrum, de stupro cum Eudocia puella, adductis 110 testibus psalmum alta voce ingeminavit : « Insurrexerunt in me testes iniqui; quæ ignorabam objecerunt mihi : mala mihi pro bonis rependebant. » Statim igitur

(1) Moses hic jubet, ut tria in terra Chanaan oppida asyli seligantur, his tamen adjectis verbis, ut tribus illis oppidis, si Dominus dilataverit terminos, alia tria addantur; in libro autem Numerorum, qui tamen libro Deuteronomii prior tempore exaratus habetur, de tribus tantummodo oppidis nulla fit mentio, sed sine clausula sex oppida jubentur seligi. Hinc horum præceptorum uni vel alteri Mosaicum nomen plures detrahunt : sed perperam; nam *primo,* nodum solvit Herbst, *Observat. de Pentateuchi & libror. post. auctore et editore,* dicendo, legem *Deut.* prius a Mose edictam fuisse, quam illam *Num.;* sed hallucinatione editorum accidisse, ut lex posterior libro Numerorum, antiquior vero libro Deuteronomii insereretur; deinde a pio quodam Israelita, qui hanc alteri repugnantem videret, adjectam esse clausulam, *cum autem dilataverit,* etc. Secundo, melius Allioli : Tres tantum asyli urbes in *Deuter.* hic memorantur, quia aliæ tres jam antea *trans Jordanem* fuerant selectæ *Num.* XXXV, 13, et supra IV, 41. Tres autem alias de quibus hic vers. 9, nunquam fuisse separatas, probabile est.

puella a dæmone correpta ad pedes ejus concidit; Gregorius Satanam e puella egredi, et verum fateri jussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa fassa est se a Sabino et Crescentio muneribus corruptam Gregorium falso accusasse. Gregorius vero coram Synodo pro testibus et actoribus intercessit, et pacem illis impetravit. Qua concessa, statim tenebræ magnæ obortæ sunt : et actorum alii utraque, alii altera gena nigri apparuerunt. Sabino vero et Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui nunquam postea elui potuit. Ita habet Vita S. Gregorii Agrigentini, quæ exstat apud Surium, 23 novembris.

Porro falsos testes ipso jure esse infames docet Gratianus, causa 3, *Quæst.* V, ex Eusebio Papa, epist. 3 *ad Episcopos Tusciæ,* in hæc verba : « Constituimus cum omnibus qui nobiscum sunt Episcopis, ut homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, perjuri, et qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos divinosque concurrerunt, similesque eorum nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium sint admittendi, quia infames sunt, et juste repellendi, quia est funesta vox eorum. »

Constantinus Magnus Imperator Faustam uxorem habuit. Hæc Crispi privigni amore capta, cum ad libidinem eum sæpius provocasset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Constantinus fidem adhibuit, ideoque Crispum filium interfecit. Verum post aliquot annos comperta causa, in uxorem capite animadvertit; ita refert Eutropius, lib. X *Histor. Roman.*

Narrat Eusebius, lib. VI *Hist.* cap. XII, tres testes falso accusasse Narcissum Hierosolymæ Episcopum de infami crimine; atque *primus* juravit, ni verum esset hoc ejus crimen, ut Deus eum igne perderet; *secundus,* ut morbo regio corriperetur; *tertius,* ut oculis orbaretur. Audiit Deus vindex; nam *primus* in domo, nocte correpta incendio, cum omni familia flammis ultricibus conflagravit. *Secundus* morbo regio a capite ad pedes correptus et absumptus est. *Tertius* hæc videns pœnitens et scelus confessus, tantis lacrymis illud deflevit, ut luminibus orbaretur.

Quinimo Deus non raro falsos testes vivos per mortuos redarguit. Audi exempla. Stanislaus Polonus, Episcopus Cracoviensis, Boleslaum Poloniæ regem graviter offendit, quod illius notam libidinem publice arguisset. Quare rex in solemni regni conventu Stanislaum, per calumniam, in judicium coram se vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ nomine coemerat. Quod cum neque tabulis probare posset, et testes veritatem dicere timerent; spondet Episcopus se Petrum pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra dies tres in judicium addicturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo jejuniis et orationi incumbit. Ipso sponsionis die post oblatum Missæ sacrificium Petrum e sepulcro surgere jubet, qui statim redivivus Episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibique rege et cæteris stupore attonitis, de agro a se vendito, et pretio rite sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit, atque iterum in Domino obdormivit : ita habet Longinus, et ex eo Surius, maii 8, in Vita S. Stanislai.

B. Aia, Hidulphi Comitis Hannoniæ uxor, ut refert *Hannonum Historia,* lib. XI, cap. IV, suas hæreditates seu dominia Montensi contulit Ecclesiæ, quæ postmodum quasi jure propinquitatis repetebantur a parentibus; sed dicta Ecclesia, cum vexaretur lite, S. Aiam, etsi defunctam, multis precibus in testem evocavit : et ipsa apparens respondit se donationem suam ratam habere; unde pacifice quidquid datum erat, datum remansit.

Cum B. Augustinus Mediolani adhuc moraretur, illud memoratu dignum ad hanc rem, inter alia accidisse tradit, lib. *De Cura pro mortuis,* cap. XI : « Pro certo, ait, cum Mediolani essemus, audivimus, quod, cum debitum repeteretur a quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente a patre jam fuerat persolutum; contristari homo gravissime cœpit, atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, et ubi esset repositum instrumentum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam filius propulsavit, sed etiam paternum recepit chirographum quod pater non receperat, quando ab eo persoluta erat pecunia. Hic itaque putatur anima hominis curam gessisse pro filio, et ad eum venisse dormientem, ut docens quod ignorabat, a magna eum molestia liberaret. »

Huic et illud de Spiridione Cyprio Episcopo factum simile subjungamus. Filiam habuit Irenem nomine, quæ ei cum bene ministrasset, virgo defuncta est. Post ejus obitum, venit quidam dicens se ei depositum commendasse. Rem gestam ignoraverat pater. Perquisitum in tota domo, nusquam quod quærebatur inventum est. Persistebat tamen ille qui commendaverat, et fletu ac lacrymis perurgebat : vitæ suæ quoque illaturum esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis ejus senex ad sepulcrum filiæ properat, atque eam ex nomine inclamitat. Tum illa de sepulcro : « Quid vis, ait, pater? Commendatum, inquit, illius ubi posuisti? » At illa locum designans : « Illic, ait, invenies defossum. » Regressus ad domum, rem, sicut filia de sepulcro responderat, repertam tradidit reposcenti. Vides hic quam Deus veritatis et veri testimonii sit patronus.

Macarius, Ægyptius monachus, S. Antonii discipulus, cum ad ejus antrum quidam perfugisset, opis petendæ gratia, quia magistratus tanquam reum patratæ tunc cædis insectabatur (is autem

insontem se affirmabat), nominis sui reverentia magistratuum vim repressit; et quia suspicio tantum, non testes hominem urgebant, ut veritas palam fieret, egit ut qui occisus fuerat, e tumulo, omnibus qui aderant audientibus, loqueretur; qui quoniam affirmavit, nihil cædem suam ad eum pertinere, cui tunc crimini res dabatur, magistratus hominem quem insectabatur, Macario auctore absolvit; cum desideraret magistratus auctorem cædis scire, petiit a D. Macario ut interrogaret : respondit ille sibi sufficere innocentem liberasse. Ita refertur in *Vitis Patrum*, lib. II, cap. XXXVII.

Idem per infantes effecit Deus. Refert Gregorius Turonensis, lib. II *Hist. Franc.* cap. I, S. Brixium Episcopum Turonensem falso accusatum fornicationis, infantem ex ea recens natum coram populo adjurasse, ut diceret an ipse esset pater ejus. Cui infans : Non es tu pater meus; populo autem rogante ut ex eo perquireret quis ergo esset pater, respondit Brixius : «Non est hoc meum; quod ad me pertinuit sollicitus fui : vobis si aliquid suppetit, per vos quærite.» Cumque populus magiæ hoc tribueret, ignem illæsa veste gestavit usque ad sepulcrum S. Martini dicens : « Sicut vestem videtis ab igne illæsam, ita et corpus meum a mulieris tactu est impollutum. »

Simile miraculum contigit Episcopo Brooni, qui discipulus fuit S. Patricii, anno Christi 521; sed ibi infans insuper patrem prodidit, ut habetur in Vita S. Brigidæ Scoticæ, 1 februarii.

In Vita S. Antonii de Padua, qui vixit anno Domini 1232, narratur quod ipse Patavii degens per angelum translatus fuerit Olysipponem : ibi enim pater ejus falso accusabatur, quod puerum occidisset. Quare ipse puerum occisum interrogavit an pater suus eum occidisset; qui erigens se respondit illum cædis hujus conscium non esse : itaque pater absolutus est. Simili prorsus modo infans purgavit Danielem Abbatem falso adulterii insimulatum, uti refert Sophronius in *Prato Spir.* cap. CXIV.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus in bello domum remitti novos ædificatores, vinitores, sponsos et pavidos. Secundo, vers. 13, *jubet in urbe bello capta masculos omnes occidi, præter infantes : in Chananæa autem jubet omnes, etiam feminas et infantes, occidi. Tertio, vers.* 19, *vetat ne arbores frugiferæ urbis hostilis succidantur, sed infrugiferas cædi permittit.*

1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. 2. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum : 3. Audi, Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos; 4. quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. 5. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt : Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam. 6. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio. 7. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam. 8. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum : Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. 9. Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. 10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. 11. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. 12. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

13. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii, 14. absque mulieribus et infantibus, jumentis, et cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. 15. Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es. 16. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere : 17. sed interficies in ore gladii Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus; 18. ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum. 19. Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potes, nec securibus per circuitum debes vastare regionem : quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. 20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in cæteros apta usus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.

Vers. 1. 1. NON TIMEBIS (hostium currus, et multitudinem), QUIA DOMINUS DEUS TUUS EST, — qui potens est salvare, et dare victoriam tam in paucis, quam in multis. Notent hoc duces castrorum, curentque ut milites christiane et pie vivant, itaque Deum secum habeant : tunc enim erunt insuperabiles; nam si Deus pro nobis, quis contra nos? id Constantinus, Theodosius, Carolus, Bullonius, Machabæi, et hoc sæculo Ferdinandus, Carolus V, Albuquercius, et alii experti sunt. « Non debent, inquit Constantinus, milites in armis aut viribus corporum spem ponere, sed universitatis Deum rerum omnium bonarum, et ipsius victoriæ auctorem agnoscere, » uti refert Eusebius, lib. IV *De Vita Constantini*, cap. XIX. Duces ergo et milites, ut victoria potiantur, observent illud cap. XXIII, 9 : « Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala, » puta a scortatione, ebrietate, rapinis, rixis, juramentis, blasphemiis, duellis, invidiis, etc.

Exempla ducum probe castra regentium. Id præstitit Josue, qui Mosi successit, ideoque tot victoriis potitus est. Id præstitit Narses Italiæ liberator, qui erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligens, vigiliis et orationibus adeo deditus fuit, ut plures victorias supplicationibus divinis, quam terroribus bellicis obtinuerit, uti narrat Evagrius, lib. IV, cap. XXIV. Et Procopius, lib. III *De Bello Gothico*, scribit eumdem omnem rerum successum, omnemque belli felicitatem uni Deo acceptam retulisse; et milites in aciem progressuros ad similem pietatem hortatum esse.

Audi Mauri exemplum memorabile. Cabones dux Maurorum circa Tripolim, postquam Wandalos bellum adversus se movere audivit, primum subditis suis præcepit ut ab omni iniquitate et cibo, qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque, maxime a mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis feminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impii a Wandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, ut illi spectarent, et postea, cum Wandali discessissent, illud restituerent, ac subjecit se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare : consentaneum vero sibi videri, siquidem (quod diceretur) fortis potensque esset, ut contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores, postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos et jumenta introduci, lasciviam et libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, et alia multa impia et horrenda a Wandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt, et eleemosynas in pauperes large distribuerunt. Tandem facto conflictu, Wandali ad unum omnes sunt trucidati, et Mauri victoriam reportarunt. Ita Evagrius, lib. IV, cap. XV, et Nicephorus, lib. XVII, cap. XI.

Denique Jovianus, cum post Juliani Apostatæ interitum imperator eligeretur : « Non possum, ait, regere Juliani exercitum, qui tam pestifera doctrina imbutus est; talis enim a Deo destitutus, facile ab hostibus superabitur. » Quibus auditis, milites uno ore conclamarunt : Ne dubita; Christianis hominibus, et in vera pietate educatis imperabis. Ita Theodoretus, lib. IV, cap. I.

Vers. 5. 5. DUCES QUOQUE, etc., PROCLAMABUNT : QUIS EST HOMO QUI ÆDIFICAVIT DOMUM NOVAM, ET NON DEDICAVIT EAM? — « Non dedicavit, » hebraice *non initiavit*, id est, non cœpit eam inhabitare. Voluit Dominus hos remitti ex castris ad sua, ne desiderio rerum suarum, quibus necdum fruiti fuerant, remitterent animos in prælio, fugamque capesserent cum sociorum scandalo et periculo. Miles enim tam animo, quam corpore debet esse

libero et expedito. Ita Abulensis. Notat S. Augustinus, *Quæst.* XXX, hæc dici, non tam imperative, quam tentative et permissive, ad virorum animos explorandos : qui enim viriliter hunc nimium affectum rerum suarum vincere et deponere volebant, poterant manere in castris ; qui vero affectum hunc vincere non poterant, vel non valebant, domum abibant, et recedentes a castris prodebant suam pusillanimitatem, seque affectu nimio rerum suarum teneri.

Tentative hæc dici censet S. Augustinus.

Vers. 6. 6. QUIS EST HOMO QUI PLANTAVIT VINEAM, ET NECDUM FECIT EAM ESSE COMMUNEM? — necdum ejus fructu est fruitus? quod quinto demum anno fiebat; nam juxta legem *Levit.* XIX, 23, tribus primis annis fructus censebantur immundi; quarto anno cedebant Deo, erantque quasi sacri; quinto anno fiebant communes sive profani, ut habent Hebræa, poteratque quivis cum possessoris consensu eis vesci.

Vers. 7. 7. QUIS EST HOMO QUI DESPONDIT (sibi) UXOREM, ET NON ACCEPIT EAM? — Tropologice significatur, ait Cyrillus in *Collectan.*, quod non oporteat eum qui nuper habitantem secum virtutem accepit, educi ad labores et persecutiones, donec ejus amori plane sit illigatus et astrictus.

Tropologice.

Vers. 8. 8. QUIS EST HOMO FORMIDOLOSUS? — Ita ex lege hac Gedeon, iturus contra Madianitas, clamavit : Si quis est corde pavido, recedat de castris ; et e triginta duobus millibus bellatorum, recesserunt viginti duo millia, *Judicum* VII, 3.

In bello enim plus facient trecenti resoluti et animosi milites, quam triginta millia pavidorum et hæsitantium. Scipio Africanus, rogatus a quodam qua re fretus auderet exercitum e Sicilia in Africam contra Carthaginenses trajicere, demonstravit ei trecentos viros, addens : « Nullus horum est, qui non sit me jubente, conscensa hac turri, præcipitem se in mare dejecturus. » Ita Plutarchus in *Apophtheg. Roman.* Animus ergo in milite, præsertim capitaneo et duce requiritur. Animosus Alexander quid non perfregit? paucos habebat milites, hostes innumeros : suadebat Parmenio ut noctu clam in eos irrueret ; cui ille : « Nolo furari victoriam. »

Similis fuit C. Fabricius consul Romanus, cui Pyrrhi medicus per epistolam promisit se, jubente ipso, Pyrrhum veneno necaturum ; eam epistolam Fabricius Pyrrho misit, dicens : Pessime tu et de amicis judicas, et de inimicis ; noluit ergo animosus consul regem dolo, sed aperto marte prosternere : unde et totidem captivos ei remisit, quot ipse miserat. Ita Plutarchus in *Apophtheg. Romanorum.* Militis ergo est in bello non pavere, nec timere mortem, sed potius optare ; nam, ut aiebat Epaminondas : « Pulcherrima est mors in bello. » Id verissimum est in milite Christiano, qui christiane vivens pugnat pro Deo, pro Ecclesia, pro justitia. « Pulchrior est miles in prælio cæsus, quam in fuga salvus, » ait Livius, lib. II, dec. 1. Et Philemon ; « Miles, ait, est victima, ut, cum tempus fuerit, pro patria immoletur. » Matres Laconum eis solebant edicere, « ut aut victores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur : » testis est Valerius Maximus, lib. II, cap. VIII. Cæsaris fuit illa vox : « Disce ferire, disce mori. » Syllaba una brevis aut longior tua facta variabit : aut occides, aut occides. Ad utrumlibet horis locisque omnibus paratum te exhibe. Aratus dicebat « militis esse, vitam nihili facere. » Xerxes, audiens quam fortiter et feliciter Artemisia rem contra suos gessisset in pugna navali, dixit, « sibi feminas fuisse viros, contra viros fuisse feminas, » quod parum dextre rem gessissent; testis est Herodotus, lib. VIII. Cum ob turbatos ordines in Marcelli copiis victor Annibal exstitisset, reversus in castra Marcellus convocato exercitu ait, « se quidem multa Romanorum arma et corpora, Romanum vero videre neminem : » testis est Plutarchus in *Marcello* (1).

Vers. 10. 10. SI QUANDO ACCESSERIS AD EXPUGNANDAM CIVITATEM, OFFERES EI PRIMUM PACEM. — Loquitur de civitate, quæ sita erat extra terram promissionis, ut patet vers. 15 : hæc enim si pacem reciperet sub conditione tributi, incolis omnibus salvis, fiebat tributaria Hebræis : sin pacem abnueret, expugnabatur, omnesque incolæ jure belli, et jussu Dei occidebantur, præter mulieres et infantes : nam civitatibus in Chanaan sitis pacem offerre Hebræi non poterant ; sed omnes omnino incolas, etiam feminas et infantes, occidere debebant, tum quia tota Chananæa a Deo tradita erat Hebræis possidenda ; tum quia Chananæi erant homines improbissimi, et quasi semen vitiatum et maledictum, quibus si parcitum fuisset, ipsi Hebræos secum commorantes ad idola et vitia sua pertraxissent, ut dicitur vers. 17, et fusius *Sapient.* XII, 3 et seq. Discant hic principes ante bellum offerre pacem, nimirum pacifice petendo ab hostibus justam satisfactionem. Nam, ut ait S. Augustinus, epist. 207 *ad Bonifacium* : « Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. »

Urbes se dedentes fiebant tributariæ, vi subactæ delebantur.

Vers. 19. 19. NON SUCCIDES ARBORES, DE QUIBUS VESCI POTEST, etc., QUONIAM LIGNUM EST, ET NON HOMO. — Ita et Chaldæa : quare Hebræa per interrogationem accipe, cum Septuaginta, hoc modo, *num enim arbor campi est homo, ut veniat coram te in obsidionem? q. d.* Lignum pomiferum tibi est utile, neque tamen te obsidere, tibique obesse potest : ergo illud non succidendum, sed asservandum est; alia vero ligna, licet obesse non possint, quia tamen infructifera sunt, servient tibi ad machinas bellicas instruendas. Ita Abulensis.

Alii, ut Vatablus, sic vertunt et explicant Hebræa, *arbores agrorum* (subaudi *vita*) *sunt homi-*

(1) Vers. 9. Pro *suos ad bellandum*, etc. in hebr. est, *præficiant*, constituant *duces exercitus*.

nis (*q. d.* Vitam hominis sustentant) : *non succides eas*, ut scilicet iis machinas instruas, ad urbem obsidendam. Verum durum est et insolens subaudire τὸ *vita* (1).

(1) Vatabli sensum dat et Maurer, hac tamen via, *nam hominum* (id est, hominum usui destinatæ) sunt *arbores agri*. Item Rosenmullerus, *nam hominis est arbor agri*, subaudito ante הָאָדָם signo dativi לְ. Vulgati interpretis versio, licet antiquissima, frigida nimis tamen et jejuna videtur, quod juxta eam, cur arbores fructiferæ non excidendæ sint, hæc detur ratio, quia arbores illæ non sint homines, adeoque Israelitis urbem obsessuris resistere non valeant. Nonne idem etiam de arboribus infructuosis dicendum?

Vers. 20. Pro *capias civitatem* hebr. est *descendat*, id est, corruat, muris scil. cadentibus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus expiari homicidium occultum per mactationem vitulæ, et per protestationem magistratus de sua innocentia. Secundo, vers. 10, *captiva ut ducatur uxor, jubetur radere cæsariem, et circumcidere ungues. Tertio, vers.* 15, *filio odiosæ uxoris, si sit primogenitus, jubentur consignari primogenita. Quarto, vers.* 18, *filius contumax et perditus jubetur lapidari. Quinto, vers.* 22, *corpora suspensorum jubentur eadem die sepeliri, quia maledictus est qui pendet in ligno.*

1. Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus, 2. egredientur majores natu, et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum : 3. et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, 4. et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit ; et cædent in ea cervices vitulæ ; 5. accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur. 6. Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, 7. et dicent : Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. 8. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis : 9. tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus. 10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, 11. et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, 12. introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues. 13. Et deponet vestem, in qua capta est ; sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense : et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua. 14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam : quia humiliasti eam. 15. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, 16. volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ ; 17. sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia : iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita. 18. Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit : 19. apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, 20. dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita

nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : 21. lapidibus eum obruet populus civitatis ; et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. 22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, 23. non permanebit cadaver ejus in ligno ; sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno : et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

Vers. 2. 2. METIENTUR A LOCO CADAVERIS, — computabunt quot milliaribus, vel passibus locus cadaveris distet a qualibet vicinarum civitatum.

Nota, cadaver hic tribui vicinissimæ civitati, quia in eam præ aliis cadit præsumptio, quod aliquis ex ea perpetrarit cædem. Unde majores natu illius urbis cum victima jubentur, vers. 7, publica protestatione se purgare a crimine, et a criminis, utpote cujus auctorem ignorent, vindicta, ut hac ratione Dei iram, tam a se, quam a suo populo avertant.

Vers. 3. 3. SENIORES CIVITATIS ILLIUS (quæ proximior est cadaveri) TOLLENT VITULAM DE ARMENTO, QUÆ NON TRAXIT JUGUM, — quæ scilicet fortis, et non fracta labore trahendi currum, vel aratrum, innocentiæ ejus, qui occisus est, symbolum et typum gerit.

Vers. 4. 4. ET DUCENT EAM AD VALLEM ASPERAM ATQUE SAXOSAM. — R. Joseph Kimchi censet vallem hanc dici asperam, saxosam et incultam per prolepsin : quia scilicet talis futura erat. Reddebatur enim locus ille sacer et maledictus, per carnes vitulæ hujus piacularis, in eo sparsas et ibi putrescentes, ita ut eum serere et colere non liceret : nam non semper eligebatur locus incultus, sed ipsemet ubi cadaver ceciderat. Sed hæc sententia clare repugnat verbis Scripturæ, ait enim : « Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit ; » quæ verba plane significant qualis sit et fuerit hæc vallis, non qualis futura sit (1).

Vitula expiatrix homicidii mactabatur in valle aspera, cur ? Prima causa.

Vitula ergo hæc mactanda erat in valle aspera, quia hæc horroris homicidii est symbolum. Omnia enim hæc a Deo præcepta sunt, ad terrendum rudem illum populum, et absterrendum ab homicidio, per externam hanc tristitiæ et funeris quasi pompam, perque victimam expiatoriam homicidii, cui, cum auctor esset occultus, communitas tota videbatur esse obnoxia, quasi quæ tale intra se sustineret membrum, nec satis supra gregem suum invigilasset.

Allegorice, vallis aspera est locus Calvariæ ubi crucifixus est Christus.

Secunda. Erat et alia hujus legis et cæremoniæ utilitas ; nam hanc publicam expiationem præcedere debebat summa in inquirendo sceleris auctore diligentia, ut populo magistratus satisfaceret ; simul admonebatur magistratus vigilare, sontes persequi et punire, ne unius culpa provocaret iram Dei adversus totum cœtum Israel, ut dicitur dist. XLV, can. XVIII.

Tertia. Denique, tertia hujus sanctionis causa erat, ut auctor sceleris, si inter eos fuisset, proderetur. Est enim naturale quoddam quasi miraculum, ait Abulensis, ut, si occisor advenerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantum fit, cum recenter quis occisus est, sed etiam cum a multis diebus, imo ex ipsis nudis ossibus solet interdum cruor effluere, ut multoties visum est, Deo videlicet criminis tam enormis auctorem hoc signo ostendente. Solet enim Deus, etiam apud Gentiles, homicidium miro judicio et indicio detegere et vindicare. Hinc illa Melitensium ad Paulum, cum a vipera invaderetur, vox : « Ultio non sinit eum vivere, » sed eum quasi homicidam ad necem persequitur.

Naturali quasi miraculo occisi cadaver sudat sanguinem, si præsens sit occisor. Miro indicio homicidas detegit et punit Deus.

Exempla. Primum. Audi Gentilium exempla. Macarius Mitylenensis, Bacchi sacerdos, hospitem in templum seducens occidit : paulo post filii ejus volentes patris sacrificia imitari, unus alterum quasi victimam jugulavit ; mater id resciens filium qui reliquus erat, quique alium jugulaverat, furibunda torre occidit ; pater sacerdos, id cognoscens, ipsam matrem conjugem suam mactavit, ideoque captus et confessus crimen ante publicum supplicium in tormentis animam exhalavit. Ecce, Deus homicidium sacerdotis, cæde prolium, uxoris, et ipsius homicidæ punivit : testis est Ælianus, lib. XIII.

Secundum. Duo Arcades amici venerunt Megaram ; alter ad amicum, alter ad cauponem divertit : hic noctu apparuit alteri, rogans ut subveniret, eo quod sibi interitus a caupone pararetur ; surrexit ille ; sed cogitans esse somnium, mox recubuit. Rediit alter, rogans ut, si in vita noluisset opitulari, saltem mortem suam non pateretur inultam : se enim a caupone esse occisum, corpusque in plaustrum injectum sub stercore latere : Mane ergo, ait, ad portam adsta, antequam plaustrum oppido exeat, et cadaver remque, ut narro, deprehendes. Fecit ille, cadaver et cauponem deprehendit, caupo pœnas dedit. Hic minime dubitandum est quin illud somnium amico a Deo sit immissum, ut homicidii auctor proderetur. Narrat hoc Cicero, lib. I *De Divinatione*.

Tertium. Ibycus Poeta, cum in latrones incidisset, jam occidendus, grues forte supervolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore, cum iidem latrones in foro sederent, rursumque grues supervolarent,

(1) Pro *vallem asperam* hebræum a multis rectius, ut videtur, vertitur *rivum* seu *torrentem perennem*, qui per totum annum fluat, oppositus illis qui per æstatem, maxime vero post eam, octobri mense deficiunt.

per jocum susurrabant inter se in aurem : Adsunt Ibyci ultores. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt : maxime desiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellent ii sermones, hæsitanter et inconstanter responderunt. Subjecti tormentis facinus confessi sunt. Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potius suo ipsorum judicio perierunt. Ita Plutarchus, lib. *De Loquacitate.*

Quartum. Pyrrhus rex in itinere offendit canem, qui domini jugulati corpus servabat : auditoque triduo illum sine pastu durasse illic, neque abscessisse, cadaver humari, canemque secum abduci, ejusque curam haberi imperavit. Paucis post diebus rex lustrabat copias suas, militesque considente rege transibant. Aderat canis quietus : qui, ut domini percussores conspexit prætereuntes, cum latratu et ira procurrit in illos, subinde circumagens se ad Pyrrhum. Itaque comprehensi extemplo et quæstione habita, cum indicia aliunde accessissent, cædem confessi pœnas dederunt : ita Plutarchus *De Animal. Compar.*

Quintum. Hesiodi canis Ganyctoris Naupactii indicavit filios, a quibus fuerat Hesiodus trucidatus. Ita idem Plutarchus.

Sextum. Popielus, Poloniæ rex, patruos necavit : mox ex interfectorum tumulis mures erumpentes, regem adorti sunt; nec ignibus, circumquaque factis, ab eodem infestando prohiberi potuerunt : ut tandem ipse a suis desertus, et divina ultione se feriri confitens, a bestiolis illis laniatus sit, uti narrant omnes Polonicarum rerum scriptores.

ET CÆDENT IN EA CERVICES VITULÆ, — ut significetur quod decapitari deberet, tam homicida, si sciretur, quam ille qui celat homicidium, præsertim si sit e senioribus hisce, puta ex magistratu.

5. OMNE NEGOTIUM PENDET. — Dele τὸ *pendet,* cum colo sequente, uti delent Romana, *q. d.* Seniores urbis accedent ad sacerdotes, quorum est judicare et decidere omnes controversias, omnemque immunditiem.

Vers. 7. 7. ET DICENT : MANUS NOSTRÆ NON EFFUDERUNT SANGUINEM HUNC, NEC OCULI VIDERUNT, — *q. d.* Nescimus auctorem homicidii; si sciremus, utique eum puniremus (1).

Ubi nota : Per τὸ *non effuderunt,* non tantum significant judices se manu sua non effudisse sanguinem : hoc enim parum fuisset, nec suffecisset ad eorum innocentiam; sed insuper de suo consensu, vel conniventia, vel dissimulatione, vel impunitate, vel alia simili negligentia nullam dedisse causam homicidio. Prætor enim, qui ex officio tenetur vias a sicariis tutas præstare, et cædes impedire, nisi id præstet, earum est reus, etiamsi illarum non sit conscius. Soli enim privato dicenti : « Non feci furtum, » respondetur : « Non pasces in cruce corvos; » at plus exigitur a persona publica, qualis est magistratus. Ita R. Salomon, Lyranus et alii.

8. NE REPUTES SANGUINEM INNOCENTEM IN MEDIO POPULI TUI, — ne imputes cædem hujus innocentis populo Israel, neve in eum vindices. Vers. 8.

Quidam Hebræi censent animam occisi in terris circumire ac vagari, et vindictam clamare in cœlum, donec magistratus in homicidam animadvertat, eumque de terra tollat : tunc enim animam illam a terra discedere, et ampliorem ultionem non expetere. Sed hæc sententia judaizat.

ET AUFERETUR AB EIS (Senioribus populi) REATUS SANGUINIS, — Hebraice, *et dimittetur* (2) *illis sanguis,* id est reatus, vel pœna sanguinis effusi. Ita videlicet ut Deus non puniat populum, tanquam negligentem punire homicidia; quia fecit quod potuit, et quod præcepit Dominus, ad deprehendendum homicidam, et ad expiandum homicidium.

9. TU AUTEM ALIENUS ERIS AB INNOCENTIS CRUORE. — Convertit se hic Moses ad ipsum populum, quia totus Israel tenebatur reus sanguinis, quando aliquis occidebatur, nisi per majores natu civitatis vicinæ, faceret hanc inquisitionem et lustrationem : per eam enim absolvebatur. Vers. 9.

Nota : Occisus vocatur innocens, qui tamen poterat esse nocens et invasor : quia secundum præsumptionem juris, quilibet præsumitur bonus, nisi contrarium probetur. Ita Abulensis.

Allegorice, vitula hæc carnem Redemptoris nostri significat, ait Procopius et Rabanus, quæ nunquam traxit jugum peccati, et in valle dura, indomita et spinetis vitiorum asperrima, scilicet in Jerusalem, immolata est : sacerdotes lavant manus super eam, id est S. Apostoli, et prædicatores, in passione Christi sua opera esse munda demonstrant; dum ab eis caro Christi, pro peccatorum nostrorum expiatione a Judæis crucifixa, prædicatur; dumque confitentur se impietatis Judæorum expertes esse, consequuntur remissionem, ait Cyrillus in *Glaphyris.* Vide Rabanum. Aliter hæc explicat Rupertus. Allegorice, vitula hæc immolata est caro Christi crucifixa.

11 et 12. SI VIDERIS IN NUMERO CAPTIVORUM MULIEREM PULCHRAM, VOLUERISQUE HABERE UXOREM, etc. RADET CÆSARIEM, ET CIRCUMCIDET UNGUES. — Hi ritus præscripti sunt, ait Cajetanus, ut mitigaretur asperitas et inconcinnitas facti, nempe quod Gentilis duceretur uxor in populo Dei; decuitque ut ipsa his velut lustrationibus sanctificaretur, itaque populo sancto misceretur, oblita gentis et cognationis suæ. Vers. 11 et 12.

Tropologice, Christianis doctoribus licet Gentilem ducere, id est ea quæ apud Gentiles, vel hæreticos docta vel elegantia inveniunt, sibi adscisicere, dummodo tamen ea quæ noxia et superflua sunt resecent. Ita S. Hieronymus, epist. *ad Magnum,* Rupertus et Rabanus, qui tamen aptius hæc ac- Tropologice, Gentilis est anima peccatrix, quæ pœnitens

(1) Keri legi jubet שִׁפְכוּ, noli obtemperare : nam sæpe verbum singularis numeri jungi constat nomini pluralis aut dualis numeri, distributive capiendo.

(2) Proprie *expiabitur,* nithp a. כפר.

Quam nubit Christo.

cipit de anima, a gentilismo ad Christianismum, de peccato ad gratiam translata; nam, ut ex eo ait Glossa, mulier hæc Gentilis est anima peccatrix, quæ pulchra est, quia ad imaginem Dei creata est; sed captiva est ob crimen : hanc Christus sponsam ambit, quod ut fiat, radat cæsariem, id est vitia præterita per contritionem deponat; et præcidat ungues, id est occasiones peccati : permittitur tamen ei flere patrem et matrem ad breve tempus, quia recens conversa dolet se a pristinis amicitiis et voluptatibus avelli; sed hoc dolore absterso, sponso jungitur Christo. Ita Cyrillus in *Glaphyris*, et S. Ambrosius, lib. XXXV, epist. *ad Irenæum*.

CIRCUMCIDET (hebraice *faciet*, id est adaptabit circumcidendo) UNGUES. — Male ergo Rabbini exponunt *faciet*, id est crescere sinet *ungues*, ut scilicet fiat deformis, itaque exstinguatur vel minuatur concupiscentia victoris erga eam, cum sit Gentilis (1).

Vers. 14. 14. SI NON SEDERIT ANIMO TUO, — si non placuerit tibi.

HUMILIASTI, — corripuisti.

Vers. 17. 17. DABITQUE EI DE HIS QUÆ HABUERIT CUNCTA DUPLICIA. — Primogenitus enim duplicem recipiebat portionem hæreditatis. Sic Joseph duplicem tribum, scilicet Ephraim et Manasse, et consequenter duplicem hæreditatem in Chanaan, loco Ruben primogeniti Jacob, sortitus est. Pro *duplicia*, Hebraice est פִּי שְׁנַיִם *pi scenaim*, id est *os duorum*, id est duplex portio; perinde atque si primogenitus duo haberet ora, alii fratres singula, quæ portione parentum hæreditaria pascenda sint et implenda. Sic IV *Reg.* II, 9, Eliseus petit ab Elia rapiendo, spiritum ejus duplicem. Hebraice est, *fiat, quæso, in me os duorum de spiritu tuo, q. d.* Ego sum quasi primogenitus inter discipulos tuos, scilicet primus sum, quem in scholam et disciplinam tuam recepisti; da mihi ergo quasi primogenito tuo, ut obtineam duplo majorem vim spiritus tui, præ condiscipulis et commilitonibus meis. Non ergo Eliam magistrum suum, sed condiscipulos suos in spiritu superare cupit. Aut potius, *q. d.* Quia ego sum primogenitus tuus et simul unigenitus (nec enim alios habes discipulos et ministros, quam me), fac ut succedam in utroque tuo spiritu, prophetiæ scilicet et miraculorum. Unde *Eccli.* XLVIII, 13, dicitur in Eliseo completus esse spiritus Eliæ; ita explicant Abulensis et Cajetanus ibidem.

Vers. 19. 19. DUCENT, etc. AD PORTAM JUDICII. — In portis enim ad quas primo veniebant exteri, tanquam in prætoriis et tribunalibus quibusdam publicis, olim fiebant judicia, ut patet ex cap. XXII, 15; *Job* XXXI, 21; *Prov.* XXXI, 23. « Mos veterum fuit, ait S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* XIII, ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent, quatenus tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret. »

21. LAPIDIBUS EUM OBRUET POPULUS, — videlicet post examinationem et sententiam judicum (2). Vers. 21.

22 et 23. QUANDO, etc. APPENSUS FUERIT IN PATIBULO, etc. EADEM DIE SEPELIETUR; QUIA MALEDICTUS A DEO EST QUI PENDET IN LIGNO, — Hebraice est, *quia maledictio Dei est suspensus*; Symmachus, *quia in blasphemiam Dei est suspensus*; alii, *quia convicium Dei est suspensus*. Quæres quare? Vers. 22 et 23. Maledictus erat pendens in ligno, cur?

Fabulantur Judæi quod, ante sepulturam cadaveris, anima ad suam quietem venire non possit, nec ab angelis duci in thalamum Dei, sed interim vexari et affligi a turmis dæmonum. Sed hæ sunt eorum næniæ. Respondet ergo *primo*, Andreas Masius in *Josue* VIII, 28, corpus suspensum statim sepeliendum esse, quia censetur contaminare terram, eo quod homines, terræ incolæ, impiissima et perniciosissima mortalitatis animæ opinione hoc spectaculo informentur, quo bestiarum loco humana corpora esse vident. Sed hæc ratio acutior est, quam germanior. Resp. Prima.

Secundo, Abulensis : Suspendere, ait, malefactores, quia est actus justitiæ, quo reus punitur, hinc cedit ad gloriam Dei : sin maneat in cruce suspensi cadaver, jam non punitur suspensus, utpote jam mortuus, sed ejus corpus tantum, quod aliquam gerit Dei imaginem in vultu humano et erecto. Sola ergo imago Dei tunc manet, quæ punitur : hoc autem cedit in injuriam et ignominiam Dei; quare statim suspensi cadaver sepeliendum est. Verum hæc ratio subtilior quoque est, quam solidior : et non tantum suspensis, sed quibusvis mortuis, et cadaveribus quadrat. Secunda.

Dico ergo cum Cajetano maledictum hic sumi pro execrabili. Volebat siquidem Deus maxime facinorosos (quorum pœna erat suspendium) omnino deleri de terra, adeo ut nec eorum cadavera superessent in pœnam, uti fieri solet in illis qui flammis traduntur. Cæterum illud, « ne contaminetur terra, » ut innuit Chaldæus, explicatio est præcedentium. Sicut enim Scriptura passim ait malis hominibus terram contaminari, ita cum aliquid eorum superest, ut sunt eorum cadavera, adhuc terra inexpiata et contaminata censetur. Tertia et genuina, in pœnam criminis id statui.

Hinc Christus in cruce suspensus, ab Apostolo, *Galat.* III, 13, vocatur « maledictum, » quia, ut ait Rupertus, Deus maledictiones humani generis in Christum transposuit, videlicet dum infamem et execrabilem mortem crucis pro nobis suscepit Christus, « ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus, Christiana libertas, sicut Judaica servitus formidaret, » ait S. Augus- Christus pro nobis factus est maledictum, cur?

(1) Rosenmullerus, *nutriet ungues*, in signum luctus.

(2) Duram hanc legem necessariam faciebat defectus carcerum illis temporibus apud Israelitas, et contentiosæ ebrietatis gravior noxa in calidis illis regionibus. Cf. Michaelis, *Jus. Mosaic.* P. VI, § 294.

tinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. XXI, et lib. XIV *Contra Faustum*, cap. XI, et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. VIII : « Dominus, ait, ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. »

Ubi tamen nota hanc legem proprie loqui de reis et noxiis, ut patet, non de innocentibus, qualis erat Christus : ita Eucherius in *Quæstion.* hic; vide dicta *Galat.* III, 13.

Nota : Hæc lex judicialis fuit, ideoque jam per Christi legem et mortem abrogata est. Hinc jam, nec præ aliis sontibus suspensi sunt maledicti, nec eadem die sepeliuntur; sed per dies, menses et annos pendent in patibulo, ad terrorem cæterorum malefactorum. Lex hæc per Christi crucem est abolita.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repetit Moses leges quasdam de misericordia, etiam in bestias exercenda, ut de sublevando bove, de non capienda matre cum pullis, de non arando in bove et asino. Secundo, vers. 13, *sponsus, falso objiciens sponsæ fornicationem, jubetur verberari, et solvere centum siclos argenti. Tertio, vers.* 20, *adulter et adultera, etiamsi tantum sit desponsata, jubentur lapidari. Quarto, vers.* 23, *qui vim infert virgini solutæ, jubetur solvere* 50 *siclos argenti, et virginem ducere, ac semper retinere.*

1. Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo, 2. etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum : duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, et recipiat. 3. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit : si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. 4. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. 5. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea : abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. 6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis; 7. sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore. 8. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio, et in præceps ruente. 9. Non seres vineam tuam altero semine; ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. 10. Non arabis in bove simul et asino. 11. Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est. 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. 13. Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam, 14. quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem; 15. tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in porta sunt; 16. et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, 17. imponit ei nomen pessimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem; et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis : 18. apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum, 19. condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel : habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. 20. Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas, 21. ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur : quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui; et auferes malum de medio tui. 22. Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera : et auferes malum de Israel. 23. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et

concubuerit cum ea, 24. educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur : puella, quia non clamavit, cum esset in civitate ; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui : et auferes malum de medio tui. 25. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus : 26. puella nihil patietur, nec est rea mortis ; quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est. 27. Sola erat in agro : clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam. 28. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit : 29. dabit, qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. 30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

Vers. 1. 1. NON VIDEBIS BOVEM FRATRIS TUI (puta Judæi, qui tuæ est gentis et generis, æque ac religionis. Sub bove intellige equum, mulum, et alia animalia : par enim omnium est ratio) ERRANTEM, ET PRÆTERIBIS : SED REDUCES FRATRI TUO. — Sanxit hoc Deus, ad charitatem mutuam inter Judæos fovendam et exercendam. Eadem de causa jubet vers. 4, asinum proximi lapsum sublevari. Quidni ergo idem faciant Christiani, etiamsi coloni sint et rustici ? Alfonsus Aragonum, Neapolis et Siciliæ rex, cum per Campaniam iter faceret, in agasonem incidit, cujus jumentum farina onustum cum in luto hæreret, et agaso prætereuntium opem imploraret, ipse rex ex equo descendens suam in asino ex luto extrahendo operam agasoni impendit ; qui ubi regem agnovit, in genua procidens veniam petiit ; quem ille placidis verbis a se dimisit, eoque facto Campaniæ populos sibi conciliavit. Testis est Panormitanus, in ejus Vita, lib. I.

Mystice, si Deus jubet asinum sub onere jacentem levari, quanto magis hominem sub peccato gementem jubet attolli et educi ? S. Bernardus, *epist.* 203 : « Virgo, ait, Israel corruit, et non est qui sublevet eam. Quousque in luto aurum jacet ? tollite margaritam, tollite, levate splendidissimam ac pretiosissimam gemmam de sterquilinio, levate eam, antequam porcorum, id est spurcorum spirituum pedibus conculcetur. »

Vers. 5. 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, NEC VIR UTETUR VESTE FEMINEA, — tum quia hoc per se indecens est, ut scilicet vir veste mentiatur se feminam, aut femina veste mentiatur se virum ; tum ne occultis libidinibus et aliis vitiis locus detur ; optima enim pudicitiæ custodia est vestitus honestas : nam, ut ait Poeta :

Custos pudicitiæ est vestitus honestas.

> Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
> Quæ fugit a sexu ?

et Herodotus : « Mulier, ait, cum veste simul etiam pudorem exuit. » Vide Rabanum. Vide et S. Ambrosium, epist. *ad Irenæum*, ubi hanc Deutoronomii legem pertractat, ejusque quatuor dat causas. « *Primo*, cur, ait, homo, non vis videri esse, quod natus es ? cur alienam tibi assumis speciem ? cur mentiris feminam, vel tu femina virum ? suis unumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diversus usus, diversus color, motus, incessus, diversæ vires, diversa vox est in viro et femina. *Secundo*, in avibus etiam propria ad vestitum est inter eos et homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Pavi mares speciosi, feminæ non item pennarum vario pinguntur colore. Phasianis quoque diversus color, qui distinguit sexus discretionem. Quid in pullis ? « alius certe est habitus galli a gallina. » — Numquid illi mutant speciem suam ? cur nos mutare desideramus ? *Tertio*, mendacium et in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ, illic assumere viros muliebrem vestem, gestumque femineum, sacrum (id est execrandum, sacrilegum) putatur. Unde lex dicit : Quoniam immundus est Domino omnis qui fecerit hæc. *Quarto*, merito illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio. » Unde sequitur : « Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc. » Quare videtur peccasse mortaliter Judæus, utens veste feminea, et Judæa utens veste virili. Unde videtur hoc præceptum partim esse naturale, partim cæremoniale, et jam abolitum, quatenus scilicet obligabat sub peccato mortali. Jam enim non esse peccatum mortale, si vir aut femina vestes sexus commutent ex levitate, si absit scandalum, et intentio, periculumque libidinis, docent D. Thomas, Cajetanus, et ex iiis Navarrus, *Enchirid.* cap. XXIII, num. 22. Simile erat in cognoscente menstruatam, uti dixi *Levit.* XVIII, 19.

Vir utens veste feminea et femina virili, olim peccabant mortaliter, jam non, unde ?

Tropologice Cyrillus, lib. V *De Adoratione*, fol. 87 : Abominatur, inquit Deus, ac turpissimum putat spectaculum, tum fortitudinis opinionem in molli vita, tum in forti viro mollis animi languorem. Tropologice. Primo.

Rursum Rupertus : Mulier, ait, induitur veste virili, quando is qui nescit vitæ suæ moderamina tenere, judex fieri audet vitæ alienæ, et præesse præsumit, qui nondum subesse didicit. E contrario vir utitur veste feminea, quando vir spiritualis, vel doctor aut Prælatus, qui tanquam Secundo.

vir præest in Ecclesia, fluxa sequitur vitia : unde fit ut prædicatio ejus contemnatur, cujus vita despicitur.

Vers. 6. 6. NON TENEBIS EAM CUM FILIIS, — non capies in nido matrem cum pullis. Ratio hujus legis fuit, ut per eam inducerentur Judæi ad pietatem et misericordiam, etiam in bestias exercendam; quo facilius, ait Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVII, « in pecudibus et bestiis præmeditata humanitas, in hominum refrigeria eruderetur. » Sic et Theodoretus, *Quæst.* XXI. Tropologiam vide apud Rabanum et Rupertum Eadem de causa vetuit Deus ne coquerent hædum in lacte matris, id est lactentem, *Exodi* XXIII, 19; et ne ararent in bove et asino, hoc capite, vers. 10; et ne obligarent os bovi trituranti, *Deuter.* cap. XXIV, vers. 4.

Vers. 8. Tecta domorum erant plana in Judæa. 8. CUM ÆDIFICAVERIS DOMUM NOVAM, FACIES MURUM TECTI PER CIRCUITUM. — In Palæstina tecta domorum erant plana, quibus homines inambulabant, perinde ac nos in tabulatis; ergo ne ex alto, circa extremitates, in terram labi quem contingat, jubet hic Deus eas muro, vel septo cingi. Audi Maldonatum in *Jerem.* cap. XLVIII, vers. 38 : « Erant, ait, in Judæa tecta superne aperta et complanata, strataque lateribus, et lita cæmento, qualia hodie in Bœtica nostra, et in Italia sunt multa, ut etiam S. Hieronymus adnotavit in epistola *ad Suniam et Fretellam*, Romæque solaria, vel meniana vocari dicit. Itaque in tectis in hieme apricabantur, in æstate noctu cœnabant; et sub dio dormiebant, et sæpe ad confabulandum conveniebant Judæi. Ex quo illud intelligitur : Quod in aure auditis, prædicate super tecta, *Matth.* X, 17. Et Petrus, *Act.* X, 9, ascendit orandi causa ἐπὶ τὸ δῶμα, *in tectum*. Et quod præcipitur Judæis, *Deut.* XXII, 8, facere murum tecti per circuitum, ne quis ex eo cadat, et homicidii rei sint. »

Vers. 9. Vineam ne seras altero semine, quo modo ? Prima explicatio et genuina. 9. NON SERES VINEAM TUAM ALTERO SEMINE (quasi dicat : Non seres inter vites duas species seminis, sive semina heterogenea : hæc enim hebraice vocantur כִּלְאַיִם *kilaim*) : verbi gratia, triticum cum siligine, avenam cum hordeo. In Palæstina enim, regione calida, solebat aliquid seri inter ordines vitium, ait Vatablus (1). Vetat autem hic Deus ne id fiat diverso semine; datque causam) NE (uvæ et segetes) PARITER SANCTIFICENTUR, — id est polluantur, quia segetes ex satione hac mixtorum a Deo vetitorum, immundæ censentur, et quasi polluere etiam vicinas uvas quas contingunt et ambiunt : ita enim sancit hic Deus; vide dicta *Levit.* XIX, 19. Nota : Hebræum קדש *kadas*, id est sanctificare, est unum ex iis quæ sunt contrariæ significationis : unde subinde, ut hic et alibi, significat polluere.

Alii sic explicant, *q. d.* Ne ex avaritia, et nimia lucri et frugum cupiditate, seras inter vites et uvas semen aliquod : quia vinea sibi liberam terram deposcit, totamque ejus pinguedinem sola exigit; ne sementis et uvæ pariter sanctificentur, id est polluantur, et pereant, atque ad sterilitatis et sabbati otium redigantur. Ita Rupertus, S. Augustinus et Procopius. Sed prior sensus germanior est : hoc enim Hebræis est, serere *kilaim*, ut patet *Levit.* XIX, 19. Secunda.

Tertio, Abulensis : Ne seras, ait, vineam diverso semine, scilicet ex fraude et avaritia, putans quod primitias et decimas tantum semel ex eodem fundo quotannis pendere tenearis; itaque dando eas ex segetibus quæ primo colliguntur, putes te ex uvis secuturis nihil pendere debere. Unde ait : « Ne sementis, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur, » id est, ne credas quod sementis, id est fruges, et quæ nascuntur ex vinea, id est uvæ, simul sanctificentur; ita, quod solvendo et offerendo decimas vel primitias de uno, sit solutum de alio. Hucusque verba sunt Abulensis. Verum hic sensus alienior est, verbaque invertit : aliud enim est sanctificari reipsa, aliud credere, idque falso, unum semen sanctificari, id est offerri, per aliud. Tertia.

Alienior quoque est explicatio Theodoreti, *Quæst.* XXIII : « Ne sanctificetur, » inquit, *q. d.* Volo ut talia mixta semina et segetes mihi sanctificetis, id est offeratis : nolite ergo talia seminare, ne cogamini ea mihi offerre. Quarta.

Vers. 10. Ne ares cum bove et asino. Cur? 10. NON ARABIS IN (id est *cum*) BOVE SIMUL ET ASINO. — Ratio est, quia eorum vires sunt inæquales, itaque asinus associatus bovi plus æquo gravaretur (2).

Tropologice. Tropologice S. Gregorius, lib. I *Moral.* cap. XVI, quasi dicat : « Fatuum sapientibus in prædicatione non socies, ne per eum, qui rem implere non valet, illi qui prævalet obsistas. » Ita Plato duos suos discipulos, scilicet Xenocratem, qui tardiori erat ingenio, cum Aristotele acri conjungens : « Hui, ait, qui asinum cum equo sociabo? hic freno, ille calcari indiget. » Ita Plutarchus in *Platone*.

Vers. 12. 12. FUNICULOS IN FIMBRIIS FACIES. — De his funiculis et fimbriis Judæorum, dixi *Numer.* XV, 38. Porro funiculos hos jubet fieri « per quatuor angulos, » id est oras, sive extremitates, « pallii, » hoc est vestis extimæ quia, ut ait Abulensis, pallia, hoc est vestes extimæ Judæorum erant apertæ ante et retro, et in duobus angulis cujuslibet aperturæ erant duo funiculi hyacinthini dependentes, et sic erant quatuor funiculi. Si quis per quatuor angulos accipere velit quatuor differentias posi-

(2) Vox כרם proprie est *nobilior, generosior agri pars*, coll. arab. *kharam*, hinc præsertim *vinea* et *olivetum*. Sed aliquando *agrum cultum* quoque designat, itaque hic vertit Syrus. Conf. locum parallelum *Lev.* XIX, 19. Sequitur, *ne devota* sit plenitudo sementis, quod quidam interpretantur, *ne sacro fisco addicatur istiusmodi proventus.*

(2) Multi putant præceptum hoc symbolicum quoque esse, et vetari eo, ne quis Israelita cum cultu Jovæ conjungat cultum idolorum.

tionum, ut hæc fila fuerint in fimbriis vestis extimæ ante et retro, ad dexteram et sinistram; non repugno. Sic enim hodie videmus famulos nonnullorum principum, eorum colores et stemmata, ad quatuor hæc latera pallio assuere. Judæi jam in Synagogis vestem quadrangulam, cui hæc fila assuta sunt, humeris injiciunt, uti dixi *Num.* XV.

Vers. 14. 14. OBJICIENS EI NOMEN PESSIMUM, — puta crimen fornicationis, et quasi adulterii; nil enim pejus et turpius de femina, præsertim virgine, dici potest. Ita Abulensis.

NON INVENI (eam) VIRGINEM, — cum se talem mihi ante desponsationem venditasset, nec enim alias eam ducere voluissem; itaque præsumebatur hæc femina, ex propria assertione, post desponsationem fornicata esse, ideoque rea esse mortis, ut dicitur vers. 21. Nam asserebat ipsa se virginem, cum desponsaretur; et postea asserebat sponsus se eam non invenisse virginem; ergo inter desponsationem et nuptias, corruptam eam fuisse necessum erat dicere, ideoque morti adjudicatur, vers. 21. Nam si ante desponsationem peccasset, non puniebatur morte, ut patet hic, et *Exodi* XXII, 16. Debebat autem, statim post nuptias celebratas, queri sponsus de sponsæ fornicatione, alioqui falsa præsumpta fuisset ejus accusatio, et tantum quæsita occasio ad eam dimittendam.

Vers. 17. Signa virginitatis quæ? Opinio Lyrani. Opinio communis.

17. ECCE HÆC SUNT SIGNA VIRGINITATIS FILIÆ MEÆ. — Per signa hæc Abulensis et Lyranus accipiunt testimonia matronarum, quæ ante nuptias sponsæ virginitatem explorarant; hæc enim scripto consignata asservaverat sponsæ parens. Verum communiter alii Interpretes, quin et ipse Abulensis tandem, per signa hæc accipiunt vestem, ut dicitur vers. 17, id est linteum sanguine tinctum, quem ex primo cum virgine congressu, ab illa profluere aiunt Medici, idque non ex ruptura membranæ alicujus, quæ virginitatis sit custos, ut vulgus autumat; sed ex dilaceratione partium, vel labiorum uteri, quæ in virginibus naturali symphysi, seu coalescentia invicem astricta sunt, et in primo congressu violenter quasi lacerantur et dividuntur, itaque erumpit sanguis. Ita Galenus, lib. *De Dissectione vulvæ*, et Franciscus Valesius, *De Sacra Philosophia*, cap. XXV. Hoc ergo linteum pater sponsæ, præsente sponso et testibus, accipiebat et recondebat; ac, si sponsus stuprum sponsæ objiceret, coram judice proferebat, itaque sponsi calumniam refutabat. Hoc enim significat *primo*, τὸ *expandent vestimentum coram senioribus civitatis; secundo*, vers. 14, τὸ *ingressus ad eam, non inveni virginem.* Si enim ante congressum maritalem matronæ explorassent, dixissentque non esse virginem, sed corruptam, sponsus ad eam non fuisset ingressus, sed statim eam repudiasset vel accusasset.

Vers. 14. 24. VIR, — non qui eam sibi despondit, vers. 23; sed qui eam alteri desponsam humiliavit, id est violavit, ut sequitur.

Vers. 25 et 26. 25 et 26. SIN AUTEM IN AGRO (nota: Puella desponsa, si stuprum esset passa in civitate, nisi clamasset, clamorque ejus auditus fuisset, censebatur stupro consensisse, ideoque esse rea mortis: si enim clamasset, accurrissent vicini, eamque liberassent; in agro vero clamans, etsi clamor ejus a nemine fuisset auditus, censebatur insons: quia scilicet ibi vix ullus erat, qui eam audire et juvare posset; unde de hac ait): QUONIAM SICUT LATRO CONSURGIT CONTRA FRATREM SUUM, etc., ITA ET PUELLA PERPESSA EST,—Hebraice, *quoniam sicut consurgit quis contra proximum suum, et interficit eum anima*, id est ictu animæ, sive quo anima separatur a corpore, *sic res ista se habet.*

Vers. 28. 28. ET APPREHENDENS,—id est vim faciens. Unde Septuaginta vertunt, βιασάμενος: alioqui enim nulla lex statueretur hic circa violenter corruptas. Ita Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. XXXIV; qui ergo per vim stupraverat virginem solutam, jubetur hic eam ducere et retinere, ac insuper patri ejus solvere 50 siclos argenti.

Vers. 30. 30. NEC REVELABIT OPERIMENTUM EJUS,—Hebraice, *non deteges alam vestis patris*, id est, non deteges vestem, sive operimentum, quo turpitudo patris tegebatur; turpitudinem patris vocat verenda uxoris patris, uti dixi *Levit.* XVIII, 6.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eunuchus, Ammonites et Moabites in æternum arcentur ab Ecclesia Dei; item Idumæus et Ægyptius usque ad tertiam generationem, atque mamzer usque ad decimam. Secundo, vers. 10, *jubet Deus castra esse munda a pollutione et stercore. Tertio, vers.* 17, *vetat scortationem. Quarto, vers.* 19, *vetat ne fœnerentur fratri, sed alieno. Quinto, vers.* 21, *votum sine mora solvi jubet.*

1. Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro, Ecclesiam Domini. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque

ad decimam generationem. 3. Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini, in æternum : 4. quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto ; et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi : 5. et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus. 8. Qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini. 9. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. 10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11. et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua : et post solis occasum regredietur in castra. 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, 13. gerens paxillum in balteo, cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies 14. quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos) ; et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit; 16. habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet : ne contristes eum. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. 18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris : quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ; 20. sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, in quo indiget, commodabis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam. 21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus ; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es. 24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit : foras autem ne efferas tecum. 25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres : falce autem non metes.

Vers. 1. 1. NON INTRABIT EUNUCHUS, ATTRITIS VEL AMPUTATIS TESTICULIS, ET ABSCISSO VERETRO (virga virili) ECCLESIAM DOMINI. — Per « Ecclesiam » aliqui accipiunt atrium templi vel tabernaculi ; ita enim videtur explicari *Threnor.* cap. I, 10, ubi dicitur : « Vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. » Ita Theodoretus, Olympiodorus et Dionysius Carthusianus in *Thren.* I, 10. *Secundo,* Cajetanus et Oleaster per Ecclesiam intelligunt primores Ecclesiæ et cœtus Judæorum, *q. d.* Eunuchus, etc., non erit e magistratu Judæorum.

Ecclesia hic quænam?

Prima sententia.

Secunda.

Tertia. Verum dico, pro *non intrabit in Ecclesiam Domini,* hebraice est, *non intrabit in congregationem Domini,* ut scilicet sit de populo sancto, ut censeatur Israelita, et filius Abrahæ, ut habeat jus ducendi Israelitidem, ut gaudeat juribus Judæorum. Intrare ergo Ecclesiam Domini, est annumerari populo Israelitico, et frui gratiis ac privilegiis quibus in lege Israelitæ fruebantur, ut quod illis pecunia non daretur ad usuram, quod fruerentur privilegiis anni septimi remissionis, et anni jubilæi, uti dixi *Levit.* XXV, 44, ac aliis pluribus. Non ergo eunuchi, Ammonitæ, Moabitæ, etc., arcentur hic a judaismo, fide, salute et templo ; hoc enim alienum videtur a Dei bonitate : poterant ergo fieri proselyti, itaque admitti ad phase, aliaque sacra Judæorum, ut patet *Exodi* XII, 48. Arcentur ergo tantum a societate politica Judæorum, ut non habeantur cives, nec habeant jus civicum apud Judæos. Sic sumitur Ecclesia pro cœtu populi, *Numer.* XX, 4, et *Judic.* XX, 2, ubi dicitur : « Cunctæ tribus Israel in Ecclesiam Dei convenerunt. » Unde explicans subdit :

Vers. 2. Mamzer est spurius. 2. NON INGREDIETUR MAMZER IN ECCLESIAM DOMINI. — « Mamzer » est extraneus, spurius, nothus, non ex propria et legitima uxore, sed ex aliena, puta ex scorto natus, a radice זור *zur,* id est alienus, extraneus fuit : aut quod mater adultera eum, cum sit alienus, supponat marito suo, quasi ejus prolem.

USQUE AD DECIMAM GENERATIONEM. — Undecimus

ergo nepos, descendens ex mamzere, quasi abstersa jam macula et nota natalium, poterat in cœtum et conjugium Judæorum recipi.

Tropologice. Tropologice, eunuchus significat sterilitatem animæ, mamzer fructum malum : hæc arcenda sunt ab Ecclesia Dei. Ita Theodoretus, *Quæst.* XXV et XXVI.

Vers. 6. 6. NON FACIES CUM EIS (Ammonitis et Moabitis, qui tibi hostes fuerunt, et contra te Balaam conduxerunt, ut tibi malediceret) PACEM, NEC QUÆRAS EIS BONA, — *q. d.* Non habebis communicationem cum eis, quoad convictum et commercia temporalia, ne tibi rursum sint scandalo, teque quasi ex innato odio seducere, ad idololatriam pellicere et perdere conentur. Arcet hic Deus eunuchos, mamzeres, Moabitas et Ammonitas a populo suo, tum ob decorem et honorem populi sui : qua de causa S. Ambrosius noluit admittere histriones ad Ecclesiam Christianam; tum ob scelera ac odium innatum Ammonitarum et Moabitarum in Judæos, uti jam dixi. Unde Theodoretus : Moab, inquit, et Ammon propter infectam radicem, et propter impietatem arcentur ab Ecclesia Dei. Excipiuntur feminæ ; nam Ruth Moabitis nupsit Boos, abavo Davidis.

Eunuchi et Moabitæ arcentur a populo Dei, cur? S. Ambrosius histriones repulit ab Ecclesia.

Tropologice, Moab significat concupiscentiam, quæ a patre diabolo est, item carnales sensus, qui nunquam Ecclesiam Dei cœlestem ingredientur : ita Origenes, homil. 5 *in Genes.*, Ambrosius, Gregorius et alii.

Vers. 8. 8. QUI NATI FUERINT EX EIS (Ægyptiis, vel Idumæis), TERTIA GENERATIONE INTRABUNT IN ECCLESIAM DOMINI. — Tertia hæc generatio computanda erat ab eo, qui primus fuerat ad judaismum conversus, atque ab Ægyptiis et Idumæis transierat ad Judæos, habitando in Judæa.

Vers. 9. 9. QUANDO EGRESSUS FUERIS IN PUGNAM, CUSTODIES TE AB OMNI RE MALA, — a furtis, rapinis, scortatione, perjuriis, blasphemiis aliisque vitiis, quibus milites infici et castra inficere solent. Ita Julius « Cæsar non minus in milite modestiam et continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem desiderabat, » uti ait ipse, lib. VI *De Bell. Gal.*

Scipio minor, videns in castris multam licentiam, lasciviam, superstitionem et luxum, divinos cum lenonibus protinus ejecit : quin et vasa omnia jussit amoliri, excepta olla, veru et poculo fictili. Edixit ut milites stantes pranderent obsonium non igni coctum; cœnarent vero discumbentes panem, aut pultem solam, et carnes assas, sive elixas. Ipse vero sago tectus obambulabat castra, dicens « se lugere exercitus dedecora. » Ita Plutarchus in *Apophtheg. Rom.*

Theodoricus rex apud Cassiodorum, lib. VII, ita sancit : « Milites tibi commissi vivant cum provincialibus jure civili, nec insolescat animus qui se sentit armatum, quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis. »

Sergius Galba in gravissimis bellis severissima disciplina habuit milites suos; adeo ut simul atque venisset castra, protinus vulgaretur ille trochaicus : « Disce, miles, militare; Galba est, non Getulicus. »

Alexander Severus in expeditionibus, si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, funibus aut virgis cædebat; si honoratus esset, acriter objurgabat : « Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno? » Clamabat sæpius quod a Christianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem castigabat : « Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. » Ita Lampridius.

Aurelianus Imperator cum a vicario suo litteras accepisset, quibus efflagitabat ut rescriberet quomodo res gerenda esset, ita statim rescripsit : « Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat. » Ita Vopiscus in *Aureliano.*

Optime vero et brevissime S. Joannes Baptista militibus rogantibus, quid faciemus ut salvemur? respondit : « Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris, » *Luc.* III.

Quocirca Valerius Maximus, lib. II, recte concludit : « Aspero et abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget; quia vires armis constant, quæ ubi a recto itinere desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. »

10. POLLUTUS SOMNIO EGREDIETUR EXTRA CASTRA. — Tropologice S. Gregorius, IX *Moral.* XL : « Nocturnum, ait, somnium est tentatio occulta. Pollutum ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantem, sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperam lavatur aqua, cum defectum suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta convertitur; sed post occasum solis ad castra redeat, quia defervescente tentationis ardore, necesse est ut iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. » Vers. 10.

12 et 13. HABEBIS LOCUM EXTRA CASTRA, AD QUEM EGREDIARIS AD REQUISITA NATURÆ, GERENS PAXILLUM IN BALTEO, — cingulo (1), etc., idque ad honestatem et munditiem castrorum; unde dicitur vers. 14 : « Sint castra tua sancta, » id est pura et munda : nitoris enim tam interni, quam externi amator est Deus, qui est fons omnis puritatis, spiritusque purissimus; *secundo*, ad valetudinem castrorum; *tertio*, ad vitandam sacerdotum offensionem, qui per castra cum arca et vasis sanctis transibant. Hisce incommodis in terra promissionis occurrere potuerunt Hebræi; unde ibi in urbibus more nostro suos habuerunt secessus. Quare Abulensis censet hoc præceptum non obligasse, nisi in deserto : adde et tempore belli, in castris. Esseni vero utpote tam legis quam puritatis studiosissimi, etiam in Judæa hanc legem stricte observarunt, uti docet Josephus, lib. II *De Bello Judaico*, cap. VII. Vers. 12 et 13.

Munditiem externam amat Deus.

(1) Hebr. est, *paxillum præter utensilia tua.*

Tropologice. Tropologice S. Gregorius, XXXI *Moral.* XXII, et ex eo Rupertus : « Portare sub balteo paxillum debemus, ut scilicet ad reprehendendos nos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, et hoc quod a nobis fœdum erumpit, abscondat. » Hinc et Cyrillus in *Glaphyris*, per paxillum accipit crucem cujusque.

Vers. 15. 15. NON TRADES SERVUM DOMINO SUO, QUI AD TE CONFUGERIT, — cum scilicet dominus eum injuste vult affligere, vel lædere aut occidere, ut patet ex seq., donec placatus et reconciliatus ei sit; tum enim servus domino suo restituendus est.

Vers. 17. 17. NON ERIT MERETRIX DE FILIABUS ISRAEL, NEC SCORTATOR. — Monet lex *primo*, filias et filios, ut caveant a scortatione; *secundo*, parentes, ne eis permittant scortari, neve filias prostituant; *tertio*, magistratum, ut non toleret in politia sua publicam scortationem et lupanaria. Si enim vetatur Judæis meretrix Israelitis, multo magis vetatur alienigena et Gentilis, a qua periculum erat idololatriæ, uti eventus probavit in Madianitis et Moabitis, quæ Hebræos duxerunt ad colendum Beelphegor; unde Deus in eos desæviit, *Numer.* cap. XXV.

NON ERIT SCORTATOR DE FILIIS ISRAEL. — Pro *scortator*, verti potest cum Vatablo et Pagnino, scortum masculum, puta cinædus, sive puer pathicus. Hunc enim apte significat hebraice קדש *kades*. Noster alibi vertit *effeminatus*, sicut ejus femininum קדשה *kedesca* hic et alibi scortum femineum, sive meretricem significat. Alii tamen cum Nostro recte quoque vertunt *scortator*.

Τελεσφόρος quid? Septuaginta post hunc versum addunt : *Non erit* τελεσφόρος *de filiabus Israel*, quod Tertullianus, lib. *De Pudicitia*, cap. IX, et S. Hieronymus, *epist.* 146, vertunt : *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel*; quam sententiam suæ rebellioni contra Romanos prætexebat Judas Galilæus, de quo *Actor.* cap. V. Verum hæc sententia non habetur in Hebræo aut Latino textu. Quare videtur addita a Septuaginta ad explicandam præcedentem sententiam : « Non erit meretrix de filiabus Israel; » τελεσφόρος enim hic vocatur meretrix, quæ se consecrans Veneri aut Priapo, ei vectigal ex impudicitia solvit. Ita S. Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*. Unde S. Augustinus, lib. X *De Civitate*, cap. IX, ait hac voce teletarum significari consecrationes quasdam theurgicas, quæ vere essent fallaces ritus dæmonum. Videntur ergo teletæ fuisse sacra impudica, quibus quæ se Veneris aut Priapo obstringerent feminæ aut viri, mysteria quædam et dona, ut partem turpis lucri, portarent, sicut canephoræ apud Athenienses; planeque τελεσφόρος videtur dictum de femina : adjungitur enim, « de filiabus Israel; » et subditur : *Et non erit* τελισκόμενος, id est *initiatus, de filiis Israel*. Ubi Theodoretus, *Quæst.* XXVIII : « τελεσφόρον, ait, vocat eum, qui mysteriis initiat, τελισκόμενον autem, eum qui initiatur. » Tales enim hebraice vocabantur *kedescim* et *kedescot*; qualis fuit Maacha mater Asa regis, et effeminati in sacris Priapi, III *Reg.* XV, 12 et 13.

Vers. 18. 18. NON OFFERES MERCEDEM PROSTIBULI, NEC PRETIUM CANIS (1) IN DOMO DOMINI. — Recte hinc infert Philo : « Si mulieris amatoribus obsequentis profana dicuntur munera, quanto magis scortantis animæ, quæ se prostravit constuprandam vinolentiæ, gulæ, voluptati, ambitioni, avaritiæ? »

Rursum S. Hieronymus in *Isaiæ* LXVI, 3, citans hunc locum *Deuter.* : « Pulchre, inquit, canis et meretrix copulantur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem. » Utrumque etiam ob impudentiam, vilitatem, turpitudinem et fœtorem abominantur homines, præsertim Hebræi. Unde illud Abner, II *Reg.* III, 8, ad Isboseth objicientem ei libidinem, et copulam cum concubinis patris sui Saulis : « Numquid caput canis ego sum? » Et David ad Saulem, I *Reg.* XXIV, 15 : « Quem persequeris rex Israel? canem mortuum. »

Vers. 19. 19. NON FOENERABIS FRATRI TUO AD USURAM. — « Usura » hebraice vocatur נשך *nesech*, id est morsus, scilicet caninus. Cum ergo nemo censeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo, seipsum pasceret; hinc ad probri effugium, usuram תרבית *tarbit*, id est incrementum, vocarunt, uti a Latinis honesto nomine vocata est usura. Deus, ut talibus fallaciis et prætextibus occurrat, utrumque nomen hic conjungit, et damnat. Audi R. Salomonem : Incrementum, inquit, usuræ vocatur *nesech*, quia habet instar morsus serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ita ut non sentiat, mox autem serpit et diffundit se venenum, donec perveniat ad verticem ejus. Sic quoque incrementum usuræ se habet : non enim sentitur, neque cognoscitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicujus exhauriat. Hinc usura a Chaldæis vocatur חבוליא *chabulia*, id est perditio, quod omnes opes perdat et devastet. Unde *nesech* alludit per metathesim ad נחש *nachas*, id est serpens, quia instar serpentis arrodit et enecat hominem. Hinc S. Chrysostomus in *Matth.* cap. V : Pecunia, inquit, usurarii similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit; sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum, id est, hominem devorat. Quare S. Ambrosius, lib. III *Offic.*, usuram vocat homicidium. Sic Cato testis est olim fures damnatos esse ad duplum, fœneratores vero ad quadruplum restituendum; ac rogatus quid esset fœnerari, respondit : Est ho-

Usura hebraice vocatur *nesech*, id est morsus.

Fœnerari est occidere.

(1) Quod datum est scorto masculo, sive puero meritorio pro nefario concubitu. *Canis* autem vocatur talis homo impurus, quod canes impudentia ac libidine æmulatur. Tales et *Apoc.* XII, 15, κύνες vocantur. Constat autem Phœnices mercedem usuræ corporis sui Deo vovisse.

minem occidere. Pauperes enim exhaurit usura, eosque fame necat. Hinc et Philosophi usuram, quasi repugnantem rationi naturali, damnarunt; nam manifeste injustum est ut rei non fructiferæ, puta pecuniæ, exigatur fructus, idque cum proximi, præsertim pauperis, gravi damno. Romani, lege 12 tabularum, caverunt ne quis plus unciario fœnore fœneraret; mox tribunitia rogatione ad semunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, postea ad trientem; demum L. Gemutius tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret; paulatim succrescens iterum fœnus Cæsar succidit. Laudati sunt Lucullus quod Asiam, Cato quod Siciliam fœnore liberassent. Cornelius Tacitus narrat Germanis fœnus omne ignoratum et exsecratum fuisse. Indi nunquam admiserunt fœnus. Agis Atheniensium dux adeo fœnus detestatus est, ut facto igne in foro tabulas omnes fœneratorum exurendas curaverit, quo præclariorem luculentioremque ignem nunquam se vidisse exclamavit Agesilaus.

Gentiles damnarunt usuras.

Vers. 20. 20. SED ALIENO, — alienigenæ, qui non est de gente tua, sive persistat in infidelitate, sive ad judaismum sit conversus. Permisit ergo Deus Judæis dare ad usuram alienigenis, et his permisit dare Judæis, ob duritiem cordis eorum, ne lucro inhiantes Judæi Judæis darent ad usuram; permisit autem, id est non punivit. Nam usuras quasvis, etiam illa lege veteri absolute, absque discretione fratris, vel extranei, vetitas fuisse colligitur *Psalm.* XIV, 5, *Psalm.* LIV, 12, *Ezech.* XVIII, 8. Ita Lyranus, Cajetanus et alii.

Perperam ergo Judæi hoc loco suarum usurarum, quibus Christianis et aliis gentibus fœnerantur, prætextum quærunt. Præsertim quia Judæi Romanos vocant et putant esse Idumæos. Idumæi autem erant fratres Judæorum; nam eorum parens Esau frater erat Jacobi sive Israelis. Si ergo Christiani sunt Idumæi, ergo sunt fratres Judæorum; ergo eis fœnerari non licet. Ait enim lex : « Non fœneraberis fratri tuo. »

Ex paulo ante citatis Scripturæ locis refellas quoque Calvinum, asserentem in Scriptura veteri vetari tantum ne quis pauperibus fœneretur; permitti ergo, ut quis divitibus fœneretur.

Usuræ quævis veteri lege fuerunt vetitæ, licet id neget Calvinus.

S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XV, per alienos accipit gentes hostiles, ut Amalecitas, Amorrhæos, Chananæos, etc., *q. d.* Ab his usuram exige, quos non sit crimen occidere. Ubi enim jus est belli, ibi est et usuræ : quos enim poterant occidere, eorum et bona rapere, vel aperte vel occulte, et dolose per usuras poterant, præsertim cum hæ gentes fœneraturæ essent Hebræis, imo eos expilaturæ. Idem ergo jus concedit Deus hic populo suo, quod gentes hæ in eum usurpaturæ erant. Itaque duplici jure, scilicet primo repræsaliorum, secundo belli, poterant Judæi gentibus hisce fœnerari. Hic sensus verus est et commodus, nisi quod nomen alieni restringat ad gentes hostiles; sed dici posset omnes gentes, maxime vicinas, fuisse hostes Judæorum.

Judæi poterant fœnerari Chananæis, quia eos poterant occidere.

« Pari modo, inquit D. Damhouderius insignis Jurisconsultus in *Locis commmunibus*, admon. 9 ad usuriaros, cum Turca et Saracenis Christiani facere possunt usuram, ut sic bona Ecclesiæ recuperent, quæ Turca et Saraceni sine ulla ratione, jure et æquitate, occisis tot millibus Christianorum hactenus invaserunt. Qui ergo a Turca, a latrone et fure infideli usuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, et Ecclesiam auxerit. » Denique pie et vere dixit S. Bernardinus Senensis, « usuram sine peccato exerceri posse, si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent, » puta si daretur pauperibus.

Christiano licet Turcis fœnerari.

Vers. 24. 24. INGRESSUS VINEAM. — Quod hic de uvis proximi, et spicis carpendis et comedendis dicitur, dummodo foras non efferantur, idem a pari de pomis aliisque fructibus accipe. Ita Abulensis.

Vers. 25. 25. SI INTRAVERIS IN SEGETEM AMICI TUI, — puta Judæi, gentilis tui. Judæi enim vocabantur fratres et amici sive proximi; nam cum Gentilibus vix erat Judæis amicitia.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Permittitur libellus repudii. Secundo, vers. 6, variæ leges circa pignora et pauperum subventionem sanciuntur.

1. Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. 2. Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3. et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit; 4. non poterit prior maritus recipere eam in uxorem : quia polluta est, et abominabilis facta

est coram Domino; ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua. 6. Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam : quia animam suam opposuit tibi. 7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui. 8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite. 9. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto. 10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas : 11. sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. 12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus; 13. sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. 14. Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est : 15. sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. 16. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. 17. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. 18. Memento quod servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem : 19. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. 20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas : sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. 21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos; sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. 22. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

Vers. 1. 1. SI ACCEPERIT HOMO UXOREM; ET NON INVENERIT GRATIAM ANTE OCULOS EJUS PROPTER ALIQUAM FOEDITATEM, SCRIBET LIBELLUM REPUDII. — Pro *fœditatem* hebraice est ערות *eruat*, id est *nuditatem*, unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXXIV, legit : *Si in ea inventum fuerit negotium impudicum*, indeque concludit, ob solam uxoris fornicationem licitum fuisse Judæis ejus repudium. Idem censet Burgensis in cap. XIX *Matth.*

Ob solam fornicationem licitum fuisse repudium, censet Tertul.

Verum Origenes, Chrysostomus et passim Interpretes hic, et *Matth.* XIX, 7, per *fœditatem*, non solam fornicationem, sed etiam alias fœditates, tum animi, tum corporis accipiunt, ob easque licitum fuisse repudium docent, et satis hoc indicat vox *aliquam;* et Hebræa, quæ habent, *fœditatem rei alicujus.* Hebraice enim *eruat*, id est *nuditas*, sumitur per metalepsim, et per catachresim, pro fœditate, sive re qualibet pudenda et fœda : nuditas enim est res valde pudenda et fœda. Talis ergo turpitudo, sive fœditas, ob quam licitum erat uxoris repudium, erat v. g. lepra, sterilitas, veneficium, rixæ perpetuæ, ebriositas, aliique pravi mores incorrigibiles. Nam in fornicatione, vel potius adulterio, vix videtur locum habuisse repudium; si enim constaret facinus, adultera lapidabatur, ut patet *Levit.* XX, 10; sin suspecta haberetur de crimine, aquis zelotypiæ, quas bibere cogebatur, prodebatur, ut patet *Num.* V, 27.

Melius alii, ob alia quoque licitum fuisse asserunt.

Nota tamen : Judæi non poterant ex qualibet causa, aut fœditate exigua, dare libellum repudii : hoc est enim quod Malachias, cap. II, vers. 16, carpens eos, qui illecti pulchritudine alienigenarum, repudiabant uxores suas Hebræas, dicit : « Si odio habueris, dimitte; verumtamen iniquitas operiet vestimentum ejus, » id est corpus ejus, quod est quasi vestimentum animæ, ait S. Hieronymus, *q. d.* Si hac de causa, videlicet, eo quod non sit satis pulchra, oderis et repudies uxorem tuam, peccabis, et pœna hujus peccati in corpus tuum derivabitur a Deo. Tunc ergo peccabat repudians, non autem repudiata, quia ipsa cogebatur discedere.

SCRIBET LIBELLUM REPUDII (1). — Hinc probabilior videtur eorum sententia, qui docent ita permissum fuisse Judæis repudium uxorum, ut Deo cum

(1) Hebr. est, *ita ut scribat*, etc. Nam tres versus priores protasin continent, quartus apodosin.

illis hac in parte dispensante, repudiantes eas non peccarent. Adhæc, per hoc repudium solutum fuisse matrimonii vinculum, ut repudians aliam ducere, et repudiata alteri nubere posset (esto aliter alii sentiant, ex eo quod vers. 4, talis repudiata vocetur *polluta* et *abominabilis*, de quo vers. 4). Nam *primo*, præscribitur hic modus et ritus repudii; et hoc ipso quo semel repudiata vetatur ad maritum repudiantem redire, satis innuitur eam posse alteri viro nubere : unde de facto pleræque alteri nubebant. Hoc enim significat id quod dicitur versu 2 : « Cumque egressa alterum maritum duxerit; » ergo prius matrimonium per repudium jam solutum erat. Alioqui enim lex illa vetus permisisset publica et continua adulteria; talia enim fuissent copulæ omnes repudiatarum cum novis maritis, si prius matrimonium, cum repudiante olim initum, non erat solutum per repudium; ac consequenter filii ex eis nati fuissent adulterini et spurii, itaque hæreditates multorum ad spurios devolutæ fuissent.

Libellus repudii solvebat vinculum matrimonii.

Prob. Primo.

Secundo, quia alias nimis iniqua fuisset feminarum conditio, quæ sine ulla sua culpa subinde repudiabantur, si deinceps cælibes vivere debuissent, nec potuissent sine peccato nubere. Confirmatur, quia *Exodi* XXI, 4, statuitur ut anno septimo liber exeat, uxore cum liberis manente serva apud herum : ergo vel uxor hæc poterat alteri nubere, et sic solutum jam erat vinculum prioris matrimonii; vel non poterat, et sic invita tota vita continere debuisset, quod nimis durum videtur in illa lege. Similiter *Deuter.* XXI, 14, si quis Hebræus bello captam accepisset uxorem, illaque postea ipsi displiceret, permittit lex eam repudiare, solvique matrimonium præcipit, ait Theodoretus, *Quæst.* XIX, ita tamen ut illa consequatur libertatem, pro mercede copulæ.

Secundo.

Tertio, quia hebraice est, *scribat libellum excisionis;* ergo per eum scindebatur vinculum matrimonii : permissio ergo hæc non erat dissimulatio punitionis, et impunitas tantum, sed etiam rem permissam, puta repudium faciebat licitum. Ita sentit Abulensis, Burgensis, Cajetanus, Oleaster et plurimi alii quos citat et sequitur Sanchez, tom. III *De Matrimonio*, lib. X, disp. 1. Secus erat de usuris; hæ enim Judæis cap. XXIII, vers. 19, circa alienigenas nude tantum permittuntur, ita scilicet ut usurarii tales a judice puniri non possent, nec usuræ ab eis repeti.

Tertio.

Dices : Christus, *Matth.* XIX, 8, dicit Mosen, ob duritiem cordis Judæorum, permisisse eis repudium; ergo hæc nuda tantum fuit permissio, quæ videlicet tantum non punit repudiantes.

Objectio.

Respondeo duritiem hanc fuisse causam, cur Deus concesserit repudium, ne scilicet Judæi uxores suas, quas repudiare non possent, occiderent. Hæc tamen concessio efficiebat ut repudium esset licitum; quia Deus, propter duritiem Judæorum, in lege matrimonii cum eis dispensabat, et eorum infirmitati subveniebat (boni enim principis est, leges suas genio et indoli populi attemperare), præsertim cum ad mysterium hoc fieret. Per hoc enim Judæorum repudium significabatur, quod Deus, repudiata Synagoga Judæorum, Ecclesiam ex Gentibus sibi desponsaret. Atque hac de causa factum est ut matrimonia Judæorum non haberent rationem Sacramenti, sicut habent matrimonia Christianorum, neque indivulsam Christi unionem cum natura nostra, et cum Ecclesia significarent, uti peracta jam Christi incarnatione, significant conjugia fidelium, quæ proinde omnino insolubilia sunt.

Respondeo.

Allegorice.

Nota : Hoc jus repudii tantum habebant mariti, non uxores. Ita Josephus, lib. XV, cap. XI, ubi dicit quod Salome, soror Herodis, præter legem quæ solis maritis permittit repudium, repudiarit maritum suum Costobarum : « Lex enim, inquit, nostra solis maritis jus repudii permittit; mulieribus autem, ne dimissis quidem, fas est nubere, nisi prioris viri permissu. » Prius hoc de maritis lex habet, posterius de feminis dimissis, ne nubant sine viri permissu, lex non habet; sed si id verum est, introductum est consuetudine, qua jus hoc usurparunt mariti. Poterant tamen uxores ob adulterium mariti, aliasque causas justas, facere thori divortium. Hoc enim Christianis et quibusvis Gentibus permittit jus naturæ.

LIBELLUM REPUDII.—Hebraice est libellum כריתות *keritut*, id est excisionis, vel abscissionis. Nota : Libellus hic vocantur litteræ dimissoriæ : sic enim etiamnum libellum supplicem vocamus litteras supplices. Hebræum enim ספר *sephar*, id est liber, significat quasvis litteras, catalogum, enarrationem, bullam, etc.

Forma libelli repudii.

Tradunt Hebræi, et ex iis Vatablus, Oleaster et alii, formulam libelli repudii fuisse hanc : « Ego R. Simeon, filius R. Abraham, filii R. David, filii R. Salomonis, die prima mensis secundi, anno 5296 a creatione mundi, hic et in hac civitate, ex animi mei consensu, et sine ulla coactione, repudiavi Rachel, filiam R. Mosis, filii R. Joseph, filii R. Jacob; et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit a me abjecta, et abeat quocumque velit; et nemo possit illi prohibere, juxta constitutiones Mosis et Israel. »

Formula libelli repudii apud Romanos, ut patet ex Jure civili, tit. *De divortiis*, erat hæc : « Res tuas curato, res tuas tibi habeto; » debebatque fieri repudium coram judice forma judiciaria, ut eodem tit. patet. Et verisimile est ita quoque fecisse Judæos. Medos etiam et Persas usos fuisse repudio patet *Esther* I, 19, ubi Assuerus repudiat Vasthi. Idem de Philistinis patet *Judic.* XV, 2.

Causa libelli. Prima.

Causam conscribendi hujus libelli, audi ex S. Augustino, lib. XIX *Contra Faustum*, cap. XXVI : « Deus, inquit, interposuit hanc moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus, absisteret, et quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret, præsertim quia scribæ, quo-

rum erat litteras scribere, quasi viri prudentes, dissidii dissuasores erant. » Altera causa fuit, ut legitime et juridice res fieret, ne repudians postea repudium negaret, et repudiatam contra legem reciperet. Rursum, ut repudiatæ consuleretur, illaque novas nuptias inire posset. Per libellum enim hunc, ipsa omnibus demonstrabat se a priore marito et matrimonio esse liberam et solutam; alioqui enim adulteriis et litibus res hæc fuisset obnoxia, uti in matrimoniis clandestinis accidisse vidimus.

Secunda.

Denique Christus, *Matth.* XIX, 8 et seq., absolute revocat dispensationem Dei in lege matrimonii, tollitque omne jus repudii, atque ipsum matrimonium revocat ad primævam suam naturam, institutionem et insolubilitatem; ita ut jam post Christum, repudium nec Christianis, nec Judæis, nec Paganis, nec ulli hominum liceat. Errat ergo Paulus Fagius et hæretici, qui etiamnum Christianis licere repudium docent.

Vers. 4. 4. NON POTERIT PRIOR MARITUS RECIPERE EAM IN UXOREM, QUIA (hebraice *postquam*) POLLUTA EST, ET ABOMINABILIS FACTA EST CORAM DOMINO. — Repudiatam vocat pollutam, non quod peccatum admisisset, ineundo secundas nuptias : nam alioqui deberet vetari ne ulterius alicui tertio nuberet; sed quod ab alio, puta secundo marito, cognita esset, ejusque semine polluta, ideoque ad priorem redire ei non liceret, quia respectu ejus abominabilis erat, vel, ut habent Hebræa, *quia abominatio hoc est coram Domino.* Quia scilicet reditus ad maritum qui eam repudiavit, abominabilis est, et omnino vetitus a Deo, tum quia speciem præ se fert adulterini concubitus hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum et palliatum tantum fuisse divortium; tum quia alioqui facilior datus fuisset aditus ad divortia et repudia, si post secundas nuptias licitum fuisset redire ad primas; jam vero maritus ægrius repudiabat uxorem, sciens se eam nunquam recipere posse. Ita Cajetanus et Oleaster.

Repudiata nubens alteri nunquam poterat ad repudiantem redire, cur ?

NE PECCARE FACIAS TERRAM TUAM, — ne polluas terram tuam. Ita Septuaginta, *q. d.* Ne terra polluatur peccato inobedientiæ contra legem hanc, neve Deus illi peccatum hoc imputet, eamque puniat; quia videlicet prior maritus contra legem recipiendo uxorem, semel a se repudiatam, alteriusque semine pollutam, ideoque sibi abominabilem effectam, seipsum reddebat pollutum, abominabilem et infamem, atque talis ab omnibus habebatur; quo facto, terra ipsa quasi polluebatur, quia rem fœdam ac turpem super se fieri sustinebat. Sic *Genes.* XXXVIII, 7, Her et Onan polluebant terram super quam semen suum effundebant, quamque consequenter reddebant obnoxiam punitioni divinæ, puta sterilitati, locustis, bruchis, fami, pesti, etc., propter malitiam inhabitantium in ea. Ita Abulensis et Cajetanus. Vide dicta *Levit.* XVIII, 28.

Vers. 6. 6. NON ACCIPIES LOCO PIGNORIS INFERIOREM ET SUPERIOREM MOLAM (*molam*, id est molarem lapidem, vel utrumque, vel alterutrum, quo fiat ut molere non possit. Hebraice inferior molaris vocatur רחים *rechaim*, eo quod spiret, et efflet quasi farinam a se molitam; רוח *ruach* enim spirare significat; unde *ruach* est spiritus. Superior vero molaris vocatur רחב *recheb*, eo quod quasi inequitet inferiori; causam subdit), QUIA ANIMAM SUAM APPOSUIT TIBI, — id est, ut Hebræa et Septuaginta, *quia animam suam dat in pignore.* Nam, ut Chaldæus vertit, cum hisce molaribus *esca fit omni animæ*, *q. d.* Dum molares in pignus accipis, vitam molitoris et aliorum accipis : quia mola hac molitor vivit, et victum sibi parat, multisque aliis farinam et alimoniam suppeditat.

Tropologice S. Gregorius, XXXIII *Moral.* XVI, et ex eo Rupertus et Rabanus. Pignus debitoris est confessio peccatoris; superior mola est spes, inferior est timor. Hæc ergo pignoris loco tolli prohibentur : quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelicta spe, timorem subtrahat; nec subtracta spe, in solo eum timore derelinquat. Tropologice.

7. SOLLICITANS FRATREM SUUM, — ut videlicet frater, id est proximus, se ei subjiciat, eumque sequatur ad alienigenas, quibus eum vendat. Unde Hebræus, Chaldæus et Septuaginta pro *sollicitans*, habent *furans*, id est plagiarius; plagium enim est furtum hominis, quo scilicet homo in servitutem abripitur, aut venditur, quod ingens est peccatum et injuria, ideoque hic morte punitur. Vers. 7. Plagiarii sunt fures hominum.

8. OBSERVA DILIGENTER NE INCURRAS PLAGAM LEPRÆ. — Ita et Chaldæus vertit, *observa*, inquit, *studiose ne incidas in plagam lepræ, ut custodias valde, et facias juxta omnia quæ docuerint vos sacerdotes, q. d.* Observabis et custodies te, ut non incurras lepram, si feceris ea quæ docuerint te sacerdotes; sin eis rebellis fueris, time ne percutiaris lepra, sicut Maria percussa est, eo quod murmurasset contra Mosen. Hinc patet lepram fuisse flagellum, quod Deus immittebat rebellibus, et contemnentibus superiores, maxime Ecclesiasticos. Hinc Ozias rex, volens invitis sacerdotibus adolere incensum, percussus est lepra, IV *Reg.* XV, 5. Vide dicta *Levit.* XIII, sub initium capitis. Vers. 8. Lepra fuit flagellum a Deo immissum rebellibus.

10. NON INGREDIERIS DOMUM EJUS (proximi) UT PIGNUS AUFERAS, — ne videlicet domum ejus ingressus, auferas in pignus rem proximo necessariam, aut maxime commodam; sine ergo ut proximus sponte loco pignoris afferat ad te id quod voluerit, et quo optime carere potuerit. Vers. 10.

12. SIN AUTEM PAUPER EST, NON PERNOCTABIT APUD TE PIGNUS. — Jubentur hic divites, qui acceperunt a paupere in pignus vestem, aliamve rem ei necessariam, quotidie vespere ei hoc pignus domum remittere, ut noctu veste sua calefiat, reque sua utatur; mane autem quotidie permittuntur illud rursum accipere in pignus, ut hac ratione stimuletur pauper ad cito solvendum id quod eis debet. Vers. 12.

13. UT HABEAS JUSTITIAM CORAM DOMINO DEO TUO, Vers. 13

Justitia vocatur misericordia, cur? — « justitiam, » id est misericordiam : ita Septuaginta, hoc est, misericordiæ meritum et præmium. Sic *Daniel.* IV, 24, pro eo quod nos habemus : « Peccata tua eleemosynis redime, » Chaldæus qui in eo libro est originalis, habet, *peccata tua justitia redime.* Unde subinde etiam noster Interpres justitiam pro misericordia accipit, ut *Prov.* XI, 4 : « Justitia (id est eleemosyna) liberat a morte; » præcessit enim : « Non proderunt divitiæ (avare reconditæ) in die ultionis; » et *Psalm.* CXI, 9, quod citat Apostolus, II *Cor.* IX, 9 : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia (id est eleemosyna) ejus manet in sæculum sæculi. » Misericordia ergo vocatur justitia, eo quod propria justorum et sanctorum virtus sit misericordia, idemque sanctus sit et misericors. Unde et sanctus hebraice vocatur חסיד *chasid*, id est pius; e contrario, « viscera impiorum sunt crudelia, » ut dicitur *Proverb.* XII, 10. Vide dicta II *Cor.* IX, 9.

Misericordia propria est Sanctorum virtus.

Vers. 14 et 15. 14 et 15. NON NEGABIS MERCEDEM INDIGENTIS, etc. SED EADEM DIE REDDES EI PRETIUM LABORIS, etc., QUIA PAUPER EST, ET EX EO SUSTENTAT ANIMAM SUAM. — Merces hic jubetur solvi pauperibus eodem die, quo laborarunt, ante solis occasum; quia ex ea dietim vivere, suamque familiam alere debent.

Vers. 16. 16. NON OCCIDENTUR PATRES PRO FILIIS. — Lyranus censet pœnam, non tantum damni, sed et sensus, puta tormenta et mortem, posse infligi filiis pro peccatis parentum, idque non tantum a Deo, sed etiam ab hominibus, puta a judicibus et principibus. Verum hoc repugnat huic versui, idque bene confutat Gabriel Vasquez, I II, *Quæst.* LXXXIII, art. 4, disp. 135, cap. III.

Vers. 16. 19. QUANDO MESSUERIS SEGETEM IN AGRO TUO, ET OBLITUS MANIPULUM RELIQUERIS, NON REVERTERIS, UT TOLLAS ILLUM. — Jubetur hic et *Levit.* XIX, 9, spicilegium et racematio, post vindemiam, relinqui pauperibus; idem statuit de frugibus, id est fructibus, olivarum, in olea post collectionem remanentibus. Hæc ergo sunt præcepta misericordiæ, non justitiæ.

Nota hoc cap. quam Deus sit tutor et ultor pauperum, quamque velit eis subveniri, nec lædi : « Ne clamet, inquit vers. 15, contre te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. » Celebre, et omnium ore vulgatum exemplum exstat in Hollandia : uxor enim Comitis Hollandiæ paupercula mendicantem repellens, eamque insimulans adulterii, eo quod tam numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est, ut tot proles pareret, quot sunt dies in anno. Maledictionem exaudiit Deus, fecitque ut uxor Comitis uno partu 365 proles pareret, quæ omnes baptizatæ sunt, et mox post baptismum mortuæ. Exstat hujus prodigii pictura in monasterio virginum inter Leydam et Hagam Comitis. Idem prorsus contigisse Margaretæ uxori Comitis Holsteinii, narrat Crantzius in *Histor Wandaliæ*, et annales Brunsuicensium anno Domini 1313. An idem sit hoc prodigium cum priore, ut eos fefellerint vicinæ voces Holsteinii et Hollandiæ, non laboro, dummodo rem verissimam esse non dubitemus.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, sancit Deus ut judices juste judicent; secundo, vers. 4, ut non ligent os bovi trituranti, ut frater fratri defuncto semen suscitet, utque mulier in rixa verenda viri non apprehendat; tertio, vers. 13, ut justa habeant pondera, utque nomen Amalec deleant.

1. Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. 2. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus : 3. ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. 4. Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. 5. Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui; 6. et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. 7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in conjugem sumere. 8. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem accipere, 9. accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus,

spuetque in faciem illius et dicet : Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui. 10. Et vocabitur nomen illius in Israel : Domus discalceati. 11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus : 12. abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. 13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : 14. nec erit in domo tua modius major et minor. 15. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi : ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi ; 16. abominatur Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. 17. Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto : 18. quomodo occurrerit tibi : et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. 19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes, in terra quam tibi pollicitus est : delebis nomen ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris.

Vers. 3. 3. ITA DUNTAXAT UT QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT (causa subditur) : NE FOEDE LACERATUS ANTE OCULOS TUOS, ABEAT FRATER TUUS. — Ita Paulus : « Quinquies, inquit, quadragenas una minus accepi, » II *Corinth.* XI, 24.

Vers. 4. 4. NON LIGABIS OS BOVIS TERENTIS IN AREA FRUGES, — quia par est ut animalia laborantia comedant : quare veto claudi capistro ora triturantium, ne comedant ex sua tritura. Solebant enim in Palæstina, uti etiamnum in Canariis et nonnullis regionibus fit, per boves qui, circumacti, ungulis pedum suorum segetes terebant, grana excutere. Unde Poeta : « Bobusque triturant. » Hunc esse sensum litteralem patet ex ipsis verbis, quæ hanc legem duris Judæis inculcant.

In Judæa boves suis ungulis triturant.

Dices : I *Corinth.* IX, vers. 9, Apostolus videtur excludere hunc sensum, ait enim : « Numquid de bobus cura est Deo ? »

Abulensis ait hic duplicem esse sensum litteralem. Refellitur.

Respondet Abulensis Apostolum alium afferre sensum litteralem hujus loci, eumque præcipuum, cum quo tamen noster hic de bobus, qui minus præcipuus est, consistat, *q. d.* Apostolus : Minus præcipua Dei cura est de bobus : præcipua vero est de prædicatoribus verbi Dei. Verum, non esse hos duos sensus litterales, patet ; nam bos litteraliter non significat prædicatorem, sed tantum verum bovem, prædicatorem vero tantum significat typice : quia videlicet bos, ad laborem natus, est typus prædicatoris, qui in agro Domini quasi bos laborat. Ergo cum litteraliter hæc sententia intelligatur de veris bobus triturantibus, non potest litteraliter accipi de prædicatoribus, sed tantum typice ; alioqui enim omnis allegoria esset sensus litteralis, quod plane est falsum. Nam sensus litteralis est is, qui primo per sententiam aliquam significatur ; allegoricus vero, vel typicus est, qui secundo, seu mediante sensu litterali significatur ; sicut ergo umbra corporis non est corpus, ita sensus typicus nequit esse litteralis, sed tantum litterali sensu est adumbratus.

Quis sensus litteralis, quis mysticus?

Dico ergo : Sensus litteralis est de bobus, ut dixi ; typicus vero est de prædicatoribus, quem dat Apostolus, scilicet iis dandam esse alimoniam, eosque posse ex Evangelio vivere, sicuti bos alitur sua tritura ; quorum quia præcipua cura est Deo, ut scilicet Deus præcipue hac lege intenderet significare typice prædicatores alendos esse a populo, hinc Apostolus ait : « Numquid de bobus cura est Deo ? » *q. d.* Præcipua cura Dei in hac lege non fuit boum, sed altius quid spectavit, videlicet, me, et mei similes præcones Evangelii, ex eo posse vivere. Apostolus ergo hic, uti et alias sæpe, argumentatur, non ex sensu litterali, sed allegorico ; aut potius ex sensu litterali, argumentatur a majori ad minus, ad allegoricum, *q. d.* Si bos vivit ex tritura, ergo multo magis prædicator ex sua prædicatione. Ita Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.* cap. VII, et Theodoretus hic, *Quæst.* XXXI. Ubi nota, licet sensus litteralis in Scriptura sit primus, allegoricum tamen posse esse primarium et præcipuum, sive magis intentum a Spiritu Sancto, uti hic fit ; unde efficax ex eo duci potest argumentum, quando constat eum vere esse sensum allegoricum, sive mysticum.

Vers. 5. 5. QUANDO HABITAVERINT FRATRES SIMUL, — non in eadem domo, aut loco : hoc enim parum ad rem facit, inquit Abulensis ; sed *q. d.* Quando simul vixerint fratres, ita ut uno mortuo, alius sit superstes. Est catachresis ; solent enim fratres simul in eadem domo, vel urbe, aut certe provincia habitare.

ET UNUS EX EIS ABSQUE LIBERIS MORTUUS FUERIT, UXOR DEFUNCTI NON NUBET ALTERI ; SED ACCIPIET EAM FRATER EJUS, ET SUSCITABIT SEMEN FRATRIS SUI. — Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* XXXIV, vertit, *si quis frater illiberis decesserit, a fratre ipsius supparetur* (id est, substituatur) *semen illi*, vel, ut Cajetanus ad verbum vertit, *levir accipiet eam sibi in uxorem, et levirabit eam.* Officium enim leviri erat fratriam ducere, et ex ea fratri defuncto semen suscitare, quod Cajetanus ex He-

Frater suscitet semen fratri illiberi.

bræo vocat *levirare*. Suscitare ergo semen fratris, est generare prolem fratri, seu quæ fratris defuncti censeatur esse proles, illique arrogetur.

Frater non est cognatus ut vult Calvinus.

Nota τὸ *frater* : Licet enim Calvinus per fratrem intelligat cognatum; quia, inquit, *Levit.* XVIII, 16, vetatur ne frater ducat uxorem fratris sui : tamen quia hic cognati nulla fit mentio, semperque ingeminatur nomen fratris, hinc Abulensis, Cajetanus et alii passim fratrem hic proprie dictum accipiunt, itaque interpretati sunt Hebræi prisci, ut patet *Matth.* XII, 25, *Marci* XII, 20, *Genes.* XXXVIII, vers. 8 et 11. Unde patet legem hanc exceptionem esse ab illa *Levit.* XVIII, ut ibi dixi.

Lex hæc non obligabat cognatos, sed fratres, eosque singulos.

Hinc sequitur legem hanc tantum obligare fratres defuncti, non cognatos. Fratres inquam singulos, quemque ordine suo; ita ut si secundus frater, pariter ac primus, sine liberis decederet, fratriam ducere deberet tertius frater; quod si is illiberis decederet, deberet eam ducere quartus frater, usque ad ultimum, ut patet *Matth.* XXII, 25. Reliqui ergo cognati, quique ordine suo, post fratres, jus quidem propinquitatis habebant ad uxorem defuncti, et consequenter ad ejus hæreditatem; sed si nollent eam ducere, vellentque cedere hæreditate, non notabantur infamia hujus legis, uti patet *Ruth* IV, versu 6; uxor vero defuncti tenebatur nubere, non alteri, quam fratri, aut cognato mariti sui defuncti, si is eam ducere vellet. Ita Abulensis.

An suscitandum semen ei qui reliquit filiam ?

Quæres quid, si frater defunctus reliquisset filiam, non filium; numquid frater superstes debebat defuncti uxorem ducere? Aliqui censent quod non : quia filia hæc nupsisset viro, ex quo suscepisset prolem, quæ nominata fuisset nomine avi, ejusque familiam et nomen continuasset, ut

Resp. affirmative.

patet de filiabus Salphaad, *Numer.* XXVII. Verum Abulensis et alii probabilius censent hoc casu fratrem debuisse ducere fratriam, puta uxorem fratris defuncti; ratio est, quia frater fratri debebat suscitare semen : « suscitare » autem « semen, » est suscitare prolem masculam, quæ fratris defuncti nomen et stirpem propaget; feminæ enim nunquam gerunt nomen patris, vel avi, sed mariti; si tamen defuncto fratre, filia fuisset superstes, nec superfuisset frater, qui suscitasset semen fratri defuncto, tunc filia ista accepisset hæreditatem patris sui, et qui eam duxisset, suscitasset semen patri ejus defuncto, ut patet *Num.* cap. XXVII.

Vers. 6.

6. ET PRIMOGENITUM EX EA FILIUM NOMINE ILLIUS (fratris defuncti) APPELLAVIT. — Hebraice est, *primogenitus stabit nomine fratris sui*, id est, primogenitus vocabitur filius, non patris, sed patrui sui defuncti, ejusque hæreditatem adibit : reliqui vero filii, quos generabit, fratris generantis esse censebuntur, ejusque nomine vocabuntur, ut ita et ipse post se stirpem et familiam suam relinquat.

Quæres, quæ fuit causa hujus legis? Respondeo : *Prima* fuit ad multiplicandum familias; frater enim suscitans semen fratri, *primo*, instaurabat familiam fratris sui, deinde suam; *secundo*, ut viduæ subveniretur; *tertio*, quia illa ætate summum erat desiderium liberorum, summaque morientis erat tristitia, sine prole defungi : huic ergo leniendæ lex hæc serviebat, unde etiam ante hanc legem, in statu legis naturæ idem erat mos, ut patet de Thamar, *Genes.* XXXIX, 8, et seq.; *quarto*, ne hæreditas tribuum et familiarum confunderetur; nam si viduæ alienis nupsissent, bona sua in exteras familias transtulissent. Unde Judæi a captivitate Babylonica, qua vel ereptæ vel confusæ fuerunt eorum possessiones, non servant hanc legem, dicuntque eam jam cessante causa cessasse, et abolitam esse. Verum non hæc una, sed plures aliæ fuerunt hujus legis causæ, quæ etiamnum apud eos locum habere possunt, ut hoc solo nomine lex hæc non sit abolita; *quinto*, ut fraternæ charitatis et dilectionis officium sanciretur, cum alter alterius posteritatem, velut propriam jubebatur curare; *sexto*, ut superstites admonerentur officii in suos defunctos, ne videlicet eorum obliviscerentur, sed honore simul et amore eos prosequerentur; *septimam* causam dat Procopius, et Julius Africanus apud Eusebium, lib. I *Histor.* cap. VII : « Quia, inquit, nondum certa et indubitata resurrectionis spes Judæorum animis penitus insidebat, idcirco futuram resurrectionis promissionem, in hac mortali et caduca resurrectionis spe, imitatione quadam adumbrarunt, quo nomen ejus qui vitam cum morte commutarat, non prorsus ex omni memoria deleretur. » Fratrem enim mortuus quodammodo resurgebat per semen a fratre suscitatum.

Cur frater suscitabat semen fratri ? Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

Allegorica causa.

Allegoricam causam dat S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. X, et ex eo Rupertus : Unusquisque, ait, Evangelii prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat, ut vocetur Christianus, non Petrianus, nec Paulianus : hic vero qui sibi et Ecclesiæ prodest, recte intelligitur utroque pede calceatus; qui autem curam refugit aliorum lucrandorum, discalceati illius in lege, non figuratum significabit, sed in se impletum portabit opprobrium, ut scilicet vocetur Domus discalceati : ita et S. Gregorius, I part. *Pastor.* cap. V.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. SI RESPONDERIT : NOLO EAM UXOREM ACCIPERE, ACCEDET MULIER AD EUM, etc., ET TOLLET CALCEAMENTUM DE PEDE EJUS, SPUETQUE IN FACIEM ILLIUS, — *q. d.* Notabit eum infamia; hæ enim sunt notæ conditionis servilis : vix enim mancipiis in faciem spuimus. Idem significat discalceatio : servi enim incedebant nudipedes, sine calceis, *q. d.* Talis indignus est qui gestet calceum, id est, qui versetur inter ingenuos, eo quod fratris uxore, æque ac hæreditate et familia se ab-

Nolens suscitare semen fratri, discalceatur, et conspuitur, cur? Primo.

dicavit : hoc enim est animi illiberalis et vilis.

Secundo. Rursum, talis in facie conspuitur, et calceis nudatur, ut summa et ima pars hominis contumelia afficiatur, itaque totus homo infamia notetur, ut significetur quod talis omni honore nudatus sit, a capite usque ad calceos. Ita Abulensis, Oleaster et Fevardentius in *Ruth* cap. IV.

Tertio. *Tertio*, calceus est quasi domus pedis : quia ergo hic sibi tantum vult domum, id est familiam, ædificare, non fratri, hinc unum retinet calceum, alterum vero perdit. Plura calcei symbola explicui *ad Ephes.* VI, 15.

QUI NON ÆDIFICAT DOMUM, — id est familiam, hoc est, qui non suscitat proles fratri suo. Sic Lia et Rachel dicuntur ædificasse domum, id est familiam, Israel, *Ruth* IV, 11. Vide dicta *Exodi* cap. I, vers. 1.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. SI, etc., UXOR APPREHENDERIT VERENDA EJUS (viri rixantis cum suo marito), ABSCIDES MANUM ILLIUS, — tum quia hic contactus pudendus est. Ita Vatablus et Cajetanus, qui ait : « Horret lex ut membra viri, quæ directe ad perficiendum muliebrem sexum producta sunt, mulier audeat lædere. » Hæc enim apprehensio ad rixam et pugnam inhibendam facta, erat violenta et læsiva. Tum quia in violenta verendorum apprehensione tantus est dolor, ut homo fiat immobilis, et ab alio, quicum rixatur et pugnat, facillime possit occidi, *q. d.* Uxor hæc, apprehendendo verenda viri, fuit occasio, vel causa cædis ipsius; ergo perdat manum qua ea apprehendit. Mulier enim hæc, volens in rixa adjuvare maritum suum, ideo apprehendebat viri, cum quo ille rixabatur, verenda, ut eum imbellem et enervem redderet, itaque eum marito cædendum et prosternendum objiceret : cooperabatur ergo ipsa rixæ et cædi; hinc juste hic manu mulctatur. Ita Abulensis (1).

Mulier tenens verenda viri in rixa, manu mulctatur, cur?

19. DELEBIS NOMEN EJUS (Amalec) SUB COELO, — *q. d.* Ita percuties Amalecitas, ut nulla eorum memoria in terra supersit inter homines, uti jam nullam superesse videmus. Ita delentur, qui persequuntur fideles et sanctos. Vers. 19.

(1) Vers. 18. In hebr. est, *quomodo occurrerunt vobis in itinere, et carpserunt* (proprie *caudam agitare*, hinc metaphorice *extremum agmen agitare, carpere*) *extremum agmen in te*, id est tuum, *omnes viribus exhaustos post te*, omnes qui viribus exhausti residebant. Historia, de qua hic sermo est, exstat *Exod.* XXVII, 8.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubentur Hebræi primitias frugum offerre Deo, cum publica professione, quod fruges suas Deo acceptas referant. Secundo, vers. 12, jubentur tertio anno tertias decimas separare, et dare pauperibus. Tertio vers. 17, stimulat eos Moses ut Deo, qui eos omnibus gentibus prætulit, serviant et obediant.

1. Cumque intraveris terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, ei obtinueris eam, atque habitaveris in ea; 2. tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus : 3. accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. 4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui; 5. et loqueris in conspectu Domini Dei tui : Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero : crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis, 6. afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima : 7. et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem; atque angustiam : 8. et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis : 9. et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. 10. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo, 11. epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, et domui tuæ, tu et Levites, et advena qui tecum est. 12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur; 13. loquerisque in conspectu Domini Dei tui

Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitæ et advenæ, et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi; non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. 14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi. 15. Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. 16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia: et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. 17. Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia; et obedias ejus imperio, 18. et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: 19. et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

Vers. 1. 1. OBTINUERIS EAM. — Ergo hæc lex non obligavit Hebræos nisi septimo anno ab ingressu in Chanaan, quo devictis Chananæis terram obtinuerunt et coluerunt, atque deinceps. Ita Abulensis.

Vers. 2. 2. TOLLES DE CUNCTIS FRUGIBUS TUIS PRIMITIAS, ET PONES IN CARTALLO, — in canistro. Hæ primitiæ frugum omnium quotannis offerendæ erant in festo Tabernaculorum, uti dixi *Num.* XVIII, 12; tunc ergo facienda erat professio quæ hic sequitur: quotannis ergo iteranda erat hæc professio, uti et primitiarum oblatio, idque ad renovandam Dei creatoris et benefactoris sui memoriam, ne illa in mente eorum consenesceret.

Nota: Gentiles variis rebus varios deos præficiebant; unde 300 numerabant deos, inquit Varro. Sic segetibus præficiebant Cererem, vel deam Segetiam: cumque fames aliqua accidisset, eam sacrificiis et ludis placare et propitiare studebant, teste S. Augustino, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. VIII. Ne ergo Judæi idem facerent, neve putarent se ab alio, quam a Deo vero, fruges recipere, hinc jussit eos idipsum in harum primitiarum oblatione profiteri. Porro Hebræi hanc primitiarum oblationem hoc ritu peractam tradunt. *Primo*, inquiunt, ponebantur in canistro. *Secundo*, inferebantur in templum. *Tertio*, elevabantur in altum. *Quarto*, fiebat professio hic præscripta. *Quinto*, offerebatur victima pacifica. *Sexto*, canebantur psalmi vel hymni; cantus enim sacrificiis jungi solebat. Addunt *septimo*, offerentes in urbe pernoctasse; sed hoc non habet Scriptura.

Nota, *secundo*, τὲ *de cunctis frugibus*; cunctarum ergo frugum primitias quotannis Dei offerre debebant Judæi. Errant ergo, qui certarum frugum tantum primitias, scilicet mundarum, non immundarum, eis præceptas fuisse putant. Nam omnes fruges erant mundæ; sola vero animalia in munda et in immunda separabantur.

Vers. 5. 5. ET LOQUERIS IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI: SYRUS (puta Laban, socer Jacobi, qui habitabat in Mesopotamia Syriæ, *Genes.* XXVIII, 5) PERSEQUEBATUR PATREM MEUM; — scilicet Jacob, fugientem ab eo, et redeuntem ad Isaac in Chanaan; Mesopotamia enim hebraice vocabatur *Aram naharaim*, id est, Syria fluviorum, quia Tigri et Euphrate cingitur. *Secundo*, Vatablus vertit: *Syrus ille penuria laborans fuit pater meus*, puta Jacob habitans in Syria, *q. d.* Has divitias non accepimus a patre nostro Jacob, sed a Deo. Nam Jacob in Syria laboravit penuria, ita ut Labano servierit; postea idem laborans inopia in terra Chanaan, descendit in Ægyptum. Verum prior sensus planior est, eumque sequitur Chaldæus (1).

ET IBI PEREGRINATUS EST IN PAUCISSIMO NUMERO, — 70 hominum, puta filiorum et nepotum (2).

Vers. 10 et 11. 10 et 11. ET ADORATO DOMINO DEO TUO, EPULABERIS IN OMNIBUS BONIS QUÆ DOMINUS DEUS TUUS DEDERIT TIBI. — Præcipit hic Deus ut quilibet de populo offerat frugum primitias Domino, ideoque introeat coram Domino, id est, coram altari holocaustorum, ibique faciat professionem, qua protestetur se teneri ad hanc oblationem, ob tot a Deo recepta beneficia, maxime liberationis ex Ægypto et ingressus in Chanaan; deinde, ut ibidem adoret Dominum, scilicet humiliando se coram altari, et orando ut Deus eum dirigat in bono: quæ omnia in honorem divinum cedebant, erantque actus religionis, quibus peractis, epulabatur cum tota domo sua, advocans etiam Levitas, et advenas pauperes, idque intra atrium sanctuarii, si aliquam victimam pacificam obtulisset; sin autem, epulabatur de his quæ secum apportarat, nec erant consecrata Deo, in hospitio aliquo. Epulabatur autem, ut ex delectatione hu-

(1) Est in hebr., *Aramæus errans*, cum gregibus deserta pererrans, Nomas, erat *pater meus, et descendit in Ægyptum.*

(2) Vers. 10. *Et* sic *depones* ac relinques *illud* cartallum (supra vers. 4) *coram Jova.* Hinc intelligitur, eum, qui superiorem testificationem pronuntiabat, canistrum manu tenuisse, dum ita loqueretur, quasi manu sua id Deo offerentem.

jus epuli, incitaretur ad frequentandum hos actus gratitudinis et devotionis. Ita Abulensis.

Morale de gratiarum actione. Nota hic quam studiose Deus a nobis requirat beneficiorum suorum recordationem, et gratiarum actionem. Hæc enim virtus Deo millies debetur, estque propria Sanctorum et Beatorum. *Isaiæ* LI, 3 : « Gaudium et lætitia invenietur in ea (Sione), gratiarum actio et vox laudis. » *Apocal.* VII, 12, omnes angeli adorant Deum, dicentes : « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. » *Psal.* XLIX, 13 : « Immola Deo sacrificium laudis. » *Ephes.* V, 20 : « Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et gratias agentes pro omnibus. » Et *ad Philip.* IV, 6 : « In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. » S. Augustinus, epist. 5 *ad Marcellinum* : « Quid melius, ait, et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. » Christiani ergo ut minimum mane, vespere, et post cibum dicant : Deo gratias.

Fructus ejus. primus. Fructus gratiarum actionis *primus* est, quem dat S. Chrysostomus in *Psal.* VII, 18 : « Nihil, ait, æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere. »

Secundus. *Secundus*, quem dat idem Chrysostomus, homil. 8 *in epist. ad Coloss.* : In adversis, inquit, infideles maledicunt, Christiani gratias agunt. « Vide quanta sit hæc philosophia. *Primo*, tum Deum lætificas. *Secundo*, diabolum pudefacis. *Tertio*, quod male factum est, nihil esse facis. Nam et tu simul gratias agis, et Deus dolorem amputat, et diabolus abscedit. »

Tertius. *Tertius*, quem dat Chrysostomus ibidem : « Deus, ait, exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut quidquid est lucri iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis. »

Quartus. *Quartus* exstat ibidem apud Chrysostomum. « Nihil, ait, hac lingua sanctius est, quæ in adversis Deo gratias agit. Certe non est inferior lingua Martyrum : utraque pariter coronatur. » Ita S. Job in tot adversis ait : « Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum. »

Medium ad eam. Excitamentum ad hanc gratitudinem est consideratio innumerabilium Dei beneficiorum, quæ Deus cuique per se et per Christum, tam generatim, quam particulatim contulit; quæ sane exigunt, ut mille mentibus, mille vocibus (si id fieri posset) eum laudaremus.

Vers. 12. 12. QUANDO COMPLEVERIS DECIMAM CUNCTARUM FRUGUM TUARUM, ANNO DECIMARUM TERTIO, DABIS LEVITÆ, ET ADVENÆ, ET PUPILLO, ET VIDUÆ. — Præscribit hic Deus decimas, quæ singulis trienniis separandæ erant, et dandæ pauperibus. Pro quo nota : tertio quolibet anno triplices a Judæis separabantur et dabantur decimæ. Nam *primo*, separabantur decimæ quæ dabantur Levitis. *Secundo*, decimæ ad iter, et ad oblationes ter in anno faciendas Hierosolymæ, in templo. *Tertio*, erant decimæ quæ dandæ erant pauperibus, de quibus hic agitur; quæ quia ultimæ erant, ideo dicit : « Quando compleveris decimam. » Itaque solutis duabus prioribus decimis, tertio fruges singulorum erant decimandæ, tertiæque decimæ separandæ erant in usus pauperum. Hinc tertius hic annus vocatur annus decimarum, quia in eo omnes hæ tres decimæ solvebantur; aliis vero annis tantum duæ priores solvebantur. Ita Abulensis (1).

Tertiæ decimæ tertio anno dabantur pauperibus.

UT COMEDANT INTRA PORTAS TUAS. — Singuli ergo suarum urbium pauperes alebant tertiis hisce decimis. Imitentur hoc Christiani.

Eleemosynæ elogia et fructus viginti. unus. Primus. Nota : Sicut Christus Christianis, *Lucæ* XII, 33, et alibi, ita Moses Judæis tam hic, quam cap. XIV, vers. 24, et toto capite XV, et alibi, sæpe impense commendat eleemosynam ob illustres ejus fructus et prærogativas. Nam *primo*, eleemosyna, ut ait Tobias, cap. IV, vers. 11 : « Ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. » « Per charitatis largitatem omne peccatum vincitur, aut declinatur, » ait S. Leo, serm. 2 *De Ascensione*. « Quare misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum, » ait idem Leo, serm. 4 *De Collectis*.

Secundus. Eleemosyna est quasi secundus baptismus, ait S. Ambrosius, *serm.* 32, et S. Leo, serm. 2 *De Collectis*, et Hieronymus in *Psal.* CXXXIII. Hoc est quod ait Christus : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, » *Luc.* XI, 41.

Tertius. Eleemosyna, inquit S. Chrysostomus, homil. 33 *ad Popul.*, Christi tribunali adstat non tantum patrocinans, verum etiam persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat. Unde *Jacobi* II, 13, dicitur : Superexaltat autem misericordia judicium; » græce, κατακαυχᾶται ἔλεον

(1) Hæc Seldenus in Dissert. *de Decimis*, cap. II : Ex soli fructibus, aut ex pecore, offerebantur *a*) Sacerdotibus *primitiæ*, *Exod.* XXIII, 19; *Lev.* XXIII, 10; *Num.* XV, 20, et ea quidem copia, qua volebat colonus. *b*) *oblatio* de tritico, vino, oleo, lana et similibus, *Num.* XV, 19, quæ etiam sacerdotibus solvebantur. Tum vero de eo quod supererat, solvebantur *c*) *decimæ primæ* Levitis, ad tabernaculum vel templum ministrantibus, *Num.* XVIII, 21, qui et ipsi de his decimis decimam sacerdotibus exsolvebant, *ibid.* vers. 26. De reliquis novem partibus *d*) *decimæ secundæ* tollebantur, quæ (vel pretium earum) ad sacrarium ferendæ et in convivia absumendæ erant : vide supra XII, 18; XIV, 23. Has secundas decimas autem tertio quovis anno intra cujusque oppidi mœnia pauperibus et Levitis dividebant. Non igitur tres eo anno decimæ solvebantur, ut nonnulli colligunt e *Tob.* I, 7, *tertiam decimam dabam iis ad quos pertinet*. Verum intelligit duntaxat, decimam tertii anni, id est, eam quam tertio quoque anno, post solutam primam, oportebat colonum intra sua mœnia dare Levitis, peregrinis, orphanis et viduis. Cf. Josephum *Antiq.* lib. IV, cap. VIII, § 22.

κρίσεως, id est, *adversus judicium gloriatur misericordia*, tanquam victrix judicii. In judicio enim dicet Christus : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. S. Gregorius, homil. 32 *in Evang.*, narrat duos Martyres habitu peregrino et monastico matronæ cuidam religiosæ apparuisse ; cumque illa eis de more eleemosynam offerret, dixerunt : « Tu nos modo visitas ; nos te in die judicii requiremus, et quidquid possumus præstabimus tibi. » Similem opem promisisse et præstitisse hoc sæculo Carthusianos Martyres, sub Henrico VIII Angliæ rege, matronæ cuipiam agonizanti, quæ eos in carcere eleemosynis, omnique obsequio juverat, ab Anglis viris omni fide dignis audivi.

Quartus. Eleemosyna est instar sacrificii Deum placantis, ut ait S. Augustinus, *homil.* 29, inter 50 ; et Apostolus, *Hebr.* XIII, 16 : « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur Deus. » Vide S. Augustinum, lib. X *De Civit.* cap. V.

Quintus. Eleemosyna est instar columbæ, quæ *Gen.* VIII, 11, reversa est ad Noe in diluvio, ferens ramum olivæ. Eleemosyna enim affert fiduciam, lætitiam, pacem et gloriam sempiternam. « Pennata, inquit S. Chrysostomus, hom. *De Pœnit.*, est eleemosyna, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans angelos. » Nam ipsa aurum egenis tribuens, aureis in cœlum alis evolat.

Sextus. Eleemosyna opes in tuto locat, puta in cœlo per manus pauperum. « Ubinam, inquit Chrysostomus loco citato, opes deponemus ? transfugæ sunt (ab uno enim ad alium fugiunt), quomodo tenebuntur ? Distributæ manent, custoditæ fugiunt. » Affert deinde similitudinem frumenti, quod domi retentum, a vermibus corroditur, et fugit ; sparsum vero messem parit uberrimam, et manet. Sic et opes domi asservatæ fugiunt : sparsæ in pauperes fructum afferunt, et manent. « Neque enim diffugere, inquit, poterunt detentæ tot viduarum et pauperum manibus. » Et S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna* : « Patrimonium, inquit, Deo creditum nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. »

Septimus. Eleemosyna hominem facit similem Deo. Deus enim est ipsum in se bonum ; natura autem boni est ut se aliis communicet. « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, » ait Christus, *Luc.* VI, 36. Misericordia ergo imaginem Dei misericordis pingit in homine misericorde. « Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit, » inquit S. Leo, serm. 10 *De Quadragesima*, et Clemens Alexandrinus, lib. II *Strom.* cap. IX : « Dei, inquit, imago est homo benefaciens. » Et Nazianzenus, oratione 16 *De Pauperibus fovendis* : « Nihil, ait, adeo divinum habet homo, quam benefacere. » Deus enim maxime hoc titulo gaudet, quod vocetur pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Item, misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors.

Octavus. Nihil tam homini proprium, quam humanitas : vere ergo homo est, qui humanus est erga alios. Hinc manus, oculos, aures, linguam, aliaque membra accepit, non ut sibi soli, sed etiam ut aliis prosit ; utque manum, linguam, pedes, etc., aliis commodet et porrigat.

Nonus. Ait Poeta :

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Hinc Leo Imperator homines misericordes comparabat soli, qui cunctis lucem et calorem suum impertit.

Decimus. Eleemosyna auget merita, et gratiam Deique benedictionem conciliat. Nam, ut ait S. Paulus : « Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, » II *Corinth.* cap. IX, vers. 6.

Undecimus. Auget bona temporalia. Scriptum est enim : « Date, et dabitur vobis. » Eleemosyna ergo similis est terræ quam seminavit Isaac, quæ reddidit fructum centesimum. Unde Christus sua relinquentibus et distribuentibus in pauperes centuplum promittit. Recte igitur S. Augustinus, serm. 25 *De Verbis Domini*, cap. III : « Fecundus est, ait, ager pauperum ; cito reddit donantibus fructum. » *Prov.* cap. XXVIII, vers. 27 : « Qui dat pauperi, non indigebit ; et qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. » Indicat hoc hydria illa farinæ, et lecythus olei, ex quibus Eliæ eleemosyna est collata. Nam « hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, » III *Regum* XVII, 16. Sic et quinque panes, dati a Christo in eleemosynam turbæ, multiplicati sunt. Eleemosyna enim opes et cibos fœnori dat Deo, indeque maximum quæstum facit, *Proverb.* XIX, 17 : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. » « Deus, inquit S. Leo, serm. 6 *De Jejunio 10 mensis*, fide jussor est pauperum, largissimus redditor usurarum. » Si vis igitur fœnerari, fœnerare Deo. Merito Chrysostomus scripsit homiliam 33, hoc titulo, *Quod Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.*

Duodecimus. Eleemosyna præbet magnum solatium morituris. *Tobiæ* XII : « Eleemosyna liberat a morte, et ipsa est quæ facit invenire misericordiam. » *Psal.* XL, 2 : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. » « Non sunt hominis bona, inquit S. Ambrosius, quæ secum ferre non potest : sola misericordia comes est defunctorum. » Hinc liberat a gehenna. *Tobiæ* IV, 8 : « Quomodo potueris, ita esto misericors : præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. » Vide parabolam Barlaam de duobus amicis hominem in morte deserentibus ; tertio vero, videlicet virtute et eleemosyna, eum defendente : apud Damascenum. Imo eleemosyna Tabitam a morte revocavit, *Actor.* cap. XI,

vers. 40, inquit S. Cyprianus, *De Opere et Eleemosyna.*

Decimus tertius. Eleemosyna ædificat æterna tabernacula in cœlis. Patet hoc exemplo Petri Telonarii, quod exstat in Vita S. Joannis Eleemosynarii, et alterius quod recenset S. Gregorius, IV *Dialogorum*, XXXVI. Hinc S. Leo, serm. 6 *De Jejunio* 10 *mensis*: « Temporale, ait, donum in præmium transit æternum;» et Chrysostomus, hom. 9 *De Pœnit.*: « Mercatura, ait, negotiatioque tua cœlum est; da panem, et accipe paradisum; parva da, et magna suscipe; da mortalia, et recipe immortalia. » Eleemosyna ergo in cœlo est quasi œconomus, quæ cuique pro meritis suum locum et coronam assignat. Scriptum est enim : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Hinc Petrus Chrysologus, serm. 8 *De Jejunio et Eleemosyna* : « Manus, ait, pauperis sinus est Abrahæ, ubi quidquid pauper accepit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis : quod suscipit ne pereat in terra, reponit in cœlum. Da igitur, o homo, pauperi terram, ut accipias cœlum ; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum. »

Decimus quartus. Beatius est magis dare quam accipere, ait Christus. Hinc in dando tota natura nobis præbet exemplum. Cœli dant lumen et influxum, ignis dat calorem, aer dat auram qua respiramus, terra dat tot fructus, mare tot pisces, animalia dant lanam et carnes. Pater æternus dat Filio suam naturam : Pater et Filius eamdem dant Spiritui Sancto : Filius se dedit nobis in præsepio et in cruce, ac quotidie dat in Ven. Sacramento. Turpissimum igitur erit, si nos, qui ab omnibus creaturis, et a Deo quotidie tam multa recipimus, non etiam discamus largiri non habentibus ea quæ possumus.

Decimus quintus. Eleemosyna pauperi datur, sed Christus eam sibi datam reputat. « Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare, » etc. Esurire voluit Christus in pauperibus, qui dives in cœlo est : et tu dubitas, o homo, dare homini, cum scias te dare Christo!

Decimus sextus. Eleemosyna facit opes sanctas : unde sequitur vers. 13 : « Attuli quod sanctificatum est. » Sanctum est aurum quo captivi redimuntur, sanctum est argentum quod pupillis et viduis datur. Hinc vulgo opera misericordiæ vocamus opera pietatis: et hebraice חסיד *chasid*, id est pius, vocatur is qui est misericors.

Decimus septimus. Eleemosyna opem affert orationi. « Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur, » ait S. Leo, serm. 10 *De Jejun.* 10 *mensis*. *Tobiæ* cap. IV, vers. 7 : « Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. » S. Augustinus in *Psal.* XLII : « Vis, ait, orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. « Hinc ait Angelus ad Tobiam, cap. XII, vers. 8 : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. »

Decimus **Omnes sumus mendici Dei. Quid sunt opes,** nisi eleemosynæ divitibus a Deo datæ? Dent igitur octavus. ipsi pariter ex iis partem pauperibus. « Mendici Dei sumus; ut agnoscat Deus mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum! » ait S. Augustinus, serm. 5 *De Verbis Domini.*

Eleemosyna pugnat apud Deum pro eleemosynario, ut Deus ei ferat auxilium. *Eccli.* cap. XXIX, vers. 15 : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo; super scutum potentis, et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. » Et cap. III, vers. 34: « Deus prospector est ejus qui reddit gratiam : meminit ejus in posterum; in tempore casus sui inveniet firmamentum, » *q. d.* Eleemosynarius in adversis a Deo firmabitur et fulcietur; et cap. XVII, vers. 18 : « Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit, » *q. d.* Sicut annulus signatorius in digito fertur, et est ante oculos hominis : sic eleemosyna semper obversatur oculis Dei, et gratiam hominis, id est beneficium collatum in pauperem, conservabit Deus quasi pupillam oculi, id est quasi rem charissimam. Decimus nonus.

Eleemosyna est propria Sanctorum illustrium virtus, estque signum prædestinationis Dei. « Induite, ait Paulus, *Coloss.* III, 12, vos sicut electi Dei, sancti et dilecti viscera misericordiæ. » Vigesimus.

S. Franciscus ita liberalis erat in pauperes, ut a patre prodigalitatis coram Episcopo accusatus sit, bonisque sponte exutus : hocque fuit primum sanctitatis ejus fundamentum.

Serapion etiam vestem donavit seminudus incedens : rogatus, cur? ostendit librum Evangeliorum : « En, inquit, qui me spoliavit, » ipsumque librum tandem etiam erogavit.

S. Catharina Senensis pauperi mendicanti crucem argenteam dedit, cum aliud non haberet. Noctu apparens ei Christus, dixit se crucem illam in die judicii publice ostensurum, in signum pietatis : sicut et S. Martino apparuit veste indutus, qua pauperem contexerat.

S. Joannes Eleemosynarius fuit mare eleemosynarum : et quo plus dabat, eo plus recipiebat. Solebat ipse pauperes vocare dominos suos, quod ipsi ei opem ferre possent, ne a regno Dei excluderetur. Hinc S. Franciscus Fratribus dicebat ne mendicare erubescerent, quia majora ipsi largiebantur, quam acceperant, et dantes ipsi copiosius ditabant; addebatque hanc esse nobilem prodigalitatem, quæ pro pane divinum redderet amorem, ut si quis pro pane daret decem aureos : ideoque Mendicantium Ordines divino consilio institutos esse eo tempore, quo refrixerat charitas, ut hac occasione homines divina charitate ditescerent.

S. Ludovicus, rex Galliæ, semper pauperes mensæ suæ adhibebat, eisque cibum regium subministrabat, cogitans in iis se convivam habere Christum. Rursum sua manu iis aliisque pecunias ero-

gabat, dictitans eos esse suos milites, qui regnum defenderent, et idcirco se illis stipendia persolvere.

Vigesimus primus. S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Nunquam, ait, memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. » Auctor ad Fratres in eremo apud S. Augustinum, *serm.* 44 : « Sola, inquit, misericordia ad Deum deducit hominem; sola Deum deducit ad hominem : nunquam vidi hominem pium mala morte finiri. »

Denique eleemosyna est quasi torques aurea nobilium Sanctorum ac filiorum Dei, inquit S. Chrysostomus, imo Salomon, *Proverb.* cap. III, 3, cum ait : « Eleemosyna et veritas te non deserant : circumda eas gutturi tuo, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. »

Vers. 13. 13. ATTULI QUOD SANCTIFICATUM EST. — Pro *attuli*, lege cum Romanis, *abstuli*. Hebraice enim est בערתי *biarti*, id est extuli, abstuli. Ita Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii, *q. d.* E domo mea abstuli et extuli, o Domine, tertias hasce decimas, quas sanctificari, id est separari, et tibi in pauperibus offerri mandasti. Unde sequitur : « Et dedi illud Levitæ, et advenæ, et pupillo, ac viduæ. »

Vers. 14. 14. NON COMEDI EX EIS IN LUCTU MEO, (*q. d.* In calamitate, vel paupertate mea, sive inopia pressus (1), non comedi ex tertiis hisce decimis), NEC SEPARAVI EA IN QUALIBET IMMUNDITIA, — hoc est, nec iis sum usus ad res immundas, ut videlicet ea darem meretricibus, canibus, aut jumentis, *q. d.* Hasce decimas ut sanctas, integras et intactas, Deo, id est pauperibus ejus nomine, separavi et dedi.

Vers. 15. 15. RESPICE DE SANCTUARIO TUO. — Hebraice, *respice de habitaculo sanctitatis tuæ, de cœlo ipso* (2).

Vers. 19. 19. FACIAT TE EXCELSIOREM CUNCTIS GENTIBUS QUAS CREAVIT IN LAUDEM ET NOMEN (id est famam) ET GLORIAM SUAM. — In tot enim, tamque variis gentibus, rebusque a se creatis, Deus ostendit infinitam sapientiam suam in ordinando, et immensam potentiam in creando, et immensum amorem in communicando eis suum esse suaque bona, ut merito ex hisce omnes assurgere debeant ad Dei laudem et glorificationem. Ita Abulensis.

(1) Rectius Allioli : *In luctu*, id est, quando eram *immundus* ob luctum. — *In re funebri.* Apud Hebræos a cognatis mortui convivia funebria instrui solebant; sed, quia omne negotium funebre immundum censebatur, ad talia convivia nil Deo sacrum adhiberi licebat.

(2) Vers. 17, 18, 19. In his versibus aliquam difficultatem parit verbum הֶאֱמִיר, quam Gesenius in *Thesauro*, p. 121, ita explicuit : « *Tu hodie dicere* seu *spondere fecisti Dominum, se Deum tibi futurum, teque in viis ejus ambulaturum*, etc. id est, Jehova hoc tibi spopondit hodie te probante fœderis conditiones. Vers. 18. *Et Jehova te spondere fecit, hodie te populum peculiarem ei futurum...* Vers. 19, *seque cunctis gentibus te superiorem redditurum esse*, id est, tu contra spopondisti approbante Jova conditiones. Sententia est : Vos vobis spopondistis invicem, et alter alterius conditiones accepit ratasque habuit. Ut plane luceat locus a paucis intellectus, id modo tenendum est, in utraque sponsione contineri tunc promissum spondentis, tum conditiones fœderis, ita quidem ut in prima sponsione, quæ Dei est, præcedat promissum Dei, sequantur conditiones ab hominibus servandæ; in altera, quæ populi est, præcedat sponsio populi, sequatur (vers. 18) fides a Deo data. In utraque sponsione præterea mutatur subjectum, quando quidem להיות לך לאלהים ad Deum refertur, וללכת ad Israelem, להיות לעם ad populum, ולתתך iterum ad Deum, cujus rei alia exempla habes *Isai.* XXXVII, 36 ; II *Sam.* IX, 13. »

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ritus benedictionis in Garizim, et maledictionis in Hebal. *Præscribitur cæremonia benedictionis in monte Garizim, et maledictionis in monte Hebal obeunda : scilicet primo, ut omnis populus, tam quoad Israelitas, quam proselytos, tam quoad viros, quam feminas et pueros, ad montes hosce vadant. Secundo, altare in Hebal excitent. Tertio, lapides erigant, eosque calce incrustent. Quarto, in his inscribant legem. Quinto, in altari sacrificent. Sexto, sex tribus in Garizim, sex aliæ in Hebal consistant. Septimo, in horum montium medio, in ipsa scilicet valle, sacerdotes Domini cum arca stent. Octavo, ab his magna contentaque voce, præscripta hic benedictionis et maledictionis formula recitetur, cui populus respondeat : Amen.*

1. Præcepit autem Moyses et seniores Israel populo dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. 2. Cumque transieritis Jordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos, 3. ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso : ut introeas terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis. 4. Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal,

et levigabis eos calce : 5. et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit, 6. et de saxis informibus, et impolitis ; et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, 7. et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. 8. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide. 9. Dixeruntque Moyses et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem : Attende et audi, Israel ; hodie factus es populus Domini Dei tui : 10. audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias quas ego præcipio tibi. 11. Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens : 12. Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso : Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin. 13. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal : Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan, et Nephtali. 14. Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce : 15. Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito ! et respondebit omnis populus, et dicet : Amen. 16. Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem ! et dicet omnis populus : Amen. 17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui ! et dicet omnis populus : Amen. 18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere ! et dicet omnis populus : Amen. 19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli et viduæ ! et dicet omnis populus : Amen. 20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus ! et dicet omnis populus : Amen. 21. Maledictus qui dormit cum omni jumento ! et dicet omnis populus : Amen. 22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ ! et dicet omnis populus : Amen. 23. Maledictus qui dormit cum socru sua ! et dicet omnis populus : Amen. 24. Maledictus qui clam percusserit proximum suum ! et dicet omnis populus : Amen. 25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis ! et dicet omnis populus : Amen. 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit ! et dicet omnis populus : Amen.

Vers. 2. 2. CUMQUE TRANSIERITIS JORDANEM, etc., ERIGES INGENTES LAPIDES, — duodecim numero, scilicet pro numero duodecim tribuum ; tot enim etiam statuerat Moses, cum Israelitis legem recitaturus esset, *Exodi* XXIV, 4. Unde idipsum imitari jubetur Mosis discipulus, Josue, inquit Masius et Serarius.

Lapides legis alii erant a lapidibus altaris. Nota : Licet Josephus videatur dicere hosce lapides eosdem fuisse cum lapidibus altaris, quod hic jubetur erigi, tamen verius est ab iis fuisse diversos, uti satis hic significat Scriptura. Ita Cyrillus in *Glaphyris*, Cajetanus, Masius, Serarius, Abulensis et alii.

Vers. 2 et 8. 2. ET CALCE LEVIGABIS EOS (id est, ut Hebræi habent, *linies*, vel *incrustabis eos calce*, idque ad hoc, ut, sicuti dicitur vers. 8, super eos scribas) OMNIA VERBA LEGIS HUJUS PLANE ET LUCIDE, — id

An puncta, id est vocales datæ sint Mosi ? est, inquiunt Judæi, cum punctis, quæ Hebræis sunt instar vocalium ; hæc enim jam tum fuisse data Mosi censent ipsi cum Cevallerio. Verum hæc est fabella. Certum enim est puncta Hebræorum diu post Christum, imo post tempora S. Hieronymi esse adinventa, uti docent Latini, Hebræi linguæ peritissimi, imo ipse Rabbi Elias Levita. Τὸ ergo *plane et lucide* idem est, quod *clare et distincte ;* unde hebraice est, *explanando bene.* Hinc patet, lapidibus hisce utrimque minuto charactere inscriptam fuisse totam hanc legem, id est totum Deuteronomium, tum ad excitationem præsentium, tum ad memoriam posterorum, ut scilicet ipsi præcepta Dei, lapidibus hisce clare inscripta, legere possent : unde in hanc cæremoniam, hancque legis descriptionem, non unus, sed plures insumpti sunt dies : nam non solum Decalogum, ut vult Lyranus et Cajetanus ; nec solas maledictiones et benedictiones, de quibus vers. 15, ut vult Masius ; nec sola præcepta legis affirmativa et negativa, ut vult Aben-Ezra, hisce lapidibus fuisse inscripta, sed totum Deuteronomium, patet ex eo quod jubet in eis inscribi « omnia verba legis hujus, » id est Deuteronomii : et ita fecit reipsa *Josue*, cap. VIII, vers. 32. Unde patet lapides hos fuisse grandes, quanquam Deuteronomium non lapidibus proprie, sed calci lapidibus illito inscriptum fuerit. Ita Abulensis et Serarius, qui ostendit quomodo id fieri potuerit, Quæst. XX in cap. VIII *Josue* (1).

Lapidibus inscriptum fuit totum Deuteronomium.

(1) Vers. 3. Per *omnia verba legis hujus* Josephus quoque, *Antiq. Jud.* lib. IV, cap. VIII, § 44, intelligit maledictiones et benedictiones quæ in fine capitis leguntur. Cæterum benedictiones et maledictiones istæ non videntur inscriptæ fuisse calceo tectorio, sed lapidibus ipsis, qui deinde calce obducebantur. Ita scriptura a tempestatis injuria posteritati conservabatur integra, et

Mystice, Cyrillus in *Glaphyris*, per 12 lapides accipit 12 Apostolos, quibus inscripta fuit Dei lex, ita ut omnes eam in ipsorum verbis et moribus legere possent.

Vers. 12. 12. HI STABUNT AD BENEDICENDUM POPULO SUPER MONTEM GARIZIM, etc. SIMEON, LEVI, JUDAS, ISSACHAR, JOSEPH (scilicet Ephraim et Manasse : hi enim fuerunt filii Joseph; hæ ergo duæ tribus hic vocantur una, scilicet Joseph) ET BENJAMIN. — Nota : Mons Garizim imminet urbi Sichem, ut patet *Judic.* IX, 7, in quo, tempore Alexandri Magni, Sanaballat Samariæ præfectus ædificavit templum, eique præfecit Manassen, fratrem Jaddi pontificis : ad quod confluebant Samaritæ et alii a Judæis ejecti, teste Josepho, libro XI *Antiquit.* cap. VII : cujus templi meminit Samaritana, colloquens cum Christo, *Joan.* IV, 20. Male ergo Andreas Masius Garizim collocat, non juxta Sichem, sed juxta Hai, cujus rationes multis confutat Nicolaus Serarius in *Josue*, Quæst. XIV.

Mons Garizim quis? In eo fuit templum Samaritanorum.

Vers. 13. 13. ET E REGIONE ISTI STABUNT AD MALEDICENDUM (ut scilicet sacerdotibus maledicentibus populo, non servanti legem Dei, applaudant, et respondeant : Amen) IN MONTE HEBAL : RUBEN, GAD, ET AZER, ET ZABULON, DAN, ET NEPHTALI. — Mons Hebal vicinus est monti Garizim : inter eos enim tantum interjacet vallis.

Hebal mons ubi?

Nota : Hac cæremonia et pompa, voluit Dominus rudem populum, ad memorandam legem perficiendamque provocare : unde Levitæ, id est sacerdotes, proclamando benedictiones et maledictiones, quasi feciales, fœdus inter Deum et populum innovarunt et confirmarunt. Tota ergo hæc res hoc ordine et modo peracta videtur. *Primo*, in valle ipsa, inter duos montes, Garizim scilicet et Hebal, stabant sacerdotes ii qui arcam fœderis gestabant, ut patet *Josue* VIII, 33. *Secundo*, circum hos stabant alii sacerdotes, ac Levitæ omnes; circum hos *tertio*, stabant majores natu, duces et judices populi *Quarto*, deinceps tribus omnes, ita scilicet ut sex designatæ starent ascendendo, versus montem Garizim, sex aliæ versus montem Hebal. *Quinto*, Josue vel per se, tanquam Propheta, vel per sacerdotes, benedixit populum, uti patet *Josue* VIII, 34. *Sexto*, sacerdotes aliqui, qui vocalissimi videbantur, legem recitarunt. *Septimo*, iidem conscenderunt cacumen montis Garizim, ut vult Abulensis, vel potius in valle, juxta arcam consistentes, ut docent Hebræi, Masius, Serarius et alii, ex editiore loco, vel ex suggestu, vertentes se versus montem Garizim, pronuntiarunt benedictiones; deinde vertentes se ad montem Hebal, pronuntiarunt maledictiones : idque apposite ad montium conditionem. Nam Garizim fertilis est et amœnus, ideoque versus eum recte concipiebantur benedictiones, id est omnis felicitatis precationes; sterilis vero et inamœnus est Hebal : imprecationes ergo et detestationes recte accipiebat.

Ordo benedicendi et maledicendi in Garizim et Hebal. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

Putat R. Salomon sacerdotes post singulas benedictiones, quibus sex tribus respondebant Amen, se convertisse ad Hebal, et contrariam maledictionem pronuntiasse, cui sex aliæ tribus, alterna quasi voce et choro, respondebant Amen; hoc enim magis congruum et concinnum videtur. Alii vero, ut Andreas Masius et Abulensis non minus probabiliter censent sacerdotes primo omnes 12 benedictiones simul pronuntiasse ad Garizim, sex tribubus respondentibus ad singulas Amen; deinde post eas pronuntiasse ordine 12 maledictiones ad Hebal, sex aliis tribubus respondentibus Amen.

An simul prolatæ sint omnes benedictiones, deinde maledictiones, an vero mixtim?

Porro benedictiones hæ hic non describuntur, sed eas ex maledictionibus vers. 15, colligere licet has fuisse : *Prima*, benedictus qui non facit sculptile, sed unum Deum verum colit! *Secunda*, benedictus qui honorat patrem et matrem! *Tertia*, benedictus qui non transfert terminos proximi sui, et ita de cæteris usque ad 12, scilicet pro numero 12 tribuum. Denique benedictiones hæ fusius explicantur cap. seq., vers. 28 : unde verisimile est Josue, qui præceptum hoc benedicendi et maledicendi executus est, eodem tempore pariter caput hoc XXVIII, populo relegi et promulgari curasse. Ita Andreas Masius.

Vers. 15. 15. ET RESPONDEBIT OMNIS POPULUS, ET DICET : AMEN. — Hinc putant aliqui, ut Masius, omnes duodecim tribus communi voce, ad singulas tam benedictiones, quam maledictiones, conclamasse Amen. Verum verius est sex designatas tantum ad benedictiones conclamasse Amen : alias sex tantum ad maledictiones conclamasse Amen; hoc enim diserte dicitur vers. 12.

An omnes tribus ad singulas benedictiones responderint Amen?

Nota : Sex nobiliores tribus ad benedictiones responderunt : Amen; ad maledictiones vero Amen responderunt sex tribus ignobiliores; videlicet quatuor prognatæ ex quatuor ancillarum filiis, scilicet Gad, Azer, Dan et Nephtali, quibus additur Ruben, quia hic suo incestu maculavit thorum patris; et Zabulon, quia hic ultimus fuit Liæ filius. Ita Rabanus et Theodoretus, *Quæst.* XXXIV.

Nota *secundo* : Singuli hic in tanta turba respondebant Amen; licet enim a valle remotiores sacerdotum vocem non satis audirent, ipsa tamen cæremoniæ ratio, et primorum vociferatio illos

si qua legis oblivio postea accidisset, ea casu quodam inventa quasi de novo nota fiebat hominibus. Ita is, qui Pharum struxit, regis Sostrati nomen calci inscripsisse, suum autem lapidi calce obducto insculpsisse traditur, ut multis post annis, ubi calx obducta decidisset, ipse apud posteritatem nobilitaretur.

Vers. 4. Pro *Hebal* codex Samaritanus exhibet *Garizim*, sed recte animadvertit Gesenius in suo *Thesauro*, genuinam scripturam a Samaritanis adulteratam esse, ut novo cultui domestico colorem quærerent et auctoritatem.

Vers. 5. Non novum videtur hoc mandatum, a superiore diversum; sed Moses docet, lapides, quos antea dixit statuendos et tectorio oblinendos, debere in formam altaris inter se componi.

admonebat, et insigne ab omnibus exprimebat *Amen*, inquit Serarius.

AMEN. — « Amen, » ait S. Hieronymus *ad Marcellam*, epist. 137, et in fine *Comment. ad Galat.*, Aquila, Symmachus et Theodotion, vertunt πεπιστωμένως, id est *fideliter*, vel *vere*; Septuaginta verterunt γένοιτο, id est *fiat*. Significat ergo Amen *vere*, vel etiam *firmiter;* radix enim אמן *aman* significat firmare, stabilire : unde nomen אמת *emeth*, id est firmitas, stabilitas, veritas. Amen ergo non est particula jurantis, ut vulgus putat, sed affirmantis et confirmantis; affirmantis est, cum orationi præponitur, ut : « Amen, amen dico vobis; » confirmantis est, cum orationi postponitur. Rursum cum postponitur, et significat consensum audientis, nunc asserentis est et concedentis, nunc optantis. Utrovis modo hic accipi potest : nam populus respondens Amen, approbabat benedictionem, vel maledictionem Levitarum, id est sacerdotum, et simul optabat ita fieri, idque ad hoc, ut sua benedictione benedictos, et exsecratione sua exsecratos, semper se meminissent, si bene vel male agerent, inquit Cajetanus.

Amen nunc affirmantis est, nunc confirmantis, nunc optantis.

Tropologice Origenes, homil. 9 *in Josue*, et Rabanus hic : juxta montem Garizim incedunt ad benedicendum, qui non metu pœnæ, sed cœlestis promissionis, et benedictionis æternæ spe et amore succensi, tendunt ad salutem. Alii qui juxta Hebal, in quo maledictiones prolatæ sunt, incedunt, sunt ii qui non amore promissorum, sed timore suppliciorum implent legem, ut salventur. Omnes autem hi circa arcam incedunt : quia ab Ecclesiæ sinu non recedunt, licet nobiliores illi sint, quam hi. Josue autem constituit eos juxta hos montes, quia Jesus electos suos, vel spe præmii, vel timore pœnæ, ad salutem vocat et perducit; hucusque Origenes et Rabanus.

Tropologice.

Anagogice Rupertus, lib. II, cap. V : Significatur, inquit, hic judicium universale; nam hi duo colles contra invicem respicientes, puta Garizim et Hebal, significant duos ordines et duas stationes judicandorum : Garizim enim, id est divisio, significat oves, quæ erunt ad dextram Christi, divisæ ab hædis, puta electos. Hebal, id est vorago vetus, significat hædos, qui erunt ad sinistram Christi, puta damnandos ad gehennam. Sex nomina et tribus filiorum Israel, erant in Garizim ad benedicendum, et sex in Hebal ad maledicendum : ita in judicio sex proferentur opera misericordiæ, ob quæ ii qui erunt a dextris, benedicentur; et sex opera immisericordiæ, ob quæ ii qui erunt a sinistris, maledicentur : unde hi audient : « Ite, maledicti, in ignem æternum; » illi vero : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Et totus populus, id est, omnes tam reprobi, quam electi, tacite respondebunt : Amen. Sed et sedes duodecim, de quibus *Matth.* XIX, 28, hic non omnino tacitæ sunt : nam duodecim maledictiones hic propositæ sunt, et totidem benedictiones, quasi singulæ de singulis sedibus prolatæ sunt. Hucusque Rupertus.

Anagogice. Garizim significat electos, Hebal reprobos.

16. QUI NON HONORAT (Hebraice, *qui vilipendit*) PATREM SUUM. Vers. 16.

17. QUI TRANSFERT TERMINOS — agrorum, ut ita per dolum et injustitiam dilatet prædia sua. Vers. 17.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Deus multa bona Hebræis, si legem ejus servent. Deinde, vers. 15, plurima mala eis comminatur, si eam violent.

1. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ versantur in terra. 2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te : si tamen præcepta ejus audieris. 3. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. 4. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. 5. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. 6. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens. 7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua. 8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum : benedicetque tibi in terra quam acceperis. 9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi : si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. 10. Videbunt omnes terrarum

populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. 11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi. 12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies. 13. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam : et eris semper supra, et non subter ; si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, et custodieris et feceris, 14. ac non declinaveris ab eis, nec ad dextram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos. 15. Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. 16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. 17. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. 18. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. 19. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. 20. Mittet Dominus super te famem et esuriem, et increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies : donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. 21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam. 22. Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas. 23. Sit cœlum, quod supra te est, æneum ; et terra, quam calcas, ferrea. 24. Det Dominum imbrem terræ tuæ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. 25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos : per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ, 26. sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat. 27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. 28. Percutiat te Dominus amentia et cæcitate ac furore mentis, 29. et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. 30. Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum ædifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam. 31. Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet. 32. Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua. 33. Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras : et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus, 34. et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. 35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum. 36. Ducet te Dominus et regem tuum, quem constitueris super te in gentem, quam ignoras tu et patres tui : et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi. 37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. 38. Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia. 39. Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus. 40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia defluent, et peribunt. 41. Filios generabis et filias, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem. 42. Omnes arbores tuas et fruges terræ tuæ rubigo consumet. 43. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior ; tu autem descendes, et eris inferior. 44. Ipse fœnerabit tibi, et tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. 45. Et venient super te omnes maledictio-

nes istæ, et persequentes apprehendent te, donec intereas; quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus et cæremonias quas præcepit tibi. 46. Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum; 47. eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam: 48. servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria; et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. 49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu; cujus linguam intelligere non possis: 50. gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, 51. et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ; donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum et oleum, armenta boum, et greges ovium; donec te disperdat, 52. et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus; 53. et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus. 54. Homo delicatus in te, luxuriosus valde, invidebit fratri suo, et uxori quæ cubat in sinu suo, 55. ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. 56. Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus, 57. et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio seminum ejus, et super liberis qui eadem hora nati sunt; comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. 58. Nisi custodieris et feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum; 59. augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas, 60. et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi. 61. Insuper et universos languores, et plagas quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat; 62. et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. 63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra ad quam ingredieris possidendam. 64. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus: et servies ibi diis alienis quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus. 65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus tibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore. 66. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. 67. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis. 68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

Vers. 1. 1. FACIET TE DOMINUS EXCELSIOREM CUNCTIS GENTIBUS, — ut scilicet omnes superes, tum felicitate, tum opibus, tum honore, tum robore, tum imperio.

Vers. 3. 3. BENEDICTUS TU IN CIVITATE, ET BENEDICTUS IN AGRO, — *q. d.* Abundabis omnibus rebus necessariis, tam in re urbana, quam rustica; *benedicere* enim hic est benefacere. Benedictio enim Dei realis est, non verbalis, nec aulica; significatque omnem prosperitatem, tum in corpore, tum in anima, tum in fortunis. Unde sequitur:

Benedictio significat omnem prosperitatem.

4. BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI, ET FRUCTUS Vers. 4.

TERRÆ TUÆ, — id est abundabis liberis et fructibus terræ tuæ, æque ac jumentis.

Vers. 5. 5. BENEDICTA HORREA TUA. — Chaldæus et recentiores vertunt, *benedicta canistra tua;* sed nostro Interpreti consentiunt Septuaginta. Vox ergo Hebræa טְנָא *tene* significat repositorium, sive illud sit sporta, sive apotheca, sive horreum. Sensus ergo est : Abundabis frumento et panibus, ita ut reliquiæ superfuturæ sint multæ, quas in paupere eroges; hoc enim est quod subjungit, dicens: « Et benedictæ reliquiæ tuæ; » *benedictio* enim copiam et abundantiam significat, uti dixi II *Cor.* IX, 6 (1).

Vers. 6. 6. BENEDICTUS ERIS INGREDIENS ET EGREDIENS. — Ingressus tuus in locum aliquem, æque ac egressus, erit felix et fortunatus, quia te per omnia diriget Deus. Ita videmus viros sanctos a Deo in omnibus dirigi, omnesque eorum actus felices habere exitus, in quibus illud *Psal.* I impletur : « Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. »

Vers. 9. 9. SUSCITABIT TE DOMINUS SIBI IN POPULUM SANCTUM, — *q. d.* Faciet Deus ut sis et voceris populus sanctus, populus Dei, illique peculiariter addictus, qui vicissim te, ut populum suum defendat, provehat, et gloriosum reddat.

Vers. 10. 10. VIDEBUNTQUE OMNES TERRARUM POPULI, QUOD NOMEN DOMINI INVOCATUM SIT SUPER TE (*q. d.* Videbunt omnes te vocari nomine Dei, vel te vocari, æque ac esse, populum Dei, quodque Deus se tuum Deum esse ostendat, te protegendo et augendo res tuas, unde omnes) TIMEBUNT TE; — hoc enim in Scriptura significat, *invocari nomen alicujus super aliquem,* ut patet *Ecclesiastici* XXXVI, 14; *Jerem.* VII, 11; *Baruch* II, 15; *Daniel.* IX, 18, et alibi.

Vers. 12. 12. APERIET DOMINUS THESAURUM SUUM OPTIMUM, COELUM, UT TRIBUAT PLUVIAM. — « Cœlum, » id est aerem, dicitur hic thesaurus Dei : quia in eo, quasi repositorio nobis inscrutabili, recondidit Deus pluviam, per quam cuncta bona terræ proveniunt. Sic aer dicitur thesaurus ventorum, *Psal.* CXXXIV, vers. 8 : « Qui producit ventos de thesauris suis; » item grandinis et nivis, *Job* XXXVIII, 22. Sic abyssus maris et aquarum, quia inscrutabilis est et impenetrabilis, vocatur thesaurus Dei, *Psal.* XXXII, vers. 7 : « Ponens in thesauris abyssos, » id est aquas profundissimas.

Aer et aqua sunt thesaurus Dei, cur?

FOENERABIS (id est mutuabis, mutuum, præ opibus et copia, dare poteris) GENTIBUS MULTIS, ET IPSE A NULLO FOENUS (id est mutuum) ACCIPIES — quia nulla premeris necessitate, cum domi omnibus rebus sis abundaturus. Ita Hebræa, Septuaginta et Chaldæus, qui vertit, *mutuabis gentibus multis, et ipse a nemine mutuum accipies.* Non ergo hic Deus permittit, aut præcipit usuras, uti Judæi intelligunt. Hebræum enim לָוָה *lava* non usuram, sed mutuum significat. Idem verbum est vers. 44; ubi rursum Noster vertit, *fœnerabis.*

Vers. 13. 13. CONSTITUET TE DOMINUS IN CAPUT, ET NON IN CAUDAM, ET ERIS SEMPER SUPRA, ET NON SUBTER, — *q. d.* Faciet Deus te ubique et semper primum, non ultimum; dominantem aliis, non subjectum. Ita Theodoretus, *Quæst.* XXXIV.

Vers. 15 et 16. 15 et 16. SI AUDIRE (obedire) NOLUERIS VOCEM DOMINI DEI TUI, etc., MALEDICTUS ERIS IN CIVITATE, MALEDICTUS IN AGRO, — *q. d.* Miser eris et infelix, deficientque te res, tam urbanæ, quam rusticæ. Hactenus Moses bona recensuit, danda servantibus legem Dei : hic per antithesin recenset mala plurima, obventura violantibus legem Dei. Hæc concionatores peccatoribus inculcent : mala enim hæc typum et præambulum gerunt malorum et pœnarum gehennæ.

Vers. 20. 20. MITTET DOMINUS SUPER TE FAMEM ET ESURIEM. — Hebraice, *mittet in te maledictionem et conturbationem,* vel strepitum terribilem, in quo omnia turbatione sunt plena. Sed per hæc tam Noster quam Septuaginta acceperunt famem et esuriem: hæc enim hominibus carnalibus, quales erant Judæi, summa videtur maledictio et conturbatio.

ET INCREPATIONEM, — id est perditionem, et, ut vertunt Septuaginta, consumptionem, quæ est effectus increpationis Dei, ut scilicet omnia opera tua perdantur, destruantur et consumantur; est metonymia.

Vers. 22. 22. PERCUTIAT TE DOMINUS, etc., FRIGORE, — ita et Septuaginta; quare Hebræa vox דַּלֶּקֶת *dalac* est contrariæ significationis : nam alias communiter significat ardorem et persecutionem. Unde Chaldæus et recentiores hic pro *frigore* vertunt *ardore.*

Rubigo vel aurugo est tabes segetum.

ET ÆSTU. — Chaldæus et recentiores vertunt, *et gladio :* legunt enim חֶרֶב *chereb;* sed Noster aliis punctis legit *choreb,* id est siccitas, æstus.

ET RUBIGINE. — *Rubigo* est morbus segetum, qui oritur vento orientali ingrediente spicas, ita ut maturescere nequeant, sed exedantur, extenuentur et arescant : vocatur et *aurugo.*

Vers. 23. 23. SIT COELUM, QUOD SUPRA TE EST, ÆNEUM (ut scilicet non pluat imbrem, qui sata riget, sed durum et siccum sit, instar æris), ET TERRA QUAM CALCAS, FERREA, — ita scilicet ut arari non possit, ac consequenter nullum ferat fructum, perinde ac si esset ferrea.

Vers. 24. 24. DET DOMINUS IMBREM TERRÆ TUÆ PULVEREM, — id est loco pluviæ cadat pulvis, vel cinis sulphureus, *q. d.* Tantus sit æstus, ut vice imbris, descendat de cœlo pulvis ardens, vi ventorum excitatus, et in altum elatus.

Vers. 27. 27. PERCUTIAT TE DOMINUS ULCERE ÆGYPTI (quale scilicet per Mosen Ægyptiis inflixit, *Exodi* IX, 10), ET PARTEM CORPORIS PER QUAM STERCORA EGERUNTUR, etc. — Hebraice, *percutiat te infirmitatibus ani,* puta hæmorrhoidibus, mariscis, et similibus morbis.

Vers. 29. 29. UT PALPES IN MERIDIE, — ut cæcutias in re tam clara, quam est lux meridiana; loquitur de

(1) Pro *reliquiæ tuæ* est in hebr. *mactra tua,* quod significat abundantiam panis, et bene respondet *canistris* fructibus plenis.

cæcitate animi, ut patet ex sequentibus. Nam cæcitas animi pœna est peccati, eaque ingens, ut docet S. Augustinus in *Psal.* LVII : « Parvane pœna est, ait, obscuratio cordis, et excæcatio mentis? Si quis furtum faciens statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse : oculum cordis amisit, et putatur ei pepercisse Deus? » Palpant autem Judæi et impii, tam olim quam nunc, in meridie. An non meridiana lux est lex Christi, et doctrina Christianum orbem illuminans? In hac luce palpant cæci, non vident æterna, fluxisque et caducis rebus, quæ in puncto temporis effluunt, inhærent. « Usque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, » inquit S. Paulus, II *Cor.* III.

Cæcitas animi ingens est pœna peccati.

NON DIRIGAS VIAS TUAS. — Hebraice, *non secundabis vias tuas, q. d.* Actiones tuæ infortunatæ erunt, omnia tibi infeliciter evenient.

Vers. 31. 31. BOS TUUS IMMOLETUR (bos tuus occidatur ab hoste, vel adversario tuo) CORAM TE, ET NON COMEDAS EX EO.

Vers. 32. 32. ET NON SIT FORTITUDO IN MANU TUA, — ad liberandum filios et filias tuas ex manu hostium.

Vers. 33. 33. QUEM IGNORAS, — quem tu non novisti.

Vers. 37. 37. ERIS PERDITUS. — Hebræa et Chaldæus, *eris in desolationem, proverbium et fabulam,* ut videlicet a te stupeant, te quasi exemplo utantur, de te linguam suam acuant omnes populi.

Vers. 43. 43. ADVENA, etc., ASCENDET SUPER TE. — Hebraice, *advena ascendet super te sursum sursum : tu autem descendens deorsum deorsum,* id est advena longe erit te superior, et tu illo longe eris inferior.

Vers. 49. 49. ADDUCET DOMINUS SUPER TE GENTEM DE LONGINQUO, etc., IN SIMILITUDINEM AQUILÆ, — quæ scilicet, ut aquila, celerrime, citissime et violentissime advolet, ut te deprædetur. Innuitur hic dominatus Babyloniorum, et Nabuchodonosor, qui *Ezech.* XVII, 3, comparatur aquilæ grandi; hic enim Judæos everlit.

Aquila symbolum est imperii et tyrannidis.

Nota : Reges et tyranni, ac præsertim Nabuchodonosor, vocatur *aquila,* tum a Jeremia, cap. XLVIII, vers. 40, tum ab Ezechiele cap. XVII, vers. 3, tum a Daniele cap. VII, vers. 4, tum ab Osee cap. VIII, vers. 1. Sic Ajax cognominatus est aquila, et Pyrrhus rex aquila dici voluit, et filius Caroli Magni dictus est Arnulphus, id est aquilæ auxilium; nam aquila symbolum est, *primo,* regni et imperii : est enim ipsa rex avium; *secundo,* invasionis et pugnæ fortis, celeris et impetuosæ; *tertio*, rapacitatis et sævitiæ; *quarto,* victoriæ : ipsa enim omnes aves, quin et serpentes et cervos, pulvere quem alis colligit in oculos eorum conjecto, vincit et prosternit. Hinc Romani et Gentiles omen victoriæ sæpe acceperunt ab aquilis, easque ad superstitionem usque observabant.

Anacreon auctor antiquissimus scribit Jovem adversus Titanas (alii dicunt adversus gigantes) profecturum, sacrificium fecisse cœlo in Naxo insula, in qua primum infans educatus fuit, aquilasque, dum sacrum faceret, ei apparuisse, et telum prætulisse. Quibus mox visis bonum auspicium suscepit, victoriæ indicium, quæ cum subsecuta esset, insigne bellicum inde auream aquilam, ut proprium gestasse dicitur, ut Aglaosthenes aliique testantur.

Magnam quoque spem Cyrus Persarum rex ex sequenti cepit augurio, quod Xenophon, lib. II *Pædiæ Cyri,* his verbis narrat : « Cyro adversus Armenos proficiscenti continuo in primo agro consurgit lepus; aquila autem volans dextera leporem despiciens fugientem, et irruit, et percussit illum, extulitque correptum, eoque ablato in collem proximum, pro libidine utebatur præda. Augurium igitur Cyrus intuitus, cum lætatus est, tum Jovem regem adoravit, dixitque ad præsentes : Venatio quidem pulchra est futura, si deo libuerit. » Et alibi de eodem Cyro : « Cum talia disserentes, inquit, ad fines usque Persidis venissent, essetque his aquila dextera apparens itineris dux facta, deos heroasque precati terram colentes Persida, ut se propitii juvarent ac mites, ita fines superarunt. » Hinc Cyri et Persarum signum militare erat aquila aurea extensa in longa hasta, uti ait Xenophon *De Pædia Cyri,* lib. VII, initio : unde Romani idem signum assumpserunt, scilicet aquilam, sed argenteam, et pedibus tenentem fulmen, in hasta erectam.

Aristander, augurio aquilæ, trajicientem in hostes Alexandrum victorem pronuntiavit ante conflictum; illa autem a classe in continentem progressa, ibique firmata, augurio fuit, Persas terra, non mari debellandos esse, etiam Alexandri ipsius interpretatione, secus quam sentiret Parmenio.

Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commissum est, quo nullum unquam acrius inter eos fuit, aquila paululum supra caput Alexandri placide volitans, nec armorum sonitu, nec gemitu, clamoreve ullo morientium terreri potuit, sed diu circa equum regis pendenti magis, quam volanti similis constitit, præsagiens vel indicans potius, quo res evasura esset. Neque dissimile est, quod Tacitus, lib. I, Fabio Valenti scribit oblatum, cui, cum exercitum in bellum educeret, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incedebat, veluti dux viæ prævolavit, et per longum spatium, cum nullo gaudentium militum clamore, et augurium accipientium alitemque salvere jubentium, terrefieret, iter ita continuavit, ut haud dubie magnæ et prosperæ rei omen traderet.

Testatur tale quoque quid Suetonius in Domitiano : « Siquidem, inquiens, ipso quo dimicatum est die, statuam Domitiani Romæ insignis aquila circumplexa, pennis clangores lætissimos edidit; pauloque post occisum Antonium (belli motorem) adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque apportatum plerique contenderent. »

Vers. 50. 50. GENTEM PROCACISSIMAM. — Hebraice, *gentem fortem facie,* id est perfrictæ frontis, barbaram, audacem et inhumanam.

Vers. 53. 53 ET COMEDES FRUCTUM UTERI TUI, — id factum est in excidio Jerusalem sub Tito. Reliquæ clades et calamitates, quas hic Judæis Deus comminatur, eis ab eo immissæ sunt, partim in eodem excidio per Titum, partim in obsidione Assyriorum, puta Salmanasar, Teglat Phalasser, Sennacherib, etc.; partim per Nabuchodonosor et Babylonios, partim per Alexandrum et Macedones. Ita Theodoretus, *Quæst.* XXXIV (1).

Vers. 65. Judæi semper pavidi, cur ? 65. DABIT TIBI DOMINUS IBI COR PAVIDUM. — Istam maledictionem nunc habent Judæi, inquit Abulensis, tum quia Deus eam illis in pœnam inflixit; tum quia a tenera ætate Christianos timere discunt, cum Christiani eos adhuc teneros persequi incipiant, diripere et percutere. Pueri enim, qui in omnibus franguntur, pavidum, ignobile et ineptum ad ardua habent cor, præsertim apud eos, qui eos frangunt : nam et leones domitorum suorum, quorum ferulæ assueverunt, vultum ex-

Modus educandi pueros. pavent, alios autem homines non timent. Hinc pueri ita erudiendi sunt, ut ira et passiones interdum in eis castigentur, ne insolescant; interdum vero passiones suas sequi permittantur, ne animositas frangatur, itaque fiant viriles et animosi ad se et rempublicam defendendam. Tertullianus, libro *Contra Judæos,* cap. XI, legit : « Dabit tibi Deus cor tædians et tabescentem animam.

ET DEFICIENTES OCULOS, — ut scilicet oculi tui præ lacrymis caligent et deficiant.

Vers. 66. 66. ET ERIT VITA TUA QUASI PENDENS ANTE TE (id est, erit vita tua in periculo posita, et quasi in dubio suspensa, imo) NON CREDES VITÆ TUÆ, — id est, non fides vitæ tuæ, vel te posse vivere, sed de vita desperabis. Aliter hæc verba accipit S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum,* cap. XXII, Procopius hic, et S. Leo, serm. 8 *De passione,* quasi dicat : Christus est vita tua, o Judæe, qui a te visus est pendens in cruce, et tamen tu illi non credidisti. Verum hic sensus symbolicus est. Ita et Tertullianus supra, qui et legit : « Erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ. »

Christus fuit quasi vita pendens in cruce, ante oculos Judæorum.

Vers. 68. 68. REDUCET TE DOMINUS CLASSIBUS IN ÆGYPTUM. — Id factum esse sub Tito docet Josephus, lib. VII *Belli,* cap. XVI, ubi docet Judæos a Romanis captos, qui minores erant septemdecim annis, in Ægyptum deductos, ibique venditos fuisse ad onera et opera, idque tanta copia, ut vix invenirentur emptores.

Mosis tempore erant naves, multo ante Jasonem et Argonautas. Nota τὸ *classibus* : hinc enim patet, tempore Mosis, fuisse classes et naves. Has enim Hebræis hic quasi notas proponit et nominat Moses; unde patet quam historia Mosis antiquior sit historia Gentilium et Poetarum : hi enim primas naves putant fuisse Jasonis et Argonautarum, qui fuerunt paulo ante bellum Trojanum, sub tempora Jephte, judicis Hebræorum.

(1) Vers. 57. *Secundæ* dicitur membrana tenuis involvens fœtum. Igitur vox illa hic denotat fœtum secundinis adhuc adhærentem et recentissime editum, ab ipsa matre in alimentum adhibendum.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses Hebræos urgere ad legem Dei, partim beneficiis et promissis, partim minis et terroribus, idque a vers. 18 *ad finem capitis.*

1. Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb. 2. Vocavitque Moyses omnem Israel, et dixit ad eos : Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, 3. tentationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia, 4. et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem. 5. Adduxit vos quadraginta annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. 6. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis; ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. 7. Et venistis ad hunc locum : egressusque est Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos. 8. Et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse. 9. Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea, ut intelligatis universa quæ facitis. 10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, et tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus

Israel, 11. liberi, et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas : 12. ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum : 13. ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob. 14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo, 15. sed cunctis præsentibus, et absentibus. 16. Vos enim nostis quomodo habitaverimus in terra Ægypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes, 17. vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant. 18. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro : ut vadat et serviat diis illarum Gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. 19. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens : Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei, et absumat ebria sitientem, 20. et Dominus non ignoscat ei ; sed tunc quam maxime furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine ; et deleat Dominus nomen ejus sub cœlo, 21. et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur. 22. Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates quibus eam afflixerit Dominus, 23. sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet in exemplum subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo. 24. Et dicent omnes Gentes : Quare sic fecit Dominus terræ huic ? quæ est hæc ira furoris ejus immensa ? 25. Et respondebunt : Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti ; 26. et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi : 27. idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt : 28. et ejecit eos de terra sua in ira et in furore, et in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. 29. Abscondita, Domino Deo nostro : quæ manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

Vers. 1. 1. HÆC SUNT VERBA FOEDERIS. — Deus iniit fœdus in Sina cum Hebræis, *Exodi* XIX, 4, dando eis Decalogum aliasque leges : hic vero, post 38 annos, illud fœdus renovat cum posteris eorum in campestribus Moab, sub hac conditione, ut scilicet servent leges ejus.

Vers. 2. 2. VOCAVITQUE MOYSES OMNEM ISRAEL. — Forte ergo Israelitæ jam domum redierunt, interpolata oratione Mosis : hæc enim hucusque longa satis fuit concio ; inde hic denuo revocati sunt, quasi ad fœdus cum Deo renovandum. Ita Abulensis.

Posset tamen *secundo*, sic simplicius et planius explicari : *vocavit*, id est, compellavit omnem Israel.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. VOS VIDISTIS, etc., TENTATIONES MAGNAS, — puta plagas magnas inflictas Ægyptiis, quibus Deus animos Ægyptiorum tentavit, impulit, et coegit ut vos dimitterent.

Vers. 4. 4. ET NON DEDIT VOBIS DOMINUS COR INTELLIGENS, ET OCULOS VIDENTES, ET AURES QUÆ POSSUNT AUDIRE. — Hebraice, *aures ad audiendum*, vel *audientes*, ut scilicet audiretis portenta Dei : non quasi Hebræi non haberent oculos, aut non vidissent portenta et beneficia sibi a Deo præstita, aut non audissent ea ; sed quod videntes et audientes ea, quasi non viderent, et non audirent, quia ea non æstimabant, nec inde ad amorem, obedientiam et laudem Dei creatoris et largitoris assurgebant. Deus ergo non dedit eis aures, cor et oculos videntes, quia ipsi ea occluserunt illuminationi et gratiæ Dei, sicut qui claudit fenestram, non potest eum sol illuminare, *q. d.* Semper ingrati fuistis tantis Dei in vos beneficiis, et corpore licet ea videntes, corde tamen et mente ea non vidistis, nec æstimastis. Unde Rabanus : « Quod vero, ait, dicit Deum non dedisse eis oculos, nec aures, nullo modo arguens et increpans hoc diceret, nisi ad eorum culpam (qui lumine et gratia Dei indigni, eique rebelles fuerunt) pertinere vellet intelligi. » Ita et Theodoretus.

Vers. 5. 5. NON SUNT ATTRITA VESTIMENTA VESTRA. — Quærit hic Abulensis ; Unde tot millia parvulorum,

qui nati sunt in deserto, habuerunt suas vestes? Aliqui respondent Hebræos eas emisse a vicinis gentibus. Sed illæ fere hostiles erant : unde Hebræi cum eis vix habebant commercia. *Secundo,* Abulensis respondet Hebræos eas extulisse secum ex Ægypto ; et esto illæ majores essent et viriles, supernaturaliter tamen easdem fuisse imminutas et contractas, atque accommodatas corpusculis parvulorum, easque rursum cum eis crescentibus crevisse. Verum hoc miraculum hic sine necessitate ponitur.

Unde parvuli in deserto habuerint vestes? Mira Abulensis opinio.

Dico ergo *primo,* Hebræos in exitu spoliasse Ægyptum, vestesque varias inde extulisse, ut patet *Exodi* XII, 35, quas postea dissuerunt et consciderunt, easque corporibus parvulorum admensi sunt et adaptarunt. *Secundo,* vestes eorum qui moriebantur in deserto cedebant iis qui subnascebantur et succrescebant. Tot autem fere sunt; mortui in deserto, quot nati, ut patet conferenti cap. XII *Exodi,* vers. 37, cum *Numer.* XXVI, 51. *Tertio,* Hebræi tam viri quam feminæ in deserto per 40 annos non fuerunt otiosi, sed lanam et linum tractabant, indeque sibi pannos ac vestes confecerunt. Pari modo, ex pellibus animalium suorum conficiebant corium, indeque calceos, uti concedit Abulensis ; quod si ita est, cur non pari modo ex lana et lino confecerint pannos et vestes?

Secunda.

Tertia.

Tertullianus hinc probat resurrectionem.

Ex hoc loco Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis,* cap. LVIII, eam ita probat : « Hæ, ait, figuræ nostræ fuerunt, ut Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, et carnis magis utique conservatorem, cujus etiam vestimenta et calceamenta protexit. »

Vers. 6. An præter manna, aliud comederint Hebræi?

6. PANEM NON COMEDISTIS. — Quia loco panis comedebant manna : carnes tamen, ova, pisces, etc., potuerunt comedere, et emere a vicinis gentibus, uti dicitur *Deuter.* II, 6 ; vix tamen ea emisse et comedisse videntur, quia in manna habebant omnem saporem. Ita Abulensis.

Vers. 10.

10. VOS STATIS HODIE CUNCTI. — Oportebat ut omnes ad susceptionem legis et fœderis convenirent, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, et hoc modo condebantur leges Romanæ : scilicet conveniente toto populo, quærebat alta voce magistratus, utrum placeret eis talis lex : atque ex responsione totius populi pendebat, utrum illa approbaretur, vel reprobaretur, ut patet in *Institut. de jure naturali,* § *Lex est.* Ita Abulensis.

Vers. 12.

12. UT TRANSEAS IN FOEDERE DOMINI DEI TUI (ut scilicet ineas fœdus solemne coram, et cum Deo tuo, et obstringas te) JUREJURANDO, — id est, exsecratione maledictionum hoc cap. et præced. descriptarum; has enim significat Hebræum אלה *ala,* et Græcum ἀραί.

Vers. 18.

18. NE FORTE, etc., SIT INTER VOS RADIX GERMINANS FEL ET AMARITUDINEM, — vel *toxicum* et *absinthium,* uti vertunt recentiores; Chaldæus vertit, *ne sit inter vos cogitans peccata et superbiam.* Peccatum ergo, et aversio a Deo hic dicitur fel, amaritudo, absinthium, toxicum, *primo,* quia lethaliter sauciat animam ; *secundo,* quia eam amaricat per remorsum conscientiæ, et lancinat; *tertio,* quia eam reddit Deo invisam et exosam : peccatum enim est objectum unicum iræ, indignationis et vindictæ Dei. Similis phrasis est *Actor.* VIII, 23; ait enim Petrus Simoni Mago : « In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. »

Peccatum est fel et toxicum, cur? Primo. Secundo. Tertio.

Potest *secundo,* hic fel significare bilem Dei, quasi dicat, inquit Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. VIII, pag. 117 : Cavete ne inter vos reliqua sit aliqua idololatriæ species occulta, quasi radix sub terra, quæ deinde germinet absinthium fellis amarissimum, quæ scilicet accendat bilem meam, et ebullire faciat fel, ita ut nulla sit remissio. Nam bilem sequitur sitis, sitim ebrietas et furoris effusio, atque hoc est quod sequitur : « Et assumat ebria sitientem, » id est consequatur ebrietas sitim, vel potius, « absumat ebria, » scilicet anima, « sitientem, » scilicet animam, id est animæ sitim, *q. d.* Ut animæ sitim ebrietas exstinguat et absumat. Verum de hac phrasi mox dicam.

Explicatio Prado.

Vers. 19.

19. CUMQUE AUDIERIT VERBA JURAMENTI (id est maledictionis et exsecrationis hujus, ut dixi vers. 12, contemnens et irridens eam), BENEDICAT SIBI IN CORDE SUO, — blandiatur sibi, promittendo scilicet sibi impunitatem, et *pacem,* id est prosperitatem, etiam si leges hasce meas violarit; patet ex sequent.

ET ABSUMAT (ita legendum cum Romanis et Regiis, non *assumat,* ut habent Plantiniana) EBRIA SITIENTEM. — Hebr. est, *ut addatur ebria sitienti,* scilicet in pœna, æque ac culpa. Unde Septuaginta clare vertunt, *ut peccator perdat simul innocentem.* Vox enim *non,* quam addunt Septuaginta, dicentes, *non perdat,* non est in Hebræo, et prohibitive tantum a Septuaginta est addita; unde melius et planius omittitur. Huc alludit et Chaldæus, *ut addantur ei peccata ignorantiæ peccatis superbiæ, q. d.* ait Rabanus : Cave ne, qui ebrius es malitia et præsumptione, seducas eum qui habet votum discendi veritatem. Videtur autem illo tempore fuisse proverbium : « Ebrius sitientem, aut sobrium ducit (uti apud nos est, « cæcus cæcum ducit ») id est, impius et sceleratus simplicem et avidum, non tam veritatis et sapientiæ, ut vult Rabanus, quam novitatis et voluptatis (ebrietas enim et sitis sunt ejusdem rei) ducit, et seducit ad suas sceleratas voluptates, errores et idololatrias. Aliter hanc phrasin explicat Eugubinus, sed minus, ut videtur, genuine, scilicet sic : « Ut addatur ebria sitienti, aut ebrietas siti ; quasi dicat : Ut avidissime pessimos quosque errores imbibant, ut eorum malefaciendi sitis fiat quædam ebrietas, inebrientur malefactis, quod tantopere prius cupiebant (1). »

Ebrius sitientem quis?

(1) Alb. Schultens in *Orig. Hebr.* lib. I, cap. XII, § 24, verbum סבה *radendi* notione quæ congeneri Arab. inest, accipiendum vult ; רוה autem pingere putat *uvidos, madidos, pulchre potos, largo* semper *mero irriguum corpus habentes ;* צמאה vero *siccos, aridos, jejunos :* quo-

Hinc symbolice, absumit ebria sitientem, cum pars inferior voluptatibus inescata et inebriata, totam ad se mentem (quæ sitiens est, quod voluptatem corporalium per se sit expers) trahit et absorbet: tuncque homo fit mancipium corporis sui: dominatur enim corpus et appetitus in rationem, eamque sibi subjicit.

Vers. 20. 20. FUROR EJUS FUMET, — id est gravissime irascatur et ulciscatur Deus.

ET SEDEANT, — ut quasi fixe et immobiliter peccatori adhæreant hæc maledicta, uti sedens adhæret suæ sedi.

Vers. 23. 23. SULPHURE ET SOLIS ARDORE COMBURENS, — scilicet terram vestram. Pro « solis » corrige « salis. » Ita Hebræus, Chaldæus, Septuaginta et Romana. Sal enim terræ inspersum eam exsiccat, urit, depascitur et sterilem facit; hinc Achimelech sal sparsit in agro Sichem, cum vellet eum omnino sterilem efficere, *Judic.* IX, 45.

IN (id est *ad*) EXEMPLUM SUBVERSIONIS SODOMÆ, — *q. d.* Instar subversionis Sodomæ, sicuti Deus subvertit Sodomam, patet ex Hebræo.

26. ET SERVIERUNT DIIS ALIENIS, etc., QUIBUS NON FUERANT ATTRIBUTI (Hebraice, *quos non divisit eis*, quisquam scilicet, id est qui non sunt eis divisi et attributi. Cal enim pro niphal, id est activum pro passivo, sæpe usurpant Hebræi, *q. d.* Hebræi diis alienis non sunt dati in custodiam et famulatum, sed Deo vero, ejusque hæreditas jam ab olim fuerunt: quare sacrilege ipsimet se illi subfurati sunt, et alienis diis se subjecerunt), SICUT HODIE COMPROBATUR, — videlicet quando ista, quæ hic prædicuntur, posterioribus temporibus facta fuerint; loquitur enim Moses de tempore futuro: sunt enim hæc verba Gentium, desolationem Judæorum factam admirantium. Vers. 26.

29. ABSCONDITA, DOMINO DEO NOSTRO; QUÆ MANIFESTA SUNT NOBIS ET FILIIS NOSTRIS. — Chaldæus, Aben-Ezra et Rabbini sic explicant, *q. d.* « Quæ occulta sint coram Domino, » id est, Domini est occulta peccata punire; « quæ autem manifesta sunt, nobis, » scilicet convenit ea punire. Verum melius ad legem Dei, vel potius ad maledicta et flagella Dei, quæ hic prævaricationibus ab eo intentantur, hæc referemus, *q. d.* Hæc flagella futura, prævisa et decreta a Deo, sunt abscondita, suntque inter occulta Dei judicia, quæ tamen nobis manifestavit, ut eorum metu legem ejus faciamus. Ita Cajetanus (2). Quod enim Abulensis sic explicat: Manifesta sunt nobis flagella Dei, quia ea jam immissa sunt nobis, quia ea sentimus et experimur, non consentit cum sequentibus, sequitur enim: « Usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus. » Vers. 29.

rum prius, in ore improbi et luxuriosi, eam exprimat nationem, in qua ipse nomen suum profitetur, posterius gentem piam designet, ex ejusdem hominis profani ingenio nota hac adspersam. Hinc sententiam exsurgere talem: *Pax erit mihi, cum ex secreto cordis mei instinctu ambulavero, propterea quod radendum est irriguum simul cum sitiente*, ac si dicat: Hilaria agitemus, genio indulgeamus; irato suo Deo et malo genio relinquamus siccos illos et jejuna siti enectos, qui semet frustra macerant, et venturi judicii metu fatigant, *quum irriguum simul et sitiens sit radendum*, et πανωλεθρίᾳ involvendum. Adagium Schultensius putat ductum a *grege poto* et *irriguo*, qui *ravah* sexu femineo absolute dictus fuerit, ex stylo Arabum, nec non *grege lassitudine ac siti enecto*, qui *tsemeah* potuerit appellari: ut ubi cuncta penitus deleta, extincta, eversa et ad internecionem devastata indicare vellent, dixerint, *irrigua simul et sitiens rasa est*, sive *consumpta est.*

(2) Rosenmullerus: *Quæ latent, Jovæ Dei nostri sunt*, etc. Sensus videtur esse hic: Hæc omnia mala quæ recensui, ut nunc quidem quasi clausa et tenebris sepulta apud Deum sint, tamen nobis præcepta divina transgressuris accident, venientque in propatulum: quæ cogitatio nos ad illa observanda nos moveat.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit concionari Moses: unde primo, promittit eis reditum e captivitate, si ad legem Dei redeant. Secundo, vers. 11, docet legem Dei eis esse ad manum. Tertio, vers. 15, proponit eis vitam et mortem, bonum et malum. Quarto, vers. 19, ad hoc testes invocat cœlum et terram.

1. Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo, et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, 2. et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua, 3. reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, 5. et assumet, atque introducet in terram quam

possederunt patres tui, et obtinebis eam : et benedicens tibi majoris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui : ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere. 7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos qui oderunt te et persequuntur. 8. Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui; faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie : 9. et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis : 10. si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præcepta ejus et cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt; et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; 12. nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? 13. Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? 14. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. 15. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum : 16. ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac cæremonias atque judicia; et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. 17. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis; 18. prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam. 19. Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum; 20. et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habites in terra pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

Vers. 4.

4. SI AD CARDINES (Hebraice, *ad extremitatem*) COELI FUERIS DISSIPATUS, INDE TE RETRAHET DOMINUS. — Est hyperbole, *q. d.* Si fueritis in extremo orbe, inde reducet vos Deus; si ad extremas terræ regiones, quæ sub polis arctico et antarctico sitæ sunt, relegati fueritis, inde in patriam vos revocabit. Unde Franciscus Valesius, cap. XXVI *Sacræ Philosoph.*, ex nostro hoc textu colligit esse Antipodes; nam qui sub polo arctico degunt, sunt Antipodes iis qui degunt sub antarctico, et contra. Innuit autem hic Deus Hebræos eo posse dispergi, ac proinde ibi esse terram habitabilem. Abulensis per cardines cœli accipit quatuor cœli plagas, videlicet Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem. Verum aptius, per cardines accipias duos polos jam dictos : quia sicut ostii cardines sunt fixi et immobiles, in iisque volvitur et movetur ostium, ita poli sunt fixi et immobiles, in iisque volvitur cœlum.

Antipodes esse docet Moses.

Cardines cœli sunt poli ejus duo.

Est hic unus e potioribus Scripturæ locis, quem Judæi pro se citant, et Christianis semper objiciunt, nempe quod jam sint in ultima captivitate, in quatuor mundi plagas dispersi, ubi exspectant Messiam, qui illos iterum in unum congreget, et in Judæam reducat : hanc enim Scripturam non esse impletam in reditu e captivitate Babylonica, eo quod in ea non fuerint dispersi in quatuor mundi plagas, et eo quod duæ tantum tribus tunc in Judæam redierint, aliis decem in Assyria manentibus.

Judæi hunc locum torquent contra Christum.

Verum Nehemias, cap. I, vers. 8 et 9, diserte docet hunc locum, et hanc promissionem impletam esse, in reditu e captivitate Babylonica; non enim asserit Moses eos dispergendos ad extrema cœli, sed loquitur conditionate, aitque : Etiamsi contingeret vos dispergi ad extrema cœli, inde reducam vos; estque hyperbole, ut dixi. Adde, loquitur Moses de statu legis et judaismi; eo enim stante, promittit eis reditum in Judæam, si pœnitentiam agant : jam autem hic status, cum judaismo, per Christum est abolitus. Unde duæ tribus jam in plena dispersione sua et eversione versantur, a 1600 annis decem vero tribus a bis mille et amplius annis, et quamcumque pœnitentiam egerint, vel agant, hactenus tamen tanto tempore eas reduci non vidimus. Denique Judæi

Refelluntur. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

pœnitere et ad Deum redire nequeunt, nisi Christum a Deo missum recipiant : hoc autem facient in fine mundi, qui tunc eos per Eliam et Henoch in Jerusalem reducet, convertet et salvabit.

Vers. 6. 6. CIRCUMCIDET COR TUUM, — id est, auferet superflua et nociva desideria, et duritiem voluntatis tuæ. Unde Septuaginta vertunt περιικαθαριεῖ, id est, *circumpurgabit cor tuum*; vide dicta *Levit.* cap. XXVI, vers. 41.

Vers. 9. 9. REVERTETUR UT GAUDEAT. — Non quasi mutabilis sit Deus, ut nunc gaudeat, nunc doleat; sed antropopathῶs de Deo loquitur Scriptura. Homines enim cum alicujus miserentur, eumque in gratiam recipiunt, lætantur de ejus bonis et felicitate, cum prius eum odissent, et in ejus pœnis ac ærumnis lætati fuissent. In Deo autem nulla harum passionum est temporalis vicissitudo; sed ab æterno lætatus est Deus, simul et semel unico actu, de toto ordine punitionis et præmiorum, qui per omnem æternitatem decurret, et his illisve obveniet, atque in eo actu, eaque lætitia semper perseverat et perseverabit.

Lætitia in Deo qualis ?

Vers. 10 10. SI TAMEN AUDIERIS VOCEM DOMINI DEI TUI. — Si enim vis ut audiat te Deus, tu prior eum audi, vel exterius per legem, Scripturam aut concionatorem, vel interius per sanctam inspirationem loquentem. Si vis ut Deus faciat voluntatem tuam, tu prior facito quæ ipse vult et mandat. Si vis ut ipse revertatur ad te, tu pariter revertere et occurre illi. Si vis ut ipse gaudeat super te, tu quoque gaude super illo. « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. »

Hinc viri sancti omnia quæ petunt a Deo impetrant, quia vicissim faciunt quidquid ab eis exigit Deus. Ita S. Dominicus dicebat se nihil unquam postulasse a Deo, quod non protinus obtinuisset; cumque subderet unus : Pete ergo ut D. Conradus (Doctor is erat celebris) fiat tui Ordinis : Difficile, ait, hoc quidem est, attamen si petam, futurum confido. Petiit, totaque nocte oravit, et ecce mane accurrit Conradus stimulatus a Deo, habitumque Ordinis a S. Dominico flagitat et accipit. Quod ergo nos orantes subinde non exaudiat Deus, causa est quod nos non audiamus eum, nec obediamus voci ejus. O quanti fieremus apud Deum, si ei semper studiose auscultaremus et obsequeremur! Solebat S. Franciscus, audiens internam Dei inspirationem etiam in itinere, consistere, totusque ad eam attendere dicens : Loquere, Domine, audit servus tuus; et quamdiu inspiratio durabat, consistebat, eique humiliter et attente auscultabat, moxque eam opere adimplebat; hinc tantus evasit.

E contrario non patitur Deus se contemni, suamque vocem negligi; est enim hoc indignum et injurium Deo : unde ipse tales punit deserendo eos, sinendoque ut ruant in gravia mala et peccata. Hoc est enim quod ipse comminatur *Proverb.* cap. I, 24 : « Quia vocavi, et renuistis, etc., ego quoque in interitu vestro ridebo. » Qui ergo sapit, audiat illud Psaltis : « Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. »

11. MANDATUM HOC, etc., NON SUPRA TE EST, — ut possis te excusare, et dicere : Non possum illud attingere, ut sciam et compleam. Hebraice est, *mandatum hoc non est a te separatum nec remotum.* Vers. 11.

14. SED JUXTA TE EST SERMO, IN ORE TUO, ET IN CORDE TUO, — *q. d.* Habes legem Dei ad manum, ut in corde, id est memoria, eam rumines eamque ore proloquaris. Hunc locum citat Apostolus, *Roman.* X, et allegorice pulchreque, ut docet S. Augustinus, *Quæst.* LIII, accommodat eum fidei, ut ostendat quam facile per eam homo justificari possit : nec enim ad hoc opus est ut quis ascendat in cœlum, et inde nobis Christum deducat, ut videamus Christum, et videntes salvi fiamus; sed satis est credere Christum esse Deum, et nostri causa de cœlo descendisse. Sic non est opus ut quis ad inferos descendat, et inde Christum a mortuis ad vitam reducat; sed sufficit ut credamus Christum divina virtute resurrexisse : hoc autem credere corde, et ore profiteri est facillimum. Vide dicta *ad Roman.* X, 6. Vers. 14.

15. CONSIDERA QUOD HODIE PROPOSUERIM IN CONSPECTU TUO VITAM ET BONUM, ET E CONTRARIO MALUM ET MORTEM, — scilicet « in liberam prædam, ait S. Chrysostomus. Quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis ac vitæ, ut in alto veluti suspensa, animabus fidelium exponerentur ad prædam. » Huc allusit Sapiens, *Eccli.* XV, 17 : « Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. Hominis arbitrium, ait ibidem Jansenius, Deus quasi suspendit in æthere inter duo elementa : aquam, in symbolum refrigerii vitæ æternæ; ignem, in expressionem tormentorum apud inferos. » Vers. 15.

16. AMBULES IN VIIS EJUS, — legi ejus studiose et continue obediendo. Nota : Scriptura crebro utitur verbo ambulandi, quia fidelium est nunquam stare, sed semper progredi in via Domini. « Nunquam, ait S. Bernardus, epist. 253 *ad Garinum*, justus arbitratur se comprehendisse; nunquam dicit : Satis est; sed semper esurit sititque justitiam : quia in æternum se divino mancipavit famulatui. » Hinc *Proverb.* IV, 18, dicitur : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Et *Psal.* LXXXIII, vers. 8 : « Beatus homo cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, etc., ibunt de virtute in virtutem. » Præclare S. Bernardus, *epist.* 253 : « Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit, qui nusquam stetit, sed exultavit ut gigas ad currendam viam, factus obediens usque ad mortem. » Vers. 16. Fidelium est semper progredi in virtute.

19. TESTES INVOCO HODIE COELUM ET TERRAM. — Quomodo cœlum et terra testes sint, tum legis, Vers. 19.

tum prævaricationis, tum vindictæ divinæ, explicui cap. IV, vers. 26.

QUOD PROPOSUERIM VOBIS VITAM ET MORTEM. — Ita legendum cum Romano, Hebræo, Chaldæis et Septuaginta, non autem, *vitam et bonum*, *q. d.* Si legem hanc serves, promitto tibi vitam hic longævam et felicem : sin eam violes, comminor et prædico tibi mortem celerem et miseram, eamque et præsentem et æternam. Elige ergo unum e duobus.

Vers. 20. 20. IPSE EST ENIM VITA TUA, ET LONGITUDO DIERUM TUORUM, — *q. d.* Deus est effective vita et longævitas tua, quia scilicet ipse prolongabit tibi vitam, si ejus legi obedias. Unde *Act.* XVII, dicitur : « In ipso, » id est, per ipsum, « vivimus, movemur, et sumus. »

Pulchre S. Dionysius, cap. VI *De Divin. Nom.*, docet Deum esse vitam in se essentialem; rursum eum esse vitam causalem vitæ animalium, plantarum, hominum, angelorum et beatorum : eamque triplicem, *primo* exemplarem, *secundo* efficientem, *tertio* finalem.

Deus est vita. Primo, essentialis. Secundo, causalis, eaque triplex.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses roborat populum et Josue, ut pergant in Chanaan. Secundo, vers. 9, scribit Deuteronomium, illudque jubet legi populo, in anno septimo remissionis. Tertio, Deus, vers. 14, alloquitur et instituit Josue loco Mosis. Quarto, vers. 19, jubet scribi canticum cap. seq., illudque ab Israelitis edisci et cani. Quinto, vers. 26, jubet Deuteronomium in latere arcæ servari.

1. Abiit itaque Moses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israel, 2. et dixit ad eos : Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cum et Dominus dixerit mihi : Non transibis Jordanem istum. 3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te : ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas; et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. 4. Facietque Dominus eis sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. 5. Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis sicut præcepi vobis. 6. Viriliter agite, et confortamini, nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum; quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te. 7. Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israel : Confortare, et esto robustus; tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam sorte divides. 8. Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum : non dimittet, nec derelinquet te; noli timere, nec paveas. 9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. 10. Præcepitque eis, dicens : Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, 11. convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, 12. et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus; 13. filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmissso, pergitis obtinendam. 14. Et ait Dominus ad Moysen : Ecce prope sunt dies mortis tuæ; voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii. 15. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. 16. Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea : ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo. 17. Et irascetur furor meus contra

eum in die illo : et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem ; invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die : Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala. 18. Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos. 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud et docete filios Israel : ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. 20. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, servient eis : detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. 21. Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. 22. Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel. 23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, et ait : Confortare et esto robustus : tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum. 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit : 25. præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens. 26. Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit tibi contra te in testimonium. 27. Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis cum mortuus fuero? 28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cœlum et terram. 29. Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis : et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. 30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit.

Vers. 1. 1. ABIIT ITAQUE MOYSES, ET LOCUTUS EST, — id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moyses verba ista, quæ sequuntur : Hebræi enim per *egredi, abire, surgere,* sæpe intelligunt incipere : « abiit » ergo, id est, cœpit. Ita Abulensis et Oleaster.

Abiit, id est cœpit.

Vers. 2. 2. NON POSSUM ULTRA EGREDI ET INGREDI, — non possum ultra vos ducere, et esse dux vester, tum propter senium, tum quia Deus prohibuit me ingressu terræ promissæ, ut sequitur. Ita Oleaster.

Vers. 3. 3. DOMINUS ERGO DEUS TUUS TRANSIBIT ANTE TE, — non mutando locum, sed operando et debellando hostes tuos, *q. d.* Deus erit dux tuus usque in Chanaan.

SCRIPSIT ITAQUE MOYSES LEGEM HANC, — puta Deuteronomii. Nota : Scripsit hæc (æque ac canticum sequens, cap. XXXII, ut patet vers. 22 hic) Moses, antequam ea diceret et promulgaret populo. Nam eadem die, quæ hæc dixit Moses, et populo benedixit, ascendit in montem Nebo, ut patet cap. sequent. vers. 48, ibique mortuus est : nec enim Moses potuisset eodem die totum Deuteronomium dicere simul, et scribere. Ita Abulensis.

Deuteronomium Hinc videtur quod Moses totum Deuteronomium non dixerit unica vice : tum quia hoc longum et molestum fuisset; tum quia postquam cœpit illud proloqui, antequam finiret, scripsit illud, ut hic dicitur.

dixit Moses per vices.

Vers. 10 et 11. 10 et 11. POST SEPTEM ANNOS (computandos a divisione et possessione pacifica terræ sanctæ), ANNO REMISSIONIS, IN SOLEMNITATE TABERNACULORUM, etc., LEGES VERBA LEGIS HUJUS. — Quolibet ergo anno septimo, publice legi debebat Deuteronomium, coram omnibus, etiam parvulis. Nam primæ impressiones sunt fortissimæ. Unde Aristoteles : Magni, ait, interest a juventute sic vel sic assuescere. Hinc et Plato jussit homines a teneris instrui ad recte lætandum et tristandum, quia in his perfecta disciplina est, ut scilicet lætemur de virtutibus, tristemur de vitiis.

Perfectio est, nosse recte lætari et tristari.

Mystice, annus septimus remissionis est tempus gratiæ, in quo Christus et Apostoli secundam legem, puta Evangelicam, promulgarunt. Ita Cyrillus in *Glaphyris*.

Vers. 13. 13. FILII QUOQUE EORUM QUI NUNC IGNORANT, — puta parvuli, qui nihil adhuc noverunt, ideoque pariter ignorant hanc Dei legem.

Vers. 16. 16. POPULUS ISTE CONSURGENS FORNICABITUR POST DEOS ALIENOS, — sequetur deos alienos, eosque colet me deserto; idololatria enim a Prophetis vocatur fornicatio.

Vers. 17. 17. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EO,—subtrahendo ei meam protectionem.

Vers. 19. 19. SCRIBITE VOBIS CANTICUM ISTUD (puta carmen hoc de quo cap. XXXII), ET DOCETE FILIOS ISRAEL, UT, etc., SIT PRO TESTIMONIO, — scilicet propriæ iniquitatis et justitiæ divinæ.

Vers. 21. 21. POSTQUAM INVENERINT EUM MALA, etc., RESPONDEBIT EI CANTICUM ISTUD, — *q. d.* Tunc carmen hoc, quod pangam cap. seq., testabitur populo Hebræo quod deliquerit, et a Deo desciverit, cum scilicet reipsa viderit, sibi ea mala accidisse quæ in carmine hoc intentabo et prænuntiabo desertoribus Dei.

SCIO ENIM COGITATIONES EJUS, QUÆ FACTURUS SIT HODIE. — Τὸ *hodie* referendum est, non ad *facturus sit*, sed ad *scio*, *q. d.* Scio hodie et ex nunc, ingenium et propensionem populi hujus ad idola et alia mala, quodque illa reipsa facturus sit suo tempore.

Vers. 26. 26. TOLLITE LIBRUM ISTUM (Deuteronomii), ET PONITE EUM IN LATERE ARCÆ FOEDERIS DOMINI. — Non quod hic liber intra ipsam arcam, in angulo ejus aliquo positus sit, aut poni jussus: nam in arca tantum repositæ fuerunt tabulæ legis, ut patet III *Reg.* VIII, 9, et II *Paral.* V, 10; sed quod ad latus arcæ, ut habent Hebræa, hoc est extra arcam, in limbo, sive sinu ejus, vel prope eam, una cum virga Aaronis, et urna continente manna, inquit Abulensis, collocatus sit, ex quo loco postmodum ædificato templo, translatus videtur ad gazophylacium, sive ad locum thesaurorum, uti colligitur II *Paral.* XXXIV, 14.

Vers. 27. 27. EGO SCIO CONTENTIONEM TUAM, ET CERVICEM DURISSIMAM, — *q. d.* Quia tu, o populo Hebræe, es contumax, et propensus ad contentionem et rebellionem, possesque procaciter negare, quod unquam tibi data fuisset a me hæc lex; ideo volo, ut liber hic legis recondatur in arca, indeque contra te in testimonium proferatur, cum opus fuerit. Nota: alloquitur hic Deus Levitas quasi totum populum, quia illi, utpote sacerdotes et Levitæ, totum populum repræsentabant.

Vers. 28. 28. INVOCABO CONTRA EOS COELUM ET TERRAM, — ut sint testes eorum quæ dico, scilicet futuræ eorum tam transgressionis, quam punitionis. Unde canticum sequens, quod est de hac re, sic orditur: «Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.» Vide dicta cap. IV, vers. 26.

Vers. 29. 29. PER OPERA MANUUM VESTRARUM — per pravas actiones vestras. *Secundo*, per idola quæ manibus vestris facietis et coletis. Ita Abulensis.

Vers. 30. 30. LOCUTUS EST ERGO MOYSES, AUDIENTE UNIVERSO COETU ISRAEL. — Hinc videtur per miraculum vox Mosis senilis ita fuisse confortata et adaucta, ut a singulis audiretur, puta a tribus hominum millionibus, uti dixi cap. I, vers. 1: ita Abulensis.

Monita principum in morte. VERBA CARMINIS HUJUS, — quod scilicet proxime pepigit et cecinit Moses cap. XXXII.

Nota hic zelum et ultima monita Mosis jam morituri: instar enim ignis ardet, ut populo legem Dei inculcet.

Ita Josue, cap. XXIV, moriturus populum ad legem Dei fœdere astrinxit, et saxum ingens erexit quod testis esset adversus eum, ne datam Deo fidem falleret.

Ita David moriturus ad Salomonem filium et regni hæredem ait: « Ego ingredior viam universæ terræ, confortare, et esto vir: et observa ut custodias mandata Domini Dei tui, » III *Reg.* II.

Ita Constantius Cæsar, pater Constantini Magni, moriturus coronam filio imponens ad eum et ad Senatum dixit: « Nunc mihi mors vita ipsa dulcior est futura, nunc optatus adest obitus. Nam filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lacrymas absterget et tyrannorum crudelitatem vindicabit. » Deinde ad multitudinem conversus, bono animo omnes esse jussit, qui a vera in Christum pietate non descivissent, addiditque Christum deinceps cum Constantino in armis fore. Ita ex Eusebio Baronius, tom. II, anno Christi 306.

Ita Theodosius Imperator moriturus vocavit filios Arcadium et Honorium, eosque ardenti affectu serio cohortatus est, per salutem ipsorum et reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes hoc sibi unice curæ esse vellent, quo fidei et pietatis doctrina pura et incorrupta conservaretur, et ad posteros propagaretur: in eo conatu nullis laboribus ac sumptibus parcerent, nam in hoc uno summam felicitatis esse positam: hacque ratione unica, nec ulla alia, recte firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, et parari victorias. Ita Theodoretus, lib. V, cap. XXV, et alii.

S. Ludovicus rex moriturus filio suo hæc præcepit: « Fili mi, ante omnia cura ut diligas Deum: nemo enim potest salvus esse nisi Deum amet. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum, sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam. Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes Confessarios, qui te possint docere, quid agere, quid vitare te oporteat: coram illis ita te geras, ut audeant sincere et reprehendere, et vitia indicare tibi. Parentibus tuis debes amorem, obedientiam et reverentiam. Semper sis addictus et devotus Romanæ Ecclesiæ, et ejus Pontifici haud secus ac spirituali patri te morigerum præbeas. » Ita habet ejus Vita et Robertus Gaguinus, lib. VII *Histor. Franc.*

Errícus Westgothorum rex convocatis ad se proceribus, prædixit se ad nonum diem e vita mortali transiturum, impetravitque ab illis, ut Alaricum filium in regni solio collocarent. Ei moriens præcepit imprimis, ut Deum diligeret, Dei ministros honoraret, sine consilio procerum fidelium nihil arduum tentaret, subditos amaret, justitiam coleret, clementiam servaret, omnibus se benignum et liberalem exhiberet. Testis est Joannes Magnus, lib. XV *Hist.* cap. ult.

Philippus II, Hispaniarum rex, moriens anno

1600, filio suo Philippo III hæc commendavit : « Deus tibi magnam gratiam fecerit, si te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidi, evexerit; et te, sicut me prosperarit. Te ex animo obtestor, ut cum id assecutus fueris, hujus lecti in quo me vides, et ubi omnis hujus mundi gloria sistit, memineris. Tibi commendo Sedis Apostolicæ obedientiam, fidei Catholicæ protectionem, religionis Christianæ zelum, reipublicæ pacem et in subditos justitiam. Si Deus hæc consilia mea firmaverit, suum regem non amiserit hoc regnum, sed solum cum fructu commutaverit. »

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput est canticum cygneum Mosis jamjam morituri. Moses enim ex Dei instinctu prævidens, quod Hebræi post mortem suam a Deo desciscerent, ideoque graviter ab eo puniendi forent. Primo, cœlum et terram in testes invocat, Deique clementiam, justitiam et perfectionem commendat. Secundo, vers. 6, *perversam eorum generationem futuram increpat, refricans eis tot Dei in se beneficia, quod post ea deliciis dissoluti, a Deo ad idola deflexerint. Tertio, vers.* 28, *ob peccata, eos a Deo irato, suaque protectione ipsos destituente, variis malis et plagis traditos esse canit. Quarto, vers.* 35, *promittit Dei misericordiam, et in hostes eorum vindictam, ubi plagis suis admoniti resipuerint.*

Quocirca Hebræi hoc canticum vocant summarium sive compendium totius legis. Nam facit mentionem magnificentiæ Dei, creationis cœli et terræ, unius Dei colendi, diluvii, divisionis linguarum et terrarum, electionis populi Israel, beneficiorum ei a Deo in deserto præstitorum, resurrectionis mortuorum, etc.

1. Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei. 2. Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. 3. Quia nomen Domini invocabo : date magnificentiam Deo nostro. 4. Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia : Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. 5. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus : generatio prava atque perversa. 6. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? 7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi. 8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. 9. Pars autem Domini, populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus. 10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis : circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. 11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. 12. Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo deus alienus. 13. Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. 14. Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan : et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum. 15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. 16. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. 17. Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant : novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. 18. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. 19. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est; quia provocaverunt eum filii sui et filiæ. 20. Et ait : Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est, et infideles filii. 21. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus

suis : et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos. 22. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima ; devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. 23. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. 24. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo : dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. 25. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. 26. Dixi : Ubinam sunt ? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. 27. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent : Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia. 28. Gens absque consilio est, et sine prudentia. 29. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent! 30. Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia ? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos ? 31. Non enim est Deus noster ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices. 32. De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ ; uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. 33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. 34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? 35. Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. 36. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur : videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. 37. Et dicet : Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam ? 38. De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum : surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. 39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me : ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere. 40. Levabo ad cœlum manum meam, et dicam : Vivo ego in æternum. 41. Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. 42. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis. 43. Laudate, gentes, populum ejus ; quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. 44. Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue filius Nun. 45. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel, 46. et dixit ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie ; ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa quæ scripta sunt legis hujus : 47. quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent ; quæ facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam Jordane transmisso ingredimini possidendam. 48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens : 49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho : et vide terram Chanaan quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte. 50. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis : 51. quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel, ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificastis me inter filios Israel. 52. E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

Vers. 1. 1. AUDITE, COELI, QUÆ LOQUOR (1). — Hebraice, *quia loquor*, *q. d.* Vos, cœlum et terra, quæ Deo vivitis, et semper obeditis, estote testes æterni eorum quæ Hebræis dicturus et prædic-

(1) « Sequitur præclarum illud Mosis carmen, supra XXXI, 19, 21, 22, 30 commemoratum, cui adhortationum vi et gravitate, sententiarum præstantia imaginumque sublimitate haud facile simile inveneris. Consilium suum in contexendo hoc carmine ipse Moses indicat XXXI, 29, velle se, quod sciret, suos Israelitas post mortem suam

turus sum. Vide dicta capite IV, versu 26 (1).

Tropologice. Tropologice, per cœlos significatur præpositorum ordo, per terram subditorum plebs, inquit S. Gregorius, lib. II *Moral.* XXVI, *q. d.* Audite, præpositi, audite, subditi, legem et minas Dei vestri.

Vers. 2. 2. CONCRESCAT IN PLUVIAM DOCTRINA MEA. — Hebraice, *stillet ut pluvia doctrina mea,* scilicet in corda Hebræorum; τὸ ergo *in* ponitur pro *instar:* « in pluviam, » id est instar pluviæ. Sic enim Hebræi sæpe *beth* præpositionis, pro *caph* similitudinis usurpant, *q. d.* Utinam doctrina mea non sit cassa, frustranea et inutilis in vobis, sed fructum afferat, faciatque id quod facit pluvia et ros in agris et herbis, dum eas fecundat! Unde Septuaginta vertunt, *exspectetur ut pluvia doctrina mea;* et Chaldæus, *suavis sit ut pluvia doctrina mea, suscipiatur ut ros verbum meum* (2).

Hebræi idem dicunt posteriore hemistichio, quod priore dixerunt. Ubi nota : Multis verbis synonymis, vel quasi synonymis, idem dicit Moses tum emphasis, tum hebraismi causa. Solent enim Hebræi, maxime in carmine, posteriore hemistichio idem, vel quasi idem, aliis verbis repetere, quod priore dixerunt; id clarissimum est in psalmis, ut : « Deus, in adjutorium meum intende; » hoc enim idem est cum eo quod subdit : « Domine, ad adjuvandum me festina; » sic : « Tibi derelictus est pauper, » idem quasi est cum eo quod sequitur; « Orphano tu eris adjutor; » sic : « Domine, exaudi orationem meam, » idem est cum eo quod sequitur : « Et clamor meus ad te veniat; » et ita in aliis plurimis. Sic hic : « Concrescat in pluviam doctrina mea, » idem quasi est cum eo quod sequitur : « Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. »

Nota *secundo,* apte verbum Dei comparari stillis et rori : quia instar roris animam lenit, humectat, pinguefacit, fecundat. Hinc Abbas Pimenion cuidam conquerenti, quod verbum Dei, licet magno teneretur ejus desiderio, complecti tamen non posset, respondit : « Mollis admodum natura est aquæ, lapidum autem durities est ingens; attamen dum guttatim in durum decidit silicem, tandem eum perforat : ita et verbum Dei molle et dulce est, corda autem nostra dura sunt, minusque ejus capacia. Ejus autem cor qui frequenter et sedulo verbum Dei audit, tandem emollit sic, ut ejus suavitatem et fructum plene percipiat. » Quin et Horus Apollo, lib. I *Hierogl.* XXXV : Ægyptii, inquit, doctrinam indicantes, cœlum pingebant rorem fundens, eo quod sicut ros mollit et fecundat herbas, non saxa, sic doctrina molliat et imbuat dociles, non stupidos, duros et indociles.

Vers. 3. 3. QUIA NOMEN DOMINI INVOCABO, *q. d.* Domini majestatem colam, laudabo et celebrabo; unde et vos, o Hebræi), DATE MAGNIFICENTIAM DEO NOSTRO, — ejus magnitudinem et laudem deprædicando. Sic enim hæc phrasis accipitur *Gen.* IV, vers. ult. Hinc e converso, invocari nomen Dei super aliquem, est Deum ab eo coli, illumque Dei esse et vocari servum vel populum, ut dixi cap. XXVIII, vers. 10.

Vers. 4. Dei opera sunt perfecta quadrupliciter. Primo. 4. DEI PERFECTA SUNT OPERA, — *q. d.* Deus invocandus et magnificandus est, quod opera ejus usquequaque perfecta sint, ita ut nulla ex parte culpari, reprehendi, vel emendari possint; et speciatim hoc opus, quo promisit patribus vestris, dare terram Chanaan, jam tam fideliter et magnifice fecit, et pene perfecit, ut perduxerit vos ad ingressum illius terræ, *q. d.* Dei opera non sunt ut hominum, caduca, manca, incompleta et vitiosa, in quibus pene semper aliquid deest; sed sunt stabilia, completa et perfecta. Rursum, homo Secundo. cum cœpit aliquod opus, sæpe illud non perficit, sed mutat conceptum et consilia; item cum promisit aliquid, sæpe illud non adimplet : Deus autem cœpta consilia, et promissa sua nunquam revocat, sed semper ea perficit et adimplet; *ter-* Tertio. *tio,* Deus tua, o Israel, o homo, opera imperfecta et vitiosa non creavit, uti non creavit te peccatorem, sed tu ea formasti, tu te peccatorem propria voluntate fecisti; nam, ut ait Psaltes : « Imperfectum meum viderunt oculi tui; » et Osee : « Perditio tua, Israel, tantum in me auxilium tuum : » Dei enim perfecta sunt opera; *quarto,* nihil est, quod Deus per se aut per alium ad perfectionem Quarto. non adducat, ait Molina.

Nota : Pro *Dei,* hebraice est צור *tsur,* id est petra,

corruptum iri, et a via, quam eis præcepit, recessuros, mala longo post tempore eventura denuntiare. Eo fine postquam cœlos et terram gravissimarum suarum adhortationum testes invocasset, et commendationem dicendorum ab insigni utilitate præmisisset (vers. 1, 2), primum populo ingrato beneficia (vers. 5, 6), quibus a Deo affectus esset, in memoriam revocat (vers. 3, 4, 6-14). Tum vates mente conspicit populum bonis omnibus affluentem terramque secure possidentem, sed a Jovæ cultu deficientem et deos factitios colentem. Qua de ingratitudine Deum sistit iratum, et pœnas non solum minantem, sed eas quoque exercentem. Ubi singulari plane artificio utitur poeta, quod Deum iratum ipsum loquentem inducit (vers. 15-22). Laudes denique justi divini judicii ab aliis gentibus Israelitarum loco a Jova adoptatis decantatæ, divino huic carmini finem imponunt (vers. 43). Hoc carmen non esse Mosis, sed serioris alicujus prophetæ, de Wette (*Kritik der Israelit. Geschichte,* pag. 393) jam dudum *inter omnes constare,* et ex carminis elocutione et argumento perspicuum esse perhibet. Vellem, nominasset Vir doctissimus unum alterumve hominum eruditorum, qui ante ipsum Mosi hoc carmen abjudicassent, aut abjudicandum esse idoneis argumentis demonstrassent. » Hæc apposite Rosenmullerus ad h. l.

Exstat Campegii Vitringæ ad hoc carmen *Commentarius, cum Prolegomenis, opus posthumum edente Hermanno Venema,* Harlingæ, 1734, in quat. Virtutes hujus carminis enucleavit Lowthus *de S. Hebræor. Poesi,* Prælect. XV.

(1) Conf. Virgilii *Æneid.* lib. XII, 176 :

Esto nunc, sol, testis, et hæc mihi terra vocanti.

Conf. quoque *Iliad.* III, 276 seqq.

(2) Conf. *Iliad.* III, 222. Verbum יַעַרְ proprie indicat *stillavit nebula,* vel *tenuis* pluvia. Nam infra XXXIII, 28, idem adhibetur de *rore,* unde apparet, illud non indicare *pluviam vehementem.*

tsur, id est rupes, cur ? vel rupes; talis enim est Deus, tum ob stabilitatem, immutabilitatem, et fidem in promissis præstandis; tum quia firmissime communit et roborat se colentes, et in se sperantes (1).

ET OMNES VIÆ EJUS (omnia opera ejus sunt) JUDICIA, — id est, sunt justa et æqua : usurpant enim sæpe Hebræi abstractum pro concreto, maxime ubi est emphasis.

Septem attributa Dei. Nota hic septem epitheta et attributa Dei : *primo*, quod sit magnificus; *secundo*, quod sit *tsur*, id est petra immutabilis; *tertio*, quod sit perfectus in omnibus operibus, ut discas a Deo illud Sapientis : « In omnibus operibus tuis, » etiam parvis, « præcellens esto; » *quarto*, quod sit justus; *quinto*, quod sit fidelis; *sexto*, quod sit absque ulla iniquitate, id est sanctissimus; *septimo*, quod sit rectus, qui nec gratia, nec odio, nec muneribus, nec blanditiis, a recto et æquo dimovetur. Hæc imitentur Sancti, utpote Dei filii, ut sint perfecti, sicut Pater eorum cœlestis perfectus est.

Vers. 5. 5. PECCAVERUNT EI, ET NON FILII EJUS IN SORDIBUS. — Clare Interpres reddidit Hebræa, quæ implexa sunt, dicitque quod Hebræi peccarint ei, ideoque non sint filii ejus, qui in sordibus peccatorum suorum volutantur; sed adoptionem suam pernegarint, ideoque sint generatio prava atque perversa. Hebræa ad verbum habent : « Perversa hæc et detorta generatio corrupit sibi (scilicet vias et actiones suas, qui) non (sunt) filii ejus in maculis suis. »

Septuaginta per metathesin legerunt Hebræa; vertunt enim, *peccaverunt non ei;* quo etiam alludit Chaldæus, *dissipaverunt seipsos, et non illum, filii qui servierunt idolis.* Quod explicans S. Augustinus, *Quæst.* LV, sic ait : Peccaverunt non ei, quia qui peccat, non Deo nocet, sed sibi; aut *non ei*, subaudi tanquam medico se subdentes, quia pœnitentiam de peccatis agere noluerunt, nec redire ad Deum, ut ab eo curarentur (2).

GENERATIO PRAVA ATQUE PERVERSA. — Chaldæus aliter vertit, *ordines mundi perversi sunt propter eam, q. d.* Universa hujus mundi harmonia solvitur ob peccata, uti ostendi *Gen.* VI, 7.

Vers. 6. 6. HÆCCINE REDDIS DOMINO, POPULE STULTE ET INSIPIENS? — *Stultus* est, inquit Abulensis, qui agit discordantia rationi; *insipiens*, qui a recte judicando deficit. Unde proprie, *stultus* est, qui pravum et perversum habet judicium, indeque pravas affectiones et perversas operationes producit. Nam cum tria, ut ait Aristoteles, initio lib. VI *Ethic.*, sint humanorum actuum principia, scilicet intellectus, voluntas, et sensus; si sensus et sensuales illecebræ depravent intellectum, hic depravabit voluntatem, quæ efficax et proxima est causa omnium actionum humanarum; itaque illæ pariter depravabuntur.

Tria humanorum actuum principia, mens, voluntas, et sensus.

NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS, QUI POSSEDIT TE, ET FECIT, ET CREAVIT TE? — Pro *qui possedit te*, verti potest ex Hebræo, *qui comparavit*, vel *emit te*, redimendo videlicet te ab Ægyptiis, et sibi adsciscendo, ut esses hæreditas Domini, ut sit hic climax, sive gradatio; nam Deus *primo*, redemit te; *secundo*, fecit, id est formavit, te in Sina, in suam Ecclesiam, populum et rempublicam; *tertio*, creavit, hebraice, *firmavit*, et stabilivit te tuumque regnum. Ita et Septuaginta.

Abulensis τὸ *creavit*, proprie accipit; unde infert : « Moses, ait, probat hic Deum esse colendum septem rationibus : prima est ratione creationis, quæ attestatur verum Deum, et infinitam potentiam, cui verissime debetur latria, et nulli alteri rei. » Verum sic τὸ *creavit*, deberet præcedere τὸ *possedit*. Sensus ergo, quem ex Hebræo dedi, magis videtur genuinus; præsertim, quia Moses peculiarem hic dat titulum Judæis, quo ipsi præ aliis gentibus electi, obstricti erant Deo, ut patet ex sequent.

Vers. 7. 7. MEMENTO DIERUM ANTIQUORUM, — dierum priscorum, hebraice, *dierum sæculi* : quod etiam accipi potest de diebus mundi, *q. d.* Revoca in memoriam dies, ex quo mundus esse cœpit, et invenies Deum creasse omnes homines, teque et tuos parentes, ac patrem se gessisse erga eos et te, teque ex omnibus gentibus elegisse, et hæreditatem hanc optimam Chananææ tibi præparasse.

Vers. 8. 8. QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES, etc., CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM JUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL. — Procopius et Lyranus sic explicant, *q. d.* Quando Deus in Babel divisit et dispersit gentes, tot gentes constituit, quot erant personæ in populo Israel, quæ cum Jacobo ingressæ sunt Ægyptum, puta septuaginta : Hebræi enim in divisione linguarum, et dispersione gentium apud turrim Babel, septuaginta ponunt linguas, æque ac gentes divisas et dispersas. Verum non fuisse septuaginta, sed multo pauciores, ostendi *Genes.* X (3).

Sensus ergo est : Quando Deus in Babel gentes dispersit, statuit terminos regionum et terrarum illis omnibus, idque ad hoc, ut scilicet tantum terræ spatium filiis Israel necdum natis, sed nascituris, ad habitandum secerneret et eximeret,

(1) Cæterum, hanc vocem si copulas cum seqq., erit nominat. absol. Sed plures Interpretes non male eam conjungunt cum *Deo nostro* vers. 3.

(2) « Hic locus, quam interpretes misere torserunt, non adeo difficilis est, ut non expediri possit, modo recte construas. Sunt autem totius commatis vocabula hoc modo struenda, *perdite agit ei*, id est, adversus Deum, *gens prava et dolosa*, scil. Israelitarum, *non* jam *filii ejus, sua ipsorum macula*, per suam ipsorum ignominiam; seu, secundum verba scriptoris ipsa, perdite agit adversus eum — non jam filii ejus, per suam ipsorum ignominiam ! — gens prava et dolosa. Τὸ *non filii ejus* per appositionem refertur ad subjectum, *sua ipsorum macula* vero appositionis appositio est. » Ita Maurer. Alii, *corrupit ei*, Deo, *filios non jam suos ipsorum pravitas.*

(3) Censet Maurer voce *populorum* tribus populi Israelitici poetice designari.

quantum noverat ad numerum eorum, atque commodam singulorum habitationem requiri et sufficere, *q. d.* Ex tunc Deus terram Chanaan designavit et terminavit, ne ab aliis occuparetur, quam a Chananæis, qui delendi et expellendi erant ab Hebræis. Ita Oleaster et Cajetanus, quem vide. Nota hic quantam curam sui populi ab olitanis temporibus gesserit Deus.

Anagogice, Rupertus : Constituit, ait, Deus, ut duret genus humanum, donec impleatur terminus et numerus electorum.

Septuaginta vertunt, *constituit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei,* quasi angeli hic vocentur filii Israel, id est filii Dei, qui dicatur hebraice Israel, id est dominator, vel princeps fortis : quod multi sic explicant, *q. d.* Constituit Deus singulis populis et gentibus angelos custodes et quasi præpositos. Sicut enim singuli homines, ita et singulæ gentes suum habent angelum, vel archangelum, quasi custodem et præpositum. Ita Origenes, hom. 11 *in Num.*, ubi addit hos angelos in Babel divisisse linguas, et singulis gentibus suam indidisse; de qua re dixi *Gen.* x et xi; sic explicat et Ruffinus in *Expos. Symboli* apud Cyprian. tom. III; Chrysostomus, hom. 3 *in epist. ad Coloss.*; Procopius et Severus in *Caten. Cantic. S. Script.* quam edidit Caraffa. Rursum Origenes loco citato alium sensum adjungit, *q. d.* « Initio sæculi alterius, rursus Deus dividet filios Adam; ut qui non potuerint ita mundi esse cordis, ut ipsum videant Dominum, et esse portio Domini, instar Israelis, videant sanctos angelos, et sint secundum numerum Angelorum Dei. » Verum hic sensus uti novus, ita temerarius est et erroneus.

Singulæ gentes suum habent angelum præsidem.

Origenis error, Beatos alios visuros Deum, alios angeles.

Secundo, alii de singulis hominibus explicant, *q. d.* Deus creavit tot homines, quot eis designavit angelos custodes; cuique enim homini suum dedit angelum.

Tertio, S. Gregorius, hom. 34 *in Evang.*, sub medium, sic explicat : « Superna, inquit, illa civitas ex hominibus et angelis constat, ad quam tanti (tam multi) conscendunt hominum, quanti (quam multi) illic remanserunt angelorum; » sic et Rabanus.

An tot homines beandi, quot angeli?

Verum hoc incertum est. Alii enim æque probabiliter putant tot fore homines salvandos, quot ex cœlo ceciderunt dæmones : eorum enim ruina instauranda est per homines. Dæmones autem videntur esse pauciores angelis : Lucifer enim tantum traxit secum tertiam partem stellarum, *Apoc.* xii, 4. Certum est versionem Septuaginta hic non esse litteralem, nec genuinam : nec enim filii Israel ad litteram sunt angeli Dei; quare prior sensus nostri Interpretis genuinus est, ut patet ex Hebræo et Chaldæo, item Aquila et Symmacho, qui omnes habent *filiorum Israel;* unde et in Septuaginta pro *angelorum Dei,* legendum puto, *filiorum Israel,* uti nonnulla eorum exemplaria habere testatur Origenes, hom. 28 *in Num.*, et alii (1).

Mendum in Septuaginta.

9. PARS AUTEM DOMINI EJUS : JACOB FUNICULUS HÆREDITATIS EJUS. — Ex Hebræo aptius vertas, *pars enim,* etc.; ita Chaldæus, *q. d.* Non mirum est quod Deus ita amarit filios Israel, ut juxta numerum eorum constituerit terminos populorum, quia Jacobæi, sive Israelitæ sunt populus ejus, et quasi portio hæreditaria, quæ hic vocatur funiculus, quia olim eam funibus dimetiri, et inter fratres dividere solebant, ut patet *Amos* vii, vers. ult. : unde *funiculus* capitur pro ipsa hæreditate, ut *Psal.* xv, 6 : « Funes ceciderunt mihi in præclaris; » quod more suo explicat, subdens : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi. » Similia sunt *Psal.* lxxvii, 55; *Sophoniæ* ii, 5, et alibi. Vers. 9.

Funiculus pro hæreditate.

10. INVENIT (Deus) EUM (populum suum, sive Israelem) IN TERRA DESERTA, — *q. d.* Dominus apparuit in columna nubis Israeli, cum erraret in deserto, ibique cœpit eum deducere in terram promissam. Dicit autem quod invenerit eum in deserto, quia in Ægypto Israel serviebat idolis, et jungebatur Ægyptiis; in deserto autem, puta in Sina, allectus est in populum et Ecclesiam Dei (2). Vers. 10.

CUSTODIVIT QUASI PUPILLAM OCULI SUI. — Vide quanta sit sollicitudo, cura, providentia et custodia Dei erga suos, scilicet quanta est hominis circa rem charissimam, tenerrimam et pretiosissimam, scilicet pupillam oculi sui.

Hinc Judæorum illa philautia, ut R. David audeat dicere, Deum nullam aliarum gentium curam aut providentiam habere, nisi quatenus aliquo modo pertinent ad Israel; hoc est, Deum non punire alias gentes, nisi quatenus nocent aut injuriam faciunt Israeli : nec iis benefacere, nisi quatenus Israelem juverint aliqua in re. Verum hæc tam stolida, quam blasphema est ipsius amentia.

11. SICUT AQUILA PROVOCANS AD VOLANDUM PULLOS SUOS, etc., EXPANDIT ALAS SUAS (3), — *q. d.* Deus, ut aquila, Israelem quasi pullum suum per varia signa in Ægypto ad inde exeundum et evolandum Vers. 11.

Alæ providentiæ Dei.

(1) Alexandrina versio non arguit variam lectionem in textu hebræo, nec ipsa est corrigenda; sed potius respicere videtur antiquissimam Judæorum traditionem, Deum in divisione populorum singulis populis et regionibus singulos angelos attribuisse, qui illorum curam haberent, præter populum Israeliticum, cujus Deus ipse immediate curam in se suscepit.

(2) *Invenit,* veluti rem ad nullius potestatem attinentem primus occupavit, sibi vindicavit. *Poetice* hoc expressum, ait Rosenmullerus, quia poeta omissis pluribus sæculis statim ad ea tempora transit, quibus Israelitæ Nomadum more Arabiam desertam pererrarunt. Neque est quærendum, quomodo dici possit Deus *invenisse* populum in deserto, in quod eum deduxerat.

Pro *in loco horroris,* in hebr. est *in deserto ululatus* ferarum, puta, noctu ad fontes convenientium. Pro *docuit* alii hebr. vertunt, *curam ejus gessit,* collato arab. בָּאַן *considerare aliquid accuratius.*

(3) Hodiernorum plerique vers. 11 sic vertunt, *sicut aquila fervet nidum suum, et super pullis incubat, deinde,* etc. Sed perperam, ut ait Maurer, qui veterum interpretationem bene tuetur.

provocavit, eumque jam exire parantem, velut in expansis providentiæ suæ alis assumpsit, protexit et subvexit, tum per se, tum per angelum viæ ducem, tum per columnam ignis et nubis.

Deus est aquila ob quinque analogias.

Nota : Aquila est symbolum Dei : *primo*, quia ipsa est regina avium; *secundo*, quia est fecunda et longæva; *tertio*, quia est simulacrum solis : ipsum enim detectis et immotis oculis aspicit; *quarto*, quia aliæ aves cum sursum ascendunt obliquo tramite, sola aquila recto in altum evolat : hinc a Poetis aquila vocatur Jovis avis, ut « cœlo imperium Jovis extulit ales; » *quinto*, proprie hic apteque Deus comparatur aquilæ, ob singularem ejus in pullos amorem, de quo ita scribit S. Hieronymus in *Isaiæ* LXV : « Inter cæteras animantes omnes, aquilarum quidem maximus in pullos est amor, quæ in excelsis et inaccessis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethystum quoque inter pullos ejus lapidem reperiri scribunt, quo omnia venena superentur. Si hoc verum est, recte affectus Dei in suas creaturas aquilis comparatus est, qui omni studio protegit liberos suos, ne draco et coluber antiquus diabolus obrepat novellis fœtibus, ut ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes adversariorum insidiæ frangantur. »

Christus est aquila ob dotes septem.

Pulchre, docte et pie S. Ambrosius, lib. II *De Salom.* cap. II, Christum Salvatorem aquilæ comparat, ob alias quatuor analogias; *primo* : « Quemmadmodum, inquit, aquila colona quasi mater nidi semper unius est, nec ad procreandam sobolem aliud quandoque cubile perquirit; *secundo*, cum primum calidis ovis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes, hos contra faciem fervidi solis opponit, ut qui ægram et invalidam corusco radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio et a fratrum consortio separetur, et dejiciatur in terram; *tertio*, sicut avis inimica serpentum est, quos cum in aera alarum remigio subnectando supportat, hos adunco rostro, et armatis quasi quibusdam telis, pedibus suis lacerat ac divellit, quos cum devorat, calore suo interno noxium illud

Primo. virus extinguit : ita *primo*, Christus Dominus unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum, quam ab æstu persecutionis alarum suarum defendit

Secundo. umbraculo; *secundo*, sic quoque extra Ecclesiam projicit in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Evangeliorum lucem vitiis sæcularibus in-

Tertio. quinati ferre non possunt; *tertio*, ut aquila serpentes devorat, et eorum venena calore concoquit interno : ita et Christus Dominus noster dracone percusso, id est diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam perniciosum virus exstinxit, sicut Apostolus ait : Et de peccato damnavit peccatum in carne sua; « et alibi : « Qui cum peccatum non nosset, pro nobis

Quarto. peccatum fecit. » Et inferius addit *quarto* : « Aquila cum aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras, sed excelsum eligit locum : sic et Christus alta cruce suspensus, tonante strepitu et terribili volatu impetum ab inferis fecit, sanctosque rapiens ad superna remeavit. » Adde *quinto* : si- Quinto. cut aquila altissime volat, ita Christus supra omnes cœlos ascendit; unde illud *Prov.* XXX : « Tria sunt mihi difficilia, etc., viam aquilæ in cœlo, » S. Ambrosius loco citato, de Christo in cœlum ascendente intelligit. Et *sexto*, aquila liberalis est, Sexto. et prædam quam cepit cum aliis avibus communicat : ita et Christus prædam æternæ beatitudinis cum Sanctis partitur. *Septimo*, aquila visus acie Septimo. pollet, et eminus remota prospicit : ita Christus Deus noster humilia respicit in cœlo et in terra, qui in altis habitat.

13. CONSTITUIT EUM SUPER EXCELSAM TERRAM. — Vers. 13. Hebraice, *equitare fecit eum super excelsa terræ*, quia terra promissa alta et montuosa est. Nota : Prophetice hic et in sequent. ponitur præteritum pro futuro; *constituit*, id est brevi et certo constituet, et in sua prædestinatione ac præscientia jam constituit.

UT SUGERET MEL DE PETRA, — *q. d.* In Chanaan Israel tantam habebit mellis copiam, ut etiam in petris apes sponte mellificent.

OLEUMQUE DE SAXO DURISSIMO, — ut scilicet etiam inter saxa oleæ mire fructificent, et copiose olivas producant, quæ oleum abunde, vel sponte distillent, vel expressæ emittant et effundant. Adde oleas et olivas amare solum saxosum, in eoque mira naturæ et Dei providentia meliores et plures succrescere, uti videmus fieri Tibure; Tibur enim in monte et rupe situm oleis et olivis optimis abundat : unde oleum Tiburtinum tota Italia celebratur.

Allegorice S. Gregorius, hom. 26 *in Evang.* : Petra, inquit, id est Christus, mel dedit, id est mi- Allegoria mellis et olei. raculorum dulcedinem discipulis ostendit; dedit et oleum sacrum unctionis, cum post resurrectionem Spiritum Sanctum in eos immisit.

Et Ambrosius, lib. II *De Salomone*, cap. IX : Per mel, ait, significabatur quod Deus quidem daturus esset Evangelii suavitatem; per oleum, quod daret Spiritum Sanctum per chrismatis unctionem.

Tropologice, hæc aliqui adaptant Religioni et Religiosis; hos enim custodivit Deus super excelsam terram, puta Religionis statum, ut fructus cœlestes carpant, ut divinæ consolationis melle pascantur, oleoque cœlesti perungantur. Religio enim est terra excelsa fluens lacte et melle; est « mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, » *Psal.* LXVII; est « hortus conclusus, » *Cantic.* IV, in quo Religiosi velut arbores plantantur, quæ Deo jucundissimos proferunt fructus; est « fons signatus, » mundi sitim exstinguens; est « turris eburnea, » castitatis ebore undique septa; est « turris David, » ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium, *Cant.* IV. Omnis enim adversus vitia armatura in Religione reperitur; veluti armamenta- Tropologice, significatur Religionis celsitudo et suavitas.

rium mundi est Religio, ex quo tela adversus dæmonem, carnem et mundum promuntur. « Murus est, super quem ædificata sunt propugnacula argentea, » *Cant.* VIII, id est tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiæ. « Ostium cœli est compactum tabulis cedrinis, » virtutum omnium. Denique de ea recte dicas cum Jacobo : « Quam terribilis est locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. » Est enim Religio terribilis dæmonibus, « ut castrorum acies ordinata ; » in ea est scala a terra in cœlum deducens ; est status angelicus.

Vers. 14. 14. CUM ADIPE AGNORUM, ET ARIETUM FILIORUM BASAN, — id est arietum, qui nutriuntur in optimis et pinguissimis pascuis regionis Basan. Basan nitidem enim, occiso Og rege, occuparunt Hebræi, eaque regio uberrima fuit et maxime compascua ; unde vaccæ Basan, et tauri Basan vocantur vaccæ et tauri pinguissimi (1).

SANGUINEM UVÆ BIBERET. — Poetice succum ex uvis expressum, puta mustum et vinum, vocat « sanguinem, » quia est coloris sanguinei, sive rubei.

Vers. 15. 15. INCRASSATUS EST DILECTUS. — Hæc omnia præterita prophetice significant futurum : hæc enim omnia futura prævidebat Moses ita certo, ac si jam facta fuissent. Itaque *incrassatus* est, id est incrassabitur opibus, deliciis et luxu in Chanaan ; *dilectus*, hebraice ישורון *iescurun*, id est rectus, uti Noster vertit cap. seq. vers. 5 ; vocat autem Israelem rectum, quia rectissima fide et religione Deum verum colebat. Noster hic *dilectum* vertit, quia *iescurun* etiam directum, scilicet a Deo, id est dilectum, significat. Et hoc epithetum huic loco magis convenit. Sic enim filii et discipuli a parentibus et præceptoribus dilecti ac laute habiti et pasti, iis recalcitrare solent. Ita Apostolus juniores viduas ab Ecclesia ali vetat, quia, inquit, « cum luxuriatæ fuerint in Christo (græce *in Christum*, id est in Christi injuriam), nubere volunt, » I *Timoth.* V, 11. Posset *tertio*, *iescurun* deduci a שור *scor*, id est taurus, *q. d. iescurun*, id est inter greges populorum fuit quasi taurus, dux gregis, id est fuit Deo quasi primogenitus, et princeps aliarum gentium : ita Forerius in cap. XLIV *Isaiæ* (2).

Iescurun, id est rectus vocatur Israel, cur ? Primo. Secundo. Tertio.

RECESSIT A DEO SALUTARI SUO, — id est salvatore suo. Ita Septuaginta ; Chaldæus, *recessit a Deo redemptore suo*, qui scilicet eum ex Ægyptia servitute redemit.

Vers. 16. 16. PROVOCAVERUNT EUM (provocaverunt Deum ad iram et indignationem) IN DIIS ALIENIS, — eos scilicet colendo.

Vers. 17. 17. IMMOLAVERUNT DÆMONIIS. — Hebraice, שדים *scedim*, id est vastatoribus, qui animas, corpora bonaque omnium suorum cultorum diripiunt et devastant : hoc enim faciunt dæmones, qui summi sunt tyranni.

NOVI RECENTESQUE VENERUNT, — nuper dii esse, haberi et coli cœperunt.

Talia quoque sunt hæreticorum dogmata sive commenta, quæ proinde Apostolus vocat profanas vocum novitates, a novantibus, id est hæreticis, adinventas. Quare Christiani presbyteri et diaconi Alexandrini, præfecto ad arianismum eos adhortanti, responderunt : « Desine his vocibus nos perterrere, a verbis inanibus te cohibe ; nam nos neque novitium, neque recentem colimus Deum : ac tametsi tu velut fluctibus jactaris, spumam ore temere fundis, et tanquam ventus violentus in nos cum impetu ruis, tamen nos ad extremum usque spiritum sumus doctrinæ pietatis firme adhæsuri. » Ita Theodoretus, lib. IV *Hist.* cap. XX.

Vere et apposite dixit noster Ogilbeus in Scotia hoc anno Martyr : « Fides ministrorum Scotiæ tantum est octennis ; nam duos primarios articulos fidei, quos ante octo annos etiam libris contra eos editis damnarunt, jam credunt et docent, scilicet regem esse caput Ecclesiæ, et Episcopos ac episcopatus esse admittendos. » Plus dixit S. Hilarius, scilicet, « fides hæreticorum esse bimestres et trimestres, » quia ipsi in singulos annos, imo menses, sæpe fidei suæ dogmata commutant : « Innovandæ, inquit S. Hilarius ad Constantium Imperatorem, fidei usus inolevit ; et facta est fides temporum potius, quam Evangelorium. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, et tot nobis doctrinas, quot mores. » Vere noster Frusius :

Una fides cum sit, quam nos docuere parentes :
Cur nunc tot fidibus luditur una fides?

Vers. 18. 18. DEUM QUI TE GENUIT DERELIQUISTI, ET OBLITUS ES DOMINI CREATORIS TUI. — Est admiratio, *q. d.* Qui fieri potuit, o Israel, ut dederis oblivioni Deum, qui parturivit et genuit te, quique fortissimus fortem et validum te procreavit et efformavit ? Unde Hebræa sic habent, *petræ, quæ te genuit, oblitus es* (3) ; *oblitus es fortis, qui te parturiit ?*

Vers. 20. 20. ET AIT (Deus peccatis Israelitarum iratus) : ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS (meum favorem, curam, protectionem, beneficia : (horum enim symbolum est facies : ingratis subtraham et subducam ; itaque otiose spectabo) ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM, — quid scilicet ipsis a me destitutis tandem eventurum sit, quem fructum ex suis idolis et peccatis relaturi sint.

Vers. 21. 21. IPSI ME PROVOCAVERUNT IN EO, QUI NON ERAT DEUS, etc., ET EGO PROVOCABO EOS IN EO, QUI NON EST POPULUS. — Pro *provocaverunt* et *provocabo*, he-

(1) Pro *butyrum* in hebr. est *lac spissum* armenti, oppositum *fluidiori lacti* pecoris ovilli.

(2) *Jescurum*, id est, *popellus rectulus, justulus*, vocabulum diminutivum, quo populus Israeliticus blanditiæ causa vocatur.

(3) Maurer, *dereliquisti*, 2 fut. apoc. a שיה.

Vers. 19. Pro *et ad iracundiam concitatus est*, est in hebr. *et excussit, rejecit* eos *præ indignatione*, etc.

braice est קִנְאָה *kana*, id est ad invidiam, æmulationem, zelotypiam provoco, ut cum sponsa unum rivalem præponit alteri, eum ad zelotypiam concitat. Ita enim Judæi vanis idolis adhærentes, neglecto vero ipsorum Deo, quantum erat ex parte sua, eum ad æmulationem et zelotypiam provocabant; unde juste simili æmulatione punit eos Deus, *q. d.* Ego vicissim provocabo eos ad æmulationem et invidiam, præponendo eis alios populos. Nam faciam ut ii qui non sunt populus Dei, imo sunt Gentiles et idololatræ, feliciter vivant, opibus, imperio et gloria abundent, imo subjiciant et dominentur populo meo, scilicet Hebræis, eosque affligant, diripiant et occidant.

Aliter hæc explicat Abulensis ut, τὸ *in* capiatur pro *instar*, *q. d.* Sicut ipsi irritaverunt me in eo qui non erat Deus, id est facientes de me, vel contra me, tanquam non essem Deus, essemque similis idolis: ita ego irritabo eos in eo qui non est populus, id est instar ejus, qui non est populus meus, sed hostis, « et in gente stulta irritabo illos, » id est ita eos provocabo ad iram, vel ad derisum, sicut provocantur homines stulti. Sic enim Babylonii et Romani ludibrio habuerunt Judæos. Verum prior sensus planior est et magis genuinus.

ET IN GENTE STULTA IRRITABO EOS, — commovebo eos ad iram et invidiam, præponendo eis gentem stultam, vilem et ingloriam, scilicet Assyrios, Babylonios, Persas, etc., qui eos superent, subjiciant et divexent (1). S. Hieronymus ad Fabiolam, *De 42 Mansion.*, in ult., hæc refert ad vocationem Gentium, rejectis Judæis : nam cantico, inquit, hoc Mosis extremo apertissime Synagoga projicitur, et Ecclesia Domino copulatur; imo eo vel maxime hæc referenda esse docet Apostolus, *Rom.* x, 19: vide ibi dicta. Unde et Theodoretus, *Quæst.* XLI, sic explicat, *q. d.* « Sicut vos uno Deo relicto, plures falsos deos ei anteposuistis, sic ego relicto uno populo, conferam omnibus gentibus salutem : verum vos coluistis eos, qui vere non erant dii, nec eos colendo, deos efficere potuistis; at ego gentes insipientes vere implebo Spiritu divino, vos autem videntes contabescetis invidia. »

Vers. 22. 22. IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO, ET ARDEBIT USQUE AD INFERNI NOVISSIMA (*q. d.* Ultio iræ et indignationis meæ in eos parata est, et exardescet instar ignis, adeo ut ad inferni novissima pertingat; est metaphora et hyperbole, quæ verbis sequentibus explicatur, ita videlicet), UT DEVORET TERRAM CUM GERMINE SUO, ET MONTIUM FUNDAMENTA COMBURAT, — scilicet ut ima et profundissima terræ et montium loca consumat, et in sterilitatem vertat; hanc enim sterilitatem sæpe comminatus est, et sæpe inflixit Deus Hebræis, ob eorum peccata.

Allegorice Procopius, Rupertus, Rabanus, et Gregorius, XVIII *Moral.* XII, per ignem hunc accipiunt ignem inferni et damnatorum.

Ubi nota *primo*, hunc ignem dici jam succensum, tum quia jam exstat ab origine mundi, *Matth.* XXV, 41; *Isaiæ* XXX, 33; tum quia in Dei præsentia et prædestinatione præparatus est, ut suo tempore exurat peccatores et reprobos. Ignis inferni quantus. Primo.

Secundo, ignem hunc succensum dici « in furore Domini : » quia auctor illius est furor Domini, id est, voluntas et firmum propositum puniendi impios modo horribili et inaudito, qualem suggerere solet furor. Ira enim et furor in Deo non sunt passiones, quales in nobis, sed voluntas tranquilla et rationabilis, acerrima tamen et efficacissima, atque omnipotens infligendi pœnas æternas : itaque cum ejus effectus omnem furorem æquet, et etiam superet, merito *furor* dicitur. Secundo.

Tertio, quod ignis hic « ardebit usque ad inferni novissima, » *q. d.* Ignis ille non solum hic in terra corripiet et involvet impios (cum Dominus judicabit orbem), sed etiam in inferno, et in ima terræ voragine in omnem æternitatem ardebit. Tertio.

Quarto, quod ignis hic « devoravit terram, » id est, universum terræ solum et superficiem, et quidquid ex terra oritur, nimirum omnes arbores, silvas, segetes, herbas; et omnes domus, arces, palatia, urbes, turres, omnesque opes, quæ iis continentur, in favillam et cinerem rediget, II *Petri* cap. ult., vers. 10 et 12. Quarto.

Quinto, quod ignis hic etiam « montium fundamenta » altissime demersa « comburet, » tum quia metalla, gemmas omnesque opes in visceribus terræ contentas absumet; tum quia mixta omnia vi sua dissolvet, et in sua primordia ac simplicia principia rediget; hoc est quod canit Psaltes, *Psalm.* XCVI : « Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra; » et *Judith* cap. XVI : « Montes a fundamentis movebuntur cum terra; petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam. » Scimus ingenti ardore saxa liquari, et instar torrentis ignei e montibus per plana decurrere; talis erit ignis hic : hunc cogita dum peccas. Quis habitabit cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? Quinto.

S. Prosper gehennæ pœnas ita paucis, sed nervose describit, lib. III *De Vita Contempl.* : « Continuus, inquit, gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, neque extorquent; puniunt corpora, neque finiunt; sibi deputatos ignis non exstinguit, ut permanente sentiendi vita, pœna permaneat, et ad dolendum magis quam ad vivendum, æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis vivacibus immortalitas secundæ mortis occidat. » Hunc ignem jugiter proponebat sibi sanctus ille Abbas in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLIV, dicens : « Ego ob peccata mea inferno adjudicavi meipsum, dicoque : Esto cum his quibus dignus es, istis post modicum adnumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus et incessabiles la-

(1) Ita et Rosenmullerus. Sed melius parallelismus servatur, si cum SS. PP. hæc referantur ad vocationem gentium.

crymas. Aspicio stridentes dentibus, et salientes toto corpore, et trementes a capite usque ad pedes. Video et mare ignis bullientis immensibile, et circumfluentes et mugientes, ut putent aliqui usque ad cœlos attingere fluctus ignis, et in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos, et una voce omnes clamantes et ululantes simul, quales nemo super terram ululatus et voces unquam audierat, et sicut arentia omnis virgulti cremare; misericordia autem Dei se avertente ab illis. Et tunc lamentor genus hominum, quod audeat loqui, vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans, indignum me cœlo et terra judicans. »

Vers. 23. 23. ET SAGITTAS MEAS COMPLEBO IN EIS.—« Complebo, » id est plene immittam, « sagittas, » id est ultiones et plagas omnes meas.

Vers. 24. 24. CONSUMENTUR FAME. — Chaldæus vertit, *adusti erunt fame.*

Resceph quid ? DEVORABUNT EOS AVES. — Pro *aves*, hebraice est vox רשף *resceph*, quæ generaliter significat omne id quod volando adurit, incendit et inflammat; alludit enim per metathesin ad שרף *saraph*, id est incendere, adurere : licet S. Hieronymus *resceph* vertat *reptans ventre*, quasi alia metathesi *resceph* alludat ad רפש *raphas*, vel רמש *ramas*, id est repere.

Primo. Hinc *resceph* vertunt avem, vel volucre, tam Septuaginta quam Chaldæus, Symmachus, Aquila, Theodotion et Quinta editio, teste S. Hieronymo in *Habacuc* III et IV; additque Hieronymus, Hebræos dicere *resceph* etiam dæmonis esse nomen, qui ob velocitatem et discursum, avis et volatile nuncupetur; unde *Habacuc* III, 4, noster Interpres pro *resceph* vertit, *diabolus*.

Secundo. Hinc *secundo*, *resceph* significat ignem, vel fulgetra, quæ instar volucrum celerrime discurrunt et adurunt, ut *Psalm.* LXXVII, 48.

Tertio. *Tertio*, *resceph* significat sagittas ignitas, quas milites potenter et celerrime ex arcubus ejaculantur, ut domos et urbes incendant, ut patet *Psalm.* LXXV, vers. 4 (1).

DENTES BESTIARUM IMMITTAM IN EOS, — *q. d.* Immittam in eos feras bestias, ut lupos, leones, ursos, tigrides. Ita leones in Israelitas idola colentes immisisse Deum docet historia sacra, IV *Reg.* XVII, 25.

CUM FURORE TRAHENTIUM SUPER TERRAM, ATQUE SERPENTIUM. — Hebraice, *cum furore serpentium in pulvere*, id est, cum serpentibus venenatis et furibundis, qui reptant et fœde cum horrore intuentium trahuntur super terram, ut illi in eos desæviant, eos mordeant et lanient (2).

28. GENS ABSQUE CONSILIO EST. — Hebraice præponitur *ki*, id est *quia;* unde Vatablus putat hic reddi rationem præcedentium, cur scilicet hostes Israelis superbirent, et dicerent : « Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia, » quia scilicet ipsi sunt gens absque consilio, intellectu et prudentia. Verum τὸ *ki* Hebræis sæpe redundat, tantumque sententiam inchoat. Quare Noster recte illud omisit; unde melius hæc ad ipsos Israelitas referemus : in hos enim continuo hic detonat Moses. Vers. 28.

29. UTINAM SAPERENT, ET INTELLIGERENT, AC NOVISSIMA PROVIDERENT !— Vatablus et Abulensis pergunt hæc referre ad hostes Judæorum, *q. d.* Si hi hostes prudentes fuissent, intellexissent, viribus non ipsorum, sed meis, puta Dei, factum esse; quod ego gentem hanc meam, scilicet Judæos, afflixerim et perdiderim, non ipsi : intellexissent præterea quis finis, sive exitus, eos maneat; intellexissent eadem sibi eventura ob peccata propria, quæ genti meæ evenerunt, inquit Vatablus. Ita enim Assyrii, quia gloriabantur, se destruxisse Israelitas, ideo a Chaldæis destructi sunt; vicissim Chaldæi, quia gloriabantur se destruxisse Judam, ideo a Persis et Medis deleti sunt, inquit Abulensis. Vers. 29.

Verum, ut paulo ante dixi; Moses non curat hic hostes Judæorum, sed ipsos Judæos : hos enim licet postea futuros, hic metu novissimorum pungit et stimulat, ut ab idolis ad Deum, a prævaricatione ad pœnitentiam et legem Dei redeant, *q. d.* Utinam Judæi per hostes, et tot plagas a me eis immissas afflicti, ad cor redeant, resipiscant, intelligant quid sit peccare in Deum; ac prævideant quid in novissimo tempore illis eventurum sit, quæque peccati et impietatis ipsorum futura sit merces, tum in hac, tum in futura vita, vel potius morte et gehenna! Nam, ut ait Sapiens : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » O quam sapiunt, qui hæc sibi et aliis identidem ob oculos ponunt!

Recte Abbas Alexander fratri acedia victo dixit : « Si in cella tua sollicite cogitares regnum cœlorum, et cruciatum æternum, in cella tua acediam non sentires. » Testis est Sophronius, vel potius Joannes Moschus in *Prato spirituali*, cap. CXLII. Rursum cap. CLXIX, Alexander ita se excitat : « Væ tibi, Alexander! quanta erit confusio tua, cum cæteri coronabuntur! » Acedia remedium est meditatio novissimorum.

Et cap. CLVI, senex quidam duobus philosophis verbum ædificationis a se petentibus dixit : « Eloquentiæ studiosi estis, non veri philosophi; quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit

(1) Hic sensus genuinus, scil. *et absumpti tela*, seu *sagitta ardente.* Allioli, *peste.*

(2) Pro *furore* melius vertas cum Allioli, *veneno repentium in pulvere.*

Vers. 26, 27 ex hebr. sic vertendi videntur, *dicerem : Dispellam eos, delebo ex hominibus eorum memoriam : nisi hostium injuriam*, fastum mihi molestum *vererer, ne non agnoscerent* scil. cladis Hebræorum auctorem (Jovam) *eorum adversarii; ne dicerent : Manus nostra valida, non vero Jova, hæc omnia fecit.* Vocem אפאיהם Syrus et Vulgatus e tribus vocabulis compositam existimaverunt, scil. אי *ubi*, פה *hic*, et הם suffixo. A rad. באה melius, ut videtur, alii deducunt.

ergo philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacite.»

Abbas Silvanus in *Vitis Patrum*, lib. V, tit. *De Compunctione*, raptus, ac rediens ad se, cecidit in faciem, ac flevit; rogatus cur? dixit: «Ego ad judicium raptus sum, et vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, et multos sæculares euntes ad regnum.» Et lugebat senex, et nolebat deinceps exire de cella sua; sed si exire cogebatur, operiebat capitio faciem suam dicens: « Quid necesse videre lumen istud temporale, in quo nihil est utile?»

Ibidem, monachus quidam qui negligenter vixerat, ægrotans, raptus fuit ad judicium, et invenit matrem suam jam mortuam cum his qui judicabantur. Illa autem, ut vidit eum, obstupuit et dixit illi: Quid est hoc, fili? et tu in hunc locum condemnationis jussus es venire? ubi sunt sermones tui quos loquebaris dicens: Volo salvare animam meam? Confusus ipse, ac rediens ad se inclusit se pœnitens et plorans negligentiam suam: cumque multi eum rogarent ut a nimio fletu temperaret ne se læderet, noluit consolari, dicens: « Si improperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi et sanctorum ejus angelorum adversum me confusionem potero in die judicii sustinere?»

Ibidem alius senex dixit: « Si possibile esset in adventu Dei post resurrectionem, præ timore interire animas hominum, omnis mundus moreretur a terrore atque formidine. Quale est enim videre cœlos scissos, et Deum revelatum cum ira et indignatione, et militias innumerabiles angelorum, et totum simul genus hominum intendere? propter quod hic debemus vivere, utpote qui de singulis motibus nostris rationem exigendi simus a Deo.»

Alius senex vidit quemdam ridentem, et dixit ei: « Coram cœli et terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides?»

Pie S. Bernardus, serm. *De Apostolis Petro et Paulo*: « Utinam saperent, etc., inquit, ut *scilicet* æternitatis imago reformaretur in nobis; videlicet ut præsentia moderemur per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicemus, novissima provideamus ad cautelam!»

Idem, *epist.* 292: « Utinam, inquit, saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt! profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres.» Ita sapuit Abbas Olympius in *Prato spirit.* cap. CXLI: rogatus enim: Quomodo sedes in hac spelunca? quomodo toleras æstus et ciniphes? ait: « Ista ideo tolero, ut futuris cruciatibus liberer; ideo ciniphes patior, ut immortalem effugiam vermem; sic et æstum patior, æternum metuens ignem: hæc enim temporalia sunt, illa vero finem nullum habent.» Ita sapuit et Abbas Moses in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXVI, dicens: « Ut te mortifices, cogita te triennium jam agere in sepulcro.» Et alius cap. XLIV, cujus hæc erat quotidiana exercitatio: « Ego, inquit; angelos aspicio, ascendentes et descendentes ad vocationem animorum, et semper finem meum operior, dicens: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.» Et alius ibidem: « Ego, inquit, ex quo renuntiavi terræ, quotidie mihi dixi: Hodie renatus es, hodie cœpisti servire Deo; sic esto quotidie peregrinus, et crastino liberandus.» Plura attuli *Levit.* XVI, sub finem capitis.

30. QUOMODO PERSEQUATUR (ita legendum est cum Romanis, non *persequebatur*) UNUS MILLE, ET DUO FUGENT DECEM MILLIA, — *q. d.* Vel ex hoc sane quod dicam, admoneri debuissent suæ impietatis, et ad sapiendum incitari, ac discere et advertere judicia Dei: qui enim fieri posset ut unus hostium persequatur mille Israelitas, et duo fugent eorum decem millia, nisi quia Deus eos tradidit, et quasi vendidit hostibus eorum, et conclusit eos in manibus illorum? Vers. 30.

31. NON ENIM EST DEUS NOSTER, UT DII EORUM, — qui multa sinunt suorum cultorum peccata, quique impotentes sunt, ut se suosque ulciscantur, ut alicui benefaciant, aut malefaciant, cujus rei testes sunt etiam inimici nostri, qui potentiam et severitatem justitiamque Dei nostri præ suis idolis experti sunt, ut Ægyptii, Amalecitæ, Amorrhæi, et cæteræ gentes, per quas transivimus, quæque deinceps eadem experientur (1). Vers. 31.

32 et 33. DE VINEA SODOMORUM VINEA EORUM, (*q. d.* Merito tradidit, id est tradat, Deus Judæos hostibus suis, quia hic populus, qui mihi fuit quasi vinea electa, degenerans facta est de vinetis Sodomorum, et de suburbanis et arvis Gomorrhæ, *q. d.* Pessima facta est, imitata Sodomitas et Gomorrhæos, ac si ab eis, non a sanctis patribus prognata fuissent (2). Unde et) UVA EO- Vers. 32 et 33.

(1) *Nam* alioqui *non est sicut rupes* (Deus) *nostra rupes eorum* (hostium), *et hostes eorum arbitri*, id est, ipsi hostes nostri fatentur, deos ipsorum non ea, qua Jova, potentia pollere; nisi enim is populum Hebræum ipsorum potestati permisisset, eum non vicissent. — De voce *rupes*, quod Dei nomen est, vid. Drach, *De l'Harm. entre l'Egl. et la Synag.* tom. II, pag. 422 seqq.

(2) Sunt, qui hanc imaginem ad illud respicere existimant, quod de fructibus plantarum in vicinia Asphaltitidis referunt varii auctores, veluti Josephus *de Bello Jud.* lib. IV, cap. VIII, § 4, « et in fructibus cineres renascentes, qui specie quidem et colore edulibus similes sunt, manibus autem decerptæ in favillam et cinerem resolvuntur.» Ii fructus vulgo vocantur *poma sodomitica*, quæ Hasselquistus in *Itiner. Palæst.* fructus esse perhibet *Solani melongenæ*, mala insana Auctorum, « quæ copiose, addit, inveni juxta Jericho, in vallibus prope Jordanem, haud longe a mari Mortuo. Quod pulvere intus repleta sint, verum est nonnunquam, sed non semper accidit, nempe in nonnullis, quod Tenthredine pungantur, quæ substantiam totam internam in pulverem redigit, et corticem solum egregie coloratum integrum reliquit.» Cf. *Sapient.* X, 7. Chateaubriand, laudatis aliorum Scriptorum sententiis: « Me voilà bien embarrassé, ait, car je crois avoir trouvé le fruit tant cherché: l'arbuste qui le porte croît partout à deux ou trois lieues de l'em-

RUM UVA FELLIS (*q. d.* Uvæ talis vineæ, id est fructus et opera Judæorum sunt fellea, amarissima et pessima. Hinc et) FEL DRACONUM VINUM EORUM, ET VENENUM ASPIDUM INSANABILE,— *q. d.* « Vinum,» id est doctrina ab iis tam impiis expressa et manans, quam ipsi aliis propinant, ut in eos sua scelera transfundant, est venenata et lethifera, velut fel draconum, et venenum crudele ac insanabile, quod omnes bibentes perdit et occidit.

Sic Isaias, cap. I, vers. 10, principes Judæorum vocat principes Sodomorum, et populum vocat populum Gomorrhæ. Sic *Ezech.* XVI, 3, Judæos impios alloquens, ait : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. » E contrario filii Abraham vocantur Gentiles, qui Abrahæ fidem et opera imitantur. Ita Procopius.

Apposite vir ille honestus, cum quidam ei objiceret familiam ignobilem, respondit : « Mihi probro est genus meum, tu autem probro generi tuo, » uti refert B. Gregorius Nazianzenus, orat. *in Nobilem male moratum.*

Paulo aliter hæc adaptat Abulensis : « Peccatum, inquit, consummatur in tribus : *primo*, in corde; *secundo*, in ore; *tertio*, in opere; ideo ponuntur hic tria, scilicet vinea, quantum ad primum; uva, quantum ad secundum; vinum, quantum ad tertium : et est ordo inter ista, quia ex vinea procedit uva, et ex uva vinum; sic ex peccato cordis procedit peccatum oris, et inde peccatum operis. »

Moraliter S. Gregorius, lib. IV in lib. I *Regum*, cap. IV : « Vinearum, inquit, appellatione mentis concupiscentiæ recte figurantur, quia reproborum corda inebriant, et a cognatione veritatis alienant. Ex Sodomorum quippe vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis mentem replet; quasi enim vineam facit, qui inde æterna obliviscitur, unde per concupiscentias ebriatur : et qui se quasi sub umbra vineæ, et amœnitate pravæ delectationis refrigerat, æterni sibi incendii retributionem parat; unde hujus vineæ fructus sunt uva fellis, et botrus amaritudinis; uva quippe in visu est, fel in sapore; visum oblectans, gustum amaricans : quia nimirum reprobæ menti valde placet quod concupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modo est dulce, amarescit. »

Vinum est venenum corporis et mentis.

Denique S. Ambrosius, lib. *De Elia et jejunio*, cap. XIV, vinum et ebrietatem hic ad litteram intelligit, notatque ea vocari venenum, non tam corporis, quam mentis.

Vers. 34.

34. NONNE HÆC CONDITA SUNT APUD ME, — *q. d.* Ne putetis quod ego temporis intervallo horum obliviscar : nam memoria istarum culparum, quæ significantur nomine vineæ, uvarum et vini, manet apud me abscondita, et alta mente reposta.

Vers. 35.

34 et 35. ET SIGNATA IN THESAURIS MEIS (*q. d.* Sicut ea quæ in thesauris sunt, id est diligenter clausa, ne aliquis ea surripere possit : ita omnia quæ Judæi agunt et agent, in secreto cognitionis, scientiæ et memoriæ meæ servantur, quasi obsignata, sigillata et clausa, ut suo tempore eadem puniam et ulciscar. Nam) MEA EST ULTIO, — *q. d.* Mihi competit, ad me pertinet ultio, meum est ulcisci, illudque non differam : quia instat dies perditionis vestræ et ultionis tempora.

Ex hoc loco Abbas Sisois in *Vitis Patrum* libro V, cap. XVI, *Patientia*, suasit monacho cuidam læso et volenti se vindicare, ut Deo relinqueret vindictam; cumque ille nollet, dixit : « Oremus, frater. » Et surgens dicit : « Deus, jam te opus non habemus cogitare de nobis, quoniam nos ipsi vindictam nostram facimus. » Hoc audiens frater cecidit ad pedes ejus, dicens : « Jam non contendo cum fratre illo; sed rogo, ignosce mihi. » Nostrum ergo est inimicis imprecari Dei non ultionem, sed benedictionem : Dei enim est ulcisci, *Psal.* XCIII : « Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis. »

Memorabile est quod de M. Bibulo viro amplissimo scribit Valerius Maximus, lib. IV, cap. I : « Hic, inquit, cum in Syria moraretur, duos egregiæ indolis filios suos, a Gabinianis militibus in Ægypto occisos cognovit. Quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum majus tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificesque sanguinis sui intactos e vestigio ad Cleopatram reduci jussit, dicendo potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere. » Itane Gentilis princeps privatæ injuriæ, ejusque gravissimæ ultionem resignat senatui, et Christianus eamdem non resignabit Deo suo?

UT LABATUR PES EORUM, — ut corruant in omnia mala et plagas, præsertim coram hostibus (1).

Vers. 36.

36. JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, — *q. d.* Juste ulciscetur et puniet Dominus peccata populi sui.

ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR. — Ubi eos puniverit, ipsique hac punitione ad Dominum reversi fuerint, tum rursum Dominus erga eos quasi servos suos misericordia flectetur.

VIDEBIT (enim) QUOD INFIRMATA SIT MANUS (id est robur, et potentia eorum, ita ut) CLAUSI (etiam in turribus) DEFECERINT (et pauci illi qui erant), RESIDUI (pene omnino) CONSUMPTI SINT. — Hebraice, *ki azelat iad*, id est, *quod abierit manus*, hoc est, quod sint sine manu, quod nihil possint, quod

bouchure du Jourdain; il est épineux, et ses feuilles sont grêles et menues; son fruit est tout-à-fait semblable en couleur et en forme au petit limon d'Egypte. Lorsque ce fruit n'est pas encore mûr, il est enflé, d'une sève corrosive et salée; quand il est desséché, il donne une semence noirâtre qu'on peut comparer à des cendres, et dont le goût ressemble à un poivre amer. »

(1) Pro *ut* alii vertunt, *tempore quo*, scil. *titubabit pes eorum;* nam *juxta est*, etc.

dissoluti sint viribus, et deficientes, ac si manibus truncati essent. Unde Septuaginta vertunt παραλελυμένους καὶ ἐκλελειπότας (1). Videns ergo hanc extremam miseriam eorum miserebitur. « Describitur enim hic tribulatio Judæorum, inquit Abulensis, ad modum civitatis, quæ ab hostibus obsidetur, in qua primo defendentes muros lassantur, et moriuntur; deinde capta civitate, illi qui in fortibus castris et turribus inexpugnabilibus se concludunt, fame et siti enecantur, » ac tandem imbelle vulgus reliquum capitur et consumitur.

Vers. 37. 37. ET DICET (Deus per Prophetas, quos mittet ad Judæos, ut resipiscant et ad Deum redeant) : UBI SUNT DII EORUM? — Ubi sunt idola vestra in quibus sperastis?

Vers. 38. 38. DE QUORUM VICTIMIS COMEDEBANT ADIPES; (insultando hoc dicit : nam in vero et ordinato Dei cultu, adeps omnis victimarum a nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat, ut patet *Levit.* III, 17; sic) ET VINUM LIBAMINUM (id est quod soli Deo libari et effundi debebat, ipsi sacrilege more Gentilium) BIBEBANT.

SURGANT ET OPITULENTUR VOBIS. — Est enallage personæ : transit enim a tertia ad secundam.

Vers. 39. 39. EGO OCCIDAM, ET EGO VIVERE FACIAM : PERCUTIAM, ET EGO SANABO. — Armachanus in *Quæst. Armen.* asserit se a quodam docto Hebræo accepisse, Hebræa punctanda esse passive hoc modo : אני אמת ואחיה מחצתי ואני ארפא *ani amat vaechia muchatsti vaani eraphe*, id est ego occidar et vivam, transfigar et sanabor; itaque scriptum est in codice conscripto manu Esdræ, qui Bononiæ apud Patres Dominicanos servatur : quasi hic sit prophetia de Christo, de eoque dicatur quod ipse a Judæis sit occidendus, mox a morte propria virtute resurrecturus, quasi dominus vitæ et mortis. Verum horum penes eum sit fides. Aliter enim legit Noster, Chaldæus et Septuaginta.

Vers. 40 et 41. 40 et 41. LEVABO AD COELUM MANUM MEAM (id est jurabo; ritus enim jurantium est, ut in altum manus elevent quasi vocantes in testem Deum qui in altis habitat, *q. d.* Ego Deus, quasi elata manu jurabo per me et per vitam meam, dicens) : VIVO EGO IN ÆTERNUM (uti homines jurant, dicuntque : Vivit Dominus), SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM, ET ARRIPUERIT JUDICIUM MANUS MEA (*q. d.* Cum præparavero gladium ultionis meæ, ut sicut fulgur luceat, terreat, ac citissime penetret, et ultrix potentia mea conversa fuerit ad faciendum judicium :) REDDAM ULTIONEM HOSTIBUS MEIS. — Cogita quam terribile sit, critque judicium Dei, præsertim extremum, quo damnati adjudicabuntur gehennæ. Audi S. Anselmum, lib. *De Miseria hominis* : « Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia; subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex; intus urens conscientia, foris ardens mundus. Justus vix salvabitur : peccator sic deprehensus, in quam partem se premet (2)? »

Vers. 42. 42. INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE (*q. d.* Sagittas meas omnino imbuam sanguine, scilicet) CRUORE OCCISORUM (ut sequitur) ET DE CAPTIVITATE NUDATI INIMICORUM CAPITIS, — id est cruore captivorum inimicorum, qui nudati sunt capitis, seu nudato capite, quasi victi et capti, ante victores hostes incedere coguntur (3).

Vers. 43. 43. LAUDATE, GENTES, POPULUM EJUS. — « Ejus, » scilicet Dei, *q. d.* O gentes, dum hæc intelligitis, laudate populum Domini, eo quod tam propitium et justum habeat Dominum; licet enim ipse eum ad tempus tradiderit hostibus impiis puniendum, tamen tandem ulciscetur, et rependet talionem hostibus ejus, ac miserebitur populi sui, ad se reversi (4).

Septuaginta paraphrastice ita vertunt, *lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum universi angeli Dei. Lætamini, gentes, cum populo ejus, et roborentur in eo omnes filii Dei : quoniam sanguinem filiorum ejus ulciscetur*, etc. Quod de Gentium vocatione pulchre explicat hic Theodoretus, *Quæst.* XLII; imo Apostolus, *Rom.* XI, 15 : quia sicuti ad litteram hisce verbis promittitur liberatio populi Dei a violentia hostium suorum, ita mystice promittitur liberatio futura per Christum, quæ tam Gentibus, quam Judæis præstita est.

Vers. 44. 44. VENIT ERGO MOYSES, ET LOCUTUS EST, etc., IN AURIBUS POPULI, — locutus est populo audienti et auscultanti. Est anacephalæosis; recapitulat enim hic Scriptura quod Moses hoc canticum audierit et didicerit a Domino in tabernaculo cap. præced., vers. 13 et 19, illudque deinde populo promulgarit.

Quærit S. Chrysostomus, in *Isaiæ* I, cur canticum hoc vocet canatque Moses, cum potius sit acris populi objurgatio; ac respondet, sapienter

(1) *Manus* hic est idem ac *robur, vires*. Totus locus ex hebr. sic verti potest, *nam judicabit*, castigabit *Jova populum suum, et* (postquam satis pœnarum dederit) *servorum suorum miserebitur : quando viderit evanuisse vires, nec superesse quemquam qui iis opem ferat*, proprie, *et deficere clausum* (mancipia) *et missum*, id est liberos (alii ex arabico loquendi usu, *connubio junctos et cœlibes*), *tunc dicet : ubinam sunt eorum dii, et rupes illa ad quam confugerunt*, etc.

(2) Versus 41 cum præced. jungi potest hoc modo : Non vivam in æternum, moriar, *nisi* acuero fulgur gladii mei, id est, gladium meum fulgurantem, etc. Alii, qui vertunt *si*, non *nisi*, duo priora versus membra protasin, duo posteriora apodosin constituere putant. *Judicium*, id est arma judiciorum et pœnarum.

(3) *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus vorabit carnem, sanguine confossorum captorumque, de capite principum hostium* : in quo versu jam Lowthus observavit, hoc cerni peculiare artificium, ut posteriora membra ad priora referenda sint alternatim hoc modo : Inebriabo sagittas meas sanguine, sanguine confossorum captorumque, et gladius meus vorabit carnem de capite principum hostium. Simile exemplum vide *Ps.* XXXIII, 13, 14.

(4) Maurer, *jubilate, gentes* (sic poetice vocantur tribus Israelis), *populus ejus*. Rosenmullerus, *ovate populi*, et *populus ejus*, id est, una cum populo Dei.

eum id facere; ut cantu leniat asperitatem objurgationis. Ex usu, ait, spiritalis sapientiæ, modulatione cantici dejectionem ei suffuratus est. Nimirum ars fuit boni pastoris animarum, quasi ad fistulam edulcorare ovibus amara pabula, quæ tamen noverat profutura saluti.

Vers. 46. 46. PONITE CORDA VESTRA IN OMNIA VERBA, (mentem apponite, et attendite ad omnia verba mea) QUÆ EGO TESTIFICOR (id est serio prædico) VOBIS, — in hac die qua moriar, adhibitis testibus, scilicet invocans cœlum et terram (1).

Vers. 48, 49 et 50. 48, 49 et 50. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN IN EADEM DIE, DICENS : ASCENDE IN MONTEM ABARIM, etc., QUEM CONSCENDENS JUNGERIS POPULIS TUIS. — Hinc satis colligitur Moysen, eodem die quo cecinit hoc canticum, conscendisse montem, ex eoque speculatum esse terram sanctam, ac mox vita esse defunctum.

Vers. 49. 49. ABARIM, ID EST TRANSITUUM. — Τὸ *transituum*, non est in Hebræo, sed ab Interprete explicationis gratia est additum; nam *Abarim* hebraice significat transitus in plurali : forte quia per eum pluribus viis ex Moab transibatur in Chanaan. Unde Chaldæus Interpres montem *Abarim* vertit, *montem transeuntium*. Rursum per hunc montem transivit Moses, non in Chanaan, sed ex hac vita in limbum, et inde in cœlum. Conscendamus et nos cum Mose sæpe montem Abarim, et transitum nostrum ex hac vita in alteram speculemur, quæ ibi nos domus exspectet, quis locus, qui cives, quod sæculum, quæ æternitas, discamusque mori et transire. Ita ascendit S. Basilius, sed Mose directius, de quo audi S. Gregorium Nazianzenum in ejus laudibus : « Cum autem cursu confecto, fideque servata resolutionis desiderio teneretur, tempusque coronarum appeteret, atque illud quidem non audisset : Ascende in montem, et morere; verum, Morere, et ad nos ascende; hic quoque miraculum edit superioribus nequaquam inferius. Nam cum ferme mortuus et inanimis esset, maximaque ex parte vita perfunctus, circa extremos sermones invalescit, ut cum pietatis verbis abscederet.

Specula transeuntium.

IN MONTEM NEBO. — Nebo erat jugum, vel cacumen montis Abarim.

Vers. 52. 52. E CONTRA, — e regione.

(1) Vers. 47. Sensus est : Non est hic sermo minoris momenti, quam ut eum perpendatis, quippe quæ est vita vestra.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses moriturus benedicit Israeli et singulis tribubus, eisque ventura prædicit.

1. Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israel ante mortem suam. 2. Et ait : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. 3. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt; et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. 4. Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob. 5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel. 6. Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero. 7. Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum; manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit. 8. Levi quoque ait : Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo quem probasti in tentatione, et judicasti ad Aquas contradictionis. 9. Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. 10. Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel, ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. 11. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus, et qui oderunt eum non consurgant. 12. Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. 13. Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente. 14. De pomis fructuum solis ac lunæ, 15. de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum; 16. et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi

inter fratres suos. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ ; hæ sunt multitudines Ephraim, et hæc millia Manasse. 18. Et Zabulon ait : Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis. 19. Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. 20. Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad ; quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem. 21. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus : qui fuit cum principibus populi et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel. 22. Dan quoque ait : Dan catulus leonis fluet largiter de Basan. 23. Et Nephtali dixit : Nephtali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini ; mare et meridiem possidebit. 24. Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum. 25. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. 26. Non est Deus alius ut Deus rectissimi : ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes ; 27. habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna : ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere. 28. Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore. 29. Beatus es tu, Israel ; quis similis tui, populе, qui salvaris in Domino ? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ : negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

Vers. 1. 1. HÆC EST BENEDICTIO, QUA BENEDIXIT MOYSES HOMO DEI FILIIS ISRAEL. — « Homo Dei, » id est amicus, propheta, legislator, doctor et princeps Dei. Vide dicta I *Timoth.* VI, 11.

Vers. 2. Fabula Judæorum. 2. DOMINUS DE SINAI VENIT, ET DE SEIR ORTUS EST NOBIS : APPARUIT DE MONTE PHARAN.—Judæi aliqui sic exponunt, *q. d.* Deus primo præsentavit legem suam Idumæis, qui habitabant in Seir, et erant de semine Isaac ; verum cum Deus pronuntiaret Decalogum, et pervenisset ad quintum præceptum : « Non occides, » dixerunt Idumæi : Nolumus istam legem, quia patri nostro dictum fuit : « Vives in gladio, » *Genes.* XXVII, 39. Deinde ivit Deus ad Ismaelitas, posteros Abrahæ, habitantes in Pharan ; cumque eis legeret præceptum sextum : « Non mœchaberis, » recusarunt et illi, dicentes, quod patri suo dictum esset eum valde debere multiplicari, *Gen.* XXI, 13. Unde tandem Deus venit ad Judæos in Sina, eisque Decalogum proposuit, qui eum avide acceperunt, hocque esse quod hic dicitur : « De Seir ortus est nobis ; » quis non rideat nugones et fabulones istos?

Deus apparuit in Sina, Seir, et Pharan, quando ? Sensus ergo est, *q. d.* Dominus de Sina venit ad nos (1), dum inde nobis legem dedit et promulgavit, *Exodi* XIX et XX. *Secundo,* in monte Seir, quasi sol quidam nobis exortus est, cum multis morsu ignitorum serpentum vulneratis, serpentem æneum erigi jussit, quem qui aspicerent, sanarentur, *Num.* XXI. Hoc enim contigisse eo tempore, quo Hebræi circumierunt montem Seir, sive Idumæam, colligitur *Deut.* I, 49, et cap. II, 28. *Tertio,* in monte Pharan apparuit nobis, dando coturnices, et judices 70 constituendo, *Num.* XI.

Huc allusit Habacuc, cap. III, vers. 3, dum ait : « Deus ab Austro (ab Idumæa, quæ Judææ est Australis) veniet, et sanctus de monte Pharan, » *q. d.* Filius Dei, qui in monte Pharan et Seir Judæis apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, ad nos veniet manifestus, dum carnem nostram assumet.

Ubi nota : Sina, in quo data est lex vetus, fuit typus Sionis, in qua promulgata fuit lex nova in Pentecoste ; in Seir serpens æneus, fuit typus crucis Christi : Pharan, ubi 70 judices impleti sunt spiritu Dei, fuit typus missionis Spiritus Sancti in Apostolos, et septuaginta discipulos Christi.

Allegorice. Imo S. Augustinus hæc prophetice ad litteram de Christo intelligit. Sina enim, inquit, hebraice idem est quod tentatio (si videlicet per metathesin a radice נשה *nasa,* id est tentavit, derivetur). Venit ergo Dominus, puta Christus, ex Sina, id est ex tentatione passionis et mortis. *Secundo,* Seir, id est pilosus, significat peccatorem. Christus ergo illuxit ex Seir ; quia sedentibus in tenebris et umbra mortis lux orta est per Christum, vel ex Seir, id est ex Gentibus peccatricibus : in his enim claruit prædicatio et gratia Christi. *Tertio,* festinavit Christus ex monte Pharan, id est fructifero, hoc est Ecclesia, cum multis millibus Sanctorum, qui per Christum sanctificati sunt, cum quibus venit, id est veniet, Christus ad Israelitas in fine mundi colligendos et convertendos. Verum hic sensus potius allegoricus est, quam litteralis.

ET CUM EO SANCTORUM MILLIA, — puta millia angelorum, qui Deo semper adstant et ministrant, *Daniel.* VII, 10. Rabbini per *sanctos* accipiunt Prophetas, et doctores qui condiderunt Thalmud ; eo quod hi suum Thalmud, illi suas prophetias,

(1) Pro *nobis,* in hebr. est *ils,* scil. Israelitis, qui infra vers. 3 et 4 designantur.

tum a Domino acceperint; omnes enim ipsorum animas jam tum exstitisse et fuisse cum Deo in Sina. Ita fabulones isti suis fabulonibus per suas fabellas applaudunt (1).

IN DEXTERA EJUS IGNEA LEX. — Dicitur Deus in Sina dextera sua quasi portasse, et tradidisse legem igneam, quia eam dedit cum ignibus et fulgetris intermicantibus, idque ad terrorem Hebræorum, *Exodi* XIX, 18 (2). Porro Cajetanus hæc ita explicat, ut non Deus ipse legem portet, sed ad majorem pompam portaretur a ministris, puta ab angelis, prope dexteram ejus liber legis et ignis, ut per hoc significaretur Deum per legem judicaturum et per ignem puniturum legis violatores. Unde et pro *Dominus*, hebraice est *Elohim*, id est judex.

Lex ignea est lex nova amoris.

Allegorice, hæc lex ignea significabat legem novam, quæ est amoris, de qua Christus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » *Lucæ* cap. XII, 49. Hinc tropologice S. Gregorius, hom. 40 *in Evang.* : « Dextera, inquit, Dei appellantur electi : in dextera ergo Dei est ignea lex, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. »

Vers. 3.

3. DILEXIT POPULOS, OMNES SANCTI IN MANU ILLIUS SUNT. — « Populos, » id est tribus duodecim Israel : hæ enim vocantur populi et gentes, *Gen.* XLVIII, 19, *q. d.* Ideo Deus dedit legem suam vobis qui estis populus Dei, quia vos diligit; hinc etiam omnes sancti, id est ejus cultui dicati, quales estis vos, in manu, id est potestate et gubernatione, Dei sunt.

ET QUI APPROPINQUANT (hebraice est תכו *tuccu*, id est qui medii facti sunt, vel inserti sunt : תוך *toch* enim significat medium) PEDIBUS EJUS (id est, qui discipuli ejus sunt, qui eum audiunt, ejusque pedes et vestigia sequuntur. Discipulorum enim est sedere ad pedes, vel inter pedes magistri. Sic Paulus, *Actor.* XXII, 3, ait se educatum ad pedes Gamalielis; hi) ACCIPIENT DE DOCTRINA EJUS, — scilicet Dei (3).

Sedere ad pedes est esse discipulum.

Vers. 4.

4. LEGEM PRÆCEPIT NOBIS MOYSES. — Loquitur Moses de se in tertia persona, quasi de alio, ut se ostendat, velut unum de populo, obligatum esse hac sua, imo Dei lege, uti boni et humani legislatores facere solent.

Lex vocatur *hæreditas*

HÆREDITATEM MULTITUDINIS JACOB; — est appositio : legem enim vocat hæreditatem, quia æque ut hæreditas transmittenda erat ad posteros; vel quia hæreditas terræ sanctæ data erat Hebræis sub hac conditione, si servarent legem Dei; vel denique, quia eis ita chara esse debebat, uti chara est hæreditas. ob tres causas.

Vers. 5.

5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX (*q. d.* Apud Israelem, quamdiu rectus et probus permanebit, rex erit lex Dei; vel potius Deus regens eos per legem, sine alio rege, idque) CONGREGATIS PRINCIPIBUS POPULI CUM TRIBUBUS ISRAEL, — id est quamdiu principes cum populo unanimes erunt, et conspirabunt, viventque secundum legem Dei. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Hinc a rectitudine hac desciscentibus Judæis, et petentibus regem, non Deum, sed hominem, queritur Deus apud Samuelem, aitque : « Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, » I *Reg.* VIII, 7.

Alii putant hic esse prophetiam de rege Saule, et post eum Davide creando; sed huic expositioni non consonat vox *rectissimi*. Alii ad Mosen hæc referunt, quod ipse fuerit quasi rex Hebræorum : sed repugnat vox *erit*; jam enim transierat ducatus Mosis, eratque ipse in limine mortis (4).

Vers. 6. Benedictio Ruben.

6. VIVAT RUBEN, ET NON MORIATUR, ET SIT PARVUS IN NUMERO, — *q. d.* Non moriatur penitus, neque deficiat unquam posteritas et tribus Ruben, videlicet ob peccatum incestus, quod ipse in patrem admisit : ob hoc enim exscindi et deleri merebatur. Verum in gratiam patris, avi et abavi, mitigavit hanc pœnam Deus, effecitque ut parva tantum esset in numero : illud idem prædixit Jacob pater Ruben, *Gen.* XLIX, 4 : « Effusus es, inquit, sicut aqua (per libidinem et incestum), non crescas. » Nota hic : congrua et justa pœna libidinis, et præsertim incestus, est imminutio, imo exstinctio familiæ. E contrario Ephraim, qui Ruben hac parte in primogenitura successit, valde multiplicatus est, ut patet *Genes.* XLVIII, 19.

Libidinis pœna est extinctio familiæ.

Omittitur Simeon, cur?

Nota : Moses jam moriturus hic morem patriarcharum imitatur, atque populo suo, cujus dux et quasi pater fuerat, benedicit, et prophetice statum cujusque tribus futurum prænuntiat.

Omittit autem Simeonem, secundogenitum Jacobi filium; nam quod Septuaginta ejus nomen hic interjiciunt, vertuntque, *et sit Simeon multus in numero*, omnino verisimile est Simeonis nomen vitiose hic irrepsisse; nam illud non habent Hebræa, Chaldæa et Noster : imo nec S. Ambrosius, Procopius, Apollinarius, Diodorus, Epiphanius et Theodoretus, qui sequi solent Septuaginta : unde nomen Simeonis hic omittitur in editione Romana Septuaginta quam edidit Caraffa.

Porro, quod Septuaginta vertunt, *sit multus in numero*, cum Noster contrarie vertat, *sit parvus in numero*, inde accidit quod Hebræa habeant, *et sit virorum ejus numerus*, quod Septuaginta sic acce-

(1) Hebr. est, *venitque e myriadibus sanctitatis*, sanctis, id est, e sede sua cœlesti, ubi myriades angelorum thronum ejus circumstant.

(2) Vocibus hebræis, quas plerique cum Vulgato vertunt *ignea lex*, scil. lex data media inter fulgura, Gesenius *columnam ignis*, quæ Israelitis per Arabiæ deserta iter facientibus præiret, significari existimat, vertitque, *ad dexteram ejus ignis* qui *lex*, legi esset *iis*, Israelitis.

(3) In hebr. est, *et illi strati sunt*, procubuerunt *ad pedes tuos*, ad montis Sinai radices, legem accepturi, et unusquisque, vel populus *accepit de eloquiis tuis*, leges tuas.

(4) *Estque apud Israelem* (conf. notat. supra XXXII, 15) Deus *rex, cum congregarent se*, etc. scil. eo die quo lex a Deo data est, unde ille *dies congregationis* vocatur supra X, 4; XVIII, 16. Cf. *Ex.* XIX, 7, 17.

perunt, *q. d.* Sit ingens eorum numerus (1), cum Noster contrarium, scilicet *parvus* intellexerit, nimirum secutus Hebræam phrasin, qua *viri numeri* vocantur viri pauci.

Chaldæus anagogice ita vertit, *vivat Ruben in vita æterna, et non moriatur morte secunda, et accipiant filii ejus hæreditatem suam, juxta numerum eorum.*

Prima causa. Causa vero cur Moses omiserit Simeonem, est, quod hæc tribus paulo ante fornicatione et idololatria Beelphegor contaminata, ideoque valde a Deo punita et occisa fuisset, idque in aliorum exemplum, uti dixi *Num.* XXVI, 12. Ita Abulensis, Pererius et alii (2).

Secunda. Aliam causam dat Theodoretus, *Quæst.* ult., videlicet, quod Simeon auctor fuisset insidiarum, quas fratres struxerunt Joseph: qua de causa Simeonem præ aliis fratribus Joseph vinctum detinuit, *Genes.* XLII, 25.

Sed eodem argumento, nec Ruben benedici debuisset, ob incestum ab eo admissum.

Vers. 7. Benedictio Judæ. 7. HÆC EST JUDÆ BENEDICTIO : AUDI, DOMINE, VOCEM JUDÆ, — id est, ut Chaldæus, *suscipe, Domine, orationem Judæ, cum egressus fuerit ad bellum, et ad populum suum introduc eum,* id est robur contra hostes illi da, ut suam terræ sanctæ partem et sortem victor obtineat (3). Minus ergo recte exponit Lyranus sic, *q. d.* Introduc Judam post mortem in limbum, ut ibi jungatur patribus suis et populo suo : sequitur prophetia de Juda.

MANUS EJUS PUGNABUNT PRO EO, — *q. d.* Judas pugnabit pro populo Israel, ut dux belli et princeps tribuum : id ita factum esse patet *Judic.* I, 2. Hac de causa Moses præponit hic Judam Levi, qui tamen Juda erat senior. Ita Abulensis (4).

ET ADJUTOR ILLIUS CONTRA ADVERSARIOS EJUS ERIT, — scilicet Deus, ut patet ex Chaldæo et Septuaginta, qui vertunt *eris*, scilicet *Domine*; hunc enim initio versus compellavit Moses, dicens : « Audi, Domine, » etc.

Vers. 8. Benedictio Levi. 8. LEVI (5) QUOQUE AIT : PERFECTIO TUA ET DOCTRINA TUA VIRO SANCTO TUO (scilicet competit et debetur; hebraice est, *tummim tui sunt, tui sunt urim, viri* videlicet *pii tui*, puta Aaronis), QUEM PROBASTI IN TENTATIONE (qui locus hebraice dicitur *massa, Exodi* XVII, 7), ET JUDICASTI AD AQUAS CONTRADICTIONIS, — *Num.* XX, *q. d.* Tuæ sunt, o Levi, tibique datæ sunt vestes sacerdotales, ac consequenter ipsum sacerdotium; vestes, inquam, ephod et rationale, quibus inscriptum est *urim* et *tummim*, id est illuminatio sive doctrina et integritas sive perfectio vitæ, quibus fulgere, populoque prælucere debet sacerdos, de quibus dixi *Exodi* XXVIII, 30; unde Chaldæus clare vertit, *urim et tummim*, id est perfectione et doctrina, *induisti virum, qui inventus est sanctus coram te.*

Porro, hæc Levi data sunt, quia data sunt Aaroni, prognato ex tribu Levi, qui fuit vir pius et sanctus, nisi quod peccarit, cum eum, o Domine, probasti et judicasti, id est condemnasti, ne ingrederetur terram promissionis : id factum est ad Aquas contradictionis, *Num.* XX, 12.

Aliter hæc explicat Abulensis, *q. d.* Tu, Domine, perfectionem vitæ et integritatem legis ac doctrinæ dedisti viro sancto, id est Mosi, qui fuit oriundus ex Levi, ut eamdem populo, sed maxime Levitis suis communicaret. Verum ex Hebræo patet priorem sensum esse genuinum.

Vers. 9. Zelus Levitarum. 9. QUI DIXIT PATRI SUO ET MATRI SUÆ : NESCIO VOS; ET FRATRIBUS SUIS : IGNORO VOS; ET NESCIERUNT FILIOS SUOS, — *q. d.* Levi, id est Levitæ in punitione idololatrarum, puta adorantium vitulum aureum, *Exodi* XXXII, 28, non sunt miserti amicorum et cognatorum, ac fratrum et filiorum suorum; sed occiderunt eos, æque ac alios, perinde ac si eos non novissent, imo non vidissent, vel aspexissent, ut habent Hebræa.

Putat Abulensis τὸ *patri* et *matri* hic addi per exaggerationem; nec enim ullum Levitam occidisse patrem, vel matrem, eo quod nullo casu aut crimine liceat filio occidere patrem vel matrem, utpote auctores vitæ suæ, nisi Deus expresse hoc mandet; fratres autem saltem ex altero parente genitos, item filios suos occidisse : nam ob crimen idololatriæ licebat occidere filios, ut patet cap. XIII, vers. 6 et 10.

Levitæ occiderunt vere patres et matres Verum æque, imo magis et *primo*, dicitur hic de patre et matre, quam de fratribus et filiis, quod eos in cæde illa idololatrarum non respexerint Levitæ, nec miserti sint eorum, ut vertit Chaldæus; unde videntur ipsi sine discrimine omnes noxios, etiam patrem et matrem occidisse : hoc enim jussu mandaverat eis Moses, *Exodi* XXXII, 27; licet enim ibi non exprimatur pater et mater, sed tantum frater, amicus et proximus, tamen ex hoc satis colligitur Mosen nominasse etiam patrem et matrem; aut certe Levitas mandatum Dei de occidendis vituli cultoribus, recte ex zelo suo ita interpretatos esse, ut etiam patrem et matrem complecteretur.

HI CUSTODIERUNT ELOQUIUM TUUM, ET PACTUM TUUM SERVAVERUNT, — puta pactum cum Deo initum *Exodi* XXIV, 8.

Vers. 10. 10. JUDICIA TUA, O JACOB, ET LEGEM TUAM, O ISRAEL. — Hebraice est, *hi docebunt judicia tua Jacobum, et legem tuam Israelem.* Noster Interpres non legit in Hebræo τὸ יורו *ioru*, id est docebunt, et forte hoc irrepsit, ut pro יְצוּרוּ *iintsoru*, id est

(1) Ita et Ewald, sed contra linguæ hebr. usum.

(2) Addit Allioli, Simeonis tribum fuisse hic omissam, quia futurum erat, ut Simeonitæ numero ita imminuerentur, et cum Judæis, in quorum parte agri siti erant, ita coalescerent, ut propriam et distinctam tribum non amplius constituerent.

(3) Vel, salvum et incolumem eum reducas e bello ad suos.

(4) Proprie, *manus ejus* quod attinet, *pugnet* Juda iis *sibi.*

(5) Hebr. est *de Levi dixit.*

servaverunt, quod præcessit, aliqua exemplaria per *keri uketif*, ad marginem legerint *ioru*, quod postea ad *iintsoru* in textu sit additum; nam sine *ioru* sensus consistit. Est enim appositio, *q. d.* Levitæ servaverunt pactum tuum, quod non est aliud, quam judicia, id est præcepta et leges tuæ.

Posset *secundo*, retinendo τὸ *ioru*, Noster cum Hebræo recte conciliari, si *ioru*, esto sit futurum, pro præterito accipias, uti accepit Vatablus et alii: præcesserunt enim præterita; tunc enim sensus erit: Levitæ docuerunt judicia tua, o Domine, Jacobum, videlicet hoc ipso quo servaverunt pactum tecum initum, et pacti hujus violatores ulti sunt: tunc enim ipso facto ostenderunt et docuerunt quam rigide judicia, id est leges tuæ servandæ sint.

Merces zeli Levitarum.

PONENT THYMIAMA IN FURORE TUO (hebraice est באפיך *beappecha*, quod *secundo* verti potest, *in naribus tuis* (1)), ET HOLOCAUSTUM SUPER ALTARE TUUM. — Vatablus rursum pro *ponent*, vertit *posuerunt*. Sensus enim est: ob hunc Levitarum zelum, tu, Domine, eos in sacerdotes delegisti, qui scilicet tibi obtulerunt, offerunt, offerentque deinceps semper thymiama et holocausta.

Morale de zelo.

Vide hic quanti Deus faciat, quamque præmiet zelum et zelosos. Est enim ipse zelotes et ignis consumens. » « Angeli quoque, inquit S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, « sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. » Denique angelo Laodiceæ dicitur *Apoc.* III, 15 : « Scio opera tua : quia tepidus es, et nec frigidus es, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. » Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. Zelus, Dei vita est. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cœlum est : « Zelans, inquit, zelavi Dominum. » Zelum habuit Mathathias, et ideo adeptus est gloriam et imperium gentis suæ. Zelum habuit Moses percutiens Ægyptium opprimentem Hebræum, et recte : « Zelus enim purgat facinus. » Ex zelo clamat rex David, *Psal.* CXVIII, 139 : « Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei. » Et *Jerem.* IX, 1 : « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? » Christus ex zelo videns civitatem Jerusalem flevit super eam. Paulus : « Æmulor, inquit, vos Dei æmulatione; » et : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » Zelum S. Stephani vide *Actor.* cap. VI et VII. Zelabat sponsa in *Cant.* : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo; » et sponsus : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. » Zelum Moses præcepit Levitis, dicens *Exod.* XXXII, 26 : « Si quis est Domini, jungatur mihi, et occidat unusquisque fratrem et amicum suum; » et Christus nobis : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » et : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, etc., adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. »

Zelus purgat facinus.

Zelus hic necessarius est Prælato : hinc Deus in Ecclesia veteri præfecit Mosen; in nova, Petrum et Paulum, ob zelum. In republica veteri regem constituit Davidem, dicentem *Psal.* LXVIII, 10 : « Zelus domus tuæ comedit me; » in nova, Constantinos, Theodosios, Carolos, Bullonios, zelo fidei ardentes. Zelus S. Antonii compescuit Arianos, Aphraatis Valentem Imperatorem : historiam vide apud Theodoretum, lib. IV *Hist.* cap. XXIV. De zelo S. Francisci vide Bonaventuram in ejus Vita, lib. I, cap. IX. Hunc zelum maxime acuit cogitatio æternitatis. Quis enim contra peccata non zelet, si cogitet illud : « Momentum quod delectat, æternum quod cruciat? » Quis pro felici æternitate sibi aliisque assecuranda, labores omnes, dura omnia non ambiat? Hoc cogitent, hoc faciant Prælati et sacerdotes, quos decet esse satores æternitatis.

Vers. 11.

11. BENEDIC, DOMINE, FORTITUDINI EJUS. — Prophetia est per modum orationis de Machabæis, prognatis ex Levi; unde Hebræa sic vertas, *benedic, Domine, exercitui ejus, et accepta sint tibi opera manuum ejus*, bella videlicet, quæ contra hostes tuos gesturus est Levi, per Machabæos; ita Abulensis.

Nota : *Fortitudo* hic vocatur *primo*, fortis et invictus animus, quo Levitæ propter Deum truncarunt affectum erga parentes et fratres; *secundo*, fortis et strenua vindicta, quam exercuerunt in adorantes vitulum aureum; *tertio*, fortitudo bellica, quam contra Antiochum et alios hostes Machabæi ostensuri erant; hanc enim significat Hebræum חיל *chail*; inde enim milites et viri strenui vocantur אנשי חיל *anse chail*.

Vers. 12. Benedictio Benjamin.

12. ET BENJAMIN AIT. — Post Levi benedicit Benjamin, quia in ejus sorte ædificandum erat templum, in quo sacerdotes et Levitæ erant posituri thymiama et holocausta (2).

AMANTISSIMUS DOMINI. — Quia sicut Jacob dilexit suum Benjamin, ita et Deus; unde *primo*, sceptrum et potestatem regiam illi in Saule (hic enim fuit ex tribu Benjamin) tribuit. *Secundo*, in sorte Benjamin, puta in Jerusalem, ædificari voluit templum.

Mystica Benjamin est S. Paulus.

Mystice, hæc omnia competunt S. Paulo, qui fuit ex tribu Benjamin. Ita Rabanus, Rupertus et S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.* cap. ult.

HABITABIT CONFIDENTER IN EO, — Deo suo scilicet, *q. d.* Benjamin in sua sorte habitabit sine timore : quia habebit Deum secum in templo et

(1) *Tertio*, et melius, *ante faciem tuam*, id est, tibi suffitum offerent.

(2) In hebr. est, *de Benjamin*. Præfixum ל non est hic dativi nota. Idem animadverte in vers. 13, 18, etc.

habitaculo suo, in eoque secure conquiescet, et quasi habitabit. Causam subdit : quia scilicet Deus est in Benjamin, puta in templo suo.

QUASI IN THALAMO TOTA DIE MORABITUR, ET INTER HUMEROS ILLIUS REQUIESCET. — Est hebraismus : *inter humeros*, id est, in medio tribus Benjamin ; nam quod est inter humeros, est in medio. *Secundo*, per humeros alludit ad situm templi, quod erat in sublimi parte montis Moria, non tamen in ejus vertice, sed, ut placet Hebræis, 24 cubitis infra ejus apicem, uti humeri sunt infra caput, et supra reliquum corpus. Ita Pererius in *Gen.* XLIX, 27. Vatablus hæc vertit optative sic, *sit integens eum tota die, et inter humeros ejus habitet*, q. d. Utinam Dominus habitet in medio Benjamin, et protegat eum omni tempore! Atque hac de causa tribus Benjamin fuit robustissima, utpote a Deo suo adjuta et roborata, ut patet *Judic.* XX, 16. Cajetanus hæc refert ad Benjamin, q. d. Ipse Benjamin requiescat inter humeros Dei, imo in ipso Deo, quasi in thalamo suo. Sed prior sensus est convenientior, ut non Benjamin, sed Deus hic intelligatur, quasi verbi suppositum, illudque exigunt Hebræa (1).

Tribus Benjamin fuit robustissima, a templo suo.

Vers. 13. Benedictio Joseph.

13. JOSEPH QUOQUE AIT. — Joseph erat frater senior Benjamino : hic duas habuit proles et tribus, scilicet Ephraim et Manasse, quibus nomine patris sui Joseph hic benedicit Moses (2).

DE (id est *in*) BENEDICTIONE DOMINI TERRA EJUS, — q. d. Benedicta a Domino erit terra Joseph; patet ex Hebræo.

DE POMIS COELI, — id est in pomis, quæ cœli, solis et lunæ influxu nascuntur, erit benedicta terra Joseph, copiamque habebit pomorum, roris et frugum : præpositio enim *de* hic et in seq. capitur pro *in* ; sic enim Hebræi sæpe *beth* præpositionem cum *in* commutant.

ATQUE ABYSSO SUBJACENTE, — q. d. Terra Joseph, scilicet quam occupabunt Ephraim et Manasse, erit benedicta ob fontes, e terra inferne jugiter scaturientes, instar abyssi, sicut superne benedicta erit ex cœli, solis, lunæ et siderum influentia.

15. DE VERTICE ANTIQUORUM MONTIUM, — q. d. Quæ poma nascentur in vertice montium priscorum, sive cacuminum æternorum, id est qui fuerunt ab initio mundi ; hoc enim est quod hythmice explicans subdit : « De pomis collium æternorum. » Innuit Moses hos colles ab initio mundi fuisse fertiles et pomiferos. Hasce benedictiones dedit et Jacob pater Josepho, *Genes.* cap. XLIX, vers. 26. Vers. 15.

16. BENEDICTIO ILLIUS (Dei) QUI APPARUIT (Mosi, *Exodi* III, 2) IN RUBO, VENIAT SUPER CAPUT JOSEPH, ET SUPER VERTICEM NAZARÆI INTER FRATRES SUOS. — Nominatur hic Deus apparens in rubo, quia sicut Deus in rubo apparuit soli Mosi, in loco deserto, eumque ducem populi constituit : ita Ahias propheta solum Jeroboam (qui erat ex Ephraim et Joseph) allocutus est, eique regnum decem tribuum prædixit, et quasi consignavit, III *Reg.* XI, 29. Benedictio ergo Dei, qui Mosi apparuit in rubo, manifestanda per Ahiam prophetam, et ventura super caput et verticem Joseph, fuit corona regia ; unde Septuaginta vertunt, *qui super verticem glorificatus est in fratribus*. Idem innuunt Hebræa et Noster, dum explicando subdunt : « Et super verticem nazaræi inter fratres suos ; » meritum enim Joseph, quo tribui suæ meruit hanc coronam, insinuatur, cum ipse vocatur nazaræus inter fratres suos : eo enim quod Joseph a fratribus fuit venditus et separatus, meruit inter eos principatum et regnum in posteris suis. Ita Cajetanus. Vers. 16

Nota : Joseph fuit nazaræus, id est separatus. *Primo*, quia sanctus erat inter fratres ; *secundo*, quia venditus fuit in Ægyptum, separatus, claususque in diuturno carcere ; *tertio*, quia in carcere mansit intonsus, comamque ut nazaræus aluit, quæ postea, cum ex eo eductus est, ei attonsa fuit, *Genes.* XLI, 14. Ita Rupertus. *Quarto*, quia ob hæc separatus et exaltatus fuit ad principatum in Ægypto apud Pharaonem. *Quinto*, quia ob hæc eadem separandus et evehendus erat in posteris suis ad coronam regiam. *Sexto*, quia hæc corona ei obtigit, quando Israel, id est decem tribus separarunt se a domo David, et a duabus tribubus, puta Juda et Benjamin, constituendo sibi pro Roboam, proprium regem Jeroboam, qui erat de tribu Joseph. Ita Cajetanus. Nazaræus fuit Joseph sextupliciter. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

17. QUASI PRIMOGENITI TAURI (Hebraice שור *schor*, Chaldaice תור *tor*, unde Græcum et Latinum taurus) PULCHRITUDO EJUS (quia videlicet Joseph ob pulchritudinem, ab hera sua velut lasciviente vacca, ceu taurus juvenculus, formosus, et inter cæteros egregius, ad stuprum appetitus est ; quia vero ipse ejus libidini fortiter restitit, hinc de eo subditur) : CORNUA RHINOCEROTIS CORNUA ILLIUS (inquit Rupertus. *Secundo*, et aptius, q. d. Sicut primogenitus tauri vitulus est pulcher, torosus, robusto et magno corpore, quia robur est patris, Vers. 17. Joseph juvencus. Ejus cornua ?

(1) Hebræa vertenda sunt, *proteget Jova eum quotidie, et inter humeros ejus*, id est, in finibus, agris Benjaminis, vel, in montibus ejus (Sion et Moria, quorum uni impositum fuit templum Jovæ), *habitabit* Jova. Alii, ut singula membra et vocabula melius sibi respondeant, in toto commate unum idemque subjectum, *Benjaminem*, esse statuunt, et suffixum semper ad Jehovam referunt, hoc sensu, *Benjamin quasi in portu* (חוף vel חף est *ora, littus*) *erit apud eum*, Jovam, *et inter humeros ejus habitabit*, id est, in umbra alarum ejus.

(2) Vers. 13, 14, 15. *Benedicta a Domino sit terra ejus munere eximio cœli, rore et fluctu infra residente; munere eximio proventum solarium*, i. e. fructuum, qui intra solarem periodum seu annum maturescunt, ut vinum, hordeum (alii aliter), *et munere eximio fructuum lunarium*, i. e. fructum, qui singulis mensibus nascuntur, ut fœnum, olera ; *bonis præstantissimis*, ut vitibus, pascuis, *montium antiquorum, et munere eximio collium æternorum*, talium, qui tabida non consumuntur vetustate, temporisque robori fortiter resistunt perpetuo idem manentes ראש vers. 15, id est *præstans* : conf. *Cant.* IV, 14.

in quo scilicet gignendo et formando taurus primam omnemque suam vim exseruit : ita et tribus Joseph, puta Ephraim, erit fortissima, habebitque bellicas acies et cornua, ita valida, uti sunt cornua rhinocerotis, quibus) VENTILABIT (id est exagitabit, profligabit, et quasi in ventum disperget) GENTES (hostiles) USQUE AD TERMINOS TERRÆ, — scilicet suæ, et sibi vicinæ, puta Palæstinæ et Syriæ ; est hyperbole (1).

Nota *primo* : Josephum comparat tauro, *primo*, quia ipse ob agriculturam servatam, et bene provisam, colendus erat in Ægypto ; et illius sepulcrum exornandum erat simulacro bovis, qui agriculturæ est symbolum ; vide dicta *Gen.* XLI, in fine. *Secundo*, quia posteri ejus reges futuri alios superaturi erant robore et magnitudine, sicuti taurus præcellit armentum. Sic Homerus Agamemnonem comparat tauro : est enim taurus symbolum regis, ut docet Diogenes, *orat.* 2 apud Dionem.

Nota *secundo* : Dicit *cornua*, non cornu *rhinocerotis*, quia rhinoceros, præter unum cornu aduncum, quod habet in naribus, aliud habet cornu parvum supra nasum, sed validissimum, uti ex Pausania, Eucherio, Pierio, et Lusitanorum experientia docet Raderus noster in lib. I Martialis, *De Spect.*, epigr. 22. Hinc hebraice vocatur ראם *reem*, a radice *raam*, id est exaltavit, eo quod cornu in altum tollat, vel motu ad feriendum, vel potius quod fortitudine et robore, cornu suum super omnium animalium cornua exaltet, hoc est validius potentiusque esse demonstret. Quocirca Psaltes, *Psalm.* XCI, 11 : « Exaltabitur, ait, sicut unicornis (hebraice *reem*, quod alii vertunt *naricornis* vel *rhinoceros*) cornu meum, » *q. d.* Sicut reliquorum animalium cornua robore, pulchritudine ac soliditate, a cornu rhinocerotis superantur : ita super omnium regum et gentium vires et regna, meum regnum et dominatus exaltabitur et crescet. Ita Vilalpandus in *Ezech.* XXVII, part. 21.

Allegorice, Joseph est Christus, cornua sunt crux.

Allegorice Joseph nazaræus, et a fratribus venditus, significat Christum nazaræum a Juda et Judæis suis venumdatum, et Pilato mortique traditum. Pulchritudo ejus est ut tauri : quia Christus aliis mansuetus est, ut salvator ; aliis sævus ut judex, instar tauri. Cornua ejus sunt cornua crucis : qua cruce ipse nunc per fidem ventilat omnes gentes, eas sibi subjiciens, credentesque et Sanctos a terra in cœlum transferens, et in fine mundi incredulos omnes et reprobos ventilabit per judicium et sententiam condemnationis dispergens, et deturbans eos de terra in infernum. Ita Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. X ; Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.* cap. XI ; Augustinus, *Quæst.* LVI ; Rabanus hic, et Justinus *Contra Tryphon.*, pag. 70, ubi docet monocerotis (sic enim ipse legit cum Septuaginta qui passim pro rhinocerote vertunt, *monocerotem*, id est unicornem) cornua gerere typum et similitudinem crucis. Vide dicta *Numer.* XXIII, 22. Audi Tertullianum, cum enim citasset hunc *Deuter.* locum, subdit : « Non utique rhinoceros destinabatur unicornis, nec minotaurus bicornis ; sed Christus in illa significabatur, taurus, ob utramque dispositionem, aliis ferus ut judex, aliis mansuetus ut salvator : cujus cornua essent crucis extima. Nam et in antenna navis, quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur : unicornis autem medii stipitis palus. Hac denique virtute crucis, et hoc more cornutus universas gentes, et nunc ventilat per fidem, auferens a terra in cœlum, et tunc ventilabit per judicium, dejiciens de cœlo in terram. »

Vers. 18. Benedictio Zabulon.

18. ET ZABULON AIT : LÆTARE, ZABULON, IN EXITU TUO, — puta in portubus, navigationibus et profectionibus ad negotiationes tuas. Habitabant enim Zabulonitæ in littore maris Mediterranei. Vide dicta *Genes.* XLIX, 13.

Benedictio Issachar.

ET ISSACHAR IN TABERNACULIS TUIS, — quia Issachariani, non mercimoniis, sed agriculturæ domi suæ quiete erant vacaturi.

Vers. 19.

19. POPULOS VOCABUNT AD MONTEM (*q. d.* Issachar et Zabulon tum verbo : erant enim ex eis doctores ; tum exemplo suo, invitabunt alias tribus ad templum in monte Sion, ut in eo pie et religiose Deum adorent et colant, ibique sacrificabunt) VICTIMAS JUSTITIÆ (id est legitima et justa, quæ lege Dei præscripta sunt. *Secundo*, « justitiæ, » id est, ex opibus non inique, sed juste partis, ait Cajetanus), QUIA (ut sequitur) INUNDATIONEM MARIS QUASI LAC SUGENT (*q. d.* Quia merces et opes quaslibet per undas maris navibus importatas accipient), ET THESAUROS ABSCONDITOS ARENARUM, — puta gemmas, aurum et metalla, quæ e terra eruuntur (hæc enim arenis immiscentur et occultantur, quasi thesauri), per mare advecta accipient. Septuaginta vertunt, *divitiæ maris lactabunt te, et emporia maritima habitantium ;* vel, ut Theodoretus legit, *divitias maris sugent, et mercaturam habitantium juxta mare ;* Onkelos, *facultatem populorum comedent, et thesauri, qui absconditi sunt in arena, revelabuntur eis* (2).

(1) Vers. 17. *Primogenitus bovis ejus* (nominat. absol.), *gloria* est *ei* (*ejus*, scil. familiæ Josephi ; sub *bove* illius familiæ intelligitur *tribus Ephraimitarum*, quæ multitudine ac viribus multo validior fuit tribu Manassitarum ; *primogenitus* hujus bovis, i. e. præstantissimus Ephraimitarum, est Josue e tribu Ephraim oriundus, quo illustri duce terra Canaan expugnata est) ; *et cornua bubali* sunt *ejus cornua ; iis populos ferit*, prosternit, *una*, omnes, *ad fines usque terræ*. Quænam sint illa duo cornua, mox declarat : *hæ sunt myriades Ephraimi, hæ chiliades Manassis.* Maurer suspicatur, *cornua bubali* nil nisi roboris et virium notionem involvere, et verba ultima aliena manu addita esse. — Hoffmannus commatis initium sic reddit, *primogenitus*, id est præstantissimus, est *bos ejus*, quo myriades Ephraimi et millia Manassis altero versus membro memorata indicari existimat.

(2) *Arenarum.* Alii : Nam in finibus Zabulonitarum erant

Allegorice de Apostolis.

Allegorice : Melius, inquit Rupertus, et prophetico spiritu dignius, hæc ad doctrinam Christi et ad Apostolos referemus. Nam in terra Zabulon et Nephtali præcipue versatus est et docuit Christus; unde et in Nazareth conceptus est, et in Thabor transfiguratus : Nazareth enim et Thabor sunt in Zabulon; ibi et Apostolos collegit, qui populos vocarunt ad montem, id est ad Ecclesiam. Hi inundationem maris suxerunt, id est multitudinem Gentium dulci prædicatione in unam fidem, quasi in suum, id est Christi, corpus trajecerunt; suxerunt et thesauros absconditos arenarum, quia suaviter biberunt profunda Scripturarum, arcana legis et Prophetarum. Rursum ad litteram, Ecclesia suxit lac Gentium, et mamilla regum lactata est, atque accepit pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis et lapidibus ferrum, cum ex donatione regum et principum opes eas adepta est, quas prædixit Isaias, cap. XLIX, vers. 23, et cap. LX, vers. 6 : hinc Zabulon hebraice idem est quod *habitaculum fortitudinis*; Issachar, idem quod *est merces*, *q. d.* Lætamini, o Zabulon et Issachar, id est, o Apostoli Christi, quia vobis fortiter omnia relinquentibus, fortiterque evangelizantibus, et adversa quævis propter justitiam sustinentibus, temporalia bona non deerunt : et insuper copiosa merces in cœlis vobis reponetur; ergo in illo exitu vestro, in illis cœlestibus habitaculis et præmiis vestris lætamini et exultate.

Vers. 20. Benedictio Gad.

20. ET GAD AIT : BENEDICTUS IN LATITUDINE GAD. — Hebraice est, *dilatabit se Gad*, id est latam et amplam sortem et possessionem in Chanaan obtinebit, uti patet *Josue* XIII, 24 (1).

QUASI LEO REQUIEVIT, CEPITQUE BRACHIUM ET VERTICEM, — *q. d.* Tribus Gad erit impavida et fortissima ut leo, qui simul rapit caput et humeros, id est qui uno quasi ictu ex sua præda, puta ex animali quod venatus est, abscindit vel abrumpit caput et humeros.

Vers. 21.

21. ET VIDIT PRINCIPATUM SUUM. — Hebraice, *et vidit principium suum*, id est, ut Chaldæus, *suscipiet in principio partem suam* (2). Principium enim sortis et possessionis Hebræorum fuit terra Og et Sehon, quam possederunt Gaditæ, antequam aliæ tribus transirent Jordanem, et in Chanaan suam sortem obtinerent, *q. d.* Tribus Gad prima sibi sortem et ditionem elegit, eamque jam ante alias tribus possidet, in terra regum Amorrhæorum, Og et Sehon.

ET VIDIT (id est mox videbit et cognoscet) QUOD IN PARTE (id est sorte) SUA REPOSITUS SIT DOCTOR, — id est sepultus sit Moses legislator : ita Chaldæus; nam juxta montem Nebo, cis Jordanem, sepultus est Moses. Licet enim Nebo et sepulcrum Mosis proprie fuerit in tribu Ruben, tamen quia erat trans Jordanem, in qua regione eminebant et quasi dominabantur Gaditæ, hinc hoc eis attribuit Scriptura. Innuit Moses Gaditas petiisse hanc sortem, non tantum ob pascua suorum gregum, sed etiam quia sciebant in ea sepeliendum esse Mosen, suum ducem et legislatorem. Sciebant enim Mosen a Deo prohibitum esse transitu Jordanis, ac proinde moriturum cis Jordanem, in ipsorum sorte. Aliter vertit Vatablus, scilicet, *vidit ibi* (in sorte sua) *partem legislatoris laqueati*, id est palatia laqueata et splendida principum; verum hoc novum et obscurum est (3).

QUI FUIT CUM PRINCIPIBUS POPULI (id est cum principibus novem tribuum, cum scilicet in transitu Jordanis Gaditæ præcesserunt cæteras tribus in acie, ad expugnandum Chananæos, sicuti jusserat Moses, ipsique ei promiserant : itaque Gad) FECIT JUSTITIAS DOMINI, ET JUDICIUM SUUM CUM ISRAEL, — id est, fecit Gad id quod, ex pacto et officio suo, erga Deum et erga contribules suos Israelitas facere debuit. Ita Vatablus.

Vers. 22. Benedictio Dan.

22. DAN QUOQUE AIT : DAN, CATULUS LEONIS, FLUET LARGITER DE BASAN. — Pro *fluet largiter*, hebraice est verbum זנק *zanac*, quod hic tantum reperitur, pro quo Septuaginta, Vatablus, Cajetanus et alii vertunt, *saltabit*, sicque explicant, *q. d.* Dan instar catuli leonis fortissimi et rapacissimi, quales solebant esse in Basan, prosiliet, irruetque in hostes, ut sit prophetia de Samsone, qui fuit Danita, et fortissime insiliit in Philistæos. Rursum de Danitis subito irruentibus in Lais, *Judic.* XVIII, vers. 7 et 27.

Verum subtilius noster Interpres cum Chaldæo intellexit hic duas benedictiones dare tribui Dan, scilicet *primo*, quod esset bellicosa, ut catulus leonis, in Samsone, et aliis jam dictis; *secundo*, quod in Dan esset origo Jordanis, fluvii celeberrimi in Scriptura.

Pro quo nota : Ludit Moses in voce Dan. Jam enim per Dan intelligit tribum, scilicet cum ait : « Dan catulus leonis; » mox vero per Dan accipit fontem vel fluvium tribus Dan, scilicet cum addit : « Fluet largiter de Basan; » posset ta-

ostia fluvii Beli, qui arenam vitriariam effundit, ex qua primum vitrum est confectum. Cf. Plinium, *Hist. Nat.* lib. XXXVI, cap. XXVI.

(1) Proprie, *Benedictus* esto, scil. Jova, *qui dilatat Gadum*. Dum autem Moses Deo, Gadum amplianti, benedicit, ipsi Gado benevolentiam suam ostendit.

(2) Proprie, *vidit primitias sibi* esse, scil. terræ Cananææ occupandæ.

(3) Rosenmullerus, nam *ibi*, in *portione legislatoris*, a legislatore sibi assignata, *erat protectus*, securus, *q. d.* Nam ibi in locis munitis (*Num.* XXXII, 34 seqq.) tuti erant Gaditarum liberi et uxores, dum ipsi ad bellum irent, de quo in seqq. agitur. Gesenius, (vidit) *ibi portionem legislatoris*, a legislatore assignatam, sibi *repositam esse*. Sequitur : *Et proficiscitur* Gadus, proficiscuntur Gaditæ tanquam *capita*, i. e. duces *populi*, Jordanem trajecturi; *justum Jovæ imperium exsequitur et judicia ejus cum Israelitis*. Nimirum Gaditis, Rubenitis et dimidiæ tribui Manassis sedes cis Jordanem ea lege concessæ erant, ut ipsi in occupanda terra, trans fluvium sita, popularibus suis armati adessent, *Num*, XXXII. Hinc igitur legi satisfacturi esse dicuntur.

men utrobique eodem modo accipi pro tribu et urbe Dan, si sic exponas : Urbs Dan largiter fluet, scilicet per suum fluvium Jordanem quem ex se quasi emittit.

Jordanis origo et etymon.

Pro quo nota *secundo* : Dan est rivulus, qui ex Phiala fonte, sito in Panio, ad radices Libani, per subterraneos meatus oritur, fluitque ad civitatem, quæ inde Dan pariter est dicta (quæ postea dicta est Paneas, et Cæsarea Philippi), ibique in eum alius rivulus influit, cui nomen est Jor; unde ex confluxu tam nominum, quam rivulorum *Jor* et *Dan*, conflatur et dicitur Jordan, sive Jordanis; vide Adrichomium in *Tabulis geograph. terræ sanctæ*. Jam quia Dan, vel potius Jordan, in hoc confluxu, qui est juxta urbem Dan, cum impetu, largiter et quasi dupliciter fluere incipit, adeo ut irriget et fecundet totam Basanitidem, quæ prope urbem incipit, hinc dicitur saltare de Basan : sic enim vulgo dicimus fontes et flumina saltare vel desilire, quando in copia et cum impetu decurrunt et feruntur in præceps. Unde pro *saltabit*, tam Noster, quam Chaldæus vertunt, *largiter fluet*, *q. d.* Dan rivulus ex Libano et Panio fluet in urbem Dan, ibique confluet cum *Jor* rivulo, fietque Jordan : quapropter saltabit, id est cum impetu, et largiter fluet de Basan, quia regio Basan incipit juxta urbem Dan, et protenditur per totum decursum Jordanis, usque ad rivulum Jeboc.

Paulo aliter hæc explicant Lyranus et Cajetanus, scilicet, *q. d.* Fluvius Dan, qui est origo Jordanis, oritur et absconditur in Panio et Phiala : inde per subterraneos meatus erumpit et exilit in Basan, vocaturque Dan : hoc autem erumpere vocatur hic saltare; sed errant in chorographia : nam fluvius Dan non erumpit in Basan, sed multo ante quam veniat ad Basan.

Vers. 23. Benedictio Nephtali.

23. ET NEPHTALI DIXIT : NEPHTALI ABUNDANTIA (copia frugum et opum) PERFRUETUR (Hebraice est, *satur erit voluntatis*, id est, habebit quidquid volet; vel, ut Oleaster, liber erit, faciet quod volet, quasi cerva emissa, ut ait Jacob, *Genes.* XLIX, 11, ideoque) PLENUS ERIT BENEDICTIONIBUS DOMINI. — Quod maxime, inquit Cajetanus, cernetur in eo, quod in Nephtali præcoces maturescent fructus, ex quibus primitiæ offerentur Deo in templo.

MARE ET MERIDIEM POSSIDEBIT (1), — *q. d.* Sors Nephtali extendet se ad mare Mediterraneum, et ad plagam Meridianam : ita aliqui. Verum, quia inter sortem Nephtali et mare interjacet tota sors Aser, et tota Phœnicia, hinc secundo et verius, *q. d.* Nephtali extendet se ad mare, id est ad Occidentem et ad Meridiem : *mare* enim significat Occidentem in Scriptura, quia mare Mediterraneum est ad Occidentem Judææ; vel *tertio*, *q. d.* Ad Nephtalitas merces et opes advehentur ex Meridie et ex mari, id est, ex Occidente; eas ergo possidebit Nephtali. Nam Nephtalitæ erant contermini Phœnicibus, puta Tyriis, Sidoniis, etc., unde ab iis totius orbis merces facile habere poterant.

Vers. 24. Benedictio Aser.

24. ASER QUOQUE AIT : BENEDICTUS IN FILIIS ASER, — *q. d.* Aser multas et decoras gignet proles : unde placebit et gratiosus erit fratribus suis.

TINGAT IN OLEO PEDEM SUUM, — abundet olivetis et oleo, ita ut in eo, seu aqua pedes lavare possit, præ abundantia. Similis phrasis et catachresis est vers. seq. et *Job.* XXIX, 6, ubi Job ait : « Lavabam pedes meos butyro. »

Vers. 25. Quadruplex explicatio. Prima.

25. FERRUM ET ÆS CALCEAMENTUM EJUS. — Est catachresis, *q. d.* Aser abundabit fodinis æris et ferri, quantum alii abundant corio, ita ut inde calceos sibi conficere possit, si velit : cujus indicium est urbs Sarepta, quæ huic tribui data est, *Josue* XIX, 30, quæ a metalli officinis conflatoriis nomen accepit; צרף *tsaraph* enim conflare significat : inde dicitur *Sarepta*, quasi dicas, fornax vel urbs conflatoria.

Nota : Ferrum æque ac æs priscis erat in pretio. Ita Lycurgus apud Lacedæmones pecuniam auream et argenteam sustulit, et pro ea substituit nummos ferreos, eosque ingentes et ponderosos, ut avaritiam et furta excluderet, uti refert Plutarchus in *Lycurgo*.

Secunda.

Secundo, Cajetanus metonymice per calceamentum accipit possessionem : hæc enim adiri solet calceis, calcando rem possidendam, ut patet *Psal.* LIX, 9. *Tertio*, Procopius sic explicat, *q. d.* Aser erit robustus, suumque robur perpetuo servabit, perinde ac si ære et ferro calceatus esset. *Quarto*, Masius in *Josue* XIX, per æs et ferrum Barbarorum vires accipit, qui Aseritas presserunt, uti pedem premit calceus, præsertim ferreus : nam in Galilæa Gentium magna erat gentium barbararum copia, quarum vires frangere non potuerunt Aseritæ. Inter hos sensus, primus simplicior et planior videtur (2).

Tertia.

Quarta.

Tropologice.

Tropologice S. Gregorius, XXXIV *Moral.* V : « Sub Aser specie, ait, Ecclesia sancta designatur : calceamentum significat munimen prædicationis, ferrum virtutem, æs perseverantiam. Ferrum ergo et æs calceamentum ejus dicitur, cum prædicatio ejus acumine simul, et constantia munitur : per ferrum enim mala adversantia penetrat, per æs autem bona quæ proposuit, longanimiter servat. »

SICUT DIES JUVENTUTIS TUÆ (scilicet sunt, et erunt placidi, floridi et robusti), ITA ET SENECTUS TUA, — erit placida, florida et robusta (3).

(1) Pro *possidebit* est in hebr. *posside*. Imperativ. cum ה paragog.

(2) Quum vox hebræa æque *calceamentum*, et *seram* seu *pessulum* designare potest, *calceamenti* vero significatus sensum idoneum minime fundere videtur, significationem alteram, *seræ*, *pessuli* multi adsciscunt, ut sensus sit : Erunt habitationes tuæ ab hostium insultibus tutissimæ.

(3) In hebr. est, *et sicut dies tui erit quies tua*, id est, quamdiu durabunt dies tui, durabit etiam quietus status

Vers. 26. 26. NON EST DEUS ALIUS, UT DEUS RECTISSIMI, — puta Israelis, qui ישורון *iescurun*, id est rectissimus, dicitur ob rectissimam fidem et religionem, uti dixi cap. XXXII, 15 (1).

Mundus est equus sessoris Dei. ASCENSOR COELI (hebraice, *qui cœlis inequitat* : cœli enim, totusque mundus, sunt quasi equus sessoris Dei, qui eum habenis providentiæ suæ regit et gyrat quo vult; ergo hic mundi auriga et rector est) AUXILIATOR TUUS — ut scilicet celeriter et repente advolet, utpote cœlis et nubibus, quasi equis velocissimis inequitans; utque e cœlis pro te lapides et fulmina in hostes vibret, solem stare faciat, etc., inquit Cajetanus. Non est ergo, o Israel, quod Chananæos, quod Philistæos, quod homines, quod dæmones timeas; hos enim omnes magnus hic eques uno lanceæ ictu confodiet : quare animos ingentes cape, pugna viriliter, certo vinces et triumphabis.

MAGNIFICENTIA EJUS (magna ejus sapientia et potentia) DISCURRUNT NUBES.

Vers. 27. 27. HABITACULUM EJUS SURSUM (quia Deus habitat in se, suaque æternitate, item in cœlo empyreo; ubi suam majestatem et gloriam Sanctis exhibet.

Domus Dei est æternitas. Hebraice est, *habitaculum Dei est antiquitas*, id est æternitas, inquit Cajetanus; vel, *qui* scilicet nubes et æther, *sunt habitaculum Dei ab antiquo*. Ita Vatablus), ET SUBTER BRACHIA SEMPITERNA. — He-

Triplex sensus. braice, *et subter brachia sæculi*, *q. d.* Sub Deo, et Dei æternitate sunt angeli vel cœli, qui quasi brachia Dei sunt sempiterna. Ita Abulensis; sic et

Tempora et sæcula sunt brachia æternitatis. Cajetanus : Æternitas, inquit, quæ est Dei habitaculum, est supra; sed subter eam sunt brachia, id est extensiones et durationes cujusque sæculi : omne enim sæculum, et omne tempus ambit æternitas, quoniam vires potentiæque cujuscumque sæculi oriuntur de, et sub æternitate, sive sint vires angelorum, sive corporum cœlestium, sive inferiorum.

Secundo. Unde *secundo*, ex Hebræo sic vertas, *sub brachiis ejus est sæculum*, *q. d.* Deus sursum per cœlos in immensum protendit suæ potentiæ brachia, et sub hisce ejus brachiis omnis hic mundus, omne tempus, omnesque res hujus sæculi continentur, diriguntur et decurrunt.

Tertio et aptius, *q. d.* O Israel, Deus auxiliator tuus, licet habitet sursum, non tamen inferiora et res humanas, tuasque negligit, sed eas curat, regit et providet : quia sub cœlo habet potentiæ suæ brachia sempiterna, infatigabilia et omnipotentia, quibus mundum, omnesque res mundi complectitur, stringit, movet, dirigit, protegit et gubernat; vel, ut Vatablus : O Israel, Deus tam inferne quam superne te cingit, amplectitur, defendit et regit; superne enim protegit te se suoque cœlo, sicut tugurium homines protegit ab injuria aeris; inferne vero quasi sub te habet sua brachia infatigabilia, quibus te stringit, in quibus secure recubas et quiescis, uti infans stringitur brachiis matris, in eisque secure requiescit, *q. d.* A vertice ad calcem, sursum et deorsum, diligenter Dominus ambit Israelem et custodit (2).

Oleastri explicatio. Huc pertinet et Oleastri explicatio : O Israel, Deus fuit habitaculum tuum ab initio, imo ab æternitate prædestinationis suæ, et complectitur protegitque te, quasi quibusdam æternis et continuis brachiis.

Morale de ope Dei. Ascende ergo, o anima, quæ hic cum culicibus et pulicibus, cum gleba et luto luctaris; extende te, et ascende ad ascensorem cœli, ad Deum tuum, qui habitat in altissimis montibus æternitatis. Ibi posita dispice, et vide quam modica sint, quæ hic te sui vel cupiditate alliciunt, vel terrore percellunt : vide quam exilia et fragilia sint omnia quæ terræ puncto continentur : vide quam præ Deo, præ æternitate exigua sint creata omnia, quam vana, infirma, brevia, imo nihilum sint; unum ergo summum et immensum bonum ambi, cætera parvi æstima. Deo nixus, sublimatus, et dilatatus pedibus tere quidquid sub sole, sub luna vel blandum allicit, vel terribile minatur. Æterna cogita. Dæmon obsidens camelum, adductus ad S. Hilarionem, cœpit terribiliter furere, quasi eum devoraturus; cui Sanctus : « Non me terres, diabole, tanta mole corporis, et in vulpecula, et in camelo idem es; » mox coram eo corruit, et mansuetus plane camelus effectus est. Ita S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis.

Talia sunt omnia blandimenta, omnia tentamenta mundi. Quid speras? quid amas? quid times? ascensor cœli auxiliator tuus; ipse brachiis suis sempiternis te complectitur et tuetur; iisdemque hostes tuos, qui vel alliciunt te, vel territant, stringit ita arcte, ut omnes uno ictu quasi pulices occidere, imo annihilare possit. Voluptas ergo gulæ aut libidinis te sollicitat? modica est, despice, æternam cogita. Terrent te minæ, tyranni, ærumnæ, paupertas? modica sunt, despice, æterna cogita.

EJICIET A FACIE TUA INIMICUM, DICETQUE : CONTERERE.— Ita legendum cum Chaldæo, Septuaginta et Romanis, ut scilicet in hebr. aliis punctis legamus השמד *hisscamed*, id est *conterere*, passive; nam *hisscamed* est imperativus passivus *niphal*. Jam aliis punctis legunt active in *hiphil*, *hasmed*, id est *contere*, vastato, scilicet tu, o Israel, inimicos tuos. Jam, « dicet : Contere, » id est faciet ut conteras. Dei enim dicere est facere. Sed prior lectio et sensus aptior est et planior.

tuus; quietam semper ages vitam. Qui sensus optime congruit iis, quæ proxime antecedunt.

(1) In hebr. est, *nemo est ut Deus* (verus), *o Israel! qui vehitur cœlis pro auxilio tibi ferendo, et qui in majestate sua nubibus*, scil. vehitur. Quominus *ut Deus* (in hebr.) in statu regiminis vertatur, vetat et accentuum et punctorum vocalium ratio. — Hic redit Moses ad benedicendum Israelitis in universum, ut recte notat Aben-Esra.

(2) Maurer vertit, *perfugium est Deus antiquus, et infra*, id est in terris, vel subter te, o Israel, te sustentantia sunt *brachia sempiterna. Brachia æterna* sunt robustissima, quæ non fatigantur aut debilitantur.

Vers. 28. 28. OCULUS JACOB (id est oculus Jacobæorum, sive posterorum Jacob; subaudi videbit, fruetur et delectabitur) IN TERRA FRUMENTI ET VINI.

COELIQUE CALIGABUNT RORE, — *q. d.* Tanta erit roris, herbas et agros irrorantis et fecundantis, copia, ut aerem et cœlos obscuret, solisque aspectum adimat (1).

Vers. 29. 29. QUI SALVARIS IN DOMINO (id est per Dominum, ope Domini, qui est) SCUTUM AUXILII TUI, — ex quo scilicet omne tibi auxilium, omnisque protectio provenit.

ET GLADIUS GLORIÆ TUÆ, — quo scilicet tibi paratur gloriosa victoria, imperium, decus et fama.

NEGABUNT TE INIMICI TUI. — Hebraice, *mentientur tibi inimici tui,* id est omnino subjicientur tibi hostes tui; hoc enim significat hic hebraismus, *Psal.* LXXX, vers. 16; *Psal.* LXV, vers. 3; *Psal.* XVII, vers. 46. Hostes enim devicti et capti, ut a victore veniam et gratiam impetrent, multa mentiri solent, ac dicere se vere et ex animo ejus non fuisse inimicos, multaque alias in ejus gratiam fecisse. Ita Cajetanus, Vatablus et alii. Aliter Abulensis : ipse enim refert hoc ad Gabaonitas, qui metu Hebræorum perculsi, mentiti sunt eis, negantes se esse de terra hostium Israel; sed Josue et Israel eorum colla calcavit, quia re cognita, non quidem occidit eos, sed subjecit servituti. Verum prior sensus est ex phrasi Hebræa et Scriptura.

(1) Cum emphasi dictum. Nam in hebr. est *stillabunt rorem.*

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses ex Nebo contemplans Chananæam moritur, sepelitur, plangitur; succedit ei Josue : sed nullus Propheta similis Mosi post eum succedit.

1. Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho : ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, 2. et universum Nephtali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, 3. et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. 4. Dixitque Dominus ad eum : Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. 5. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino : 6. et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor : et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. 7. Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est : non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. 8. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus : et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. 9. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. 10. Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, 11. in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, 12. et cunctam manum robustam magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

Vers. 2. 2. USQUE AD MARE NOVISSIMUM, — id est usque ad mare occidentale, puta Mediterraneum, quod erat ad Occidentem terminus terræ sanctæ.

Vers. 5. Mors Mosis ex Josepho. 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES SERVUS DOMINI. — Mortem Mosis ita describit Josephus, lib. IV *Antiq.* ult.: «Ad montem Abarim Mosen deduxit senatus solus, et pontifex Eleazarus, et imperator Jesus; in eo monte ubi constitit, senatum dimisit : cumque post mutuos complexus Eleazaro ac Jesu ultimum valediceret, inter loquendum repentina nube circumdatus, in vallem quamdam est ablatus; in sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem, a Deo raptum prædicarent.» Simili modo cum Episcopi ex urbe Constantinopoli S. Epiphanium ad navim deducerent, dixit ipse ad eos : « Urbem hanc et aulam Imperatoris vitæque hujus actionem et fabulam vobis relinquo : ego vero abeo,

Fallitur Joseph: si enim raptus est Moses, ergo falso scripsit se mortuum, ergo mentitus est.

quod abierit. in civitatem aliam transire properans,» uti refert Nicephorus, lib. XIII, cap. XIII.

De Mose vero prosequitur Josephus : « Vitæ ejus tempus universum fuit centum viginti annorum, cujus tertiam partem in imperio exegit, uno mense minus; mortuusque ultimo anni mense, die prima mensis, quæ a Macedonibus Dystrus dicitur, a nostris vero Adar,» respondetque fere Latinorum februario.

Hebræi tamen in *Seder Olam*, quos sequitur Andreas Masius in *Josue* I, censent Mosen natum esse die 7 mensis duodecimi, qui dicitur Adar, et eadem die post 120 annos esse mortuum.

Moses mortuus est in februario. Verum dico Mosen sub initium Adar, puta tertio vel quarto die Adar esse mortuum. Id ita esse probatur : nam 36 dies fluxerunt a morte Mosis usque ad transitum Hebræorum per Jordanem in Chanaan; hic autem transitus contigit die decima mensis primi anni sequentis, ut patet *Josue* IV, vers. 19; jam retro computa 36 dies, a die decima mensis primi, et incides in diem quartam mensis ultimi, anni præcedentis. Porro 36 dies præcise hic fluxisse probatur : nam Hebræi luxerunt mortem Mosis per 30 dies; quibus exactis Josue misit exploratores in Jericho, qui triduo latuerunt in monte : iis reversis Josue movit castra ad Jordanem, ubi moratus est tres dies, ac postridie cum suis transiit Jordanem. Jam adde tres et tres dies ad 30, habebis 36, quos quærimus. Ita Torniellus.

Mirum est quod in Martyrologio Romano Mosi dies consignetur quarta septembris : licet enim in anno vulgari september, tamen in anno sacro (quo utitur Scriptura) Adar, id est februarius, est ultimus mensis.

Nota, quod ait Josephus de Mose : « Scripsit se mortuum; » ita scilicet censet ipse, Philo, et aliqui alii. Sed verius est, ut alibi dixi, hæc non a Mose, sed a Josue, vel aliquo alio esse scripta; hoc enim plane innuit quod dicitur vers. 6 : « Et non cognovit homo sepulcrum ejus, usque in præsentem diem; » unde Hebræi censent totum hoc caput XXXIV scriptum esse a Josue, quibus consentit Abulensis, qui tantum excipit primos quatuor versus capitis : eos enim putat scriptos esse a Mose, jamjam ascensuro in montem Nebo, cæteros a Josue.

Mosen non esse mortuum censet Hilarius, Catharinus et alii. Nota : De Mosis morte variæ fuerunt veterum opiniones. *Primo*, aliqui putarunt eum necdum esse mortuum, sed translatum, ut redeat cum Henoch et Elia contra Antichristum; ita opinatus est Hilarius, can. 20 *in Matth.*, Joannes Arboreus, lib. XI *Theosophiæ*, cap. XI, Catharinus in *Genes.* cap. III.

Probabant hoc, tum ex eo quod sepulcrum ejus non sit inventum, tum ex *Apoc.* XI, 6, ubi Joannes loquens de duobus testibus Christi, qui tempore Antichristi futuri sunt, subjungit : « Hi habent potestatem aquas convertendi in sanguinem, et percutere terram omni plaga; » quibus verbis videtur significari Moses : ipse enim convertit aquas in sanguinem, et percussit Ægyptum omni plaga, *Exodi* VII et seq.

S. Hieronymus, Nyssenus et Ambrosius de morte Mosis quid senserint? Eamdem sententiam videtur docere S. Hieronymus in *Amos* IX, et Nyssenus in *Vita Mosis*, in fine, et S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. II, eamque S. Ambrosio tribuunt Viegas in *Apoc.* XI, et Suarez III *part.*, Quæst. XLV, art. 3; ibi enim asserere videtur S. Ambrosius Mosen vere non esse mortuum, sed tantum dici mortuum per verbum Domini : quia scilicet jussu Domini translatus est instar Eliæ.

Hi tamen Patres ab aliis excusantur, quod mystice loquantur : S. Hieronymus enim ait Mosen ascendisse in cœlum, id est, in cœlestem et perfectissimam vitam et sanctitatem; in morte enim fuit sanctissimus, et exseruit admirabilem zelum et spiritum, ut patet ex *Deut.* Eodem modo potest Nyssenus explicari : S. Ambrosius vero videtur ludere allegorice suo more, et velle tantum, quod Moses fuerit typus Christi a morte statim resurgentis, quodque mors Mosis ita in Scriptura narretur, ut ipse non tam mortuus, quam translatus et immortalis fuisse videatur. *Primo*, in eo quod narratur non esse mortuus ex defectu virium; *secundo*, quod ab hominibus abreptus sit; *tertio*, quod nesciatur ejus sepulcrum. Ex hisce enim potius translatus hominibus videri possit, quam mortuus; nam Ambrosium non negare, Mosen vere esse mortuum, colligitur ex eo quod ibidem diserte doceat Mosen esse resurrecturum.

De fide est Mosen esse mortuum. Verum quidquid sit de Patrum horum mente, dico erroneam esse hanc sententiam, adeoque de fide esse quod Moses sit mortuus. Patet hoc ex cap. XXXII, vers. 5 : « Jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron; » et hic expresse : « Mortuusque est ibi Moses; » et mox : « Et sepelivit eum in valle. » Ad *Apoc.* XI, respondeo ibi non esse sermonem de Mose; sed tantum ad ejus portenta alludi, eo quod Henoch et Elias similia facient iis quæ fecit Moses.

Secunda sententia, Mosen statim a morte resurrexisse. *Secundo*, alii censent Mosen quidem esse mortuum, sed statim resurrexisse, ideoque neminem cognovisse ejus sepulcrum. Ita R. Samuel Marochianus, libro *De Adventu Messiæ*, cap. XIII. Huic sententiæ fere accedit Gagnæus in cap. XI *Apoc.*, qui docet Mosen quidem obiisse, sed resurrecturum, et venturum, ut cum Antichristo decertet. Idem (quod mirum est) censet Maldonatus in *Matth.* XVII. Verum hæc opinio improbabilis est et temeraria, utpote carens solido fundamento, et repugnans communi Patrum sententiæ, qui docent non Mosen, sed Henoch et Eliam venturos esse contra Antichristum.

Tertia sentent. Mosen resurrexisse in transfiguratione Christi. *Tertio*, alii putarunt Mosen mortuum esse, sed resurrexisse in transfiguratione Christi, in monte Thabor. Ita videtur sentire S. Hieronymus in *Matthæi* XVII, et auctor *De Mirab. S. Script.* (qui liber falso tribuitur S. Augustino) lib. III, cap. X. Verum hoc quoque est improbabile; certum enim est Christum primum omnium, et ante omnes

homines resurrexisse ad vitam immortalem : inde enim Christus ab Apostolo vocatur « Primitiæ dormientium, » et « Primogenitus mortuorum. » Si dicas Mosen resurrexisse, sed rursum esse mortuum, respondeo : Longe durius et acerbius fuisset Mosi, post resurrectionem mori, quam non resurgere. Deinde plane verisimile est Mosen paulo post Christum, cum patriarcha Jacob, Joseph alisque priscis Sanctis (de quibus *Matth.* XXVII, 32) resurrexisse : ergo non resurrexit in transfiguratione, sed tantum apparuit ibi in corpore assumpto, uti apparent angeli : ita docent Lyranus et Abulensis in *Matth.* XVII, D. Thomas, III *part.*, Quæst. XLV, art. 3, ad 2, et alii. Si enim alii patriarchæ resurrexerunt cum Christo : ergo multo magis Moses, qui fuit legislator et dux populi, typusque expressus Christi.

Moses resurrexit cum Christo.

MOYSES SERVUS DOMINI. — Hoc est elogium et quasi titulus sepulcralis Mosis, qui reliquos omnes complectitur. « Servus » ergo idem est quod legatus, dux, legislator, propheta « Domini. » Magna dignitas est esse servum Domini dominantium. Audi Ambrosium, lib. *De Parad.* IV : « Religiosa servitus subdita Dei verbo, multo melior est, quam sæculi libertas. » Audi Philonem, lib. *De Cherubim* : « Servire Deo maxima est gloriatio, non modo libertate major, sed et divitiis, et principatu, et omnibus rebus quas mortales miramur, pretiosior. » Hinc S. Paulus gloriatur se esse servum Christi. Hinc S. Agatha ad tyrannum : « Multo, ait, pretiosior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus et superbia, » nimirum, « servire Deo, regnare est. » Et ut ait S. Ambrosius : « Dignitas est servum esse potentis. » Dicamus ergo cum Cassiodoro : « Tibi, o Domine, nobilius est servire, quam mundi regna capessere; merito, quando ex servis filii, ex impiis justi, de captivis reddimur absoluti. » Dixit Alexander Magnus ad ducem militum, qui et Alexander vocabatur : « Res dignas nomine tuo, dignas Alexandro gere; » et nos digna tanto nomine, digna servo Dei geramus.

Servus Dei titulus nobilissimus.

JUBENTE DOMINO. — Hebraice, *ad os Domini*, id est, ut Vatablus, *ad verbum Domini*, vel de sententia Domini. Noster optime vertit, *jubente Domino*. Jusserat ei Deus, cap. XXXII, vers. 49, dicens : « Ascende in montem istum Abarim, etc., et morere in monte. » Ibi tulit Deus sententiam mortis in Mosen, ut scilicet moreretur in monte hoc : hic eam exsequitur. Deus ergo sicuti primus animam dederat Mosi, ita hic eamdem ab eo repetit, separatque a corpore. Unde nihil hic legimus de Mosis morbo, imo e contrario dicitur vers. 7, eum usque ad ultimum ita fuisse sanum et validum, ut non caligarint oculi ejus, nec dentes ejus moti sint; Deus ergo animam illi exemit. Unde Septuaginta et Chaldæus vertunt, *mortuus est Moses per verbum Domini* : Dei enim verbum et jussio est efficax, ut si cui dicat : Morere, is statim vi jussionis ejus moriatur. Quidam conceptuum novorum asseclæ τὸ *ad os Domini* exponunt, *q. d. In osculo Domini, q. d.* Sicut mater dormientem in sinu infantulum solet ore ori applicato in lectulo reponere : ita Deus Mosen ceu dormientem infantulum, per osculum et amplexum, in sinu Abrahæ quasi in lectulo collocavit; ita Viegas in *Apocal.* XIV, comment. 2, sect. 3. Hoc elegans est et pium magis quam genuinum. Nam, hebraice *os Domini* non aliud significat, quam verbum et jussum Domini, ut exponunt Septuaginta, S. Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Oleaster omnesque Interpretes.

ET SEPELIVIT EUM IN VALLE. — Ergo Moses non sepelivit seipsum, ut volunt aliqui Rabbini; nec Josue, ut ait S. Ephrem; sed Deus sepelivit eum ministerio angelorum, frustra resistente diabolo.

Hinc S. Judas in epistola sua ait : « Cum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ (eum blasphemare, eum conviciari); sed dixit : Imperet tibi Dominus. »

Ubi Œcumenius sic scribit : « Dicitur Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Mose; id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat, Mosen indignum esse sepultura, eo quod occidisset Ægyptium, eumque sepelisset in sabulo : et propterea non permittebat ut honorificam consequeretur sepulturam; cum autem in hac controversia Michael haberet occasionem, ut diabolo malediceret, propter ejus impudentiam, non id fecit, sed id tantum in eum intulit : Increpet te Deus, o diabole. » Alii alias hujus altercationis afferunt causas, quas fuse recenset Serarius noster in epistola Judæ.

Exstitit olim liber inscriptus : *Mosis Ascensio*, scilicet in montem Nebo, in quo colloquia Mosis jamjam morituri cum Deo habita, et ejusdem sepulcrum, angelorum manibus in occulto loco effossum, disceptatio quoque Michaelis et diaboli, percensentur; ex quo hæc S. Judam accepisse censet Origenes, lib. III *Periarchon*, cap. II, et Clemens, lib. VI *Strom.*, ubi ex eodem loco refert quod Moses visus sit a Josue, et a Caleb, cum assumeretur in gloria, inter angelos.

Ascensio Mosis qualis?

Verum S. Athanasius in *Synopsi S. Script.* hanc Mosis ascensionem, una cum alia scriptura cui titulus est : *Testamentum Mosis*, inter apocrypha rejicit.

IN VALLE TERRÆ MOAB, CONTRA PHOGOR. — Hinc et ex vers. 5 patet Mosen mortuum esse in monte Nebo, sed inde corpus ejus ab angelis translatum esse, et sepultum in valle Moab, id est, quæ confinis est Moab, sed est in ipsa sorte tribus Gad, aut potius Ruben.

CONTRA PHOGOR. — Opinatur non improbabiliter Serarius in *epist. S. Judæ*, altercationis diaboli cum Michaele causam inter alias fuisse, quod diabolus coleretur in Phogor, ideoque eum non tulisse, juxta se reponi corpus tam sancti viri, qualis erat Moses, ac timuisse ne ab ipso,

Diabolus noluit corpus Mosis sepeliri juxta Phogor, cur?

vel loco pelleretur, vel obmutescere cogeretur.

Moralis causa fuit, quod in hac valle, Phogor, sive Priapum coluerant Hebræi, fornicando cum puellis Moabitidis, *Num.* XXV; 1, ut ergo aptam huic vulneri medicinam faceret Deus, voluit ibi sepeliri Mosen, ut mortis memoria, et sepulturæ præsentia, a carnis illecebris et voluptatibus avocarentur. Nihil enim eas ita sopit et extinguit, ac mortis et cadaveris inspectio, vel consideratio. Ita sanctus ille in *Vitis Patrum* tentatus amore puellæ, ejus jam mortuæ cadavere et vermibus inspiciendis et olfaciendis se occupans, mortificavit plane hanc tentationem. Eadem de causa alios in sepulcris habitasse legimus.

ET NON COGNOVIT HOMO SEPULCRUM EJUS. — Cur? Respondeo *primo*, quia in honorem tanti viri decuit eum non ab hominibus, sed ab angelis sepeliri, loco hominibus incognito. Ita Epiphanius, *Hæresi* 9, Œcumenius in *epist. Judæ*, Abulensis hic, *Quæst.* III, et Philo, qui ait Mosen in sepulcro tam admirando sepultum esse, ut nullus hominum dignus fuerit unquam illud conspicere. *Secundo*, ne Hebræi corpus ejus, utpote ducis et legislatoris sui, velut numen vel divinum quiddam colerent. Ita Theodoretus, Procopius hic, et Chrysostomus, homilia 1 *in Matth.* Præsertim, quia valde credibile est corpus Mosis, licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus et decorem, quem antea habebat, sicut multis Sanctorum accidit, inquit Bellarminus, lib. II *De Reliq. Sanct.*, cap. IV. Atque hanc præcipuam fuisse altercationis Michaelis cum diabolo causam, scilicet quod diabolus vellet Mosis corpus et sepulcrum patere et cognosci a Judæis, Michael vero idipsum nollet, ne eis esset occasio idololatriæ, communiter docent tam veteres, quam recentiores Interpretes Epistolæ S. Judæ. Judæi enim tunc proclives erant ad idololatriam : unde illius tunc magnum erat periculum, quale non est apud Christianos, cum venerantur reliquias Sanctorum : ergo male contra eas hoc torquent hæretici. Adde Deum hic honorasse reliquias Mosis, dum eas ab hominibus abscondit, et nonnisi per angelos decenter tractari et sepeliri voluit; itaque exemplo suo nos docuit quam Sanctos eorumque reliquias venerari debeamus.

Angeli venerati sunt reliquias Mosis.

Sic et S. Antonius moriturus discipulis suis mandavit : « Nullus, inquit, ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore servetur, ne vituperati ritus a me, ut nostis, etiam circa me serventur obsequia; hujus enim rei gratia maxime huc sum regressus, ut nemo præter vos locum tumuli mei noverit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. Discipuli ergo involutum, ut præceperat, corpus humo operuerunt : et nemo interim usque ad hanc diem, præter eos, ubi conditum sit, novit, » inquit S. Athanasius.

Angeli

Verisimile est, quod docet Josephus, scilicet Mosen comitatum Josue, Eleazaro, et aliis primoribus, ascendisse in Nebo; ibique coram eis, ut ait Cajetanus, vel aliquibus eorum, esse defunctum; deinde ejus corpus iisdem spectantibus, ab angelis per aerem vectum, et translatum fuisse in vallem Moab, ibique sepultum, licet determinatum vallis locum, in quo sepultum est, cernere et notare non potuerint hi spectantes, ut hic dicitur : hucusque Cajetanus. Moses 120 annorum erat, quando mortuus est : mortuus est ergo Moses anno mundi 2493, a diluvio anno 836, ante Christum anno 1456.

Mosis corpus transtulerunt per aerem in vallem Moab, Josue spectante.

Mortuus est Moses anno mundi 2493, ante Christum anno 1456.

Hunc Mosis raptum imitari voluit Romulus, aut certe Romani similem ei affinxerunt; ipse enim a senatoribus vel occisus, vel abreptus non comparuit. Unde finxit Julius Proculus patricius Romanus Romulum sibi apparuisse, ac rogatum quidnam ei evenisset, respondisse : « Diis, o Juli, a quibus veni, ita visum est, ut tantisper cum hominibus essem, urbemque cujus imperium ac gloria foret maxima, conderem, inde rursum cœlum inhabitarem : vale, ac Romanis dic fore ut, si temperantiam fortitudinemque colant, omnes mortales potentia excellant. Ego autem Deus vobis propitius ero Quiritius, » ut refert Plutarchus in *Romulo*. Ita quoque Apollonius Thyanæus magus, et impostor orbis, ablegans discipulum suum Davidem ad Nervam Imperatorem, ne ultimi sui finis testis esset, occultam oppetiit mortem anno Christi 99, quo immortalis in cœlum crederetur esse translatus : testis est Philostratus in ejus Vita. Hi fuerunt quasi simiæ Mosis, uti diabolus est simia Dei.

Raptus Romuli.

Et Apollonii.

7. NON CALIGAVIT OCULUS EJUS, — uti solent senum oculi.

NEC DENTES ILLIUS MOTI SUNT, — uti in senibus dentes, etiam molares, solent moveri et excidere : hoc enim est quod de miseriis senectutis scribit *Eccle.* cap. ult. vers. 3 : « Quando commovebuntur custodes domus, » puta visus aliique sensus, « et nutabunt viri fortissimi, » puta crura, « et otiosi erunt molentes (puta dentes) in minuto numero. » Pro *nec dentes illius moti sunt*, Septuaginta vertunt, *neque corrupta sunt labia ejus*; Chaldæus, *neque mutatus est splendor gloriæ vultus ejus* : ubi plane significat cornua lucis semper adhæsisse Mosi, quod et censet Bellarminus paulo ante citatus : qua de re dixi *Exodi* XXXIV, 29. Vatablus vertit, *maxillæ ejus nihil defecerant*, vel *nec emarcuerat viror ejus*; ita et Cajetanus, *q. d.* Facies et corpus fuit ei semper succulentum; solet enim senectus esse sicca. Hinc patet Mosen non esse mortuum ex defectu virium, vel ex morbo; sed tantum ex Dei jussu et voluntate : nam validus ascendit in montem, ibique statim defunctus est, Deo nimirum eum dissolvente, animamque a corpore separante, et educente ad limbum Patrum.

Vers. 7.

Mortuus est Moses vegetus et validus, Dei nutu.

Hic vigor et vires proveniebant Mosi, inquit Abulensis, ex familiaritate et præsentia Dei : quia

Vigor Mosis unde ?

moratus et collocutus fuit cum Deo bis per quadraginta dies in Sina, tumque non comedit, nec bibit, sola Dei præsentia sustentatus. Et inde habuit cornua, id est, radios lucis, in facie : inde etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris ; ita ut eo anno quo mortuus est, ad bellum processerit contra duos reges, scilicet Og et Sehon, *Num.* XXI et XXII. Vox etiam eum non defecit : quia voce maxima et stentorea, quæ a toto populo audiretur, totum Deuteronomium ingenti spiritu Hebræis promulgavit, paulo ante mortem. Adde tamen huc adjuvisse tum sobriam diætam, tum animi tranquillitatem, ortam ex mansuetudine Mosis. Nam, ut ait Hippocrates, τὰ ἀχόλα μακρόβια, animalia quæ bile carent longæva sunt, et sana ac fortia in multam ætatem; qua de causa cervi præ reliquis animalibus longævi et validi perdurant. Unde schola Salernitana :

Vox Mosis stentorea sub mortem.

> Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
> Curas tolle graves, irasci crede profanum.

Ita S. Bernardus licet morbidus, ob pacem et tranquillitatem animi, sexagesimum annum superavit, ac moriens suis ait : « Tria vobis commendo, quæ in stadio quo cucurri, quantum potui, observavi : *primo*, minus sensui meo quam alterius credidi; *secundo*, læsus de lædente vindictam non expetivi; *tertio*, scandalum nemini facere volui : et si quando incidi, sedavi ut potui; » unde distichon :

> Nullum turbavi, discordes pacificavi,
> Læsus sustinui, nec mihi complacui.

Ita et S. Antonius, teste S. Athanasio, læto semper animo et vultu, vixit ad annum ætatis 105, persistens ad extremum in eodem tenore et rigore abstinentiæ et pœnitentiæ, « nec languore quidquam ætati aliquando concessit. Magis autem æqualitatem propositi tenens, nec vestimentum mutavit, nec pedes lavit, nec escam sectatus est molliorem : oculorum quoque aciem, et numerum dentium, licet paululum ob ætatem viderentur attriti; nec non et pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita et contra jura naturæ meritorum gratia custodivit, ut lavatis corporibus, quæ balneis atque deliciis confoventur, hilarior ejus caro videretur. » Et rursum : « Verba finierat, et osculantibus eum discipulis, extendens paululum pedes mortem lætus aspexit, ita ut ex hilaritate vultus ejus, angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam ejus descenderant, præsentia nosceretur: » Hucusque S. Athanasius.

Ita et S. Abraham eremita, teste S. Ephrem in ejus Vita, cap. XVIII, assiduis licet jejuniis, vigiliis, fletibus et pœnitentiis se macerans, in senio vegetus fuit ad mortem usque. « Erat, inquit S. Ephrem, aspectus ejus quasi flos quidam immarcessibilis; atque in facie ejus puritas animi noscebatur. Sed et totum corpusculum ejus, quasi nihil egisset, validum ac robustum apparuit, utpote qui divina gratia in omnibus frueretur, et jucunditate spiritalis lætitiæ potiretur. In hora namque dormitionis suæ ita splendidissimus vultu apparebat, quasi qui nequaquam vitæ suæ tempus in abstinentia peregisset; sed et in omnibus quinquaginta annis abstinentiæ suæ, vestem cilicinam qua indutus fuerat, non mutavit. »

8. FLEVERUNTQUE EUM FILII ISRAEL TRIGINTA DIEBUS. — Hinc etiam apud Christianos aguntur tricenaria defunctorum, uti dixi *Num.* XX, 29. Vers. 8.

9. MOYSES POSUIT SUPER EUM MANUS SUAS, — *q. d.* Per « impositionem manuum Mosis, Josue acceperat Spiritum Sanctum, » inquit Vatablus. Vide dicta *Num.* XXVII, 18. Vers. 9.

10 et 11. ET NON SURREXIT ULTRA PROPHETA IN ISRAEL (similis nimirum Mosi, ita scilicet ut ipse Deo familiaris et portentosus) QUEM NOSSET DOMINUS FACIE AD FACIEM (1) (item similis ei), IN OMNIBUS SIGNIS ATQUE PORTENTIS, QUÆ MISIT PER EUM (dans scilicet ei virtutem et potestatem) UT EA FACERET. — Clarius verti posset cum Vatablo et Cajetano, *ad quæ*, vel *propter quæ miserat eum Dominus, ut faceret*, etc. Hisce ergo omnes Prophetas superavit Moses, scilicet in portentis, et in familiaritate cum Deo; cui tamen non obstat quod alicui alteri Prophetæ revelata fuerint plura et majora mysteria. Sic enim communiter maximus Prophetarum vocatur David, inquit Abulensis. De Christo non est dubium quin Mose fuerit præstantior : sed Christus non tam Propheta, quam novus et clarus Evangelii inspector et legislator fuit. Vers. 10 et 11.

Moses omnes Prophetas superavit in portentis et in familiaritate cum Deo. David maximus Prophetarum in mysteriis.

Tropologice. Ita S. Ephrem in *Encomio S. Basilii*, eum Mosi, cæterisque Prophetis confert, si non præfert, dicens : « O fidelis Basili, velut Abel acceptus es, sicut Noe salvatus, tanquam Abraham amicus Dei vocatus, ut Isaac pro victima Deo oblatus ; instar Jacob tentationes fortiter pertulisti : et sicut Joseph, magnifice glorificatus es : ut Moses, Pharaonem posteriorem virga crucis demersisti, mare passionum secans : ut Aaron, summus sacerdos Domini fuisti : ut Jesus filius Nave, inimicos in fugam vertisti : ut Phinees æmulator, gratia dignus habitus : ut Isaias, spirituali igne mundatus : ut Ezechiel, sedentem super Cherubim spectasti : ut Daniel, ora leonum obturasti : et sicut tres pueri, adversariorum flammam recte conculcasti. Instar Petri prædicasti, instar Pauli docuisti, instar Thomæ Filium Dei passum confessus es : instar Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, de rebus divinis disseruisti : instar Apostolorum iniquos erudisti, impios convertisti, et Deo gratus fuisti : deprecare pro me admodum miserabili, et revoca me tuis intercessionibus, pater. »

12. ET CUNCTAM MANUM ROBUSTAM, — id est, et Vers. 12.

(1) Alii vertunt, *qui nosset*, vel *vidisset eum, Jovam, facie ad faciem.*

cuncta opera robusta, valida et magnifica, repete *misit*, id est dedit, Deus Mosi, cum ad ea ipsum excitavit et corroboravit, ut ea perficeret. In Hebræo clarior est connexio; habet enim, *et in omni manu robusta*, quod apte connectitur cum eo quod præcessit, *in omnibus signis atque portentis*.

MAGNAQUE MIRABILIA. — Hebraice, *et omnem terrorem magnum*. Manum fortem, inquit Vatablus, dicit ob ea quæ facta sunt in mari Rubro; terrorem autem, propter legem, quam Dominus dedit in monte Sina, cum tot terrificis portentis, cui adde alios terrores, ut absorptionem Core, Dathan et Abiron, incendium 250 procerum, *Num.* XVI, 35, stragem fornicantium, *Numer.* XXV, et alios.

Vixit Moses, vivit jam Deo beatus et gloriosus in æternum; ita vivamus et nos. Anima nostra æterna est, in æternum vivet, vel beate vel misere. Vive Æternitati; certa, patere Æternitati. Jacis hic aleam, aleam irrevocabilem de Æternitate. O chara Æternitas, æterna veritas, vera charitas, Deus meus et omnia, aperi oculos nostros, amove a nobis stuporem hominum, ut cognoscamus quid sit, quam immensa, quam felix vel misera sit Æternitas. Creasti nos ad te, creasti nos ad Æternitatem, quia tu es Æternitas; tuæ Æternitatis nos participes facere voluisti, jussisti, sanxisti. Nam lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et Æternitas temporum. Da, ut monumentum hoc temporis pie et sancte expendamus, ut in eo studeamus Æternitati, laboremus Æternitati, patiamur et certemus Æternitati, utque idem omnibus inclamemus, et quotquot possumus animas perituras in æternum salvemus. Audite, Christiani; audite, Pagani; audi, Belgium; audiat orbis : Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur

ÆTERNITAS.

O longa, o profunda, o abyssalis, o æterna

ÆTERNITAS!

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in montibus Æternis : in sæcula sæculorum laudabunt te.

DOXOLOGIA

DEI LEGISLATORIS,

EJUSQUE CONCIO EX DEUTERONOMIO.

Misericordias, et sanctificationes Domini, in æternum cantabo.

Audi, Israel, magnalia, audi misericordias; audi, et rumina mandata Dei tui.

Ut faciens ea vivas, et possideas terram quam Deus daturus est tibi.

Hæc est enim tua sapientia, ut dicant : En populus sapiens, et intelligens, gens magna.

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi : sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et legem Dei?

Interroga de diebus antiquis, si unquam factum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti.

Si fecit Deus, ut tolleret sibi gentem de medio nationum, per tot signa et portenta, per pugnas, et manum robustam.

De cœlo te fecit audire vocem suam ; quia dilexit patres tuos, et semen eorum.

Scito ergo quod Dominus ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non est alius.

Testes invoco cœlum et terram, cito vos perituros, si Deum ad iram provocetis : Deus enim tuus ignis consumens est, Deus zelotes.

Audi, Israel : Dominus Deus noster, Deus unus est.

Diliges eum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

Hæc meditaberis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens : ut sis populus sanctus Domino.

Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus, regale sacerdotium, gens sancta.

Non inibis cum Gentibus fœdus : nec sociabis cum eis conjugia.

Si custodieris pactum, et legem Dei, benedictus eris inter omnes populos.

Non erit in te sterilis, auferet Dominus a te omnem languorem : devorabis omnes inimicos.

Deduxit te Dominus quadraginta annis per desertum terribile : in quo erat scorpio, dipsas, et serpens flatu adurens.

Dedit tibi manna, ut ostenderet quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Nec pes, nec calceus tuus est subtritus : en quadragesimus annus est.

Inducet te in terram lactis et mellis : terram frumenti, hordei et vini.

Non propter justitias tuas inducet te : sed ut compleat juramenta, quæ dedit Abraham, Isaac et Jacob.

Ne tentes Deum, sicuti fecisti in incendio, in tentatione, et in sepulcris concupiscentiæ : quia populus duræ cervicis es.

Circumcidite præputium cordis vestri : et cervicem vestram ne induretis amplius.

Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te : nisi ut timeas eum, ut ambules in viis ejus; ac diligas eum, et servias ei in toto corde.

En Domini Dei tui est cœlum, et cœlum cœli : terra, et omnia quæ in ea sunt.

Ipse est laus tua, et Deus tuus : qui fecit tibi hæc magnalia, et terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Multiplicavit te sicut astra cœli : et sicut arenam, quæ est in littore maris.

Duxit te sicco pede per mare Rubrum : Pharaonem et Ægyptios in eo demersit.

En morior : propono vobis hodie benedictionem et maledictionem : benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito : nec addas quidquam, nec minuas.

Si surrexit pseudoprophetes dicens : Sequamur deos alienos, illico lapidibus obrues eum.

Urbem delebis, usque ad pecora : quidquid in ea est, igne succendes.

Non apparebis ante Dominum vacuus : sed offeres juxta benedictionem, quam dederit tibi.

In judicio non accipies personam, nec munera : quæ excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.

Si difficile et ambiguum apud te fuerit judicium, venies ad sacerdotes Levitici generis; et facies quæcumque dixerint tibi.

Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morte moriatur.

Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus: ipsum, ut me audies.

Si exieris ad bellum, ne timeas; quia Dominus in medio tui est, et pro te dimicabit: tantum custodias te ab omni re mala.

Maledictus omnis qui pendet in ligno: cur ergo, o Christe, dignatus es pro nobis in cruce fieri maledictum?

Primitias frugum dabis Domino, dicens: Profiteor hodie coram Domino, quod ipse nobis dederit terram lacte et melle manantem.

Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus: custodi ergo mandata et judicia illius.

Benedictus qui facit præcepta et justitias Domini: benedictæ domus, et horrea ejus.

Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus.

Maledictus qui non permanet in sermonibus legis Dei, nec eos opere perficit.

Maledictus in civitate, maledictus in agro: maledictus ingrediens, et egrediens.

Sit cœlum quod super te est, æneum: et terra, quam calcas, ferrea.

Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem: tradat te hostibus, et cadaver tuum volatilibus cœli.

Percutiat te ulcere Ægypti, amentia, cæcitate, ac furore mentis.

Det tibi cor pavidum, et deficiens: sit vita tua quasi pendens ante te.

Mane dicas: Quis det mihi vesperum? et vespere: Quis mihi det mane?

Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum in Horeb.

Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis, et filiis nostris, usque in sempiternum.

Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, ut dicas: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos?

Neque trans mare positum, ut causeris: Quis e nobis transfretabit mare, ut illud ad nos afferat?

Juxta est sermo valde in ore tuo: et in corde tuo, ut facias illum.

Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.

Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: dilige Deum; ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Viriliter age, et confortare, ne timeas hostes: Deus est ductor tuus, ipse non derelinquet te.

Canticum Mosis.

Audite, cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Cantic.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.

Peccaverunt ei non filii ejus: generatio prava atque perversa.

Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens?

Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?

Quando dividebat Altissimus gentes, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus.

Invenit eum in terra deserta: in loco horroris, et vastæ solitudinis.

Circumduxit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila, provocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas: portavit eum in humeris suis.

Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

Deum qui te genuit dereliquisti: oblitus es Domini creatoris tui.

Ignis succensus est in furore meo: ardebit usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburet.

Congregabo super eos mala: et sagittas meas complebo in eis.

Gens absque consilio est, et sine prudentia.

Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!

De vinea Sodomorum vinea eorum: fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

Mea est ultio, ego retribuam eis: juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.

Laudate, gentes, populum ejus; quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum.

Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.

In dextera illius ignea lex: omnes sancti in manu illius sunt.

Moses moriens benedixit Levi, dicens: Qui dixit patri suo, et matri suæ: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos. Benedictio Mosis.

Hi custodierunt pactum tuum, Domine: eloquium tuum servaverunt.

Ponent thymiama in furore tuo: et holocaustum super altare tuum.

Benedic, Domine, fortitudini ejus : et opera manuum ejus suscipe.

Populos vocabunt ad montem : ibi immolabunt victimas justitiæ.

Non est Deus alius, ut Deus rectissimi : ascensor cœli auxiliator tuus.

Magnificentia ejus discurrunt nubes : habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna.

Habitabit Israel confidenter in terra frumenti, olei et vini : et cœli caligabunt rore.

Beatus es tu Israel, populo, qui salvaris in Domino : ipse est scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ.

Negabunt te inimici tui : et tu eorum colla calcabis.

Ascendit Moses in montem Abarim, vidit terram Abrahæ et semini ejus promissam. Mors Mosis.

Mortuus est, nec cognovit homo sepulcrum ejus : non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt.

Non surrexit ei similis Prophæta in signis et portentis : qui nosset Dominum facie ad faciem.

Similem illum fecit in gloria sanctorum : ostendit illi gloriam suam.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum : et elegit eum ex omni carne.

Docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO ET CONCLUSIO.

Creator omnium, Deus, qui tua providentia cuncta gubernas, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, quam sanctus et mirabilis fuisti in Mose et Hebræis, cunctisque operibus Pentateuchi ! Spectavimus in *Genesi* potentem tuam rerum omnium creationem : in *Exodo*, singularem erga tuos curam et providentiam : in *Levitico*, sacram tuam religionem, victimas et cæremonias : in *Numeris*, augustam tuam in tantis populi castris magnificentiam : in *Deuteronomio*, fervorem tuum circa populi salutem, amorem et zelum. Spectavimus veterem Ecclesiam et rempublicam in populo a te electo institutam. Audivimus legis æternæ tuæ rivulos, præcepta tua sancta, moralia, judicialia et cæremonialia. Laudent te cœlum, terra, mare et omnia quæ in eis sunt : laudent te, et benedicant nomen sanctum tuum in sæcula. Da, Domine, ut in his omnibus agnoscamus, et intueamur te, revereamur te, colamus et amemus te ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine nostra. Da ut in his omnibus adumbratum et depictum speculemur Unigenitum tuum, Christum Dominum, Salvatorem nostrum. Da quoque ut eumdem agnoscat Israel, populus olim a te electus, nunc derelictus et aberrans. Salva, Domine, reliquias Israel : ipsi enim sunt filii Abrahæ secundum carnem; ipsi sunt cognati tui, cognati Apostolorum. Aufer ab eis velamen litteræ, et carnalium cæremoniarum, quod positum est super cor eorum, a diebus Mosis et Messiæ; ut in eis legant et videant spiritum, et mysteria Christi tui recondita : hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Da denique ut hic commentarius tuæ gloriæ, et Mosi tuo illustrando serviat, ut quicumque hæc legunt, et Pentateuchi, et Christi in eo figurati, et tuæ majestatis, quasi auctoris omnium, clariorem cognitionem nanciscantur, indeque ad majorem tui amorem, reverentiam et cultum incitentur. Fave hisce votis meis, S. Dei genitrix, Virgo Maria, effice apud benedictum Filium tuum ut eorum compos fiam. Tibi enim, ut matri meæ, omniumque quæ mea sunt, secundum hunc fœtum meum, æque ac primum refero et offero : tibi Mosen hunc meum, æque ac Paulum, dico, trado, consecro. Tuus enim est, non meus : tibi gloria, mihi autem confusio faciei meæ. Maria, mater Dei, memento mei, nunc, et in hora mortis. Da denique ut hæc scripta, hi apices singuli laudent te tuumque benedictum Filium cum Patre et Spiritu Sancto; laudent, inquam, et hoc sæculo, et futuris omnibus, cunctosque hæc lecturos ad jugem ejus laudem invitent : atque me mortuo perennem ejus gloriam loquantur, et testentur universis æternum et immensum ejus laudandi et glorificandi desiderium.

Amen.

Quia leges Mosaicæ, sive veteris Testamenti, plurimæ sunt, eæque sparsim et confuse toto Pentateucho proponuntur, et commiscentur, visum est eas omnes hic in suas classes distribuere, unicaque quasi synopsi ob oculos ponere.

SYNOPSIS

OMNIUM PRÆCEPTORUM,

QUÆ

DEUS MOYSI DEDIT, COLLECTA EX PENTATEUCHO.

Leges, sive præcepta Mosaica, alia sunt	Simplicia: alia sunt	Moralia sive naturalia.
		Cæremonialia.
		Judicialia.
	Mixta: alia sunt	Moralia et cæremonialia simul.
		Moralia et judicialia simul.
		Cæremonialia et judicialia simul.
		Moralia, cæremonialia, et judicialia simul.

Præcepta moralia, sive Decalogi.

Primum. I. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes : non habebis deos alienos coram me : non facies tibi sculptile : non adorabis ea, neque coles, *Exodi* XX, 4. Huc pertinent, et hæc explicant sequentia :

1. Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, *Deut.* VI, 4.

2. Erunt hæc verba in corde tuo : narrabis ea filiis tuis; meditaberis in eis sedens et ambulans, dormiens atque consurgens, *Ibid.*

3. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis, *Deut.* VI, 16.

4. Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester, *Levit.* XIX, 2.

5. Non inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, et quærat a mortuis veritatem, *Deut.* XVIII, 10.

6. Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo, *Ibid.* vers. 13.

7. Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, *Ibid.* vers. 15.

8. Si surrexerit prophetes, et frater, filius, filia, aut uxor dixerit : Eamus, et serviamus diis alienis; non acquiesces, sed statim interficies, *Deut.* XIII, 2 et 6.

9. Non facietis deos aureos, vel argenteos, *Exodi* XX, 23. Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem, ut adoretis eum, *Levit.* XXVI, 1.

10. Non adores, nec colas solem, lunam, stellas, etc., *Deut.* IV, 19. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator, *Ibidem* vers. 24.

11. Dissipate aras deorum Gentium, confringite statuas, lucos comburite, idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis suis, *Deuter.* XII, 3.

12. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo, *Deut.* IV, 2.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum, qui id fecerit, *Exodi* XX, 7. Huc pertinent, et hoc explicant sequentia : Secundum.

1. Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro, *Exodi* cap. XXIII, vers. 13.

2. Per nomen Domini Dei tui jurabis, *Deuter.* cap. VI, vers. 13.

3. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui : ego Dominus, *Levit.* XIX, 12.

4. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, *Deut.* XXIII, 21 et 22.

5. Qui maledixerit Deo, et blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, *Levit.* XXIV, 15.

Tertium. III. Memento ut diem sabbati sanctifices : non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et septimo die requievit, *Exodi* XX, 8.

Quartum. IV. Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, *Ibid.* vers. 12. Huc pertinent quæ sequuntur :

1. Diis non detrahes, et Principi populi tui non maledices, *Exodi* XXII, 28.

2. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio, *Deut.* XVI, 18.

3. Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum, *Ibidem.*

4. Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Dominum, *Levit.* XIX, 32.

Quintum. V. Non occides, *Exodi* XX, 13. Huc pertinent :

1. Ne oderis fratrem in corde tuo, *Levit.* cap. XIX, vers. 17.

2. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, *Ibidem.*

3. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum : sed timebis Dominum Deum tuum, *Ibid.* vers. 14.

4. Proximum vi non opprimes, *Ibid.* vers. 13.

5. Non interficientur patres pro filiis, nec filii pro patribus, *Deut.* XXIV, 16.

Sextum. VI. Non mœchaberis, *Exodi* XX, 13. Huc pertinent :

1. Prohibitiones matrimonii, et copulæ cum patre et matre, *Levit.* XVIII, 7; cum noverca, vers. 8; cum sorore, vers. 9; cum nepte, vers. 10; cum sorore privigna, vers. 11; cum amita et matertera, vers. 21 et 13.

2. Rursum in gradibus affinitatis, cum uxore patrui, vers. 14; cum nuru, vers. 15; cum uxore fratris, vers. 16; cum filia et nepte privigna, vers. 17; cum sorore uxoris, vers. 18.

3. De semine tuo non dabis idolo Moloch, *Ibid.* vers. 21.

4. Cum omni masculo non commiscearis, *Ibid.*

5. Cum omni pecore non coibis, *Ibid.*

6. Ne prostituas filiam tuam, *Levit.* XIX, 29.

7. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel, *Deut.* cap. XXIII, vers. 17.

Septimum. VII. Non furtum facies, *Exodi* XX. Huc pertinent :

1. Non decipiet unusquisque proximum suum, *Levit.* XIX, 11.

2. Non contristabis, nec affliges advenam et peregrinum : quia et vos peregrini fuistis in Ægypto, *Exodi* XXII, 21.

3. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseris eos, clamabunt ad me, et ego exaudiam eos, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli, *Ibidem*, et *Deut.* cap. X, vers. 18.

4. Nolite facere iniquum aliquid in regula, in pondere, in mensura, *Levit.* XIX, 35.

5. Statera justa, et æqua pondera sint, justusque modius, æquusque sextarius : ego Dominus, *Ibid.*

6. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor, *Deut.* XXV, 13.

7. Non transferes terminos proximi tui, *Deut.* XIX, 14.

8. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis : non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, *Levit.* XIX, 15.

9. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animal pro animali, *Levit.* XXIV, 28.

Octavum. VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, *Exodi* XX, 14. Huc pertinent :

1. Non suscipies vocem mendacii, *Exodi* cap. XXIII, vers. 1.

2. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies, *Ibid.*

3. Mendacium fugies, *Ibid.* vers. 7.

4. Non eris criminator, nec susurro in populo, *Levit.* XIX, 16.

5. Non facies calumniam proximo tuo, *Ibidem* vers. 13.

Nonum. IX. Non concupisces uxorem proximi tui, *Deuteron.* V, 20.

Decimum. X. Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt, *Ibid.*

HÆC SUNT MORALIA, SIVE NATURALIA PRÆCEPTA DECALOGI, QUÆ DEUS PER MOSEN HEBRÆIS DEDIT; SEQUUNTUR CÆREMONIALIA, IN SUAS CLASSES DISTRIBUTA.

Cæremonialia

1. De loco victimarum et sanctuarii.
2. De vasis Sancti sanctorum.
3. De vasis Sancti.
4. De vasis atrii.
5. De tabernaculo et atrio.
6. De vestibus sacerdotum et pontificis.
7. De consecratione eorum et Levitarum.
8. De eorum dotibus et muniis.
9. De eorumdem urbibus et proventibus.
10. De sacrificiis.
11. De primogenitis, primitiis et decimis.
12. De censu et oblationibus.
13. De Nazaræis et votis.
14. De puerpera.
15. De lepra et leprosis.
16. De iis qui fluunt semine aut sanguine.
17. De eunucho et mamzere.
18. De aqua lustrationis.
19. De munditie castrorum.
20. De simplicitate.
21. De habitu et vestitu.
22. De cibis mundis et immundis.
23. De festis.
24. De homicidiis.

I. Cæremoniale de loco victimarum, et sanctuarii.

1. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, sed in eo quem elegerit Dominus, ibi offeres holocausta, victimas, decimas, primitias, vota, donaria et primogenita; ex iisque comedes ibi in conspectu Domini, et lætaberis, *Deut.* cap. XII, vers. 6, 7, 13, 14.

2. Quod si longior sit via et locus, vendes ea, et proficiscens ad locum, ex pretio emes quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram; et comedes coram Domino, tu et domus tua, et Levita, qui intra portas tuas est, *Deut.* XIV, 24.

3. Quin et si ad esum tantum mactes bovem, ovem aut capram, id facies apud templum, dummodo non procul ab eo habites, ut ibi adipem Deo adolere, et sanguinem illi effundere et libare possis, *Deut.* XII, 20.

4. Ter in anno ascendes ad templum, scilicet in Paschate, in Pentecoste, et in festo Tabernaculorum : nec apparebis in conspectu meo vacuus, *Deut.* XVI, 16.

5. Proclamabunt Levitæ maledictiones versus montem Hebal, in violantes legem Dei, et benedictiones versus Garizim, in observantes legem Dei juxta ritum explicatum *Deuter.* XXVII.

II. Cæremoniale de vasis Sancti sanctorum, scilicet de arca, propitiatorio et Cherubim.

1. Arcam de lignis setim compingite, et deaurate, cujus longitudo habeat duos cubitos et semis, latitudo cubitum et dimidium, altitudo cubitum et dimidium, habeatque quatuor circulos aureos, quibus inserantur duo vectes, ut portetur in eis, ponesque in arca tabulas legis, *Exodi* cap. XXV, vers. 10.

2. Facies et propitiatorium de auro mundissimo, quod sit operculum arcæ, *Ibid.* vers. 17.

3. Duos quoque Cherubim aureos facies, qui utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, et respiciant se mutuo : inde loquar ad te, *Ibid.* vers. 18.

III. Cæremoniale de vasis Sancti, scilicet de mensa, candelabro et altari thymiamatis.

1. Facies mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem : eamque inaurabis, et pones super eam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies et annulos, et vectes, quibus portetur, *Exodi* XXV, 23. De panibus hisce vide dicta *Levit.* XXIV, 5.

2. Facies et candelabrum ductile ex talento auri, quod habeat septem calamos, qui singuli habeant tres ordines scyphorum; sphærularum et liliorum. Impones eis lucernas septem cum oleo, ut luceant ex adverso, *Ibid.* vers. 31.

3. Lucernas has disponet et accendet sacerdos vespere, ut luceant usque mane, *Exodi* XXVII, 21.

4. Facies altare ad adolendum thymiama de lignis setim, habens cubitum longitudinis, et cubitum latitudinis, et duos cubitos altitudinis : vesties illud auro. Facies et annulos, et vectes, quibus portetur; pones illud ante velum, quod est ante arcam, *Exodi* XXX, 1.

5. Adolebit sacerdos super illud thymiama, mane et vespere, *Ibid.* vers. 7.

6. Thymiama compones ex stacte, onyche, galbano, et thure lucidissimo, *Ibid.* vers. 34.

IV. Cæremoniale de vasis atrii, scilicet de altari holocaustorum, et labro æneo.

1. Facies altare de lignis setim, quod habeat quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres in altitudine; cavum erit; craticulam illi facies æneam, item vectes, denique lebetes, forcipes, fuscinulas, et ignium receptacula, *Exodi* XXVII, 1.

2. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna, *Levit.* VI, 12.

3. Altare de terra aut lapide insecto facies mihi, et offeres super eo victimas, *Exodi* XX, 24.

4. Non ascendes per gradus ad altare meum, *Ibid.* vers. 26.

5. Non plantabis lucum apud altare, *Deut.* XVI, 21.

6. Facies labrum æneum, ut missa aqua, lavent in ea sacerdotes manus suas et pedes, quando accessuri sunt ad altare, *Exodi* XXX, 18.

V. Cæremoniale de ipso tabernaculo et atrio.

1. Facies tabernaculum, id est Sanctum sanctorum, et Sanctum, et ante Sanctum, atrium.

2. In Sancto sanctorum pones arcam, cum propitiatorio et Cherubim : item urnam cum manna, *Exodi* XVI, 34, et virgam Aaron quæ floruit, *Numer.* XVII, 10.

3. In Sancto pones mensam in parte australi, candelabrum in meridionali, in medio altari thymiamatis, *Exodi* XL, 20 et seq.

4. Denique in atrio pones altare holocaustorum et labrum æneum, *Ibid.* vers. 26 et seq.

5. Tabernaculum compinges ex viginti tabulis, utrimque in longum porrectis, et a tergo in latum decem tabulis; anterius vero velo tegetur; tabulæ hæ singulæ erunt altæ decem cubitos, latæ cubitum cum dimidio. Unde longitudo tabernaculi erit 30 cubitorum, latitudo decem, altitudo decem, ita ut Sanctum sanctorum habeat decem cubitos, tam longitudinis, quam latitudinis et altitudinis; Sanctum vero habeat reliquos 20 cubitos longitudinis, latitudinis vero et altitudinis decem; velum polymitum dividat Sanctum a Sancto sanctorum.

6. Tabulæ hæ singulæ habeant binas bases argenteas, quibus in terra subsistant; habeant et vectes quinque utrimque, quibus invicem astringantur.

7. Tabulæ hæ pro tecto habeant quatuor tegumenta, scilicet primum, decem cortinarum polymitarum; secundum, undecim sagorum cilicinorum; tertium, pelles arietum rubricatas; quartum, pelles ianthinas, *Exodi* XXVI.

8. Atrium sit ante Sanctum sub dio, quod undique cingatur columnis et velis : in ejus anteriori parte sacerdotes sacrificent; in posteriori sit populus orans, et spectans sacrificia, *Exodi* XXVII, 10.

VI. Cæremoniale de vestibus Sacerdotum et Pontificis.

1. Facies pontifici sex vestes : *primo*, ephod, *secundo*, rationale cum 12 gemmis, in quibus insculpes 12 nomina filiorum Israel, item *urim* et *tummim*, id est doctrina et veritas; *tertio*, tunicam hyacinthinam cum zona polymita, ex qua inferne dependebunt tintinnabula, et mala punica; *quarto*, tiaram cum lamina aurea, cui inscribes : « Sanctum Domino; » *quinto*, tunicam lineam cum balteo; *sexto*, femoralia linea.

2. Sacerdotibus vero facies, *primo*, femoralia linea; *secundo*, tunicam lineam cum balteo; *tertio*, cidarim, sive tiaram, *Exodi* XXVIII.

VII. Cæremoniale de consecratione Pontificis, sacerdotum et Levitarum.

1. Facies unguentum ex stacte, cinnamomo, calamo, casia et oleo, eoque unges et consecrabis tabernaculum, arcam, mensam, candelabrum, labrum, altare, omniaque vasa eorum, Aaronem quoque cum filiis, *Exodi* cap. XXX, vers. 23.

2. Consecra, o Moses, Aaronem et filios ejus sacerdotes, hoc ritu : *primo*, lava eos; *secundo*, indue eos vestibus sacerdotalibus; *tertio*, offer vitulum pro peccato, et duos arietes, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam, cum panibus azymis; *quarto*, per dies septem quotidie unge tam ipsos, quam altare. Denique, die octavo Aaron suas quasi primitias celebret, omnisque generis victimas immolet, *Exodi* XXIX, et *Levit.* VIII et IX; tumque 12 principes 12 tribuum sua dona offerant tabernaculo recens erecto, scilicet *primo*, simul sex plaustra; *secundo*, seorsim singuli vicissim suas victimas, et vasa ad usum tabernaculi, *Num.* VII.

3. Levitas hoc ritu consecra : *primo*, tu, o Moses, asperge eos aqua lustrationis; *secundo*, radant ipsi pilos omnes carnis suæ; *tertio*, lavent vestes suas; *quarto*, offerant unum bovem pro peccato, alterum in holocaustum; *quinto*, siste eos Domino; *sexto*, filii Israel imponant eis manus suas; *septimo*, Aaron offerat eos Domino, eorumque boves immolans, pro eis oret, *Num.* cap. VIII, vers. 6.

VIII. Cæremoniale de eorum dotibus et muniis.

1. Levitæ servient in tabernaculo a 25 anno usque ad 50, *Ibid.* vers. 25.

2. Levitæ custodiant et portent omnia vasa tabernaculi, *Num.* III, 6, scilicet Caathitæ portent arcam, mensam, candelabrum et altare; Gersonitæ cortinas et vela; Meraritæ tabulas, vectes, columnas et bases, *Num.* IV.

3. Sacerdotes careant maculis, id est vitiis corporis, puta non sint cæci, non claudi, non parvo, grandi, vel torto naso, non fracto pede, vel manu, non gibbosi, non lippi, non habeant albuginem in oculo, non jugem scabiem, vel impetiginem, non sint herniosi, *Levit.* XXI, 17.

4. Sacerdotes abstineant funeribus et planctu.

5. Pontifex nec matrem, nec patrem plangat, *Ibid.* vers. 2.

6. Pontifex uxorem non ducat, nisi virginem, et nobilem, *Ibid.* vers. 13.

7. Sacerdotes, cum ingrediuntur tabernaculum, vinum et siceram non bibant, ne moriantur, ut discernant inter sanctum et profanum, utque doceant filios Israel præcepta mea, *Levit.* cap. X, vers. 9.

8. Quicumque a stirpe Aaron fuerit leprosus, seminifluus, aut immundus, non comedet ex iis quæ Deo sanctificata sunt, *Levit.* XXII, 4.

9. Sacerdotum munus est : *primo*, sacrificare in atrio; *secundo*, quotidie vespere accendere lucernas candelabri in Sancto; *tertio*, singulis diebus sabbatinis ponere novos panes propositionis in men-

sa; *quarto*, quotidie mane et vespere adolere thymiama; *quinto*, benedicere populo.

10. Proprium pontificis est, semel in anno, in die expiationis, expiare totum populum, ipsumque tabernaculum, lustrando Sanctum sanctorum, *Levit.* XVI.

11. Hac forma sacerdotes benedicant populo : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat tibi faciem suam, et misereatur tui, convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem, *Num.* VI, 24.

IX. Cæremoniale de eorumdem urbibus et proventibus.

1. In terra Israel partem non habeant sacerdotes et Levitæ, *Num.* XVIII, 20.

2. Dabitis Levitis urbes ad habitandum, et suburbana ad mille cubitos in circuitu, pro alendis eorum pecoribus, *Num.* XXXV.

3. Sacerdotes habeant, *primo*, omnia primogenita; *secundo*, omnes oblationes; *tertio*, omnes victimas, puta ex holocausto pellem; ex pacifica pectusculum, et armum dextrum; ex hostia pro peccato totam carnem; ex mincha totum, excepto pugillo qui crematur Domino, *Levit.* VI et VII; et *Num.* XVIII.

4. Levitæ habeant omnes decimas, ex iisque rursum decimas dent sacerdotibus, easque meliores et selectiores, *Num.* XVIII, 26.

5. Si Levites, desiderans servire Domino, ex urbe sua venerit ad templum, ut ibi ei ministret, partem ciborum accipiet eamdem, quam et cæteri qui ministrant : insuper et partem decimarum, quæ ei in sua urbe ex lege debetur, nanciscetur, *Deut.* XVIII, 6.

X. Cæremoniale de sacrificiis, scilicet de holocausto, mincha, hostia pacifica et victima pro peccato.

1. Victima holocausti sit mascula et integra, totaque Deo comburatur, excepta pelle, quæ cedet sacerdoti sacrificanti, *Levit.* VII, 8, et *Levit.* I.

2. Victima hæc sit vel ex bobus, vel ex ovibus et capris, vel ex turturibus et columbis, *Levit.* I.

3. Quotidie offeres holocaustum juge, puta agnum mane, et agnum vespere, qui tota nocte in altari cremetur, cum decima parte ephi similæ, quæ conspersa sit oleo quartæ partis hin : et simul libabis vini quartam partem hin, tam mane, quam vespere, *Num.* XXVIII, 3.

4. Mincha, id est sacrificium farreum, offeratur, vel ex simila, vel ex spicis, vel ex panibus coctis, sive clibano, sive sartagine, sive craticula, *Levit.* II.

5. Mincha sale condiatur, eique infundatur oleum, et imponatur thus.

6. Mincha sit infermentata, et careat melle, *Ibid.*

7. Pugillus ex mincha cremetur Deo : reliquum cedat sacerdoti, *Ibidem.*

8. Hostia pacifica sit bos, ovis, aut capra : ex ea, *primo*, sanguis et adeps, cum renibus, et cauda si sit ovis, adoleatur Deo; *secundo*, pectus et armus dexter cedat sacerdoti sacrificanti; *tertio*, caro reliqua cedat laico offerenti, *Levit.* cap. III.

9. Immundus non comedet ex ea, *Levit.* VII, 20, sed soli mundi, tam mares, quam feminæ, idque primo die, si sit hostia gratiarum actionis; vel etiam secundo die, si sit hostia votiva, vel spontanea : si quid supersit tertio die, igne comburetur, *Levit.* VII, 15.

10. Hostia pro peccato, per ignorantiam commisso a pontifice, vel populo, sit hircus; a plebeio, sit capra, vel ovis, *Levit.* IV. Ex hac sanguis, adeps, renes et cauda cremabuntur Deo, reliquam carnem comedent sacerdotes, cum filiis masculis, *Levit.* VII, 3, et *Levit.* VI, 18.

11. Qui calumniam, aut injuriam fecit proximo, offerat arietem pro peccato, *Levit.* VI, 6.

12. Victima quælibet sit sine macula, id est sit integra, puta non sit cæca, fracta, scabiosa, etc. *Levit.* XXII, 22.

13. Victima carnium habeat sua libamina, puta similam, oleum, vinum, sal et thus, ea mensura quæ præscribitur, *Numer.* XV, 4.

14. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, *Numer.* X, 10.

XI. Cæremoniale de primogenitis, primitiis et decimis.

1. Sanctifica mihi omne primogenitum masculum, tam de hominibus, quam de jumentis : mea sunt enim omnia, *Exodi* XIII, vers. 2 et 12.

2. Primogenitum asini mutabis ove : quod si non redemeris, interficies, *Ibidem.*

3. Primogenitum hominis pretio redimes, puta quinque siclis, *Num.* XVIII, 16.

4. Primogenitum animalis septem diebus sit cum matre sua : die octava reddes illud mihi, *Exodi* XXII, vers. 30.

5. Primogenita nemo poterit vovere : Domini enim sunt, *Levit.* XXVII, 26.

6. Primogenitum immundum redimatur, *Ibid.* vers. 27.

7. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium, *Deuter.* XV, 19.

8. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu (o sacerdos) et domus tua, *Ibidem* vers. 20.

9. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini, *Exodi* XXIII, 19.

10. Primitias spicarum hordei offeres in Paschate, puta die secunda azymorum, *Levit.* XXIII, vers. 10.

11. Primitias panum offeres in Pentecoste, *Ibid.* vers. 17.

12. Primitias frugum omnium offeres in fine anni, easque offerens dices : Profiteor hodie coram Domino, quod Deus introduxerit me in terram melle et lacte manantem, etc. *Deut.* XXVI, 2 et seq.

13. Cum plantaveris arborem, fructus, quos tribus primis annis illa proferet, abjicies quasi immundos et incircumcisos : fructus vero quarti

anni offeres Domino; itaque quinto anno vesceris fructibus ejus, *Levit.* XIX, 23.

14. Decimæ fructuum et frugum omnium Deo offerantur, *Levit.* XXVII, 30.

15. Decimæ animalium, puta ovis, bovis et capræ, Deo offerantur, *Ibid.* vers. 32.

16. Quotannis duplices decimas separabis, primas dandas Levitis, secundas pro itinere, et victimis dandis Deo, cum ter in anno ascendes ad templum; tertio vero anno tertias separabis decimas pro pauperibus, *Deut.* XIV, vers. 22 et 28.

XII. Cæremoniale de censu solvendo et de oblationibus.

1. Quando tuleris summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis, puta dimidium sicli, idque trades in usus tabernaculi, *Exodi* XXX, vers. 12, 13, 16.

2. Offerant filii Israel pro fabrica tabernaculi aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum, byssum, pilos caprarum, pelles arietum, ligna setim, oleum, aromata, lapides onychinos et gemmas, *Exodi* XXV, 3.

3. Non offeres mercedem meretricis, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, *Deut.* XXIII, vers. 18.

4. Levitæ decimas meliores et pinguiores offerant Domino, *Num.* XVIII, 32.

XIII. Cæremoniale Nazaræorum et votorum.

1. Vovens votum Nazaræi, vinum, siceram, et quidquid ab uvis exprimitur, non bibet, nec uvas recentes, aut siccas comedet. *Secundo*, comam non tondebit. *Tertio*, non intrabit ad funus, etiam patris et matris. *Quarto*, si quis coram eo moriatur, polluetur: unde radet caput die primo et septimo; octavo vero die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum. *Quinto*, completis diebus voti, offeret agnum anniculum in holocaustum, et ovem anniculam pro peccato, et arietem in hostiam pacificam, cum sua simila et libamine: tuncque radet caput, et crines comburet Domino, *Num.* VI.

2. Homo qui se devovit Deo, redimat se pretio, quod pro ætate et sexu taxatur a Deo, *Levit.* XXVII, 2.

3. Animal immolabile, Deo per votum oblatum, reipsa detur, non mutetur in aliud, nec redimatur, *Ibid.* vers. 9.

4. Animal quod immolari non potest, si Deo voveatur, vendatur pretio, quod sacerdos statuet; quod si vovens dare voluerit, addat insuper quintam pretii partem, *Ibid.* vers. 11.

5. Domus Deo vota, pretio a sacerdote taxando vendatur: quod si vovens eam redimere voluerit, addat pretio taxato quintam ejus partem, *Ibid.* vers. 14.

6 Hæres vovens agrum hæreditarium, qui triginta modiis hordei seritur, redimere eum potest 50 siclis, solvendis pro rata annorum, qui supersunt usque ad jubilæum: quod si eum non redimat, sed ager alteri vendatur, nunquam ipse eum, ne quidem in jubilæo, recipere poterit, sed ager absolute et in perpetuum cedet in jus Dei et sacerdotum, *Ibid.* vers. 16.

7. Si vovens agrum non sit hæres, sed emptor agri, hic redimet eum pretio quod taxabit sacerdos, juxta numerum annorum, qui supersunt usque ad jubilæum: nam in jubilæo ager ad primum hæredem redire debet, *Ibid.* vers. 22.

8. Quod per votum *cherem*, id est anathematis, Deo consecratum est, non redimatur, sed moriatur, aut naturaliter, si animal sit; aut civiliter, si homo sit, domus aut ager, *Ibid.* vers. 28.

9. Pater filiæ, maritus uxoris votum irritare potest, si illi contradicat statim, id est primo die quo illud rescivit; quod si eo die taceat, secundo die contradicere votumque irritare nequit, *Num.* cap. XXX.

XIV. Cæremoniale purificationis puerperæ.

1. Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, *Levit.* XII.

2. Octavo die circumcidetur infantulus, *Ibid.*

3. Ipsa manebit triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ, *Ibid.*

4. Sin feminam pepererit, immunda erit 14 diebus, et 66 diebus manebit in sanguine purificationis suæ, *Ibid.*

5. Cumque expleti fuerint dies purificationis, offeret agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato: si pauper sit, offeret duos turtures tantum, vel duos pullos columbarum, *Ibid.*

XV. Cæremoniale de lepra et leprosis.

1. *Levit.* XIII, septem statuuntur species lepræ. *Prima* est lepra alba et lucens, vers. 3. *Secunda* est lepra recurrens, vers. 7. *Tertia* est lepra inolita, vers. 10. *Quarta* est lepra mundissima, vers. 13. *Quinta* est lepra capitis et barbæ, vers. 29. *Sexta* est lepra in calvitio, vers. 42. *Septima* est lepra vestis, vers. 47, et domus, cap. XIV, vers. 15.

2. *Levit.* XIII, 44, quinque mandantur leproso: *primo*, ut habeat vestes dissutas; *secundo*, caput nudum; *tertio*, os tectum; *quarto*, clamet se sordidum; *quinto*, solus habitet extra castra.

3. *Levit.* XIV, statuitur ritus, quo legaliter expiari debet is qui a lepra est curatus, scilicet ut *primo*, sacerdos aspergat expiandum sanguine passeris, per alium passerem, alligatum baculo cedrino cum cocco et hyssopo; mox passerem vivum avolare sinat, vers 5. *Secundo*, expiandus lavet vestes, radat pilos corporis, ac lavet seipsum, vers. 8. *Tertio*, die octavo offerat agnum pro delicto, et agnum pro peccato, et ovem anniculam in holocaustum, cum tribus decimis similæ, et olei sextario, vers. 10. Si mundandus sit pauper, pro hisce jam dictis, offerat agnum pro delicto, et duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum,

cum tribus decimis similæ et olei sextario, vers. 21. *Quarto*, sanguine agni tingat sacerdos aurem dextram mundandi, et pollices dextræ manus et pedis. *Quinto*, ex oleo aspergat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundat super extremum auriculæ dextræ, et super pollices manus ac pedis dextri, et super caput expiandi, vers. 25 et seq. Simili ratione lustranda est vestis, aut domus, cum a lepra fuerit curata, vers. 49.

XVI. Cæremoniale de seminifluis, concumbentibus, menstruatis et hæmorrhoissis.

1. Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit, *Levit.* XV, 2.

2. Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit, *Ibid.*

3. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, etc. *Ibid.* vers. 4.

4. Si sanatus fuerit, numerabit septem dies, et lotis vestibus, et toto corpore, erit mundus, *Ibid.* vers. 13.

5. Die autem octavo offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ : unum pro peccato, alterum in holocaustum, *Ibid.* vers. 14.

6. Vir de quo egreditur semen coitus (concumbens cum muliere), lavabit aqua omne corpus suum, et erit immundus usque ad vesperam, *Ibid.* vers. 16. Idem faciet mulier, *Ibid.* vers. 18.

7. Mulier qui patitur menstrua, septem diebus separabitur, *Ibid.* vers. 19.

8. Hæmorrhoissa immunda erit; omne stratum in quo dormierit, et omne vas in quo sederit, pollutum erit, *Ibid.* vers. 25.

9. Si steterit sanguis, numerabit septem dies, et octavo die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato alterum in holocaustum, *Ibid.* vers. 28 et 29.

XVII. Cæremoniale de eunucho et mamzere, sive spurio.

1. Non intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, Ecclesiam Domini, *Deut.* XXIII, 1.

2. Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem, *Ibid.* vers. 2.

XVIII. Cæremoniale de aqua lustrationis ex cinere vitulæ rufæ.

1. Accipe vaccam rufam sine macula, quæ non portaverit jugum, hanc immolet sacerdos extra castra, totamque comburat cum ligno cedrino, cocco bis tincto, et hyssopo. Colliget autem vir cineres vaccæ, qui in aquam vivam spargentur, iisque is qui immundus est, præsertim ex contactu mortui, vel morticini, aspergetur die tertio et septimo, itaque expiabitur, *Num.* XIX.

2. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo : omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et omnia vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus : sic et qui tangunt cadaver, vel ossa, aut sepulcrum hominis mortui, immundi sunt, et expiabuntur aspersione aquæ cineralis jam dictæ, die tertio et septimo, *Ibid.* vers. 14.

3. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, *Ibid.* vers. 20.

XIX. Cæremoniale de munditie castrorum.

1. Homo nocturno pollutus somnio egredietur extra castra, et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua, *Deuter.* XXIII, 10.

2. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo ; cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies quo relevatus es, et sint castra tua sancta, et nihil appareat in eis fœditatis : quia Dominus est in medio castrorum tuorum, *Ibid.* vers. 12.

XX. Cæremoniale de simplicitate et fuga duplicitatis.

1. Non seres vineam tuam altero semine, *Deut.* XXII, 9.

2. Non arabis in bove et asino, *Ibid.* vers. 10.

3. Non indueris veste ex lana et lino contexta, *Ibid.* vers. 11.

4. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus, *Levit.* XIX, 19

XXI. Cæremoniale de habitu et vestitu.

1. Non attondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam, *Levit.* XIX, 27.

2. Super mortuo non incidetis carnes, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis, *Ibid.* vers. 28.

3. Non facietis calvitium super mortuo : quoniam populus sanctus es Domino, *Deut.* XIV, 1.

4. Vestes vestræ habeant fimbrias cum vittis hyacinthinis, quæ vos semper admoneant legis Dei, *Num.* XV, 37.

XXII. Cæremoniale de cibis mundis et immundis.

1. Terrestria quæ ungulam dividunt, et ruminant, munda sunt, ut bos, ovis, hædus, cervus, caprea, bubalus, tragelaphus, pygargus, camelopardalus, *Deuter.* XIV, 4.

2. Quæ vero ungulam non dividunt, ut camelus, lepus, cuniculus, chœrogryllus ; aut non ruminant, ut porcus, immunda sunt, *Levit.* XI, 3 et 4.

3. Pisces mundi sunt, qui habent pinnulas et squamas ; immundi, qui vel pinnulis, vel squamis carent, *Ibid.* vers. 9.

4. Aves immundæ sunt, aquila, gryphus, haliæetus, ixius, vultur, milvus, struthio, noctua, larus, accipiter, herodius, cycnus, ibis, mergulus, porphyrio, nycticorax, onocrotalus et charadrius, *Deut.* XIV, 11.

5. Omne quod reptat, et pennulas habet, immundum est, *Ibid.* vers. 19.

6. Reptilia omnia immunda sunt, et tangentem contaminant, *Levit.* XI, 29.

7. Locustæ, quia saliunt, mundæ sunt, *Ibid.* 21.

8. Mustela, mus, crocodilus, mygale, cameleon, stellio, lacerta, talpa, immunda sunt, *Ibid.* 29.

9. Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit, *Ibid.* vers. 34.

10. Si mortuum fuerit animal, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperam; et qui comederit ex eo, lavabit vestes suas, et immundus erit usque ad vesperam, *Ibid.* vers. 39.

11. Non comedetis animal sponte mortuum, sed peregrino illud vendetis, *Deut.* XIV, 21.

12. Carnem quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus, *Exodi* XXII, 31.

13. Adipem non comedetis, sed Deo adolebitis, si sitis juxta templum, *Levit.* XVII.

14. Sanguinem non comedetis, sed eum Deo effundetis, *Ibid.*

XXXIII. Cæremoniale festorum.

1. Mensis iste (Nisan, id est martius) primus erit in mensibus anni. Decima ejus die tollat sibi quisque agnum aut hædum, qui integer sit, masculus anniculus, quem immolabit 14 die ad vesperam, assabit, et comedet cum lactucis agrestibus, et panibus azymis: septem diebus comedetis azyma, *Exodi.* XII, vers. 1 et seq.

2. Os non confringetis ex eo: nullus incircumcisus vescetur ex eo, sed quicumque circumcisus est, esto sit advena, sive servus, *Ibid.*

3. In eadem domo comedetur; non efferes extra domum foras e carne; non relinquent quidquam ex eo usque mane, sed quod reliquum est igne comburent, *Ibid.*

4. Qui fuerit immundus, aut in via procul, faciat phase mense secundo, die 14 ad vesperam, *Num.* IX, 10.

5. In loco quem elegerit Dominus ut habitet nomen ejus ibi, immolabis phase, *Deut.* XVI, 6.

6. Primo die azymorum et septimo, abstinebitis ab opere, *Exodi* XII, 16.

7. Secundo die azymorum offeres primitias spicarum hordei, et cum eis offeres agnum in holocaustum: nec ante gustabis novum panem, aut polentam, *Levit.* XXIII, 10.

8. In paschate quotidie per septem dies, immolabis in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, et pro peccato hircum unum, cum suis libaminibus, *Num.* XXVIII, 16.

Pentecostes.

1. Numerabis a secundo die azymorum 50 dies, et quinquagesima erit pentecoste, in qua offeretis panes primitiarum duos, offeretisque cum panibus septem agnos, vitulum unum, et arietem unum in holocaustum, hircum alterum pro peccato, et duos agnos in hostiam pacificorum, *Levit.* XXIII, 15.

2. Rursum ratione festi, offeretis vitulos duos, arietem unum, agnos septem in holocaustum, et hircum unum pro peccato, *Numer.* XXVIII, 28.

Tubarum.

Prima die mensis septimi erit festum clangoris tubarum: opus non facietis in eo, *Levit.* XXIII, 24, tuncque immolabitis vitulum unum, arietem unum, agnos septem, *Num.* XXIX, 1.

Expiationis.

Decima die mensis septimi, erit festum expiationis; in eo affligetis animas vestras, *Levit.* XXIII, 27; in eo offeretis vitulum unum, arietem unum, agnos septem, *Num.* XXIX, 7. Insuper pontifex dabit sortes duobus hircis, uter immoletur, uter sit emissarius, expiabitque Sanctum, et Sanctum sanctorum eo ritu, quem dixi *Levit.* XVI.

Tabernaculorum.

Decimo quinto die mensis septimi, celebrabitis festum tabernaculorum per septem dies, tumque, *primo,* habitabitis in tabernaculis; *secundo,* accipietis fructus citri, spatulas palmarum, ramos myrti et salicum, et saltabitis lætabundi coram Domino, *Levit.* XXIII, 34; *tertio,* offeretis per singulos dies victimas præscriptas, *Num.* XXIX, 12.

Cœtus.

Dies octava erit festum cœtus et collectæ, *Levit.* XXIII, 36.

Calendæ.

Primo die cujusque mensis, offeretis in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, cum suis libaminibus, *Num.* XXIX, 11.

Sabbatum.

Septimo die septimanæ, erit solemnitas sabbati; in eo non facietis opus, nec ignem accendetis, *Exodi* XXXV, 3. Tumque præter sacrificium juge, offeretis duos agnos in holocaustum, cum suis libaminibus, *Num.* XXVIII, 9.

Septimus annus.

Anno septimo, qui est libertatis et remissionis, *primo,* non seres, non metes, non putabis, non vindemiabis; *secundo,* remittes fratri tuo, puta Judæo, omnia quæ tibi debet; *tertio,* servos Hebræos liberos dimittes; *quarto,* leges Deuteronomium. Hæc omnia patent *Deut.* XV, 2 et seq., et cap. XXXI, 10, et *Exodi* XXV, 11, et cap. XXI, 2.

Jubilæum.

1. Anno septies septimo, id est 49, mense septimo, proclamabis sequentem annum quinquagesimum, fore jubilæum, *Levit.* XXV, 8 et seq.

2. In jubilæo, *primo,* non seres, nec metes; *secundo,* remittes Judæo omnia debita; *tertio,* servos manumittes; *quarto,* omnes redibunt ad avitas hæreditates gratis, et sine pretio, *Ibid.*

XXIV. Cæremoniale circa homicidia.

1. Si inventum sit cadaver occisi in agro, senio-

res urbis vicinæ adducent vitulam ad vallem asperam, ibique eam mactabunt, ac super eam lavabunt manus suas, et dicent : Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt; propitius esto populo tuo Israel, *Deut.* cap. XXI, vers. 1.

2. Homicida casualis sit in urbe refugii, usque ad mortem pontificis, *Num.* XXXV, 29.

ATQUE HÆC DICTA SINT DE CÆREMONIALIBUS MOSIS PRÆCEPTIS : SEQUUNTUR JUDICIALIA, IN SUAS CLASSES DISTRIBUTA.

Judicialia

1. Regis.
2. Belli.
3. Matrimonii et repudii.
4. Homicidiorum.
5. Cædis animalium.
6. Testis.
7. Servi et ancillæ.
8. Bestiarum.
9. Mercenariorum, peregrinorum et pauperum.
10. Pignorum.
11. Usurarum.
12. Furtorum et damnorum.
13. Depositi.
14. Commodati.

I. Judicialia regis.

1. Regem delige ex gente tua, isque non multiplicet, *primo*, equos; *secundo*, uxores; *tertio*, opes; *quarto*, describat legatque assidue Deuteronomium; *quinto*, superbe non efferat se supra populum, *Deuter.* XVII, vers. 14 et seq.

II. Judiciale belli.

1. Si exieris ad bellum, stabit sacerdos ante aciem, dicetque : Audi, Israel, nolite metuere, nolite cedere, quia Dominus in medio vestri est, *Deut.* XX, 1.

2. Duces quoque proclamabunt, ut qui ædificarunt novas domos, aut vineas, item sponsi et pavidi, domum redeant, *Ibid.* vers. 5.

3. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala, *Deut.* XXIII, 9.

4. Si urbs se dedat, fiat tributaria; sin vi expugnetur, masculi omnes occidantur, præter infantes : in Chananæa autem omnes omnino, etiam feminæ et infantes, occidantur, *Deut.* XX, 13.

5. Arbores frugiferas juxta urbem ne cædas, sed infrugiferas, ut ex iis machinas bellicas instruas, *ibid.* vers. 19.

6. Fac duas tubas argenteas ductiles, quibus convoces populum, cum movenda sunt castra, *Numer.* X.

7. Si exieritis ad bellum, clangetis ululantibus tubis, et Deus recordabitur vestri, dabitque victoriam, *ibid.* vers. 9.

8. Delebis memoriam Amalec de sub cœlo, *Deut.* XXV, 19.

9. Delebis Chananæos omnes, *Exodi.* cap. XXIII, vers. 33.

III. Judiciale matrimonii et repudii.

1. Matrimonium nemo contrahet in gradibus consanguinitatis et affinitatis prohibitis, *Levit.* cap. XVIII. Recensui eos ibi, et in præcepto sexto Decalogi.

2. Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, *Levit.* XVIII, 19.

3. Si frater mortuus sit sine liberis, uxorem ejus accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratri suo, et primogenitum nomine illius nominabit, *Deut.* XXV, 5.

4. Sin noluerit, uxor fratris coram senioribus tollet calceamentum de pedibus ejus, et spuet in faciem ejus, vocabiturque domus discalceati, *Ibid.*

5. Si uxor non invenerit gratiam in oculis mariti, ob aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam, *Deut.* XXIV, 1.

6. Si uxor dimissa nupserit secundo marito, et ille deinde dimiserit eam, non poterit illa ad priorem maritum reverti, *Ibid.* vers. 3.

7. Si quis in bello captam mulierem alienigenam, ob pulchritudinem adamarit, introducet eam in domum suam, quæ radet caput suum, et præcidet ungues, ac mutabit vestem, flebitque patrem et matrem per mensem, quo expleto accipiet eam in uxorem : si postea ei displicuerit, non vendat, sed liberam eam dimittat, *Deut.* cap. XXI, vers. 11.

8. Si maritus habuerit duas uxores, unam dilectam, alteram odiosam, et filius odiosæ fuerit primogenitus : dabit ei jura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ, *Ibid.* vers. 15.

9. Puellæ quæ, deficiente prole mascula, hæredes sunt patris sui, nubant in tribu sua, non aliena, *Num.* XXXVI, 7.

IV. Judiciale circa homicidia.

1. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur, *Levit.* XXIV, 17.

2. Non accipies pretium ab eo qui reus est sanguinis, sed occides eum sine misericordia, *Num.* XXXV, 31.

3. Qui irrogaverit maculam, sicut fecit, sic fiet ei : oculum pro oculo, dentem pro dente, restituet, *Levit.* XXIV, 19.

4. Qui casu, vel ignorans occidit hominem, fugiet ad civitates refugii, ibique manebit usque ad mortem pontificis, *Num.* XXXV, 25.

5. Si extra urbes refugii deprehendatur, propinquus occisi interficiet eum, *Ibid.* vers. 19.

6. Qui percusserit virum lapide, si surrexerit ille, et ambulaverit foris, percutiens operas ejus et impensas in medicos restituet, *Exodi* XXI, 19.

7. Qui percusserit servum vel ancillam virga, et illi mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit, *Ibid.*

8. Sin autem uno die, vel duobus supervixerint, non subjacebit pœnæ : quia servus est, qui pecunia est emptus, *Ibid.*

9. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, pendet percussor id quod arbitri judicabunt, *Ibid.*

10. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, *Ibid.*

11. Si percusserit quis oculum servi aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit : pari modo si dentem eis excusserit, *Ibid.*

12. Qui furem diurnum occidit, occidatur, *Exodi* cap. XXII, vers. 3.

13. Facies murum tecti per circuitum, ne quis ex eo labatur, sisque sanguinis reus, *Deut.* XXII, 8.

14. Suspensi cadaver non manebit in ligno, sed eadem die sepelietur : quia maledictus omnis, qui pendet in ligno, *Deut.* XXI, 22.

15. Si quem judices plagis dignum judicent, pro mensura delicti, erit et plagarum modus, sed numerum quadragenarium non excedet, *Deuter.* XXV, 3.

16. Si rixati fuerint duo viri, et uxor unius apprehenderit verenda alterius, abscindes manum illius *Deuter.* XXV, 11.

V. Judiciale circa cædem animalium.

1. Qui percusserit animal, reddet aliud, *Levit.* cap. XXIV, vers. 21.

2. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, *Ibid.*

3. Si bos cornupeta fuerit, et contestati sunt dominum, nec recluserit eum, occideritque hominem, bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occident, *Ibid.*

4. Si servum, vel ancillam invaserit, triginta siclos argenti domino dabit : bos vero lapidibus opprimetur, *Ibid.*

5. Si quis aperuerit cisternam, ceciderit que bos aut asinus in eam; reddet dominus cisternæ pretium jumentorum : quod autem mortuum est, ipsius erit, *Ibid.*

5. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit; vendent bovem, et dividentpretium : cadaver quoque mortui inter se dispertient, *Ibid.*

7. Si enim sciebat quod bos cornupeta esset, et non custodivit eum dominus, reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet, *Ibid.*

VI. Judiciale testis.

1. Non stabit testis unus contra aliquem; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, *Deuter.* XIX, 15.

2. Testis falsus crimen talione luat, detque animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, etc., *Ibid.*

3. Manus testium prima lapidet colentem deos alienos, deinde manus reliqui populi, *Deuter.* cap. XVII, vers. 7.

4. Testis, nisi indicaverit id quod vidit aut scit, portabit iniquitatem suam, *Levit.* V, 1.

VII. Judiciale servi et ancillæ, id est servæ.

1. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit, *Deut.* XXIII, 15.

2. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, et in septimo egredietur liber gratis, *Exodi* XXI, 1. Non dimittes eum vacuum, sed dabis ei viaticum, *Deuter.* XV, 13.

3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat; si habens uxorem, et uxor egrediatur simul, *Exodi* XXI, 3.

4. Sin dominus dederit illi uxorem, et peperit filios, mulier et liberi erunt domini sui; ipse vero exibit cum vestitu suo, *Ibid.*

5. Si uxorem et proles nolit dimittere servus, judices ad postem aurem ejus perforabunt subula, et servus erit domino suo in sæculum, id est usque ad jubilæum, *Ibid.* vers. 6.

6. Hebræa in servam emi nequit, nisi herus promittat se eam sibi, vel filio in uxorem accepturum; quod si illa postea ei displicuerit, non vendet eam, sed liberam dimittet, *Ibid.* vers. 7.

7. Si eam filio uxorem dederit, et insuper aliam ei superinduxerit, curabit ut priori, scilicet servæ, jus conjugale constet, cum congruo vestitu, et pretio pudicitiæ, id est sustentatione uxori debita : si tria ista non fecerit, egredietur serva gratis, fietque libera, *ibid.*

8. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes, sed quasi mercenarius operabitur apud te, usque ad jubilæum, tumque cum liberis suis liber egredietur, *Levit.* cap. XXV, vers. 39.

9. Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, et de advenis, *Ibid.* vers. 44.

10. Si quis Hebræus se vendiderit peregrino, unus e propinquis redimet eum pretio, taxando pro rata annorum, qui supersunt usque ad jubilæum; quod si redemptus refundere possit, exibit liber : sin autem, ut mercenarius serviet propinquo redimenti se, usque ad jubilæum, *Ibid.* vers. 47.

VIII. Judiciale circa misericordiam in bestias.

1. In nido non accipies matrem cum pullis, *Deut.* XXII, 6.

2. Si videris asinum amici, vel inimici tui sub onere decumbere, erigendo eriges eum, *Deuter.* XXII, 4, *Exodi* XXIII, 5.

3. Non arabis in bove et asino, *Deut.* XXII, 10.

4. Non coques hædum in lacte matris, *Exodi* cap. XXIII, vers. 19.

5. Non alligabis os bovi trituranti, *Deut.* XXV, 4.

6. Si videris bovem, asinum, aut pecudem, etc., fratris tui errare, colliges et reduces eum fratri tuo, etiamsi is tibi sit inimicus, *Deut.* XXII, 1.

7. Primogenitus bovis septem diebus sit cum matre sua, die octava offeres illum Domino, *Exodi* cap. XXII, vers. 20.

IX. Judiciale circa mercenarios, peregrinos, pupillos et viduas.

1. Non detinebis mercedem mercenarii usque mane, *Levit.* XIX, 13.

2. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit : foras autem ne efferas. Idem fac in segete et spicis, *Deut.* XXIII, 24.

3. Cum messueris segetes, non tondebis eas usque ad solum, nec remanentes spicas colliges : neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis capienda dimittes, *Levit.* XIX, 9.

4. Idem facies in olivis, in olea post excussionem remanentibus, *Deut.* XXIV, 20, et in manipulo quem oblitus es in agro, *Ibid.* vers. 9.

5. Cura ut in te non sit indigens et mendicus, *Deut.* XV, 4.

6. Aperies manum pauperi, et dabis mutuum, esto annus septimus remissionis instet, *Ibid.* vers. 7.

X. Judiciale circa pignora.

1. Si pignus acceperis a proximo vestimentum, ante noctem reddes ei : quia ipsum est, in quo dormit, *Exodi* XXII, 26.

2. Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam : quia inde ipsi et alii vivunt, *Deut.* XXIV, 6.

3. Cum repetes a proximo rem tuam, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas ; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit, *Ibid.* vers. 10.

XI. Judiciale circa usuras.

1. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ; sed alieno : fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis, *Deut.* XXIII, 19.

2. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes, *Exodi* XXII, 25.

XII. Judiciale circa furta et damna illata.

1. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit, aut vendiderit, quinque boves pro uno, et quatuor oves pro una restituet, *Exodi* XXII, 1.

2. Si vivens bos, aut asinus apud eum repertus fuerit, duplum restituet, *Ibid.* vers. 4.

3. Si non habet quod reddat, ipse vendatur, *Ibid.*

4. Occidens furem nocturnum, innocens habeatur ; occidens vero furem diurnum, occidatur, *Ibid.* vers. 2.

5. Qui deliquerit, et damnum fecerit proximo, confitebitur peccatum suum, et reddet ipsum caput, quintamque insuper partem ei in quem peccavit, *Num.* V, 5.

6. Si læserit quispiam agrum, vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro aut vinea, pro damni æstimatione restituat, *Exodi* cap. XXII, vers. 5.

7. Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succendit, *Ibid.* vers. 6.

8. Plagiarius, qui furatur hominem, ut vendat, occidatur, *Deut.* XXIV, 7.

XIII. Judiciale circa depositum.

1. Si depositarius per fraudem rem depositam interverterit, restituet duplum, *Exodi* XXII, 9.

2. Si per negligentiam ejus, res deposita sublata sit furto, reddet simplum, *Ibid.* vers. 12.

3. Si sine ejus negligentia et culpa res sublata sit, nihil restituet, *Ibid.* vers. 10 et 11.

4. Si depositum, puta animal, occisum sit a bestia, depositarius deferat ad deponentem id quod occisum est, et nil aliud restituat, *Ibid.* vers. 13.

XIV. Judiciale circa commodatum.

1. Qui a domino aliquid commodato postulavit, si illud debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur, *Exodi* cap. XXII, vers. 14.

2. Quod si dominus præsens fuerit, non restituet, præsertim si commodatarius, vel conductor commodatum non acceperat gratis, sed ejus usum mercede conduxerat, *Ibid.*

HÆC DICTA SUNT DE SIMPLICIBUS MOSIS PRÆCEPTIS ET LEGIBUS : SEQUUNTUR MIXTÆ, SIVE COMPOSITÆ, AC IN PRIMIS MORALES AC CÆREMONIALES SIMUL.

1. Memento ut diem sabbati sanctifices, *Exodi* XX, vers. 8.

2. Cave in matrimonio, et copula carnali gradus consanguinitatis et affinitatis, tum jure naturæ, tum lege divina cæremoniali vetitos *Levitici* cap. XVIII, quos recensui in sexto præcepto Decalogi.

3. Omne quod Domino consecratur voto *cherem*

id est anathematis, redimi non poterit, sed morte morietur, *Levit.* XXVII, vers. 28 et 29.

4. Decimas, et primitias animalium et frugum offer Domino, *Levit.* XXVII, vers. 30 et 32.

5. Ferias Domini celebrabitis, *Levit.* XXIII, 4.

6. Erunt præcepta Dei in corde tuo : ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et in ostiis domus tuæ, *Deut.* VI, 5.

7. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas, *Deut.* XII, 32.

8. Ascendes ad templum ter in anno, *Deut.* XVI, 16.

9. Consecra sacerdotes et pontifices, *Exodi* XXIX.

10. Offer Domino sacrificia, et victimas quaslibet, *Levit.* I et seq.

11. Offer aurum, argentum, æs, etc., ad fabricam templi, *Exodi* XXV, 3.

SECUNDÆ MOSIS LEGES MIXTÆ, SUNT MORALES ET JUDICIALES SIMUL.

I. Circa quatuor prima Decalogi præcepta.

1. Maleficos non patieris vivere, *Exodi* XXII, 18.

2. Qui immolat diis, occidetur, *Ibid.* vers. 20.

3. Vir sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, *Levit.* XX, 27.

4. Qui dederit de semine suo Moloch, lapidetur, *Ibid.* vers. 2.

5. Si surrexerit prophetes, filius, filia, aut uxor tua, et dixerit : Eamus, et serviamus diis alienis, statim interficies eum : sit primum manus tua super eum, et post te omnis populus mittat manum : lapidibus obrutus necabitur, *Deut.* cap. III, vers. 2, 6, 7, 8.

6. Si urbs idem fecerit, delebis eam cum incolis usque ad pecora : omnia quæ in ea sunt succendes et combures Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus : non ædificabitur amplius, *Ibid.* 13.

7. Qui maledixerit Deo, et blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit, *Levit.* XXIV, 16.

8. Chananæos omnes perdendo perdes, non inibis cum eis fœdus, nec conjugia; non habitabunt in terra tua : avocabunt enim filios tuos a me, et colent deos alienos, *Exodi* XXIII, 33.

9. Qui percusserit patrem, aut matrem, morte moriatur, *Exodi* XXI, 11.

10. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, *Ibid.* vers. 7.

11. Parentes filium rebellem et epulonem adducent ad judices : ex quorum sententia, lapidabunt eum omnes homines urbis illius, *Deut.* XXI, 19.

II. Circa sextum præceptum, puta circa incestam copulam et libidinem.

1. Mœchus et adultera morte mulctentur, *Levit.* XX, 1.

2. Si quis dormierit cum noverca, vel nuru sua, vel cum masculo, uterque moriatur, *Ibid.* Sic et qui dormierit cum matertera, amita, uxore fratris, vel patrui, aut avunculi sui, *Ibid.* vers. 18 et seq. Item qui viderit turpitudinem sororis suæ, *Ibid.* vers. 17.

3. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, vivus ardebit cum eis, *Ibid.* vers. 14.

4. Vir, vel mulier, quæ cum pecore congressa est, morte moriatur, *Ibid.* vers. 15.

5. Si quis in urbe concubuerit cum virgine, quæ alteri desponsa est, et illa non clamavit, uterque lapidibus obruetur, *Deuter.* cap. XXII, vers. 23.

6. Sin in agro id fecerit, ipse morietur solus : puella nihil patietur, *Ibid.*

7. Qui vim infert virgini non desponsatæ, eam habebit uxorem, nec poterit eam unquam dimittere; et insuper patri ejus solvet 50 siclos, *Ibid.* vers. 29.

8. Si quis dormierit cum ancilla, id est serva, vapulabunt ambo, et non morientur : quia non fuit libera, offerentque arietem pro peccato Domino, *Levit.* XIX, 20.

9. Si concubuerit quis cum virgine non desponsata, dotabit eam, et habebit eam uxorem, *Exodi* XXII, 16.

10. Si pater virginis eam dare noluerit, dotabit eam, *Ibid.*

11. Si maritus accuset sponsam dicens : Non inveni eam virginem : si verum est, quod objicit, lapidibus obruent eam; sin autem, proferent parentes virginis signa virginitatis ejus, et ex iis judices condemnabunt maritum ad verberationem, et ad centum siclos argenti, dandos patri sponsæ, atque sponsam tota vita sua retinere cogetur, *Deut.* XXII, 13.

12. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, *Deut.* XXII, 5.

TERTIÆ MOSIS LEGES MIXTÆ, SUNT CÆREMONIALES ET JUDICIALES SIMUL.

1. Qui non fecerit phase stato tempore, exterminabitur de populis suis, *Num.* IX, 13.

2. Septem diebus (phase) non invenietur fermentum in domibus vestris : qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, *Exodi* XII, 19.

3. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem et sanguinem,

lepram et lepram, causam et causam, et judicum intra portas tuas videris verba variari, etc., venies ad sacerdotes et ad judicem, faciesque quodcumque dixerint tibi, etc.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morietur, *Deut.* XVII, 8.

4. Idumæi et Ægyptii non intrabunt in Ecclesiam Domini, usque ad tertiam generationem, nec mamzer usque ad decimam, nec Ammonites et Moabites usque in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua, et quia conduxerunt contra te Balaam : non facias cum eis pacem, nec quæras eis bona, *Deuter.* XXIII, vers. 1 et seq.

5. Si inveneris nidum, non capies matrem cum pullis : sed capies pullos, et matrem evolare sines, *Deuter.* XXII, 6.

6. Non arabis in bove et asino, *Deuter.* XXII, 10.

7. Si maritus zelotypus uxorem habeat suspectam de adulterio, adducet eam ad sacerdotem, qui dabit ei bibere aquas maledictionis : quas cum biberit, si rea sit, intumescet et rumpetur uterus ejus, femurque ejus putrescet, itaque ipsa erit in maledictionem. Ritum hujus probæ cum sacrificio descripsi *Num.* V.

8. Terra non vendetur in perpetuum, sed pro rata annorum, qui supersunt usque ad jubilæum : quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis, *Levit.* XXV, 23. Vide ibi dicta.

QUARTÆ LEGES MOSIS MIXTÆ, SUNT MORALES ET CÆREMONIALES ET JUDICIALES SIMUL.

1. Qui concubuerit cum muliere in fluxu ejus menstruo, interficientur ambo, *Levit.* cap. XX, vers. 18.

2. Filia sacerdotis si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur, *Levit.* XXI, 9.

3. Qui polluerit sabbatum, id est opus fecerit in eo, morte morietur, *Exodi* XXXI, 14.

4. Levitæ ex decimis suis dabunt decimas sacerdotibus, easque meliores et pinguiores, ne polluant oblationem filiorum Israel, et ne moriantur, *Numer.* XVIII, 32.

5. Pater filiæ, maritus uxoris, vota irritare potest primo die, quo ea scivit, non secundo, *Num.* XXX.

6. Leprosus solus habitet extra castra, *Levit.* XIII, 46.

7. Jumentum tuum non facies congredi cum alterius generis animantibus, *Levit.* XIX, 19.

8. Crocodilum, murem, talpam, mustelam, lacertam non comedes, *Levit.* XI, 29.

9. Denique huc pertinent leges mortis latæ in incestuosos, qui cum nepte, nuru, matertera, etc., fornicantur, *Levit.* XX, 19. Hæ enim leges partim naturales sunt, partim cæremoniales, partim judiciales.

DE MENSURIS ET PONDERIBUS

HEBRÆORUM, GRÆCORUM, ROMANORUM ET HISPANORUM,

COLLECTA

EX ROBERTO CENALI, AGRICOLA, ALCIATO, ET MAXIME VILALPANDO ET ALCAZARIO,

QUI NOVISSIME ET EXACTE DE IIS SCRIPSERUNT.

I. De monetis et ponderibus.

Præmoneo me hic libram accipere communem 12 unciarum, non autem majorem, quæ 16 est unciarum.

Talentum sunt tria millia siclorum.

TALENTUM unicum est apud Hebræos, continetque tria millia siclorum, uncias mille quingentas, duodecim millia drachmarum, minas Hebræas 60, Atticas 120, Romanas libras 125.

Decem millia talentorum auri sunt milliones aureorum seu drachmarum 120; aureus enim Francicus est unius drachmæ. Libra ergo auri continet uncias auri duodecim, drachmas sive coronatos Francicos nonaginta sex. Talentum ergo auri continebat duodecim millia coronatorum Francicorum. Millia coronatorum Francicorum sunt unciæ 125000, puta libræ 10416 et 4 unciæ.

Talentum aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æreum: omnia hæc æqualis erant ponderis, sed disparis pretii.

Libra auri valebat 12 libras argenti.

Proportio pretii auri ad pretium argenti tempore Platonis, erat duodecupla, ita scilicet, ut una uncia, vel libra auri valeret 12 uncias, vel libras argenti, teste Platone in *Socrate*: similiter fuit tempore Davidis. Nam David emit aream Ornan Jebusæi, cum bobus et plaustro, auri siclis 50, qui efficiunt siclos argenti sexcentos, ut patet II *Reg.* XXIV, 24, collato cum I *Paral.* XXI, 25, in Hebræo, qui habet: *Dedit David Ornan pro loco siclos auri pondere* (id est, pretio et æstimatione) *sexcentorum siclorum,* argenti scilicet, hoc est, quorum pondus æstimabatur sexcentis, scilicet argenteis siclis, sive qui valebant sexcentos siclos argenteos. Unde in Hebræo est accentus *zakeph,* qui quasi hypocolon distinguit et sejungit τὸ *auri a* τῷ *pondere.* De argento enim proxime mentio præcessit. Ait enim David versu præcedenti: « Argentum dabo quantum valet. » Communiter enim apud Judæos siclus intelligebatur argenteus, quia per argenteum pretia rerum in emendo et vendendo definiebant. Dices: Noster Interpres vertit: *Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.* Ergo hi sicli fuerunt aurei, non argentei. Respondeo: Erant aurei quoad materiam (erat enim moneta aurea), sed argentei quoad æstimationem valoris et pretii, quod communiter, ut dixi, taxabatur siclo argenteo, non aureo. Sensus ergo est: *Dedit David,* etc., *siclos auri,* id est in auro, *sexcentos,* scilicet vulgo usitatos, nimirum argenteos, *q. d.* Dedit ei siclos aureos, qui justo pondere appensi valebant sexcentos siclos usuales, puta argenteos. Sexcenti ergo sicli auri idem sunt, quod valor sexcentorum siclorum argenti in auro, vel in moneta aurea. Sic Belgæ vulgo per regalem accipiunt argenteum, non aureum; proinde si quis apud eos dicat: Dedit mihi rex regales in auro sexcentos, argenteos intelligunt in pretio, sed in materia et moneta aureos.

Hunc sensum poscunt Hebræa, et sic docte apteque conciliatur hic locus cum II *Reg.* XXIV, 24, ubi eadem area empta dicitur quinquaginta siclis, scilicet plenis et perfectis, puta aureis. Licet enim ibi dicatur, *argenti siclis quinquaginta,* tamen aureos fuisse liquet ex dictis; τὸ ergo *argenti,* idem est quod pecuniæ, *q. d.* Dedit ipsi pecuniam 50 siclorum. Sic enim passim argentum vocamus pecuniam, sive ea sit argentea, sive aurea, uti hic erat.

Ita utrumque locum explicant, et inter se conciliant Andreas Masius in *Josue,* capite VII, vers. 21, Vilalpandus, tom. III *in Ezech.,* pag. 414, Alcazar, *De Ponderibus,* propos. 22, pag. 60, ubi docent, I *Paral.* XXI, 25, siclum auri vocari pondus (שקל *sekel* enim, id est siclus, hebraice significat *pondus.* Veterum enim pecunia non erat signata, uti jam est, sed ad pondus appendebatur, v. g. tot drachmæ vel unciæ auri vel argenti) auri quod valeat siclum argenti, sic ut sexcenti sicli auri, id est in auro, vocentur quinquaginta sicli, hoc est ducentæ drachmæ (siclus enim ponderabat 4 drachmas) auri, quæ valebant siclos argenti sexcentos, sive drachmas argenti 2400.

Scio S. Hieronymum, Abulensem, Vatablum et Cajetanum hæc aliter, et in speciem facilius conciliare, dicendo partem areæ in qua sacrificavit David, primo ab eo emptam fuisse 50 siclis argenti; deinde totam aream, totumque montem Sion ab eo emptum fuisse sexcentis siclis aureis; sed hoc acriter impugnat Vilalpandus. Hæc in prima editione obiter tantum tetigi, non enu-

cleavi, ideoque *dum brevis esse laboro, obscurus fio.* Spectant enim ad libros Regum, ibique enucleanda erant: placuit tamen hic scrupulum lectori eximere.

David, I *Paral.* XXII, 14, reliquit Salomoni pro templo centum millia talentorum auri, hoc est duodecim cum dimidio milliones librarum auri, puta mille et ducentos milliones aureorum Francicorum; tantumdem reliquit ei in argento: universim ergo reliquit ei bis mille et quadringentos milliones aureorum; quantum auri vix est in tota Europa. Alcazar tamen hæc talenta auri putat fuisse argentea; et talenta argentea putat fuisse ærea: et sic ex talentis auri tantum fuisset duodecima portio talentorum jam dictorum; et ex talentis argenti tantum fuisset quinquagesima portio, id est, fuissent tantum in auro milliones centum, in argento vero viginti quatuor, hoc est, universim fuissent aureorum Francicorum milliones 124. Sed verba Scripturæ aliud et plus requirunt: de qua re alibi disputabo.

Talentum Atticum est dimidium talenti Hebraici: nam continet sex millia drachmarum, id est, minas Atticas 60.

MINA Attica et Romana continet centum drachmas, siclos viginti quinque.

Mina sunt 60 sicli.

Mina Hebræa continet 60 siclos, id est, drachmas 240, uncias 30, puta duas libras cum media. Dicitur mina vel mna, מנה *mana*, id est, numeravit: unde *mane, tekel, phares.*

Siclus, stater, tetradrachmum idem sunt, scilicet semuncia.

SICLUS erat semuncia, puta quatuor drachmæ: hinc siclus, stater, tetradrachmum idem sunt; siclus et uncia mundo pene sunt coæva; hinc ubique eadem est uncia continens octo drachmas. Dicitur siclus a שקל *sakal*, id est ponderavit. Chaldæi dicunt *takel*, vel *tekel.*

Siclus argenti erat unus florenus.

Siclus ergo argenti ponderabat tantum, quantum 4 regales Hispanici quinque stuferorum; erat ergo siclus argenti quasi unus florenus Brabanticus: siclus vero auri erant 4 coronati Francici, qui valent 12 florenis Brabanticis.

Obolus erat sicli pars 20.

OBOLUS Hebraicus erat vigesima pars sicli, et qaadragesima unciæ: erat ergo major obolo Attico; hic enim erat sexta pars drachmæ, ac proinde 24 pars semunciæ.

Unus erat siclus: duplex enim siclus, puta sacer, sive major, et civilis, sive minor, figmentum est Rabbinorum.

Siclus subintelligendus est, quoties aureus, vel argenteus legitur.

Duæ armillæ a servo Abrahæ datæ Rebeccæ, *Genes.* XXIV, 22, erant decem siclorum auri; singulæ ergo erant 5 siclorum, id est, duarum unciarum cum media.

Sicut dimidius regalis vocatur subinde regalis, ita dimidius siclus vocatur subinde siclus, præsertim in auro et ære; unde inaures Rebeccæ appendebant singulæ tantum dimidium siclum, uti habent Hebræa: noster tamen Interpres dicit eas appendisse siclum. Vide Alcazar, *De Mens.*, pag. 51.

Didrachmum est medius siclus, puta 10 stuferi.

DIDRACHMUM est dimidius siclus: integer enim siclus erat tetradrachmum: pendebat enim quatuor drachmas.

Argenteus est siclus argenti.

ARGENTEUS est siclus argenti. Alii putant fuisse dimidium sicli argentei.

Christus venditus fuit florenis triginta.

Joseph venditus fuit 20 argenteis, id est 20 siclis argenti, puta 20 florenis Brabanticis; Christus venditus fuit 30 siclis argenti, id est 30 florenis Brabanticis, sive 15 unciis argenti.

Habuit Salomon in construendo templo octoginta millia Ægyptiorum, et octoginta millia Phœnicum; et quando eos domum dimisit, dedit singulis 10 siclos auri, id est, 40 coronatos Francicos. Summa ergo omnium quæ eis dedit, fuit mille millia, et insuper sexcenta millia siclorum. Præterea in hoc opere habuit centum quinquaginta millia Gabaonitarum, sive Nathinæorum, et triginta millia Hebræorum quibus verisimile est eum tantumdem dedisse, cum pares fuerint in labore. Unde in universum omnibus computatis, dedit centies et trigesies centena millia aureorum, et insuper sexcenta millia, hoc est, tredecim milliones et sexcenta millia aureorum.

Solidus erat sexta unciæ pars.

SOLIDUS olim fuit sexta unciæ pars, indeque sextula dicebatur; hinc 72 solidi faciebant libram: hæc enim 12 uncias continet.

Denarius erat drachma.

DENARIUS erat numerus argenteus unius drachmæ: 4 ergo denarii æquales erant pondere et pretio uni siclo, sive 4 regalibus Hispanicis 5 stuferorum: hi enim totidem, scilicet 4 drachmas ponderant. Denarius ergo valebat quasi 5 stuferos modernos. Dictus est denarius, quod decem asses, id est, minimos nummos, contineret. As erat quasi medius stuferus modernus: dupondium erant duo asses.

Sestertius erat stuferus.

Quarta pars denarii vocabatur SESTERTIUS, quasi semis tertius; erat ergo sestertius stuferus priscus, qui modo valet stuferum cum quadrante. Mille ergo sestertii erant mille stuferi prisci, qui olim valebant florenos Brabanticos 50; jam valent florenos Brabanticos 62, imo amplius: in dies enim mutantur et augentur pretia nummorum, non sine reipublicæ damno et perturbatione.

Sestertium erant mille stuferi.

SESTERTIUM in neutro, et in plurali SESTERTIA singula valebant mille sestertios. Continebant enim singula sestertia in se duas libras et semissem; singulæ autem libræ continebant drachmas, vel denarios 100, id est, sestertios 400. Duæ itaque libræ et dimidia valebant mille sestertios, idque uno nomine *sestertium* dicebant. Decem ergo sestertia valebant decem millia nummorum sestertiorum, qui valebant 500 florenos Brabanticos priscos. Quod si hunc numerum per adverbium extuleris, ad hunc modum, *decies sestertium*, jam reddideris hanc summan centuplo majorem. Idem enim est dicere, *decies sestertium*, quod decies centena millia sestertiorum, quæ valent quinquaginta millia florenorum Brabantico-

rum priscorum : sic *centies sestertium* sunt centies centena, sive decies millena millia sestertiorum, quæ valent quinquaginta millia florenorum, seu ducenta millia philippicorum. Vide Budæum *de Asse*.

II. De mensuris sive vasis.

Mensuræ omnes æstimandæ sunt secundum capacitatem aquæ, quem capere posunt : unde quoad capacitatem semper sunt æquales, sed pro ratione materiæ, inæqualis sunt ponderis, v. g. sextarius est vas, sive scyphus magnus, qui continet 20 uncias aquæ, vini vel aceti (horum enim æquale est pondus); sed si idem sextarius impleatur auro, continebit tantumdem quoad ambitum et capacitatem; sed quoad pondus, longe amplius : quia auri pondus se habet ad pondus aquæ, sicut se habet 18 ½ ad unum, vel ut se habent 2775 ad 148. Quare cum sextarius aquæ contineat 20 uncias, sequitur, per regulam trium, quod sextarius auri contineat uncias 375; si enim 148 dant 20, ergo 2775 dant 375.

Sextarius Romanus continet 20 uncias aquæ.

Sextarius ergo Romanus aquæ, vini et aceti ponderat 20 uncias; sextarius olei, 18 uncias; sextarius frumenti Romani, sive nostratis, 15 uncias; sextarius farinæ ejusdem ponderat 8 vel 9 uncias (frumentum enim densius et ponderosius est farina), sextarius mellis ponderat 30 uncias, sextarius auri ponderat uncias 375, sextarius plumbi ponderat uncias 233, sextarius argenti ponderat uncias 208, sextarius cupri ponderat uncias 182, sextarius ferri ponderat uncias 161, sextarius stanni ponderat uncias 150.

Aurum plumbo est ponderosius. Proportio metallorum quoad pondus.

Hinc facile est colligere quæ sit proportio ponderis inter metalla, quodque aurum omnibus, etiam plumbo, sit ponderosius, licet contrarium putarit Plinius, lib XXXIII, cap. III, sed falso. In æquali ergo quantitate, si oleum ponderat 9 uncias,

Aqua pendet 10 uncias.
Mel, 15 uncias.
Stannum, 75 uncias.
Ferrum, 80 $\frac{3}{5}\frac{2}{7}$ uncias.
Æs cupreum, 91 uncias.
Argentum, 104 uncias.
Plumbum, 116 ½ uncias.
Argentum vivum, 150 uncias.
Aurum, 187 ½ uncias.

Frumentum Palæstinæ ponderosius est nostro.

Rursum frumentum Palæstinæ densius et ponderosius est, quam sit Romanum et nostrum. Sextarius ergo frumenti Palæstinæ pendet 20 uncias, Romani vero 15 uncias.

Rursum triticum ponderosius est hordeo : sextarius enim hordei Romani pendet uncias 12, tritici vero 15.

Amphora est pes quadratus, id est 48 sextarii, puta libræ 80 aquæ.

Amphora dicta est, quod duas haberet ansas, quibus utrimque ferebatur, ab ἀμφί et φέρω. Amphora capiebat congios octo, id est sextarios 48; alio nomine Quadrantal dicebatur, a mensuræ ejus figura, quæ omni ex parte pedem Romanum habebat quadratum. Si enim vas facias, quod tam in longitudine, quam latitudine et altitudine, sive profunditate, habeat pedem Romanum, erit quadrantal, sive amphora. Amphora ergo erat quadratura pedis Romani, continens libras 80 aquæ vel vini (frumenti vero nostratis 60), id est uncias aquæ 960; loquor de amphora Romana : nam Attica fuit major tertia parte; continebat enim tres urnas, ait Fannius, id est 120 uncias aquæ.

Urna est dimidium amphoræ.

Amphoram Romani diviserunt in duas urnas, uti geometrice et pulchre ostendit Vilalpandus, pag. 435. Urnam deinde diviserunt in quatuor congios : ita ut URNA sit amphoræ dimidium, continens sextarios 24, et congius, qui et chus dicitur, sit octava pars amphoræ. Congii formam vide apud Vilalpandum, pag. 500.

Congius est octava pars amphoræ.

CONGIUS ergo est quarta pars urnæ : continet sextarios 6, fogliettas 8, hoc est libras aquæ 10, frumenti nostratis septem cum dimidia. A congio Novellius Torquatus dictus est *Tricongius*, quod unico haustu coram Tiberio Cæsare, tres vini congios exhausisset, teste Plinio, lib. XIV, XXII.

Culeus continet 20 amphoras.

Ex 20 amphoris fit CULEUS, quæ maxima erat Romanorum mensura, continens sextarios 960, libras aquæ, vel vini 1600 : sed in frumento nostrate continet libras 1200.

Medimnus continet duas amphoras.

Ex duabus amphoris fit medimnus. MEDIMNUS ergo continet sex modios : una enim amphora continet tres modios. Est ergo medimnus decima pars culei, atque in aqua et vino continet 160 libras, in frumento vero nostrate 120.

Modius est tertia pars amphoræ, continet 26 libras aquæ.

MODIUS Romanorum propria mensura et vox est; est enim modius quasi modus, quo frumenta dispensantur. Epiphanius tamen docet Romanos modii nomen et mensuram ab Hebræis accepisse. מדד *madad* enim significat mensurare : inde מדה *midda* est mensura, modius. Modius est tertia pars amphoræ, continet 16 sextarios, heminas 32, puta 26 libras $\frac{2}{3}$ aquæ vel vini; frumenti vero nostratis 20 libras, estque sexta pars fanecæ Hispanicæ.

Chœnix erat quarta pars modii.

CHOENIX continebat 4 sextarios, eratque modii quarta pars, amphoræ duodecima : chœnix erat diurnus hominis cibus.

Sextarius Romanus continebat 20 uncias aquæ.

SEXTARIUS Romanus erat sexta congii pars, indeque dictus est sextarius, ait Fannius.

Sextario tam arida, quam liquida metiebantur. Sextarius Romanus continet uncias 20 : erat ergo sextarius instar magni scyphi, eratque quarta pars chœnicis.

Hemina erat dimidium sextarii.

HEMINA, vel cotyla erat dimidium sextarii : QUARTARIUS erat sextarii quarta pars : ACETABULUM octava : CYATHUS duodecima.

SEXTANS sunt duo cyathi, QUADRANS tres, TRIENS quatuor cyathi.

Sextarium Romanum cum Attico et Hebræo æqualem fuisse contendit Vilalpandus. Sed clare demonstrat Alcazar eos fuisse diversos; ac Romanum continuisse uncias 20, Atticum 15, Hebræum

13 ⅓; ita ex Mariana ipse; propos. 5 et seq., idque mox clarius patebit.

Corus sive homer continebat 30 modios.

CORUS hebraice dicitur חמר *homer*, quasi *chamor*, id est acervus, vel cumulus frumenti : inde quoque asinus dictus est חמר *chamor*, eo quod hunc acervum bajulet, est enim *homor* quasi asinarum onus; hinc asinus, *Matth.* cap. XXI, 2, vocatur ὑποζύγιον : huc etiam alludunt Hebræa, *Judic.* XV, 16. Vilalpandus coro tribuit Græcas metretas 10, Hebræa ephi 10, sata 30, medimnos 7 cum dimidio, artabas 6, amphoras Romanas 15, modios Romanos 45, id est aquæ, vel vini libras 1200, uncias 14400. Verum melius Alcazar coro tribuit tantum libras aquæ 800, uncias 9600, modios Romanos 30. Id mox clarius patebit ex bato, sive ephi.

Salomon quotidie absumebat 40 millia librarum panis.

Mensæ Salomonis quotidie ministrabantur 30 cori similæ, et 20 farinæ; unde fiebant 24 millia, et rursum sedecim millia, id est universim, quadraginta millia librarum panis. Corus continet 5 medimnos Atticos, sive 5 fanecas Hispanicas : hi enim continent 30 modios.

Lethec est dimidium cori.

LETHEC est dimidia pars cori, hoc est, duæ fere fanecæ cum dimidia, sonatque *lethec* elevationem : est enim onus, quod vegetus adolescens asino potest imponere.

Ephi, batus et metreta sunt idem. Hydriæ in Cana quantæ?

EPHI, vel EPHA, BATUS et METRETA æqualia sunt, suntque decima pars cori, *Ezech.* XLV, 11. Ephi continet tria sata : satum continet 24 logim, id est, sextarios : ergo ephi continet sextarios 72. Hydriæ ergo singulæ in Cana Galilææ, capientes metretas binas, capiebant sextarios, sive scyphos magnos 144.

Batus et ephi æqualia erant amphoræ, continebantque tres modios.

BATUS erat duplex, inquit Vilalpandus : major, continens metretam cum dimidia, id est 180 sextarios : minor, continens metretam, id est 72 sextarios. Sic enim conciliandus est, inquit, locus III *Reg.* VII, 16, ubi dicitur quod mare æneum, quod fecit Salomon, continebat duo millia batos, cum II *Paral.* IV, 5, ubi dicitur quod idem mare capiebat tria millia metretas, vel, ut hebraice est, batos, quia scilicet batus major continebat metretam sive batum minorem unum cum dimidio; duo ergo millia batorum majorum faciebant tria millia metretarum, sive batorum minorum. Ita Vilalpandus. Verum Alcazar, lib. *De Mensur.*, propos. 14, ostendit hos batos non fuisse communes, sed extraordinarios et minores, adeoque fuisse tantum decimam partem bati; eosque fuisse duplices, ita scilicet, ut unus esset sesqui alterius.

Dico ergo cum Alcazario : Communis batus, ephi et metreta æqualia sunt inter se, et cum amphora Romana, continentque sextarios Romanos 48, id est, aquæ uncias 960 : hinc ephi continebat tres modios, *Ruth* II, 17, sicut homer continens decem ephi, continebat 30 modios, modios utique vulgares Latinis, puta Romanos : modius autem Romanus continebat aquæ uncias 320, uti omnes consentiunt : ergo ephi continens tres modios, continebat uncias 960. Id pluribus et solide demonstrat ex S. Hieronymo, Epiphanio et aliis, Alcazar supra, cui consentit Mariana, imo S. Hieronymus et Epiphanius, qui asserit corum idem esse, quod 30 modii Romani, et tam nomen, quam mensuram modii, Romanos fuisse ab Hebræis mutuatos.

Quare cum Josephus et alii dicant batum, sive ephi, continuisse 72 sextarios Hebraicos, hinc sequitur sextarium Hebræum, sive log, uncias continuisse, non 20, uti continebat sextarius Romanus, sed tantum 13 ⅓; si enim 13 ⅓ multiplices per 72 sextarios, invenies præcise 960 uncias, quot continet batus, seu ephi. Ita Mariana et Alcazar.

Gomor, sive assaron continebat octo libras aquæ.

Consequenter cum decima pars bati, vel ephi sit gomor, sive assaron, sequitur gomor sive assaronem continuisse uncias, non 144, ut vult Vilalpandus, nec 63, ut vult Ribera, sed 96, hoc est 8 libras 12 unciarum : divide enim ephi, continens uncias 960, per decem, habebis 96.

Hinc facile est concipere quomodo ex manna Hebræi quotidie gomor comederint : hoc enim cum esset levius frumento, non 76 uncias, sed multo minus, puta 50 circiter uncias tantum ponderabat. Rursum, quomodo parva mensa potuerit capere panes propositionis, quorum singuli constabant duobus gomor, sive duobus assaronibus. Licet enim hi pleni frumento Palæstino appenderent 16 libras, puta 186 uncias, tamen in farina, vel simila, ob ejus raritatem et levitatem, tantum appendebant 13 libras cum dimidia, uti ostendi *Levit.* XXIV, 5.

Hin continebat 12 sextarios.

Hinc rursum deducitur quæ fuerit mensura hin. HIN enim continebat 12 sextarios : sextarius autem Hebraicus continebat uncias 13 ⅓; multiplica ergo 13 ⅓ per 12 habebis 160 uncias, id est 13 libras ⅓ : tot ergo continebat hin, eratque æquale semimodio Romano. Ita Alcazar, aptius quam Vilalpandus, qui hini dat sextarios Romanos 12, id est uncias 240. Putat enim ipse sextarium Hebræum fuisse æqualem Romano; sed id bene refutat Alcazar.

Quarta pars hin erant tres sextarii Hebræi, id est unciæ aquæ vel vini 40; id est libræ tres, et 4 uncias.

Satum est modius.

SATUM est tertia pars ephi, continetque modium Romanum. Satum ergo et modius æqualia sunt, perinde ac metreta et ephi. Ita Alcazar. Alii sato tribuunt sesquimodium.

ARTABA Ægyptia continet tres modios Romanos cum triente, inquit Vilalpandus. Verum Alcazar et alii artabæ dant modios quinque.

CABUS, sive chœnix Hebræorum, est mensura victus diurni; continet 4 sextarios, id est sex libras ⅔ : ita Vilalpandus, quia putat sextarium Hebræum fuisse æqualem Romano. Verum melius Alcazar, uti sextario Hebræo tantum tribuit uncias 13 cum ⅓, ita consequenter cabo Hebræo, continenti 4 logim, sive sextarios, tribuit uncias

aquæ 53 $\frac{1}{3}$: erat enim cabus duodecima pars ephi, sive bati et amphoræ, sati vero quarta.

Log est sextarius. LOG est sextarius Hebræus, puta 13 unciæ cum $\frac{1}{3}$.

Cadus est amphora. CADUS est hydria : an mensuræ sit genus, et cujus capacitatis, ex Scriptura colligi non potest, ait Vilalpandus ; licet Cenalis et Fannius putent amphoram, præsertim Atticam, subinde dici cadum a continendo ; et sic cadus continebit 12 congios, id est 72 sextarios.

Aroba. AROBA, sive cantharus Hispanicus, constat octo boccalibus Italicis, libris 42 et 8 unciis, puta unciis 512, estque quarta pars fanecæ.

Boccale Açumbre. BOCCALE Italicum et Hispanicum AÇUMBRE continet 4 fogliettas, puta 5 libras et 4 uncias, id est universim 64 uncias.

Foglietta. FOGLIETTA continet 16 uncias, tantumdem continet QUARTILLO.

Quartillo. Baril. BARIL constat boccalibus 32, libris 170 $\frac{2}{3}$, unciis 2048.

Botta. BOTTA Romana continet octo barilas, boccales 256.

Faneca. FANECA, seu QUINTAL continet centum libras Hispanicas, id est libras communes 12 unciarum 168.

SYNOPSIS MENSURARUM, SI AQUA VEL VINO IMPLEANTUR, QUANTUM PONDERENT.

CULEUS continet aquæ, vel vini talenta 12 $\frac{4}{5}$, libras 1600, uncias 19200.

BOTTA Romana continet talenta 10 $\frac{346}{375}$, libras 1365 $\frac{1}{3}$, uncias 16384.

CORUS continet libras 800, uncias 9600.

RUBLUM Hispanicum talenta 6 $\frac{14}{25}$, libras 820, uncias 9840.

Faneca Hispanica talenta 1 $\frac{43}{125}$, libras 968, uncias 2016.

Fanecæ quarta pars est AROBA ; continet libras 42 $\frac{2}{3}$, uncias 512.

MEDIMNUS talenta 1 $\frac{7}{25}$, libras 160, uncias 1920.

EPHI, BATUS et METRETA libras 80, uncias 960.

PES CUBICUS Græcorum libras 90 $\frac{165}{864}$, uncias 1085 $\frac{5}{12}$.

AMPHORA, sive pes cubicus Romanorum libras 80, uncias 960.

SATUM libras 26 $\frac{2}{3}$, uncias 320.

PALMUS CUBICUS Romanas libras 37 $\frac{5}{11}$, uncias 447 $\frac{5}{11}$.

SCORTIUM libras 32, uncias 386.

MODIUS Romanus libras 26 $\frac{2}{3}$, uncias 320.

CELEMIN Hispanicus libras 14, uncias 168.

HIN libras 13 $\frac{1}{3}$, uncias 160.

CONGIUS, sive CHUS libras 10, uncias 120.

GOMOR, sive ASSARON libras 8, uncias 96.

CHOENIX libras 6 $\frac{2}{3}$, uncias 80.

BOCCAL Romanus libras 5 $\frac{1}{3}$, uncias 64.

CABUS, sive PALMUS CUBICUS Hebræorum libras 2 $\frac{5}{12}$, uncias 53 $\frac{1}{3}$.

LOG, sive SEXTARIUS libras 1 $\frac{1}{12}$, uncias 13 $\frac{1}{3}$.

FOGLIETTA Romana libras 1 $\frac{1}{3}$, uncias 16.

COTYLE et HEMINA uncias 10.

ACETABULUM uncias 2 $\frac{1}{2}$.

CYATHUS unciam 1 $\frac{1}{6}$.

DIGITUS CUBICUS 1 $\frac{1}{4}$.

III De mensuris longitudinis.

Calamus sunt sex cubiti. CALAMUS continet sex cubitos.

Cubitus non est pes, sed sesquipes. CUBITUS est sesquipes, puta ea longitudo, quæ a flexu brachii porrigitur usque ad extremum digiti, qui index vocatur, continetque 24 digitos, sive duas spithamas, estque quarta pars staturæ hominis, quisque enim homo rite formatus, habet in statura 4 sui cubitos, adeoque tantus est, quanta est expansio brachiorum ejus : brachia enim complicata in cubito, seque in digito indice contingentia, faciunt 4 cubitos, quæ est statura cujusque. Consequenter, cum cubitus sit sesquipes, sequitur quemque hominem, uti sui cubitos habet 4, ita et sui pedes habere sex, in statura.

Quisque homo habet in longitudine quatuor sui cubitos,

Ita S. Hieronymus, Vitruvius, et passim alii ; unus Alcazar *propos.* 9 multis probare contendit cubitum in S. Scriptura non esse quartam, sed sextam partem humanæ staturæ, quia censet cubiti nomine non comprehendi manum, sed tantum os illud præcipuum, ab ima manu ad brachii usque curvaturam extensum. Additque sex cubitos facere calamum, indeque calamum vocari mensuram hominis, id est staturæ humanæ, *Apoc.* XXI, 17. Rursum, hunc cubitum esse duplicem : *primum* esse antiquum Adami, et primorum illorum magnorum hominum, qui contineat digitos Romanos 18 $\frac{2}{3}$, sitque pene æqualis pedi Romano : hic enim sedecim præcise digitos continet. *Secundum* esse posteriorem et minorem, qui constet Romanis pedibus 14 $\frac{52}{63}$, atque hoc minore S. Scripturam mensurare luteres, et mare æneum. Verum a communi aliorum omnium sententia recedendum non esse censeo.

Palmus. PALMUS, hebraice טופח *topach*, est spatium 4 digitorum transversim positorum.

Tres palmi complent palmum extensum, qui spithama dicitur.

Spithama. SPITHAMA, hebraice זרת *zeret*, est spatium quod distenta manu inter pollicem et indicem interjacet, continetque 12 digitos transversos.

Passus. PASSUS est spatium quinque pedum.

Gressus. Dimidium passus est GRESSUS, qui continet duos pedes cum dimidio.

Pes. PES ROMANUS continebat quatuor palmos, id est sedecim digitos Romanos transversos ; quantitatem ejus vide expressam apud Alcazar, lib. *De Mensur.*, pag. 8.

Milliare continet mille passus. MILLIARE a mille passibus deductum est, continet octo stadia.

Stadium 125 passus. STADIUM continet 125 passus, id est, pedes 750.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN PENTATEUCHO SINGILLATIM EXPLICANTUR.

Primus numerus paginam, secundus columnam denotat : ubi unus est, ad proxime nominatam paginam referri signum esto. Tomus II asterisco indicatur.

EX VETERE TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. XIV, *vers.* 23. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, *Pag.* * 217, *col.* 1.
XXX, 30. Ut aliquando provideam domui meæ, 436, 2.
XXXV, 10. Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel, 30, 1.
XLIII, 6. In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium vos habere fratrem, 31, 1.

EX EXODO.

Cap. III, *vers.* 2. Rubus ardebat in igne, 31, 1.
VI, 8. Levo manum meam, 29, 1.
VII, 13. Ingravavit cor suum, 488, 2.

EX LEVITICO.

Cap. XXV, *vers.* 11. Quæ sponte nascuntur non metes, 621,2.

EX NUMERIS.

Cap. V, *vers.* 22. Utero tumescente, putrescat femur tuum, 384, 1.
X, 34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cu incederent, 553, 2.
XIV, 14. Nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos, 553, 2.
—, 17. Sicut jurasti dicens, Dominus patiens,et multæ misericordiæ, 743, 2.
XVIII, 15. Omne animal immundum redimi facias, 548, 1.
XXVII, 21. Eleazar consulet Dominum, 688, 1.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. XVI, *vers.* 2. Immolabis phase Domino de ovibus, et de bobus, 527, 2.
—, 6. Vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto, 542, 1.
XXIII, 14. Ut sint castra tua sancta, *72, 2.
XXXIII, 18. Lætare, Issachar, in tabernaculis tuis, 444, 1, 2.

EX JOSUE.

Cap. XX, *vers.* 4. Stabit ante portas civitatis, et loquetur senioribus, etc., *382, 1.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. VI, *vers.* 23. Pax tecum, non morieris, ne timeas, 318, 2.
XIX, 9. Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperam, 516, 1.

EX LIBRIS REGUM.

Lib. I. *Cap.* II, *vers.* 30. Ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo, 127, 1.
IV, 21. Translata est gloria de Israel, *637, 1.
XII, 21. Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, 31, 2.
XIV, 12. Si dixerint : Ascendite ad nos, ascendamus, 257, 1.
XX, 8. Si est iniquitas in me, tu me interfice, 228, 1.
XXIX, 5. Percussit Saul mille, et David decem millia, 308, 2.
Lib. II. *Cap.* II, *vers.* 14. Surgant pueri et ludant, 240, 1.
III, 8. Nunquid caput canis ego sum ? *482, 2.
XII, 10. Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, 123, 1.
XXIII, 19. Ad tres primos non pervenit, 557, 1.
Lib. III. *Cap.* XIII, *vers.* 33. Quicumque volebat, implebat manum suam, 203, 2.
Lib. IV. *Cap.* II, *vers.* 12. Currus Israel, et auriga ejus, 487, 1.
VIII, 26. Viginti duorum annorum erat Ochosias, 178, 1.

EX LIBRIS PARALIPOM.

Lib. II. *Cap.* IV, *vers.* 1. Fecit quoque altare æneum decem cubitorum altitudinis, 607, 1.

EX ESDRA.

Lib. I. *Cap.* II, *vers.* 63. Donec surgeret sacerdos doctus, atque perfectus, 690, 1.
Lib. II. *Cap.* VIII, *vers.* 10. Quia sanctus dies Domini est, 536, 1.

EX TOBIA.

Cap. XII, *vers.* 9. Eleemosyna liberat a morte, *493, 2.

EX JUDITH.

Cap. IX, *vers.* 2. Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, etc. 325, 1.

EX ESTHER.

Cap. XIV, *vers.* 11. Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt, 411, 11.

EX LIBRO JOB.

Cap. X, *vers.* 9. Memento quod sicut lutum feceris me, 79, 1.
XI, 12. Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat 209, 2.

XIV, 15. Operi manuum tuarum porrige dexteram, 389, 1.
XXIII, 10. Probavit me quasi aurum, 322, 1.
XXXI, 9. Si deceptum est cor meum super muliere, 215, 1.
XXXVIII, 33. Numquid producis luciferum in tempore suo, *332, 2.

EX PSALMIS.

Psalm. II, *vers.* 8. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, 401, 1.
—, 12. Apprehendite disciplinam, 360, 2.
VIII, 4. Videbo cœlos opera digitorum tuorum, 503, 2.
X, 5. Non est Deus in conspectu ejus, 352, 1.
XV, 5. Dominus pars hæreditatis meæ, *289, 1.
XVIII, 6. In sole posuit tabernaculum suum, 31, 2.
XX, 3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, 31, 1.
—, 9. Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt, 389, 1.
XXI, 17. Foderunt manus meas, et pedes meos, *6, 2.
—, 26. Vota mea Domino reddam, *184, 1.
XXII, 5. Impinguasti in oleo caput meum, 290, 1.
XXIII, 2. Super maria fundavit eum, 53, 2.
XXV, 8. Dilexi decorem domus tuæ, 637, 1, 2.
XXVI, 3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, 557, 2.
XXX, 15. Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ, 103, 2.
—, 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ! 565, 2.
XXXII, 7. Ponens in thesauris abyssos, *299, 2; *501, 1.
XXXIII, 8. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, 313. 1.
XXXIV, 1. Judica, Domine, nocentes me, *214, 2.
—, 18. In populo gravi laudabo te, 505, 1, 2.
XXXVI, 29. Justi hæreditabunt terram, 133, 2.
XXXVII, 12. Amici mei, et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, etc., *89, 2.
XLIX, 3. Ignis in conspectu ejus exardescet, 601, 1.
—, 14. Immola Deo sacrificium laudis, *492, 1.
L, 18. Si voluisses sacrificium, dedissem utique, *7, 2.
—, 21. Ponent super altare tuum vitulos, 710, 1.
LIV, 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? *11, 1.
LVII, 11. Lavabit manus suas in sanguine peccatoris, *326, 2.
LXVII, 11. Animalia tua habitabunt in ea, *199, 2.
—, 26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum, 572, 1.
LXXII, 7. Transierunt in affectum cordis, 491, 2.
LXXVII, 12. In campo Taneos, *259, 1.
—, 24. Panem cœli dedit eis, 584, 1.
—, 61. Tradidit in captivitatem virtutem eorum, 637, 1.
LXXX, 4. Buccinate in neomenia tuba, *354, 2.
LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, 487, 1.
LXXXVIII, 4. Juravi David servo meo, *265, 2.
XC, 3. Liberavit me a verbo aspero, 406, 1.
—, 13. Super aspidem et basiliscum ambulabis, 106, 2.
XCIV, 5. Ipsius est mare, et ipse fecit illud, 198, 1 seq.
XCVIII, 6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, 701, 1, 2.
—, 17. In columna nubis loquebatur ad eos, *231, 2.
CI, 4. Ossa mea sicut cremium aruerunt, 665, 2.
CIII, 6. Super montes stabunt aquæ, 53, 2.
—, 14. Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum, 55, 2.
—, 15. Ut exhilaret in oleo, 290, 1.
—, 26. Draco iste quem formasti ad illudendum ei, 64, 1, 2.
CIV, 21. Constituit eum dominum domus suæ, 360, 1.
—, 22. Et non erat in tribubus eorum infirmus, 551, 1; *434, 1.
—, 37. Ut erudiret principes ejus, etc. 441, 1.
CV, 19. Deduxit eos in abysso, sicut in deserto, 560, 1.
—, 37. Immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis, *117, 1.
CIX, 1. Sede a dextris meis, 389, 1.
—, 6. Judicabit in nationibus, implebit ruinas, 33, 2.
CXI, 9. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, *487, 1.
CXIII, 3. Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum, montes exultaverunt ut arietes, 564, 2.
CXVIII, 4. Tu mandasti mandata tua custodire nimis, *181, 2.
—, 18. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, 9, 1.
—, 133. Ignitum eloquium tuum, *106, 2.
—, 140. Gressus meos dirige, 736, 2.
CXXXI, 9. Sacerdotes tui induantur justitiam, *88, 1.
—, 17. Illuc producam cornu David, 746, 2.
CXXXIV, 7. Qui producit ventos de thesauris suis, *300, 1; *501, 1.
CXXXV, 13. Qui divisit mare Rubrum in divisiones, 560, 1.
CXXXVIII, 15. Substantia mea in inferioribus terræ, 662, 1.
CXL, 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, 717, 1.
CXLII, 8. Ad te levavi animam meam, 568, 2.
CXLV, 9. Dominus custodit advenam, pupillum et viduam suscipiet, 188, 1.

EX PROVERBIIS.

Cap. III, *vers.* 16. Longitudo dierum in dextera ejus, 389, 1.
IV, 18. Justorum semita quasi lux splendens procedit, *204, 1.
VIII, 11. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, 101, 2.
—, 27. Quando præparabat cœlos, aderam, 1, 1.
XI, 4. Justitia liberat a morte, *487, 1.
XV, 12. Non amat pestilens eum qui se corripit, *315, 2.
XVI, 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, 301, 2.
XVIII, 10. Turris fortissima, nomen Domini, *434, 1.
—, 19. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, 467, 1.
XIX, 14. Domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem uxor prudens, 256, 2.
XX, 7. Justus qui ambulat in simplicitate sua, *123, 1.
XXVIII, 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, 37, 1, 2.
—, 27. Qui dat pauperi, non indigebit. *493, 2.
XXX, 19. Viam aquilæ in cœlo, 517, 2.

EX ECCLESIASTE.

Cap. I, *vers.* 4. Generatio præterit, generatio advenit, 135, 2.
XII, 11. Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, *156, 2.

EX CANTICIS.

Cap. I, *vers.* 4. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, 29, 2.
—, 5. Posuerunt me custodem in vineis, *204, 2.
—, 8. Equitatui meo assimilavi te, 656, 2.
II, 6. Dextera illius amplexabitur me, 389, 1.
—, 14. Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, 587, 2.
III, 4. Introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, 260, 1.
V, 1. Messui myrrham cum aromatibus meis, 710, 1.
VI, 9. Terribilis ut castrorum acies, *199, 2.
—, 11. Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab, 560, 2.
VII, 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? 631, 2.
VIII, 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, 201, 2; 328, 1.

EX SAPIENTIA.

Cap. IV, *vers.* 9. Ætas senectutis vita immaculata, *245, 2.
V, 21, Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos, *407, 1.

v, 23. Excandescet in illos aqua maris, *118, 2.
x, 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, 733, 1.
—, 12. Deduxit eos in via mirabili, 551, 2.
—, 17. Certamen forte dedit illi ut vinceret, 315, 1.
—, 17. Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum, 538, 2.
xii, 8. Misisti antecessores exercitus tui, 624, 2.
xiii, 1. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, 696, 1.
xvi, 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, 582, 1.
xvii, 10.. Semper præsumit sæva, perturbata conscientia, 367, 2 ; 517, 2.
xviii, 14. Cum quietum silentium contineret omnia, etc. 521, 1.
—, 24. In veste poderis totus erat orbis terrarum, 692, 1, 2.
—, 24. Parentum magnalia in quatuor ordinibus erant sculpta, 685, 1.
xix, 7. In mari Rubro via sine impedimento, 560, 2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. ii, *vers.* 1. Præpara animam tuam ad tentationem, 444, 1.
iii, 11. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta, 281, 2.
—, 11. Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, *175, 1.
—, 19. In mansuetudine opera tua perfice, *254, 2.
ix, 10. Mulier fornicaria quasi lutum conculcabitur, *214, 1.
xvii, 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit, *494, 2.
xxxix, 27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit, 758, 2.
xliv, 17. Noe inventus est perfectus, justus, 135, 2.
—, 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, 264, 2.
xlviii, 10. Qui inscriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob, 128, 1.

EX ISAIA.

Cap. i, *vers.* 2. Audite, cœli, auribus percipe, terra, 407, 1.
—, 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, *1, 2.
vi, 3. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, 693, 2.
ix, 6. Vocabitur Admirabilis, *148, 1.
x, 5. Væ Assur, virga furoris mei, 325, 1.
—, 27. Computrescet jugum a facie olei, 270, 1.
xiii, 6. Quasi vastitas ab Omnipotente, 477, 1.
xl, 18. Cui similem me fecisti? *412, 1.
xliv, 10. Quis formavit Deum et sculptile conflavit ad nihil utile? 2.
xlv, 14. Viri sublimes ad te transibunt, *372, 2.
xlviii, 1. De aquis Juda existis, *329, 2.
lii, 4. In Ægyptum descendit populus meus, 430, 2.
—, 7. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem! *156, 1.
liii, 2. Non est species ei, neque decor, 464, 1.
—, 4. Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum, *84, 1 ; *89, 2.
lix, 12. Peccata nostra responderunt nobis, 393, 1.
lxiv, 5. Ecce tu iratus es, et peccavimus, 198, 1, 2; 567, 1.
lxv, 20. Puer centum annorum morietur, *245, 2.

EX JEREMIA.

Cap. i, *vers.* 5. Antequam exires de vulva, sanctificavi te, *132, 1.
—, 10. Constitui te super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et dispergas, etc., 29, 2.
iii, 1. Revertere ad me, dicit Dominus, 120, 1.
xvii, 1. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, 491, 1.
xxii, 27. In terram ad quam levant animam suam, non revertentur, 568, 2.
xlvii, 2. Ecce aquæ ab Aquilone ascendunt, *329, 2.
xlviii, 10. Qui prohibet gladium suum a sanguine, *372, 2.

EX THRENIS.

Cap. iv, *vers.* 7. Candidiores Nazaræi ejus nive, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, *218, 1.

EX BARUCH.

Cap. iii, *vers.* 22. Non est audita in Chanaan, nec visa est in Theman, 5. 1.
—, 24. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt, 407, 1.
—, 34. O Israel ! quam magna est domus Dei, 692, 1.

EX EZECHIELE.

Cap. i, *vers.* 6. Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, 641, 2.
xvi, 10. Calceavi te ianthino, 633, 1.
—, 49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia et otium ipsius, 191, 1.
xviii, 2. Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, *414, 1.

EX DANIELE.

Cap. iv, *vers.* 24. Peccata tua eleemosynis redime, *487, 1.
xii, 3. Quasi stellæ in perpetuas æternitates, 202, 1.

EX OSEE.

Cap. ii, *vers.* 2. Auferat adulteria sua de medio uberum suorum, 328, 1.
iv, 8. Peccata populi mei comedent, *41, 1,
xi, 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, 352, 1.

EX JOELE.

Cap. i, *vers.* 4. Residuum locustæ comedit bruchus, 516, 1.

EX MICHÆA.

Cap. ii, *vers.* 3. Væ qui cogitatis inutile, 31, 2.

EX NAHUM.

Cap. iii, *vers.* 3. Vox gravis ruinæ, 505, 1, 2.

EX ZACHARIA.

Cap. viii, *vers.* 19. Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda, 726, 2.

EX I MACHABÆORUM.

Cap. i, *vers.* 18. Intravit Antiochus Ægyptum in multitudine gravi, 505, 1, 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. i, *vers.* 21. Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet, *257, 2.
ii, 23. Nazaræus vocabitur, *217, 2.
v, 12. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est incœlis, *175, 1

v, 48. Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est, *373, 2.
vii, 2. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, 369, 1.
viii, 11. Multi venient ab Oriente et Occidente, etc. Et recumbent cum Abraham, etc. 296, 1, 2.
xii, 4. Quos non licebat ei edere, nisi solis sacerdotibus, *161, 1.
xv, 17. Quod intrat in os, non coinquinat hominem, *61, 1.
xvi, 11. Cavete a fermento Pharisæorum, 534, 2.
xviii, 22. Non dico usque septies, sed usque septuagies septies, 123, 1.
xix, 29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, etc, 271, 2.
xxi, 41. Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, 742, 2.
xxv, 34. Venite benedicti Patris mei, 185, 1.
—, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum, *107, 2.
xxvi, 26. Hoc est corpus meum, 534, 1.
xxviii, 19. Ite in mundum universum, et prædicate, etc., *156, 2.

EX S. MARCO.

Cap. ix, *vers.* 48. Omnis victima sale salietur, *18, 2.
xvi, 6. Nolite expavescere, Jesum quæritis, 318, 2.

EX S. LUCA.

Cap. i, *vers.* 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, *406, 1.
—, 79. Illuminare his qui in tenebris sedent, *221, 1.
ii, 48. Respexit humilitatem ancillæ suæ, 295, 2.
vi, 36. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, *493, 1.
viii, 11. Semen est verbum Dei, *97, 1.
x, 62. Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei, 229, 2.
xi, 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, *492, 2.
xxii, 25. Reges gentium dominantur eorum, *225, 2.
xxiv, 44. Necesse est impleri omnia, quæ cripta sunt in lege Moysi.

EX S. JOANNE.

Cap. i, *vers.* 14. Vidimus eum quasi unigenitum, 630, 2.
iii, 16. Sic Deus dilexit mundum, *306, 1.
v, 39. Scrutamini Scripturas, 10, 1; 17, 1.
viii, 5. In lege Moses mandavit nobis hujusmodi lapidare, 130, 2.
—, 19. Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis, 314, 1.
xx, 29. Quia vidisti me, Thoma, credidisti, 28, 2.
xxi, 23. Sic eum volo manere donec veniam, 129, 1.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. ii, *vers.* 1. Cum complerentur dies pentecostes, *151, 1.
—, 3. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, *152, 1.
viii, 23. In felle amaritudinis, *505, 2.
x, 38. Transiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, 445, 1.
xii, 8. Calcea te caligas tuas, 173, 2.
xvii, 28. In ipso vivimus, movemur, et sumus, *509, 2.

EX EPISTOLA S. PAULI AD ROMANOS.

Cap. i, *vers.* 1. Paulus vocatus Apostolus, *195, 2.
ii, 4. Patientia et benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, 510, 1.
iii, 25. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, 640, 2.
iv, 11. Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, 214, 2.
viii, 22. Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, 73, 1.
—, 29, Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc, *118, 2.
—, 35. Quis nos separabit a charitate Christi? 352, 2.
ix, 15. Miserebor cujus misereor, 736, 1.
—, 25. Vocabo non plebem meam, *148, 1.

EX I AD CORINTHIOS.

Cap. ii, *vers.* 16. Nescitis quia templum Dei estis, 656, 2.
viii, 4. Scimus quia nihil est idolum, *411, 2.
ix, 9. Numquid de bobus cura est Deo? *448, 1.
x, 2. Patres nostri in Mose baptizati sunt in nube, et in mari, 561, 2.
—, 3. Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, 584, 2.
—, 3. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, *308, 1.

EX II AD CORINTHIOS.

Cap. iii, *vers.* 15. Velamen positum est super cor eorum, *502, 1.
v, 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, *29, 1.
xi, 2. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, 745, 1.

EX EPIST. AD GALATAS

Cap. ii, *vers.* 9. Videbantur esse columnæ, *232, 2.
iii, 8. Benedicentur in te omnes gentes, *185. 2,
— 13. Factus pro nobis maledictum, *475, 1.
iv, 9. Convertimini iterum ad infirma elementa, *153, 1.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. v, *vers.* 8. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux, *106, 2.
vi, 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, *237, 1.
—, 14. State succincti lumbos vestros in veritate, 532, 1.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. iv, *vers.* 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete, *175, 2.

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

Cap. ii, *vers.* 8. Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam, 321, 1; *36, 1.
—, 16. Nemo vos judicet in cibo et potu, *153, 1.

EX I AD THESSALONICENSES.

Cap. v, *vers.* 22. Ab omni specie mali abstinete vos, 219, 1.

EX II AD THESSALONICENSES.

Cap. ii, *vers.* 10. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, 468, 1.

EX I AD TIMOTHEUM.

Cap. iv, *vers.* 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat, *299, 1.
v, 11. Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, 515, 2.
vi, 17. In Deo vivo qui præstat nobis omnia abunde ad vivendum, 211, 1, 2.

EX II AD TIMOTHEUM.

Cap. ii, *vers.* 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, *286, 1.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. IX, *vers.* 5. Obumbrantia propitiatorium, 643, 1.
—, 19. Accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, 628, 1.
—, 22. Sine sanguinis effusione non sit remissio,
XI, 17. Fide Abraham obtulit primogenitum suum Isaac, 248, 1.
—, 19. Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, unde et eum in parabolam accepit, 248, 2.
—, 20. Adoravit Jacob fastigium virgæ Joseph, 386, 2.
—, 23. Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus, 439, 2.
—, 27. Fide Moyses reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, 444, 1.
XII, 6. Quem diligit Deus castigat, 322, 1.
—, 18. Non accessistis ad tractabilem montem, et sensibilem, 602, 2.
XIII, 11. Quorum animalium infertur sanguis pro peccato, in sancta, 28, 2.
—, 12. Christus extra castra passus est, *27, 1.

EX EPISTOLA S. JACOBI.

Cap. II, *vers.* 13. Superexaltat autem misericordia judicium, 492, 2 seq.

EX EPISTOLA I S. PETRI.

Cap. II, *vers.* 9. Vos genus electum, regale sacerdotium, *132, 1.

EX EPISTOLA II S. PETRI.

Cap. II, *vers.* 15. Qui mercedem iniquitatis amavit, *313, 1, 2.
III, 5. Quod cœli erant prius et terra, etc. per quæ ill tunc mundus aqua inundatus periit, 143, 2.
—, 16. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, 9, 2.

EX APOCALYPSI.

Cap. I, *vers.* 5. Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, *186, 1.
—, 10. Fui in spiritu in dominica die, *152, 2.
III, 12. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, 552, 1; 564, 1; *232, 2.
V, 8. Phialas plenas odoramentorum, 717, 1.
VII, 17. Deducet eos ad vitæ fontes aquarum, 52, 2.
X, 11. Oportet te iterum prophetare Gentibus, 128, 2.
XV, 3. Cantantes canticum Moysi servi Dei, 566, 1.
XVII, 15. Aquæ, quas vidisti populi sunt, *329, 2.
XIX, 20. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis, *279, 2.
Cap. ult., 18. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, 405, 2.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN PENTATEUCHO CONTINENTUR.

A.

Aaron fuit figura Christi, 675, 1. quomodo fuerit propheta, 487, 2. Aaron cum Moyse fratre comparatur Basilio et Nysseno fratribus, 488, 1. Aaron an possit ab idololatria excusari, 723, 1. quare petierit inaures ad aureum vitulum conflandum, 722, 2; quomodo Moysen juverit, 487, 1, 2. ejus in sacrificando primitiæ, earumque ordo, et series, *51, 2. virga ejus florens, fuit alia a virga Moysis, *281, 1. fuit virga viatoria, 2. fuerunt omnes virgæ simul XIII, 282, 1. quomodo Aaronis floruerit et germinarit, *ibid.* fuit amygdalina, *ibid.* triplex in ea florente miraculum, 2. an semper manserit florens, *ibid.* quam apposite Deus amygdalina virga fuerit usus, *ibid.* symbolice indicat hæc virga, qualis debeat esse Pastor, *ibid.* allegorice significat Christum, *283, 2. item B. Virginem, *ibid.* quid anagogice significet, *ibid.* ejus mortis varia privilegia, *302, 2. quando et quoto anno mortuus sit, *ibid.*

Abbas quidam ignem veste illæsa ferens innocentiam suam probavit, 453, 2; *76, 1, 2.

Abbatis alius resignatio in voluntatem Dei, 416, 1, 2.

Abel mortuus est virgo, 114, 2. obtulit Deo victimas pingues, *ibid.* suo sacrificio præsignavit sacrificium Christi, 115, 1. ejus fides, *ibid.* quid nomine et tropologice significet, 114, 2 et seqq. ei comparatur Imperator Gallus, 115, 2. quo anno ætatis et mundi sit occisus, 113, 1, 2.

Abeliani hæretici quo respectu conjugibus abstinebant, 114, 2.

Abimelech fuit commune nomen regum Palæstinæ, 271, 1.

Abimelech rex Geraritarum quomodo a Deo punitus ob raptum Saræ, 237, 1. fuit hic vir bonus, 2. fuit alius ab eo ad quem tempore famis abiit Isaac, 271, 1.

Abraham quando natus, 168, 1. fuit minimus natu fratrum, 179, 2. nunquam idola coluit, 180, 1. semel tantum vocatus fuit in Chananæam, 182, 1. ejus vocatio est typus vocationis Gentium, 2. reliquit omnia sua omnesque cognatos in Chaldæa, 183, 1. ejus prompta obedientia, 2. scivit se vocari in Chanaan, sed nescivit ad quam ejus partem, 184, 2. ob hanc obedientiam ei septem benedictiones promissæ et præstitæ, 184, 2. quomodo benedictæ in ejus semine omnes gentes, 185, 1, 2. bis ex Haran ivit in Chanaan, 186, 1. apparet ei ibi Dominus, *ibid.* an peccaverit, in Ægypto dicendo Saram, quæ uxor erat, suam sororem esse, 187, 2. de divisione inter ipsum et Lot facta, 190, 1. quando ejus bellum contra Babylonios contigerit, 193, 1, 2. contra quos reges fuerit, 194, 1. an habuerit justum titulum belli, 196, 2. ejus bellica fortitudo, 196, 2. ejus victoria, *ibid.* ubi hoc bellum contigerit, 197, 1. de iis quæ peracto hoc bello cum Melchisedec acta, *ibid.* et seqq. ejus generositas nihil in hoc bello ex præda volentis habere, 199, 2. quibus de causis nihil habere voluerit, *ibid.* quomodo fides ei dicatur ad justitiam reputata, 202, 2 et seq. cur petat signum post Dei promissionem, *ibid.* rationes cur vacca, aries, et capra, quorum animalium cæsione Deus fœdus cum eo sancit, significarent tres generationes Hebræorum, 203, 1, 2. aves in hoc fœdere non divisæ, uti cætera animalia, sed integræ in sacrificio oblatæ, quid significent, 204, 1. quadrupedum dissectio quid significet, 203, 1, cur Deus voluerit hæc animalia esse trium annorum, 2. quid hæc animalia tropologice et allegorice significent, *ibid.* de exstasi ejus in hoc fœdere, 204, 1. quid in ea viderit, et quid significarit, *ibid.* de facula quæ inter medium victimarum transivit, 205, 2. quid ea anagogice et allegorice significaret, 206, 1. ejus nomen est quasi columna, in qua Deus promissionem posteritatis inscripsit ad æternitatem, 214, 1. apparent ei tres angeli, 220, 2. suscipit eos, *ibid.* cognoscit eos esse angelos, 221, 1. quomodo eos adoraverit, *ibid.* quomodo angeli ei indicent interitum Sodomæ, 223, 2. quomodo pro Sodomitis deprecetur, 224, 2. de promissione ei tum facta futuræ prolis, 223, 2. Abraham et Sara in hac promissione ridentes quid tropologice significent, 223, 1. octo stimulis Deus Abrahamum pungit in præcepto immolationis Isaac, 243, 2 et seq. in quo loco ea fuerit facta. 244, 2. quam longe hic locus dissitus a domo Abraham, 245, 2. passus est tentationem triduanam, 245, 2. an mentitus fuerit dicendo servis, se cum Isaac reversurum, 246. an in hoc actu ejus virtus fuerit major, an Isaaci, 247, 1 et seq. quomodo a Deo in hoc actu impeditus, 248, 1. cur iterato tunc vocatus, *ibid.* de ariete surrogato in locum Isaaci, 249, 1. significat hic aries Christum crucifixum, *ibid.* Abraham hac obedientia meruit fieri pater Christi, 250, 2. quomodo adjurabat famulum suum ut probam uxorem ex sua gente filio quæreret, 255, 1, 2. cur noluit ut duceret in Chananæam 256, 1. ipse tam sedulus in deligenda filio bona et proba uxore, propter sex causas significat Deum Patrem, 260, 2 et seq. cur in bello quod gessit, vocetur Hebræus, 196, 1. ejus posteritas duplex, carnalis et spiritualis, 202, 1. cur ejus nomen Abram mutatum sit in Abraham, 213, 2. est pater omnium excelsorum, 214, 1. an fuerit impotens ad generandum absolute, an vero tantum respectu Saræ, 217, 1 et seq. ejus decem tentationes recensentur, 243, 1 et seq. quo ætatis anno duxerit Cethuram, 263, 1. vitæ ejus chronologia, 2. periodus vitæ Abrahæ, 264. de ejus morte, *ibid.* ejus epitaphium, 264, 2. non primus ivit ad limbum, *ibid.*

Abramii eremitæ vestes semper mansere integræ, quæ ejus rei causa, *433, 1. in summo senio vegetus mansit ad mortem usque, *433, 1.

Abrenuntiationis decem sunt gradus, 287, 2. est triplex abrenuntiatio ad salutem necessaria, 183. 1.

Abstinentiæ encomia et fructus, 160, 1. insignia exempla, 2. abstinentia a cibis vetitis cur dicatur sanctitas, id est puritas, *72, 2.

Abyssus quomodo cum terra creata, 45, 2. quid sit, 47, 1; 142, 1, 2.

Acacius Amidæ Episcopus vasa aurea et argentea vendidit ut captivos pauperes redimeret, 656, 2; *452, 2.
Acediæ remedium, est meditatio extremi judicii, *520, 2. significatur per leporem, *61, 3.
Acetabula quid fuerint, 649, 1, 2.
Achad urbs est Nisibis, 168, 1.
Achates gemma in rationali significat Issachar, et Judam Thaddæum acrem pugnatorem contra hæreticos, 683, 1. ejus natura describitur, *ibid.*
Acrotatus, parentibus ejus operam in re injusta petentibus, eam negavit, *61, 2.
Actiones nostras omnes directioni Dei committere debemus, 301. 2. eæ ut a Deo dirigantur postulare debemus, 736, 2. earum initio eæ Deo offerendæ, et quibus de causis, *ibid.* et seq. actiones bonæ vel malæ sunt testes sanctitatis in homine, 303, 1.
Activæ vitæ proprietates describuntur, 294, 1.
Adam quomodo formatus, 79, 1. ubi creatus, 80, 2. creatus est extra paradisum, 89, 2. in paradiso mansit virgo, 113, 1. an centum annis abstinuerit usu conjugii, *ibid.* est traditio eum esse salvatum, 126, 1. litteræ nominis ejus continent quatuor plagas mundi, 73, 2. non fuit hermaphroditus, 73, 1. bonum fuit ei matrimonium, sed jam est continentia melior, 91, 2. animalia quomodo Deus adduxerit ad eum, 92, 1. ejus exstasis, *ibid.* quanta scientia ei fuerit indita, 2. ipse verecundus fuit, sed Adamitæ sunt inverecundi, 95, 1, 2. amisit fidem, et etiam serpenti credidit, 101, 1. ejus octo peccata, 102, 2. an peccaverit gravius quam Eva, 103, 1. quomodo ejus oculi aperti, *ibid.* ejus perizomata quæ, 2. cur post lapsum fuerit vestitus pellibus, 110, 1. quo die peccaverit, 111, 1. quo die ex paradiso expulsus fuerit, *ibid.* ejus pœna post peccatum, *ibid.* sex pœnæ ei et posteris inflictæ, 112, 1 et seqq. an ejus peccatum fuerit peccatum gravissimum, 2.
Adamas cur omittatur in gemmis rationalis, 680, 1. ejus pretium, 680, 1.
Adipis usus quare Judæis interdictus, *23, 2.
Adolescentes a puero se debent Deo dicare, 527, 1.
Adulatio quam sit res perniciosa, *318, 2. hac de re insignia dicta, *ibid.* et seq.
Adulteris lege Moysis constituta fuit pœna lapidationis, *130, 1.
Adulterium miraculose probatum in lege Moysis, *214, 1. ejus antiqua pœna est mortis supplicium, 271, 1. præsertim combustio, 347, 2. quomodo illud puniverint Ægyptii, Arabes, Parthi, Cumani, *ibid.* quomodo Romani, 348, 1. quomodo Saxones, Turcæ et Brasilienses, *ibid.* in probatione adulterii quæ maledictiones olim super aquas zelotypiæ prolatæ, *214, 1, 2. quis ejus ritus et ordo, *ibid.* rumpebatur uterus adulteræ si esset rea, *ibid.* causæ hujus probationis per aquas, *214, 2. adulterii enormitas ex Scripturis et veterum dictis, *215, 1, quanta ex eo mala proveniant, 2. id quam Deo displiceat et hominibus, *215, 1, 2. est sæpe causa cædium et parricidiorum, *ibid.*
Advena Judæis quis esset, *382, 2.
Ægypti plagæ recensentur, 497, 1; 498, 1. quid per eas tropologice denotetur, 498, 1. cur fuerint decem, *ibid.* in eis fuerunt Ægyptii puniti per omnes creaturas, *ibid.* et in omnibus bonis, et sensibus, *ibid.* eæ fuerunt præludium gehennæ, 2. quomodo symbolice a Deo infligantur, *ibid.* quando et ubi sint inflictæ, *ibid.* quanto tempore durarint, et a quo inflictæ, 499, 1. ob quem finem inflictæ, 2. ab his fuerunt immunes Hebræi et advenæ, 499.
Prima plaga, omnes aquæ vertuntur in sanguinem, 497, 1. quæ sit hujus ratio, *ibid.* fuerunt in hac multa miracula, 2. tunc Hebræi hauriebant ex eodem puteo aquam, et Ægyptii sanguinem, *ibid.* accommodatur transgressoribus primi præcepti decalogi, 498. unde magi haburint aquam ad eam in sanguinem convertendam, 497, 1.
Secunda plaga fuit ranarum, 501, 1. occupabant hæ omnia loca, 2. cruciabant omnes sensus, 501, 1. accommodatur loquacibus clamosis, item philosophis et hæreticis, *ibid.* item impuris poetis, *ibid.* item luxuriosis, 502.
Tertia plaga erat ciniphum, 502, 2. quales fuerint ciniphes, 503, 2. tropologice significant sophismata hæreticorum, 503, 1. opponitur tertio præcepto decalogi de Sabbato sanctificando, *ibid.* cur ciniphes magi non potuerint efficere, *ibid.*
Quarta plaga erat muscarum, 504, 1. fuit hæc una ex gravissimis, 505, 1, 2. quales hæ muscæ fuerint, 504, 1. hæc plaga significat inhonorantes parentes, cynicos, causidicos litigiosos, maledicos, et inquietas curas desideriorum carnalium, *ibid.*
Quinta plaga erat pestis, 507, 1. invasit hæc Ægyptiorum animalia, *ibid.* accommodatur transgressoribus quinti præcepti decalogi, *ibid.* ab hac libera erant animalia Hebræorum, *ibid.* 2.
Sexta plaga fuit vesicarum et ulcerum, 508, 1. quam excitavit sparsa favilla et pulvis, *ibid.* quis fuerit hic pulvis sparsus, 508, 1. quales hæ vesicæ fuerint, *ibid.* tropologice quid significet hæc plaga, 2. accommodatur transgressoribus sexti præcepti, 509, 1.
Septima plaga fuit grandinis, 511, 1. quinque in ea sunt miranda, 2. accommodatur hæc transgressoribus septimi præcepti, *ibid.* fuit hæc typus ignis infernalis, 512, 1,
Octava plaga fuit locustarum, 514, 1. quid mystice significet, 2. accommodatur transgressoribus octavi præcepti decalogi, *ibid.*
Nona plaga fuit tenebrarum palpabilium 517, 2. quænam, fuerint harum causæ, *ibid.* octo horribilia erant in iis, *ibid.* in his Ægyptii erant quasi vincti, et omni lumine privati, 518, 1. hæ tenebræ tropologice significant cæcitatem mentis Ægyptiorum, *ibid.* item idololatriam, obscuras divinæ providentiæ rationes, item tenebras infernales, 2.
Decima plaga cædes est primogenitorum, 520, 2. fuit hæc acerbissima omnium, quinque de causis, *ibid.* an facta fuerit per angelum bonum, an per malum, *ibid.* quinam hic vocentur primogeniti, 521. quid hæc cædes primogenitorum tropologice significet, 521, 2. applicatur hæc plaga transgressoribus decimi præcepti, *ibid.*
Ægyptiorum mos mortuos aromatibus condiendi, 415, 1. eos spoliari ab Hebræis quomodo Deus jusserit. 461, 2. quid hoc tropologice significet, *ibid.* quare Hebræos afflixerint, 431, 1. veterum Ægyptiorum sapientia qualis esset, 441, 1. quis eos litteras docuerit, *ibid.* colebant oves et capras, *242, 2. sororibus in conjugio miscebantur, *114, 2. quomodo sub Pharaone in mari Rubro submersi, 561, 2 et seq. Deus in eos ejaculatus est fulmina, *ibid.* ad unum omnes perierunt, 562, 1. quot numero perierint, 562, 1. eorum abominationes quas oderent Hebræi, 505, 1, 2. quid hæ tropologice significent, *ibid.* quare nefas et abominabile censerent esse, comedere cum Hebræis, 372, 2. coluerunt Apim et Serapim, 363, 1 et seqq. eorum sacerdotes quam essent sobrii, 160, 2.
Ægyptus quando habitari cœpta, unde dicta Mesraim, 510, 2 et seq, unde dicta Ægyptus, *ibid.* ejus reges unde vocati Pharaones, 361, 2; 432, 1. in Ægypto nunquam pluere falsum est, 512, 1.
Æs quando signari cœptum apud priscos, et Latinos, 712, 2.
Æthiopia duplex in Scriptura est, una Occidentalis ultra Ægyptum, altera Orientalis, id est Arabia, *251, 1.
Æthiopissa assumpta in uxorem Mosis quid allegorice et tropologice significet, *251, 1. cur ob eam contra Mosen murmuravit Maria, *ibid.*

Æternitatem (ad) quomodo suspirandum, 763, 1. æternitas quid sit, ejusque encomia, *189, 1 et seq. æternitatis longitudo. 570, 2.
Æternum quomodo interdum Scriptura accipiat, 28, 2.
Ævum, tempus et æternitas comparantur, 458, 2.
Affectibus animi quomodo imperandum, 701, 2.
Afflictione (in omni) Deo est fidendum, 557, 2. eam æquo animo feremus, si nos Dei voluntati resignemus, 677, 2. homines ad Deum adducit, 436, 1.
Afflictos qua ratione debeamus consolari, 475, 2.
Africani Martyres quam generose ad mortem ruerint, 407, 1.
Agag (de) prophetia Balaam quid significet, *329, 1, 2.
Agapetus Pontifex scholas S. Scripturæ Romam inducere conatus est, 10, 1.
Agar fuit Abrahæ uxor secundaria, 207, 1. quid allegorice significet, 210, 2. cur et quomodo ejecta e domo Abrahæ, 240, 2 et seq.
S. Agatha prætulit Christi servitutem regum opibus, 135, 2; 536, 1. ejus in tormentis generositas, 406, 1.
Agathocles rex Syracusanus perfidiam dire luit, 326, 1.
Agathon Abbas quam esset pacificus, 274, 1.
Agesilaus rex Athenienses victos ad templum Minervæ confugientes violari vetuit, *83, 2. sine pompa incedebat, *462, 2. ejus modestia, *ibid.* ejus durities et continentia in victu et vestitu, 666, 1.
Ἅγιος qui sit, et unde vox formetur, *131, 1; *145, 2.
S. Agnetis morientis ad carnificem generosa vox, 406, 1.
Agnus paschalis immolandus quærebatur decimo die, idque quatuor de causis, 525, 2. allegorice hoc Christo accommodatur, *ibid.* agnum cur Deus sibi voluerit offerri, non vitulum, 526, 1. debebat esse sine macula, *ibid.* quid hoc tropologice significet, 2. et masculus, *ibid.* quid hoc tropologice significet, *ibid.* item anniculus, 527, 1. quid hoc symbolice et tropologice significet, 527, 1. quo tempore et qua vespera debebat immolari, 528. 1, 2 et seq. de ritu quo immolabatur et comedebatur, 530, 1. ejus esus duo significat, *ibid.* quare debuerit comedi cum lactucis, *ibid.* qualis hæc lactuca fuerit, 531. debebat igne assari et cur, 531, 2. idque in formam crucis, *ibid.* significat hoc modo Christum in cruce fixum et assatum, *ibid.* et seq. non poterat ex eo quid crudum comedi, et quid hoc tropologice significet, *ibid.* cur debebat a calceatis comedi, 532, 1. item a stantibus, *ibid.* quid hoc symbolice significet, 2. ejus sanguine tincti postes Hebræorum, 536, 2. cur in eo Deus ossa frangi vetuerit, 543, 1. ejus cæremoniæ accommodantur Christo et Eucharistiæ, 543, 2 et seq.
Agri benedictio est sita in tribus, 280, 2. agrum seminari diverso semine fuit Judæis a Deo inhibitum, *123, 1. quænam hujus præcepti causæ, *ibid.* et seq. quæ sit hujus rei tropologica causa, 2.
Agricolarum summa felicitas, 404, 2.
Agriculturæ antiquitas, 89, 2. diligenter est exercenda, 272, 2 et seq. de ejus dignitate et fructu, 159, 1. fuerunt ei dediti multi viri principes, *ibid.* et seq.
S. Aia Comitissa Hannoniæ mortua apparens dixit se donationem Ecclesiæ factam, ratam habere, *468, 2.
Aistulphus Longobardorum rex fœdus cum Rom. Pontifice violans misere periit, 326, 1, 2.
Alcamenes munera sibi oblata cur respuerit, *22, 1; 595, 1.
Alcuinus sacras Litteras cum laude docuit Eboraci, 11, 2.
Alexander Severus Imp. natura erat clemens, 416, 2; 739, 1. in fures erat durus et severus, iisque oculos eruere digito volebat, 615, 1. fuit disciplinæ militaris valde tenax, *481, 1.
Alexandri Magni ebrietas, *250, 2. ejus comitas et liberalitas, 320, 1; *248, 1. ejus continentia, *22, 1. ejus transitus per mare Pamphyliæ an miraculosus, 561, 1, ejus felicitas, 288, 2. perfidiam caro luit, 339, 1. vocatur hircus caprarum, *29 2.
Alexandriæ erant scholæ S. Scripturæ a S. Marco institutæ, 10, 1. ei urbi cur pepercerit Imperator Augustus, 725, 2.
Alfonsi Aragonum regis studium in sacris Litteris, 21, 2. ejus animus invictus, 395, 2. ejus lenitas, 417, 1. sustulit asinum rustici lapsum, *477, 1. injuriam illatam æquo animo tulit, et læsionem in oculo, 577, 2. a solo Deo victoriam sperabat, 590, 2. quanti faceret libros et studia, 651, 2. pericula nulla horrebat, 729, 1. ejus clementia, 739, 2. quid de regum miseria censeret, *244, 1. sine pompa et stipatoribus incedebat, *460, 2. fuit in ingratos beneficus, *299, 2.
Alfonsi Tostati immensi labores in sacræ Scripturæ expositione, 18, 2.
Alienigena triplex arcetur ab esu immolatorum, *141, 2.
Altare (ad) quomodo per gradus Deus vetuerit ascendere, 606, 2.
Altare sibi voluit olim Deus erigi de terra, vel ex lapide impolito, non ex auro, marmore, vel argento, 604, 2 et seqq. et 608, 1, 2. quæ hujus rei symbolica, quæ allegorica, quæ tropologica causa, *ibid.* altari locus quis a Deo deputatus esset, 606, 1. altare de lapide insecto etiam Deus permittit, *ibid.* altare unde dicatur, 608, 2; *9, 2.
Altari (in) thymiamatis quid et a quibus offerretur, 709, 1. erat ex lignis setim inauratis, *ibid.* erat situm in sancto, *ibid.* cur vocetur altare oraculi, *ibid.* cur in eo voluerit sibi Deus odores adoleri, *ibid.* habebat quatuor cornua, coronam auream, et craticulam : item quatuor annulos et vectes, 2. tropologice significat vitam perfectorum, *ibid.* omnes ejus qualitates ipsis adaptantur, *ibid.* cornua ejus qualia erant, 711, 1. de craticula hujus altaris, *ibid.* ritus adolendi thymiama in hoc altari, 2. lustratio hujus altaris fiebat semel in anno in die expiationis, *ibid.* an fuerit in Sancto sanctorum, 761, 2. vocat illud Apostolus thuribulum, et quare, 762, 1.
Altaria duo in tabernaculo quid mystice et tropologice significent, 665, 2.
Altaris holocaustorum descriptio, 664, 1. erat sub dio et ex lignis setim, *ibid.* ejus longitudo et latitudo, *ibid.* interius erat cavum, 665. tegebatur craticula, 2. item habebat arulam vel foculum craticulæ, *ibid.* habebat fenestellam, per quam immittebantur ligna, *ibid.* habebat quatuor annulos, et duos vectes, 641, 1. in eo quotidie immolabatur juge sacrificium, *ibid.* allegorice significat crucem Christi, *ibid.* tropologice est cor hominis se per pœnitentiam macerantis, 665, 2. quid significet tropologice, quod factum sit de lignis setim, *ibid.* quid altitudo, longitudo, cornua, cavum, et arula ejus, *ibid.* lebetes cinerum in eo quid significent, 666, 1, 2. quid annuli, et vectes, et variæ in eo immolatæ victimæ, *ibid.* craticula in altari hoc quomodo sita, 667, 2. arulæ vel foci altaris hujus descriptio, *ibid.* ejus dedicatio describitur, *225, 1, 2. ejus substructiones, 608, 1. ad id gradibus ascendi vetuit Deus, et cur, 606, 2, id semper victimis fumabat, *38, 2.
Amadæus Sabaudiæ dux quantopere erga pauperes afficeretur, 648, 2.
Amalec causa belli cum Moyse, 588, 1. Amalec qualis fuerit, *ibid.* tropologice significat tentationes carnis, 2. contra Amalec quare Deus tam duram tulerit sententiam, 590, 1.
Ambitio quam sit res periculosa et tumultuosa, *275, 1, 2.
S. Ambrosio Romam eunte, quid impio, sed fortunato hospiti contigerit, 724, 2. ejus constantia contra Imperatorem Valentinianum, *10, 2. defendit asylum Ecclesiast. *386, 2. in S. Script. commentans visus est angelum habere scribenda inspirantem, 14, 2. ejus constantia, 352, 2. ejus eloquentia divinitus præmonstrata, 465, 2. pro templo Dei stetit usque ad mortem, 637, 1; *10, 2; *277, 1.

Ambulare cum Deo quid sit, 127, 1. exempla eorum qui coram Deo ambularunt, *ibid.*
Amen quale sit vox, unde formetur, *498, 1.
Amethystus gemma in rationali pontificis significat Zabulon, et S. Matthiam humilem ; ejus color, natura, etymon, 683, 2.
Amici diligendi nomine intelligitur omnis homo, *122, 1.
S. Amma omnium in monasterio injurias æquo animo sustinens, omnium fuit a Deo declarata sanctissima, *252, 1.
Amor Dei est summus Dei cultus, *425, 1.
Amoris philtrum est amor, 377, 1. hoc Martyres sæpe converterunt carnifices, 2.
S. Ananiæ Martyris senis martyrium, 413, 2.
Anastasii Sinaitæ anagogicæ contemplationes cum sale discretionis legendæ, 89, 1.
Anathema quid sit, *187, 1. apud Hebræos erat triplex, *304, 1.
Anaxarchi philosophi invicta constantia, 671, 1.
Ancillæ Jacob quid symbolice significent, 297, 2.
S. Andreas Fesulanus Episcopus quam sancte vixerit, *283, 1.
Andreæ Masii error de imagine in altari non ponenda, 605, 1, 2.
Angeli apparentes Abrahæ quales fuerint, 220, 2. quia tres significant Christum cum Mose et Elia, *ibid.* angelus Moysi apparuit, non Deus, sed tamen in persona Dei, 451, 2. fuit hic angelus Michael, *ibid.* quis fuerit angelus Hebræorum dux, 623, 2. de angelo faciente loqui asinam Balaam, *314, 2. quis fuerit, *315, 2. de angelo volente Moysem occidere, 468, 1, 2. cur voluerit occidere Moysem, *ibid.* angelus in corpore humano loquebatur ex propitiatorio, *102, 2. angelus luctans cum Jacob quis fuerit, 314, 2. an bonus angelus fuerit, 315, 1, quare cum eo luctaretur, 315, 1. quid hæc angeli lucta significarit, *ibid.* de nomine hujus angeli, 317, 2. quare illud ipse taceat, *ibid.*
Angeli quo die creati sint, 46, 1. cur creationis eorum non fiat mentio in Genesi, *ibid.* angeli apparentes in corporibus qualia assumant corpora, 221, 2. qualis eorum in assumptis corporibus comestio, 222, 2. angeli Gabriel et Raphael an ad Sodomam excidendam missi : repræsentant hi Dei filium et Spiritum Sanctum, 226, 1, 2 seq. eorum præsidium circa Jacob et Elisæum, 313, 1. quare pingantur nudipedes, 455, 1. subinde dant sacram synaxim Sanctis, *138, 1. Missæ sacrificio assistunt et ministrant, quod exemplis docetur, 707, 1; *53, 1; *210, 2.
Angeli custodis officia quinque, 623, 2. angeli custodes quæ et quanta hominibus præstiterint, docetur exemplis, *ibid.* et seqq. angeli custodis præsentia præ oculis habenda, 624, 2.
Animæ immortalitas docetur, 342, 2. eam etiam aliqui Ethnici cognoverunt, *ibid.* quomodo eam probet Christus, 455, 2. anima peccatrix per pœnitentiam Christo nubit, *474, 2. anima unde dicatur ψυχή, 81, 1. cur eam primo homini Deus insufflarit, *ibid.* an sit divinæ substantiæ particula, 2. animæ rationalis definitiones septem, 82, 1. animæ puritas quantopere sit curanda, 72, 2. ejus castra spiritualia quæ, *200, 2. anima sancta tropologice est arca Noe, 138, 2. et tabernaculum Dei, 656, 2. et paradisus, 85, 1. in anima tabernaculum spirituale construentes, eo completo a Deo benedicuntur, 759, 2. de animæ cultura morale, 90, 1. ejus prosapia, nobilitas et virtus, 135, 1. animas angelos olim fuisse censebat Origenes, 235, 2.
Animal immolabile qui mactabat, debebat illud facere apud templum si Hierosolymis habitaret, *445, 1. quid faciendum si alibi habitabat, 2.
Animalia carnivora habent curtas cervices, quæ gramine vescuntur, longiores, 68, 1. etiam minutissima Dei potentiam et magnificentiam tam bene subinde declarant, quam magna, 66, 2. animalium diversæ speciei congressum Deus Judæis inhibuit, *122, 2. quænam hujus legis causæ sint, *ibid.* animalia quædam in Scripturis nunc accipiuntur in bonum, nunc in malum, *66, 2. animalia noxia etiam in statu innocentiæ producta, 57, 2. animalium variorum natura describitur, 64, 2; 67, 1, 2. animalia quædam lege Mosis, ut immunda, quam convenienter vetita, *61, 1. animalium horum qualis erat immunditia, *ibid.* animalia ruminantia, et quæ habent ungulam fissam, sunt munda, et quare, 2. quid hoc tropologice significet, *ibid.* animalia quatuor immunda lepus, camelus, chœrogryllus, sus, significant quatuor vitia opposita quatuor virtutibus cardinalibus, *62, 2. animalia post diluvium quomodo venerint ad insulas mari separatas et novum orbem, 150, 1. animalia reptilia septem erant lege veteri immunda, et quæ ejus rei symbolica causa, *72, 1. significant homines terrenos, *ibid.* non poterant ea tangere Judæi, *ibid.* animalia quæ, et quomodo venerint ad arcam Noe, 139, 1. quæ animalia in Ægypto quinta plaga pestis necata, quæ non, 507, 2. animalium mundorum et immundorum distinctio fuit ante Mosem quoad sacrificia, 140, 1. animalium quatuor Ezechielis symbola, 644, 1. animalia certa segregavit sibi Deus in sacrificium in lege Moysis, et quare, *4, 2. qualia debebant ea esse, *5, 2. animalia quædam offerri poterant voluntarie amputatis auribus et cauda, non tamen pro voto offerri, *143, 1. quid hoc tropologice significet, *ibid.* debebant animalia immolabilia certo tempore apud matrem manere, et quid hoc tropologice significet, *144, 1. non poterant animalia immolari cum fœtibus suis, et quid hoc significet, *ibid.*
Anitiæ familiæ origo, sanctimonia, viri illustres, antiquitas, 338, 1.
Annonæ procuratio Romæ credita viris magnis et sapientibus, 364, 2.
Annulus quem gestat rex quid significet, 360, 2. annuli memoriæ et oblivionis Mosis, quos comminiscuntur Rabbini, sunt fabulosi, 442, 2.
Annum septimum Deus jubebat esse sabbaticum, *167, 1. quando is numerari cœptus, 2. ejus quatuor privilegia, *168, 1. annorum sabbaticorum et jubileorum ordo, 2. de anno jubilei, *170, 1. annus septimus apud Judæos erat celebris, 609, 2. erat is sabbatum terræ, 621, 2. quibus de causis, *ibid.* annus sacer et vulgaris a quo mense inciperent, 622, 1. anni quot fluxerint a diluvio usque ad Abraham, 181, 2. in annis recensendis Scriptura sæpe tantum integros numeros exprimit, 169, 1. annus communis a sacro quando cœptus distingui, 524, 2. anni CXX quomodo homini præstituti ad vivendum ante diluvium, 133, 1. anni priscorum ante diluvium æquales fuerunt nostris, 125, 2. quot anni fluxerint ab Adam usque ad diluvium, *ibid.* cur veteres tot annis viverent, 126, 1, 2. variantia anni tempora quid nos moraliter doceant, 57, 2. annus apud Hebræos subinde incipiebant ante, subinde post æquinoctium vernum, *354, 2. annus lunaris solari est minor undecim diebus, 524, 1. annus embolismalis quis sit, *ibid.* auspicium anni varium fuit apud varios gentes, 2. anno sacro utitur Scriptura, *ibid.*
S. Anselmus cum ob senium Missam facere non posset, quotidie eam audiebat, 706, 2. maluit infernum adire quam peccare, 352, 1.
Anseres pervigiles sentiunt ea quæ alios latent, 65, 2.
Antichristus erit coluber, cur, 406, 1. nascetur ex tribu Dan. *164, 1. ejus mors qualis futura, *279, 2.
Antiochus Syriæ rex in regni jactura modestiam didicit, *243, 1.
Antipodes exstare docet Moyses, *507, 2.
S. Antonii vultus in oratione radiabat, 747, 2. ejus in dicendo et persuadendo gratia et efficacia, 692, 1. in aulam Constantini vocatus ire noluit, 450, 2. otium aversatus est, 474, 1. ejus ad suos ultima verba et monita,

*537, 1. fuit in summo senio vegetus, *538, 1. fuit columna lucis, *232, 1. per verba Evangelii convertitur, 4, 2. per integras noctes orabat, 710, 2.
S. Antonii de Padua studium in sacris Litteris, 18, 2. patrem falso cædis patratæ accusatum pueri necati confessione a morte liberat, *469, 2.
Antonius Pius Imp. delatores si non probarent crimen, capitali pœna affecit, *121, 1.
Anuph eremita alebatur in deserto ab angelo, 585, 1. quem concorditer vivendi modum suggesserit, *244, 1.
Aphraates eremita eremo exiit, ut Arianis resisteret, 683, 2.
Apollonius Thyanæus impostor finxit se in cœlos abreptum occulte moriendo, *537, 2.
Apostasiam (ad) quomodo perveniatur, 576, 2. apostasiam a religione quantopere soleat Deus punire, docetur multis exemplis, *457, 1.
Apostoli quomodo Evangelium dilataverint, 660, 1. significantur per duodecim principes tribuum Israel, *194, 2. maxime in vocatione, *195, 2. tropologice significantur per lucernas tabernaculi, *161, 1. hi et prædicatores præfigurati per servum Abrahæ Rebeccam sponsam Isaaco quærentem, 260, 2. Apparitio Dei triplex facta Jacob, significat triplicem Christi apparitionem ad animam, 329, 1.
S. Apronianus ea qua baptizatus est die, mortem oppetiit, 62, 2.
Aqua Ægypti per Moysem versa in sanguinem quid litteraliter significarit, 464, 2. aqua benedicta præfigurata in veteri lege, *294, 1. miracula per eam multa facta, et adhuc hodie fiunt, *ibid.* et seq. aquam omnem effundunt Judæi homine moriente, et quare, *295, 1. aquæ vivæ quænam in Scripturis intelligantur, *92, 2. aquam salsam Abbas Bessario dulcoravit, et Elisæus aquas steriles sanavit per salem, 573, 2. aquarum terram et summos montes operientium copia unde prodierit, 143, 1 et seq. aquæ super cœlos quæ sint, et ad quid reservatæ, 2.
Aquilæ Pontici versio S. Scripturæ cur non satis sit bonæ fidei, 17, 2.
Aquilarum mirabilis natura, 597, 1. et mirabilis amor in pullos, et in homines, præsertim virgines et beneficos, *ibid.* hac de re exempla et profana et sacra, *ibid.* et seq. eæ tropologice significant Sanctos in cœlis, 598, 1. eas in funere Imperatorum cur emittebant Gentiles, *ibid.* interdum mortis signa attulerunt, 2. quare apud Judæos essent ad esum immundæ, *64, 1. earum magnitudo ex historiis docetur, *65, 2. symbolum sunt imperii et tyrannidis, *502, 1.
Aquilonaris pars in castris Hebræorum quid significet allegorice, *200, 2.
Arabes adulteros capite plectunt, 348, 1.
Arach urbs Cœlesyriæ, postea Edessa vocata, 168, 1.
Arare in bove et asino quomodo Deus vetet, et quare, *478, 2. rei hujus tropologia, *ibid.*
Arbor scientiæ boni et mali qualis fuerit, 87, 2 et seq. videtur fuisse ficus, 88, 1. fuit hieroglyphicum liberi arbitrii, *ibid.* item obedientiæ et inobedientiæ, 2. arbor vitæ qualis fuerit, 85, 2. qualis ejus vis fuerit, *ibid.* quomodo homini vitam prorogasset, *ibid.* qualis æternitas ex ea futura fuisset, 86, 2. ex ea orta fabula de nectare et ambrosia deorum, 87, 2. quid ea symbolice, et allegorice, et tropologice denotet, *ibid.* arborum fructus primis quatuor annis in terra promissionis inhibiti erant Judæis, *121, 2. quare Deus hac cæremonia voluerit coli, *ibid.* ejus rei allegorica causa, *ibid.* item tropologica causa, *ibid.* 2. arbores loquentes duæ in India tempore Alexandri Magni sunt fabulosæ vel magicæ, *315, 1.
Arca Noe fuit composita instar cistæ, 136, 1, 2. ex cedro fuit facta, *ibid.* cur fuerit oblita bitumine, non pice, 137, 1. de ejus longitudine, altitudine, et capacitate, *ibid.* de ejus tecto, 2. habuit tres contignationes, *ibid.* in ima erat saburra, et sentina, *ibid.* in secunda erant animalia per cellas distributa, 138, 1 in tertia erat annona, 138, 1. in summo tabulato locus erat hominum et avium, *ibid.* erant in ea spiracula, 2. arca allegorice et tropologice quid significet, 138, quomodo ad eam venerint omnia animalia, 139, 1. in ea tantum octo homines servati, 141, 1. an in ea fuerit Sibylla, *ibid.* de corvo ad arcam revertente, et non revertente, 148, 2. quid moraliter hic corvus significet, *ibid.*
Arcæ fœderis descriptio, 637, 1 et seq. erat quasi cista, *ibid.* erant in ea tabulæ Mosis, *ibid.* tegebatur propitiatorio, *ibid.* habebat coronam et duos vectes; item quatuor globulos quasi rotas, *ibid.* fuit postea translata in templum Salomonis, inde in montem Nebo postea per Jeremiam translata, *ibid.* non fuit in secundo templo, nec hodie exstat, *ibid.* hæc mystice significat Beatos in cœlo, et potissimum B. Virginem, 638, 2. symbolice in ea contenta significabant tria attributa Dei, 638, 2. ejus longitudo erat duos cubitos et semis, 639. fuit dicta testamenti vel testimonii, et quare, 639, 2. erat scabellum Dei, quomodo, 640, 2. *Vide* Propitiatorium et Cherubim. Præcedebat castra Hebræorum, et quare, *246, 1. portabant eam Levitæ, *ibid.* Hebræorum in ea fiducia, 638, 2.
Ardea an per herodionem intelligatur, *67, 1.
Areopagitæ quando sint instituti, *245, 1, 2.
Argentum quando signari cœptum, 712, 2.
Arii hæretici feralis mors, *165, 1.
Aristidis post multa præclare gesta summa paupertas, 385, 2.
Aristotelis errores vel dubia octo, 5, 1.
Armenia unde dicta, 148, 1.
S. Arnulfus pridie quam moreretur, cella ejus ter magno fragore concussa est, *321, 1.
Arsenii eremitæ quies et silentium, 589, 1. jugiter præ desiderio cœli lacrymabatur, 662, 2. seq. per integras noctes orationi incumbebat, 710, 2, ejus continentia, *22, 1.
Artaxerxes unde dictus Longimanus, et quomodo id ipse vitium benigne sit interpretatus, *225, 1; *414, 1.
Artes mechanicæ sunt dona Dei, 719, 2.
Aruspicina damnata in sacra Scriptura, 204, 1.
Ascensio Mosis qualis sit liber, *536, 2.
Asclepius Afer Episcopus neminem non in via Domini erudiebat, 652, 2.
Aser quid significet, 298, 2. symbolice est vigor disciplinæ, 300, 1. de benedictione Aser, 407, 1; *532, 2. quid ea allegorice significet, 407, 2.
Asino (de) Mosis Rabbinorum fabula, 467, 2. asina Balaam quomodo locuta sit, *314, 1, 2. an fuerit proprie locuta, *ibid.* an per propria organa, et an ea ad id suffecerint, *314, 2. quid tropologice significet, *315, 2. asinum proximi sub onere jacentem jubet Deus elevari, *477, 1. mystice quid hoc significet, *ibid.* asinum cur Deus e jumentis solum sibi exegerit, et tamen eum sibi vetuerit immolari, 548, 2. asinorum pro equis usus apud Judæos, *ibid.* de asinis quæ fabulentur Gentiles ex odio Judæorum, 549, 1.
Aspergillum quo aspergebatur leprosus in sui mundatione, quale erat, *92, 1. quid ad litteram, et symbolice significarit, *ibid.* quid allegorice, *ibid.* quid tropologice. *ibid.*
Aspiratio Græca in *f* latine vertitur, *416, 1.
Assur quis sit; an Ninus, 168, 1.
Astaroth Carnaim est Diana et luna bicornis, ejusque idolum et urbs, 195, 1.
Astion Martyr per confessionem liberatus a turpi cogitatione, *37, 2.
Asyli urbibus (de) in lege Moysis, *382, 1. mystica asyla quinque, *ibid.* Gentiles an habuerint jus asyli, 2. asyla habebant olim homicidæ solum, scilicet involuntarii, *ibid.* in lege nova asyla sunt templa, cæmeteria, monasteria, ac alia loca sacra, *383, 1. in quatuor differunt ab

asylis Judæorum, *ibid.* asylis qui criminosi non gaudeant, *ibid.* asylorum in novo Testamento fundamentum et causa, *ibid.*
S. Athanasius secedens in exilium quomodo suos soletur, 444, 1.
Athenienses facile credebant delatoribus, *121, 1. eorum in suos ingratitudo, *299, 1, 2.
Atlas Astrologus quo tempore vixerit, 439, 1.
Atrii tabernaculi descriptio, 668, 1. atrium dicitur quasi αἴθριον, 2. quid denotet mystice, 669, 1.
M. Attilii Reguli in summa dignitate paupertas, 385, 1.
Augurium varie accipitur, 375, 1. unde dicatur, *124, 1; 328, 1.
Augusti Cæsaris clementia in captam urbem Alexandriam, 725, 2. ejus benignitas in Cinnam, 738, 2.
S. Augustinus per lectionem loci ex epistolis S. Pauli convertitur, 4, 1. difficultate deterritus Isaiam prophetam legere distulit, 10. 2. vasa templi vendidit, ut pauperibus succurreret, 656, 1; *452, 2. detractores mensa sua proscripsit, *254, 1. quomodo se ad mortem pararit, *322, 2. fugit mulierum habitationem, *344, 1.
Aurelianus Imperator in clementiam fuit pronus, 739, 1. fuit militaris disciplinæ mire observans, *481, 1, 2.
Aureola unde dicta, 649, 1.
Aurum spernentium exempla, *330, 2. ejus cupiditas quam sit res detestabilis, *313, 1. ea de re exempla, *ibid.*
Auster generat ranas, et locustas, 516, 1. qualis sit ventus, *ibid.*
Australis pars in castris Hebræorum quid significet, *200, 2.
Avarorum idolum est aurum, *120, 1.
Ave formatur ab Hebræo *chavæ*, 109, 2.
Aves in quibus conveniant cum piscibus, 63, 2. aves canoræ docuerunt musicam, 66, 2. avium variarum miraculosa natura, 64, 2 et seq.; 67, 1, 2. quænam mundæ vel immundæ in lege Moysis, *64, 1 et seqq. eæ recensentur, *ibid.* et seqq. erant numero viginti, *67, 2. qua de causa, *ibid.* et seqq. significant viginti vitia potentum, et eorum qui habent spiritus sublimes, *ibid* et seq. aves non divisæ ab Abraham in fœdere, quid mystice et moraliter significent, 204, 1.
Azazel hircus quis sit, *104, 2. est verosimile esse diabolum, qui a sagis specie hirci colitur, *104, 1. nomen hoc diabolus aliquis postea assumpsit, 2.
Azymorum dies quando inchoabantur, *149, 1. quatuor in illis observabantur, *ibid.* de victimis in illis offerri solitis, *ibid.* quales erant, quando celebrandi, et quid mystice significent, 535, 1 et seq. primus et septimus dies erant festi, 2, *149, 2. quid tropologice septem dies azymorum significent, 536, 2.
Azymus panis est panis afflictionis, cur, *455, 1. septem diebus in paschate comedebatur, *ibid.*

B.

Babel quid tropologice significet, 175, 2 et seq. de extructione turris Babel, 173, 1. de ejus altitudine, *ibid.* an eam extruentes peccarint 2. peccarunt vanitate ac superbia, *ibid.* hanc extructionem cur Deus permiserit, 171, 1, Dei ad eam videndam descensus quid significet, 174, 2. procellis fuit dejecta, 176, 2.
S. Babylæ Martyris morientis ad animam suam verba, 413, 2.
Balaam an fuerit propheta Dei, an diaboli, *311, 2. unde fuerit oriundus, *312, 1. fuit simoniacus, 2. erexit aras non Deo, sed Baal, *318, 1. quomodo eum Deus direxerit ut debuerit benedicere Israeli, *319, 2. mansit tamen adhuc in impietate, *320, 1. impium ejus consilium *331. 1, 2; *377, 1, 2 et seq. prophetat de Christo, *332, 1. de Romanis, *335, 2. de Amalec, *336, 1. de Cinæis, sive posteris Jethro. *336, 1.
Balneorum calidorum sive thermarum quis fuerit inventor, 334, 1.
Barac judex quomodo vocatus cervus, 407. 2.
Barbam radere Judæis vetitum, *126, 2. ea decet viros, *ibid.* multarum rerum est symbolum, *ibid.* Anicetus Pontifex clericis barbam non vetuit, *ibid.* eam prisci Clerici alebant, et Apostolorum icones barbam præferunt, *ibid.*
S. Basilius quam in morte fuerit validus, *524, 2. ejus sanctitas ostensa S. Ephrem, *232, 2. ejus elogium, *232, 2. comparatur cum fratre Moysi et Aaroni, 488, 1. diu in solitudine sacris Litteris studuit, 10, 4. fuit cosmopolita, 184, 2. non peragebat sacrificium nisi divina visio ei ostenderetur, *53, 2.
Beatitudo cœlestis denotatur per arborem vitæ, 87, 2.
Beatorum cœtus significatur anagogice per castra Hebræorum, *201, 2. eorum gaudia per manna significantur, 585, 2.
Ven. Beda tota vita studuit S. Scripturæ, 11, 1.
Beelphegor quale fuerit idolum, *339, 1. ejus forma, *ibid.* ejus colendi ritus, 2.
Belgica lingua an sit antiquissima, 172, 1.
Bellarminus Cardinalis, hyperaspistes religionis est, et hæresum jugulator, 12, 1.
S. Bellinus Episcopus Paduanus quare a Thoma Capivacio interfectus et hujus punitio, *291, 1.
Bellis (in) omnis victoria est a Deo, 590, 2. id docetur exemplis, *ibid.* et seq. bella Christianis licita, 591, 2. de bello spirituali, *ibid.* in bellis ducum probitas quantum possit, exemplis docetur, *470, 1 et seq. a bellis debere abesse formidolosos docetur exemplis, *471, 1. de anathematibus in bello a victoribus suspensis varia exempla, *365, 1, 2. belli justi ex Scriptura referuntur causæ duodecim, *ibid.*
Belus qualis fuerit, 167, 2. ab ipso idola dicta sunt bel, baal, baalim, *ibid.*
Benedicere pro salutare in Scriptura sæpe accipitur, 384, 2.
Benedictio est copia bonorum, *221, 1. benedictionis sacerdotalis formula in lege Moysis, *ibid.* fit per SS. Trinitatem, *ibid.* benedictionis sacerdotalis vis, 2. benedictio significat omnem prosperitatem, *500, 1, 2.
S. Benedicti Martyris corpus ab aquila est indicatum, 598, 1.
S. Benedictus vidit totum orbem in uno solis radio, 13, 2.
Benedictus XI Pontifex quam fuerit memor obscuri generis sui, 372, 1.
Beneficia et officia non esse conferenda amicis, et consanguineis, sed dignis, docetur exemplis, *351, 1.
Benignitatis in vivendo exempla, 683, 1.
Benjamin quid symbolice significet, 300, 1. de ejus nativitate, 330, 2. fuit patri charissimus, 331, 1, fuit sexdecim annis Josepho junior, *ibid.* significat allegorice S. Paulum, 331, 1; 373, 1; 412, 2; et *528, 1. nascens in Bethlehem, est typus Christi, 331, 1. est filius dextræ, 330, 2. quot annorum fuit, quando cum fratribus petente Joseph in Ægyptum ductus fuit, 371, 1. cur ei a Joseph quinque partes amplius datæ, 372, 2. de benedictione ejus, 412, 1; *528, 2. quid ea allegorice significet, 412, 2. fuit ejus tribus robustissima ob templum suum, *528, 2.
Benjamin diaconus evangelizare prohibitus dixit se tacere non posse, *156, 2.
Berenice regis Agrippæ soror nudipes ante Flori præsidis tribunal stetit, 454, 2; 715, 2.
S. Bernardus in Scriptura sacra magistros habuit arbores et sylvas, 14, 1. quam in ea fuerit versatus, 18, 2. ejus ortus præsignatus fuit, 465, 2. pugno percussus ulcisci volentes inhibuit, *264, 2. quam fugerit mulieres, *344, 1. quæ moriens suis fratribus mandavit, *538, 1.
Bersabee qualis urbs fuerit, 241, 2; 275, 1. unde sic dicta, *ibid.* quid allegorice et anagogice significet, 275, 1.
Bertranda matrona sancta ex angelorum manibus communicavit, *211, 2.
Beryllus gemma in rationali Pontificis significat Benjamin,

et S. Thomam varie tentatum et probatum, 684, 1, 2.
Beseleel quis fuerit, 719, 1. Beseleel et Ooliab significant SS. Petrum et Paulum, 2.
Bessarion Abbas precibus aquam maris dulcem reddidit, 710, 1.
Bestiæ etiam adulterium vindicant, *215, 2.
Bethel allegorice significat Ecclesiam, 289, 1. quæ sit urbs, et ubi fuerit sita, 290, 1; 291, 1. an fuerint duæ Bethel, 290, 1.
Bethlehem a fertilitate vocata est, ut et antea vocata Ephrata, 331, 1.
Bile carentes sunt longævi, *538, 1.
Blasphemi puniebantur pœna mortis, et qua cæremonia testium, *164, 2. exempla blasphemorum morte punitorum, *164, 1; *ibid.* et seq.; *415, 1, 2.
Bombyces sunt typus resurrectionis, 65, 2.
Bona quinque temporalia Judæis promissa, 436, 2.
S. Bonaventuræ angelus sacram communionem dedit, *211, 1.
S. Bonifacii Episcopi Ultraj. codex sacer gladio per medium sectus est, nulla tamen ejus littera læsa est, 11, 2.
Bonifacius Comes in Africa asylum violans a S. Augustino reprehenditur, *385, 1.
Bovem quare sibi Deus immolari voluit, *5, 1. bovem alios occidentem cur Deus vetuerit comedi, 613, 1. bovis fur cur quintupliciter debebat restituere, 615, 1. bovis quinque commoda, *ibid.* bos significat mystice doctorem, 615, 1. bovi trituranti quomodo non alligandum os, *488, 1.
Brachium significat mystice Filium, secundam in Deitate personam, 482, 1.
Brasili quomodo adulteros plectant, 348, 1.
Brixienses vexilla Cremonensium in templo velut anathema Deo obtulere, *365, 1.
S. Brixius falso fornicationis accusatus, infantis ipsius ore absolutus est, *469, 1, 2.
Broonem Episcopum Hiberniæ falso fornicationis accusatum natus puer innoxium pronuntiat, *469, 2.
Bryas vitiata virgine Argiva quales pœnas dederit, *341, 1.
Buccina in monte Sina qualis fuerit, et quid significet, an fuerit aerea vox angeli, 600, 1.
Bulgarorum rex primus Christianus quam acer fidei fuerit zelator, *457, 1.
Burcardus Halberstadiensis Episcopus decimas monasterii Hersveldensis sibi vindicans non multo post pœnas dedit, *291, 2.
Busiridis Martyris in patiendo hilaritas, 577, 1.
Byssus quid fuerit veteribus, 634, 2 et seq.

C.

Cabones Maurorum dux qua ratione de Wandalis victoriam retulerit, *470, 2.
Cadaver occisi quasi miraculo sanguinem sudat præsente occisore, *473, 2. cadaver per antiphrasin vocatur anima, *133, 1.
Cades quis locus sit, an alius a Cadesbarne, *298, 1. in eo quæ contigerint, 2. unde dictus, *ibid.* in eo moritur Maria soror Mosis, *ibid.*
Cadmus Mose multo fuit posterior, 441, 2.
S. Cæcilia usa cilicio est, 342, 1.
Cæcitas corporalis patienter quomodo ferenda, et parvi æstimanda, 277, 1, 2. eam patienter ferentium exempla, *ibid.* cæcitas animi est ingens pœna peccati, *502, 1.
Cæco ponere offendiculum quid sit tropologice, *118, 2.
Cælestinus V Pontifex fratris filium promovere noluit, cur, *351, 1.
Cæremonialia quænam in deserto Hebræi servaverint, scilicet expiationes et sabbatum, *136, 1, 2.
Cain quando genitus et ubi, quo anno occiderit Abelem, 113, 1. quid significet mystice, 2. non obtulit Deo terræ fructuum primitias, 114, 2. ei comparatur Julianus apostata, 115, 2. desperatio ejus, 119, 1. ejus pavor et mala conscientia, 120, 1. signum ejus fuit tremor corporis, 2. ejus sex pœnæ, *ibid.* ejus stirps periit diluvio, 121, 4. septem ejus peccata, 123, 1.
Cainan an in chronologia interjiciendus post Arphaxad: respondetur negative; Septuaginta qui eum interjiciunt, hoc loco corrupti sunt, 177, 1 et seq. interjicitur in S. Luca, quia textus ejus a quodam sciolo corruptus, 178, 1. evincitur id rationibus variis, *ibid* et seq.
Calamus aromaticus quid sit, 715, 2.
Calcaneus serpentis qui calcandus, quid symbolice significet, 107, 1.
Calceati edebant Hebræi agnum paschalem, 532, 1.
Calceorum depositio quid symbolice et tropologice significet, 455, 1.
Caleb constantia, laus et præmium, *260, 2. quot annorum fuerit, dum Hebræi fuerunt numerati ante ingressum in terram promissionis, *347, 2.
Calendæ quid apud Hebræos fuerint, *354, 1, non erant proprie festum, sed celebres clangore et victimis, 2. undæ eæ Romanis dictæ et calendaria, * 355, 2.
Caliga est genus calceamenti militaris, 199, 2.
Calor naturalis quomodo in homine agat, 87, 2.
Calvariæ montis elogium, 126, 1. in eo sepultum esse Adami cranium est communis Patrum opinio, *ibid.*
Calvini temeraria opinio de magis Ægypti, 509, 1. ejus blasphemia de inquinatione omnium operum nostrorum quantumlibet sanctorum, 435, 2. in Mosen est injurius, 475, 2. ejus blasphemia et impia opinio de Deo impios obdurante, 488, 1 et seq. dicit Deum Magis Pharaonis esse cooperatum, 494, 1. docet illos signa omnia quæ fecerat Moses pariter effecisse, sed falso dicit, 509, 1. perperam damnat in templis instrumenta musica, 572, 2. docet vetera sacrificia æque justificasse ac nova, * 7, 2. opera satisfactoria elidit, *36, 2. ejus mors feralis, *322, 1. in sacras imagines injurius est, *410, 1; *411, 1, 2.
Calumnia quam sit detestabilis, *121, 1. de ea varia apophthegmata, *ibid.* et seq.
Camaldulensis Ordo unde nomen traxerit, 288, 2.
Cambysis regis in monitorem barbaries, * 315, 2.
Camelopardalis quale sit animal, * 74, 1.
Camelus significat tropologice superbiam, * 63, 2.
Campanis cur utatur Ecclesia loco tubarum, unde ea dicantur, * 235, 1. earum usus varius, *ibid.*
Candelabri in tabernaculo descriptio, 650, 1. erat ductile ex auri talento, et septifidum, *ibid.* habebat tres ordines scyphorum, sphærularum, et liliorum, 2. illuminabat Sanctum noctu, *ibid.* habebat sua emunctoria, erat obliquum, et unum, *ibid.* erat typus septem planetarum, *ibid.* quidnam allegorice significarit, *ibid.* ordo scyphorum, sphærularum, et liliorum in eo quis fuerit, 653, 1. eorumdem omnium ordo in hastili, *ibid.* ita in tabernaculo dispositum erat, ut mensam panum propositionis illuminaret, * 227, 1, 2.
Canoræ aves musicam docuerunt, 65, 2.
Canum sagacitas et fides, 67, 2. homicidas produnt, *474, 1.
Caper emissarius. *Vide* Hircus.
Capillorum cincinni quam sint detestabiles, * 125, 2 seq. sunt cynædorum et meretricum, *ibid.* delectatur iis diabolus, *ibid.*
Carbunculus gemma in rationali Pontificis significat Dan et S. Jacobum fratrem Joannis ob ardorem charitatis, 682, 1.
Carnibus ante diluvium abstinebant prisci, 73, 2. earum esus Noe post diluvium permissus, non præceptus, 153, 2. earum usus an fuerit ante diluvium licitus, 154, 1. caro Christi lacera per lepram repræsentatur, *89, 1 et seqq. caro a bestiis prægustata cur lege Moysis vetita comedi, 618, 1, 2. quid hoc tropologice significet, *ibid.*

Carolomannus a clericatu apostatans quas pœnas dederit, * 457, 1.
S. Carolus Borromæus quam attente sacra Biblia legeret, 18, 2. quomodo domesticis suis operas partiretur, 220, 1. in cinere et cilicio mortuus est, 342, 2. jurisdictionem Ecclesiasticam intrepide tuebatur, * 277, 1. quomodo pro gloria Dei nullis laboribus pepercerit, * 51, 1. ejus pia praxis proficiendi in virtutibus, 574, 2.
Carolus Magnus Imp. quantopere sacris Litteris deditus fuerit, 11, 1. ejus lenitas, 416, 2.
Carolus IV Imp. mire erga litteras afficiebatur, 651, 2.
Carolus V Imp. fuit mire felix, 301, 1. ejus animus invictus, 395, 1. resignavit filio regna quieti vacaturus, 450, 2; * 323, 1. quid de veterano milite censeret, 647, 2. quid de regum miseria, *244, 1.
Carolus Burgundiæ Dux quam dire perfidiam luerit, 326, 2.
Carthaginenses perfidiam suorum probantes pœnas tandem dederunt, *ibid.*
S. Cassius Narniensis quotidie celebrabat, * 53, 1.
Castitatis conjugalis symbolum esse columbam docetur exemplis, 79, 1. castitatis probatio per ignem, 453, 1. ejus scutum duplex, memoria Dei, et fuga occasionum, 353, 2. ejus custos est vestium honestas, *477, 1. ejus laudes, * 75, 1 et seq est speciale donum Dei, *76, 1. castos Deus ab igne inviolatos conservat, id docetur exemplis, *ibid.* quam sacerdotibus ea necessaria, 694, 2.
Catanensis Comes in Scotia, quod Adami Episcopi decimas reposcentis necem ultus non esset, graves pœnas dedit, * 291, 2.
Cataractæ cœli quæ dicantur, 142, 2.
S. Catharina Suedica pusillanimitati succumbens dæmonis patuit illusionibus, * 457, 2.
S. Catharinæ Senensis cum Christo familiaritas, 460, 1. e Christi manibus sacram communionem accepit, *138, 1. accepit ab eo aliud cor, *425, 2. crucem pauperi argenteam dedit, * 494, 2.
M. Cato Uticensis constantiæ speculum fuit, 671, 2.
Causa interdum accipitur in Script. pro occasione, 31, 1.
Celtica lingua an eadem cum Hebræa quoad radices, et tantum dialecto ab ea differat, 176, 1.
Censum certum Deus a singulis Hebræis exigebat, 712, 1. quibus de causis, 2. eumdem censum Vespasianus Judæis devictis indixit, *ibid.* quid census pretium anagogice significet, *ibid.* solvebant æquale pretium in censu hoc pauperes et divites, et quare, 714, 1.
Centenarius numerus est symbolum vitæ cœlestis, 671, 2.
Cethim unde hebraice dicatur Italia et Cyprus, * 336, 2.
Cetura uxor et ancilla Abrahæ, an eadem sit cum Agar, 263, 1. quid vox hæc significet, *ibid.* fuit serva, *ibid.* quoto anno ætatis eam Abraham duxerit, *ibid.* quot ex ea genuerit proles, *ibid.*
Chaldæi apud Joelem prophetam significati per locustas, 516, 1.
Cham quid significet, 136, 1. an in arca usus conjugio, 161, 1. quomodo dicatur per anticipationem pater Chanaan, 158, 2. de eo patrem irridente, et ejus punitione, 161, 1. fuit medius filiorum Noe, *ibid.* fuit primus rex Ægypti, 166, 2. an sit Jupiter Hammon. *ibid.* an fuerit magiæ inventor et propagator, 492, 2.
Chamæleon quale sit animal, et unde dicatur, *70, 1. mutat colorem, et quomodo, *ibid.* an vivat sine cibo ex aere, *ibid.* significat tropologice eos qui se vento honoris et deliciarum pascunt, *ibid.*
Chanaan an natus in arca Noe, 158, 2. an ipse una cum patre Noe avum suum irriserit, 161, 1.
Chananææ termini ad quatuor mundi plagas, qui, 625, 1. ejus promissio quid mystice significet, 192, 2. ejus lingua affinis Hebrææ, * 399, 2.
Chananæi aliqui inter Hebræos quare relicti, 625, 2. eorum peccata ob quæ ex sua terra expulsi, 205, 1; *118, 2 et seq. cur nunc septem, nunc undecim gentes ex iis numerentur, 206, 1, 2. eos Deus tribus de causis jussit stirpitus deleri, * 371, 2.
Charadrius qualis sit avis, et quæ, * 67, 1.
Charitatis ac dilectionis proximi præceptum exponitur, *121, 2. ejus exempla, *122, 1. charitas significatur per ignem, *39, 1; 53, 1 et seq. ejus quam sit vehemens ignis, *106, 1, ejus octo dotes, *423, 1 et seq. significatur per carbunculum gemmam in rationali, 682, 1. ejus encomia et fructus, *ibid.* 2.
Cherub cum gladio ignito ante paradisum positus, quis fuerit, 111, 2.
Cherubini duo supra arcam, quidnam fuerint, 641, 1 et seqq. an habuerint speciem quatuor animalium Ezechielis, 2. caruerunt sexu, 642; 1. qualis eorum fuerit situs circa arcam et propitiatorium, *ibid.* et seq. quales et quotuplex, et quo situ fuerint Cherubini Salomonis in templo, *ibid.* de eorum situ in arca variæ sententiæ, 2. an fuerint in aere penduli, *ibid.* an institerint arcæ uno vel utroque pede, 643, 1. an steterint in pavimento Sancti sanctorum, *ibid.* stabant supra propitiatorium, 2. erant etiam tabernaculi velis, et cortinis intexti, 658, 1. quo fine positi sint supra arcam, quidque significaverint, 644, 1. erant currus gloriæ et victoriæ Dei, *ibid.* significabant angelos, qui sunt stipatores Dei, 2. significabant allegorice Ecclesiam, *ibid.* anagogice cœlum, *ibid.* quo sensu Deus dicatur sedere vel vehi super Cherubim, 645, 1. unde Cherubim dicti sint, et quid hebraice significent, 2 et seqq. sunt symbolum sapientiæ, 646, 2.
Chærogrillus quale sit animal, * 62, 1 et seqq. non est hericius aut cuniculus, *ibid.* et seqq. significat injustitiam, * 62, 2.
Christiani Philosophi elegans descriptio, 695, 1.
Christiani primi studiosiores fuere sanctitatis et paupertatis, quam pompæ et splendoris, 680, 1.
Christiani omnes probi quomodo sint reges, 590, 2. eorum acies errantes quam miraculose in terra sancta ab angelo fuerint deductæ, 558, 2. mane adire templum debent, 706, 2.
Christinæ Virginis et Martyris mirabilis constantia, et crudele martyrium a proprio patre inflictum, 117, 2.
Christus est pulvinar laborantium, 285, 1. adumbratur per duodecim gemmas rationalis, et cur, 684, 2. animam suam Deo vovit, eamque redemit, * 184, 1. ejus corpus in cruce tostum significatur per vaccam rufam crematam, 293, 1. ejus sanguis significatur per aquam cineralem vaccæ rufæ, * 294, 1. est sponsus sanguinum, 471, 2. ejus septem dotes in statu naturæ lapsæ, 95, 2. quomodo sit agnus paschalis, 525, 2. allegorice quomodo oblatus in plenilunio, 528, 1. extremam sententiam maledictionis proferens, præfiguratur per hominem qui hircum emissarium in eremum ducebat, *107, 2. item peracta hac sententia præfiguratur per pontificem revertentem in tabernaculum, *108, 1. in passione sua comparat se messori, 710, 1. ejus caro dilacerata fuit lepra, idque octo de causis, *89, 2 et seq. significatur per passerem offerri solitum in sacrificio leprosi, *92, 1, 2 et seq. quomodo agnum paschalem ederit, 532, 1. ejus corpus significatur per tabernaculum Moysis, 657, 1. significatur per pontificem veteris testamenti suis vestibus indutum, et maxime tunica hyacinthina cum ephod et rationali, 696, 2. fuit a parentibus adoratus, 340, 1, assimilatur Joseph patriarchæ, 341, 2 et seqq. est merces nostra, 404, 2. quomodo nos hortetur ad bibendum calicem passionis, 696, 2. significatur per propitiatorium, et quibus de causis, 640, 2. quomodo est allegorice petra, 587, 2. circumcisus prima die januarii designatur per Mosen eadem die promulgantem decalogum, *395, 2. in omnibus Sanctis semper est passus, 440, 1. in cruce pendens significatur per uvam in vecte pendentem portatam a duobus bajulis, *259, 2. media

nocte veniet ad judicium, 520, 1. quomodo est monoceros, *325, 2. quomodo fit stella, et quare, *332, 1. habet sex radios, id est sex virtutes, 333, 1. quare extra urbem passus sit, *27, 1. ubique et ab omnibus fuit benedictus, 410, 1, 2. est desiderium collium æternorum, *ibid.* Christum desiderantium exempla varia, 411, in Evangeliis cur toties ad Moysen appellet, 22, 1. ejus caro significabatur per velum tabernaculi, 661, 2. fuit in cruce dolore et amore tostus, 665, 2. est exspectatio Gentium, 401. 1. nobis est omnia, et ad eum semper debemus refugere, 640, 2 et seqq. est nobis exemplar, in omni sua vita, disciplina morum, 653, 2. est Nazaræus, et quare, *217, 2. ejus caro in cruce frixa significabatur per sacrificium mincha, *17, 1. habuit proprie donum prophetiæ, *465, 1. quomodo dicatur pro nobis factus maledictum, *475, 1. est aquila septem de causis, *517, 2. significabatur per omnia animalia quæ sacrificabantur in lege Moysis, *5, 1. ei accommodantur ritus holocausti, 2 seq. ejus juventa significatur per sacrificium vituli, *8, 1.in resurrectione sua significatur per oblationem spicarum et primitias fructuum, *149, 2. ejus comestio post resurrectionem qualis fuerit, 223, 1. significatur per columnam nubis, *232, 1. quomodo dicatur gentes percussisse, *334, 1. quinque de causis vocatur Deus, 486, 2.

Chronologiæ Mosaicæ certitudo et veritas astruitur, 179, 1.

Chrysolithus gemma in rationali Pontificis est Ephraim, et S. Matthæus pœnitens, 683, 2.

S. Chrysostomus quæ et qualia pro Deo passus, 704, 2. inter celebrandum sæpe vidit angelos, * 210, 2. ejus in dicendo et persuadendo gratia et efficacia, 693, 1. fuit a S. Paulo edoctus, 14, 1. eum fratrem vocat Innocentius I Pontifex, 119, 1. ejus memoriæ lapsus, 214, 1. ejus constantia, 352, 1; 637, 1.

Cibos mundos ab immundis cur Deus in lege Moysi segregavit, *60, 1.

Ciconia avis eadem quæ herodion, *67, 1. unde dicta chasida, a pietate, *ibid.* earum mores et natura describitur, 65, 1.

Cicuta homini virus, vaccis in deliciis, 57, 1.

Cilicii usus quam sit antiquus, 342, 1. exempla Sanctorum qui eo usi fuerunt, *ibid.* et seqq.

Cimbri ex quo orti, 165, 1, 2.

Cincinnatulus nomen diaboli, 126.

Cincinni cur Judæis vetiti, * 126, 2. sunt cinædorum et meretricum, *ibid.*

Ciniphes quales sint muscæ, 502, 2, cur eos efficere non potuerint magi Ægyptii, 503, 1. quid hi tropologice significent, *ibid.*

Circumcisio multis de causis est instituta, 214, 2. erat signum memorativum pacti Dei Abraham, *ibid.* erat signum repræsentativum fidei Abraham, *ibid.* distinguebat Judæos ab aliis gentibus, *ibid.* delebat peccatum originale, ut probabile est, *ibid.* significabat baptismum, *ibid.* imponebatur in ea nomen, uti jam in baptismo, *ibid.* ad eam etiam Ismael et Esau obligabantur, 215, 1. eam receperunt etiam quædam gentes, *ibid.* cur in tali membro instituta, *ibid.* cur dilata in octavum diem, 2. an fiebat cultro lapideo, *ibid.* etiam servi emptitii ad circumcisionem fuerunt obligati, *ibid.* de pœna circumcisionis omissæ, 216, 1.

Circumcisio spiritualis triplex, 215, 2.

Citeria Romæ erat effigies loquax et arguta, *98, 1.

Civitates Pharaonis Pithon et Ramesses ædificarunt Hebræi, 432, 1. hæ quid moraliter significent, 2.

Clamor in auribus Dei est vehemens orantis desiderium, 558, 1.

S. Claræ futura sanctitas est per lumen demonstrata, *333, 2.

Clemens IV Pontifex quam in sua dignitate memor fuerit suæ obscuritatis et paupertatis, *351, 1.

Clementia est quiddam divinum maxime decens principes, 738, 2 et seq. clementiæ principum varia exempla, *ibid.*

Clerici molles sugillantur, *286, 1. clerici barbam alebant olim, sed comam tondebant, *127, 1. secessum et quietem colant, *173, 1. unde dicti, *289, 1. sunt idem quod olim Levitæ, * 289, 1,

Climata orbis in sacra Scriptura juxta situm Judææ intelligenda sunt, 33, 1.

Clotharius rex filium rebellem Dei auxilio profligavit, 590, 1.

Coccus quid sit, 633, 2.

Cœlestia (ad) quomodo affectus nostros debeamus dirigere, 633, 1. cœlestibus inhiantes significantur per sapphirum, 682, 1. ad cœlestem gloriam quomodo suspirandum, 638, 2. cœlestis gloriæ magnitudo, et ejus insignis descriptio, *ibid.* 662, 2. quomodo ad laborandum pro ea S. Antonius suos hortabatur, 662, 2. comparari potest vili pretio, 662, 1. cœlestis gloria quam sit ingens et fulgens, * 329, 1.

Cœlum vox unde derivetur, 53, 2. ad cœlum XLII viæ significatæ per mansiones 42 in deserto, quæ per quas, *371, 2 et seqq. cœlum ferreum et terra ænea quid sint, *179, 1. ad cœlum qui affectus dirigit, facile spernit temporalia, 671, 2. quid in Genesi in ejus creatione, cœli nomine intelligatur, 44, 2 et seqq. cœlum an habeat aliam materiam specie distinctam a materia sublunarium, 45, 2. cœli empyrei quanta sit vastitas et distantia a terra, 61, 1, 2. ad cœlum aspiranti facile sordent terrena, *ibid.*

Cœnomyia quod sit insectum, 504, 1.

Cognitio sui quam sit res præstans, *451, 2.

Columbam esse symbolum castitatis docetur exemplis, *78, 1, 2.

S. Columbani futura sanctitas per solem est declarata, *333, 2.

Columna nubis fuit dux viæ Hebræis in deserto, 551, 2 et seq. novem ejus proprietates, *ibid.* quæ de ea Scriptura habet, adaptantur Christo, Spiritui Sancto, et Sanctis, 552, 1; * 232, 1. an castra ab æstu protexerit, 553, 1. quomodo hoc faciebat, 2. qualis figuræ fuerit, *ibid.* etsi solita esset præcedere Hebræos, postposuit se eis dum Ægyptii eos insequebantur, 558, 2. illuminabat Hebræos, et obnubilabat Ægyptios, 559, 1. quid hoc tropologice significet, *ibid.* qualis fuerit, * 231, 1. eam dirigebat angelus, *ibid.* et 551, 2. fuit similis nubi, ab ea tamen differebat in rebus octo, *231, 2. fuit eadem de die nubes, de nocte ignis, *ibid.* non erat ignis ejus aliud quam lux, *232, 1. tropologice fortes et illustres Sanctos significat, *ibid.* et 2. quando in itinere quiesceret, *233, 1. quando desierit, 2. octo in omni columna laudantur et spectantur, *232, 2.

Comam in coronam circumtondere erat apud Græcos signum ludibrii, *125, 2. comam Gentiles tondebant in rotundum, et quare, *ibid.*

Commodato (de) quid lege Moysis fuerit statutum, 616, 2.

Compunctionis commoda et exempla, *30, 1, 2, *Vide* Pœnitentia.

Concilium Sanedrim unde ortum habuerit, *245, 1.

Concionari verbum Dei quam sit præstans et meritorium, *156, 2.

Concionatores debent esse satores æternitatis, *234, 2. concionatorum talium exempla, 2 et seq. quales debeant esse, *156, 2. sunt phialæ mystice, 649, 2.

Concubina quæ sit, quæ uxor, 263, 2.

Concupiscentia omnis rei vetita est ob sex causas, *420, 1. vincitur quatuor modis, *ibid.* concupiscentiam internam Judæi putabant non esse peccatum, *419, 2. concupiscentia involuntaria non vetatur, ut vult Calvinus, *420iA-concupiscentiam rei alienæ vetat decimum decalogi præceptum, *ibid.*

Conducto (de) quid lege Moysis fuerit statutum, 617, 1a

Confessarii quales debeant esse, 594, 2.
Confessionis sacramentalis typus, *37, 1. de ejus utilitate, necessitate et fructu, *ibid.* de hoc fructu varia exempla, *37, 2. etiam confessionem peccatorum laudarunt Gentiles, *ibid.*
Confessionis particularis in lege veteri quis erat typus, *37, 2. ejus apud Judæos ritus, *33, 1.
Congregari ad populum suum quid sit, 264, 2.
Conjugum par pacifice viventium Deo mire placet, 274, 1.
Conscientiæ quanta sit vis et efficacia, 367, 2; 517, 2. est sui carnifex, 116, 1. conscientiæ malæ comes et pœna, est pavor, quod multis insignibus sententiis confirmatur, *179, 2. e contrario bona fiduciam et exultationem parit, *180, 1, 2.
Consilia etiam simplicium non spernenda, 594, 1. hominum consilia quam infida, 208, 1.
Consiliarii, non se, sed rempublicam locupletent, 385, 1. de hac re exempla, 386, 1.
Consolationes spirituales per manna significantur, 585, 2. exempla eorum qui eas abundanter habuerunt, 585, 1 et seqq. consolationibus terrenis carentes reficiuntur cœlestibus, et contra, *432, 1.
Consortium malorum quantopere sit vitandum, *87, 1.
Constantia animi significatur per topazium, 681, 2. ea in virtute opus est, 670, 1 et seqq. ejus varia exempla et scite de ea dicta, 671.
Constantinus Magnus Imp. Episcopum se esse dixit extra Ecclesiam, *462, 1. Crispum filium causa inaudita necari mandat, *468, 1, 2. primus fidem Christi est amplexus, 593, 2. fabricam templi S. Petri Romæ suis manibus juvit, 636, 2. cur templa non usque adeo splendida Romæ construxerit, 680, 1.
Constantii Imp. lenitas, 416, 2. ejus verba morientis ad Senatum, *511, 2.
Contactu (de) sanctificatorum canon, *41, 2.
Contemplativa vita describitur, 294, 1. octo de causis præstat actioni, 2.
Contumeliam pati quam sit præstans, 633, 2.
Convallus Scotorum rex pius fuit, *461, 1.
Conversione (in) hominis a sæculo Deus tria solet facere, 549, 1.
Conversorum hominum ad Deum modi tres, *ibid.*
Converti volentes magis tentantur, et quare, 474, 2. loqui ad cor quid sit, 151, 1 et seqq. in corde est duplex officina, una virtutis, altera concupiscentiæ, 152, 1. cor durum et obduratum quid sit, quinam ejus effectus, 490, 2. ejus proprietates undecim, 491, 1 et seqq. interdum flagellis et plagis debet frangi, 537, 1.
Core fuit consobrinus Mosis filius Isaar, *274, 1. quare Deus ejus murmur permiserit, 2. quando id contigerit, *ibid.* blasphemavit, et quomodo, *278, 1. ejus punitio, 2. familia ejus juste est occisa, *ibid.* filii ejus ab hac punitione excepti et miraculose servati sunt, *ibid.*; *346, 2. cum suis est damnatus, *279, 1. an vivus pervenerit ad infernum, 2.
Cornelia quanti à marito æstimabatur, fetus, 94, 2.
Cornua Mosis quid symbolice significarint, 746, 2. cornua symbolum sunt regni, *ibid.* cornua cur Mosi Deus affixit, 747, 1. an ea ei fuerint perpetua, *ibid.* cornuum crucis Christi fortitudo, *530, 2 seq.
Coronulas habebat tiara pontificis Judaici, 695, 2. coronæ regum veterum erant fasciæ, *ibid.* triplex corona tiaræ quid tropologice denotaret, 696, 2.
Corpus servi est pretio æstimabile, non vero liberi, 612, 2. corporis humani fabrica est instar mundi, 81, 2.
Correptio fraterna præscripta Judæis erat, *121, 2.
Cortinarum tabernaculi duplex tropologia, 658, 2 et seq.
Corvi emissi non reversio ex arca quid moraliter significet, 148, 2.
Corus qualis erat mensura, *185, 2.
Coturnices quale nutrimentum, *246, 2. bis Hebræis in deserto datæ, *248, 1. quomodo a Deo adductæ, *ibid.* vocantur ortygometra, et quare, 2. eas quare Deus dederit, non anseres, *ibid.* quantam earum copiam dederit, *249, 2. comederunt eas tam pii quam impii, *ibid.* earum caro an medeatur epilepsiæ, 1. earum datio Hebræis, et natura mystice quid denotet, *ibid.*
Crabrones veros Deus immisit in Chanaæos, 624, 2.
M. Crassus quantam servorum curam gereret, *174, 1.
Creata quando, unde, a quo, ad quid, et quare cœlum et terra, 41, 2. creare quid sit secundum vocis etymologiam, 41, 1. creavit Deus jubendo, 43, 1. quæ sint creationis quatuor causæ, 44, 2. cur omnia non simul creata, et exornata, 46, 1; 50, 2.
Creata sit quomodo primo die abyssus cum terra, 45, 1. terra vacua hoc die ad quid, 46, 2. spiritus tum super aquas ferebatur, 47, 1. quæ fuerit lux quæ primo die creata, 48, 1. quis hujus lucis usus, 2. quid tropologice significet, *ibid.* quomodo diviserit Deus lucem a tenebris, 49, 2. quid allegorice ea divisio significet, *ibid.* lux in meridie est creata, 50, 1. an super cœlos et firmamentum sint veræ et naturales aquæ, 51, 1. ad quem usum ibi sint, 52, 1. morale de firmamento, 52, 2. ad quem locum die tertio et quare congregatæ sint aquæ, 53, 1. quomodo, 54, 2. hoc die mari salsedo indita fuit, et quare, 1. hoc die montes facti et concavitates sub terra, *ibid.* quomodo tum terra produxerit germina, 55, 2. hoc die paradisus plantatus, et herbæ venenosæ et spinæ cum rosis productæ, 56, 2 seqq. item mineralia, et quæ terram perficiunt, producta, *ibid.* quarto die astra creata sunt, 58, 1. et unde facta, 59, 1. sol in qua parte cœli cum fuerit productus, *ibid.* *Vide* Stella, ex qua materia aves die quinto creatæ sint, 63, 1. de balenis hoc die creatis, 64, 1. quæ animalium terrestrium species sexto die creatæ fuerint, 66, 1. bestiæ etiam venenatæ tum productæ, *ibid.* hoc die creata non fuerunt minuta animalia quæ gignuntur ex corruptione, 2. nec animalia ex congressu diversarum specierum gigni solita, 67, 1, *Vide* Homo.
Creationis sex dierum opus quid tropologice significet, 68, 2.
Creaturarum proprium nomen est, Non sum, idque quatuor de causis, 459, 2. mystice nos faciunt ascendere ad creatorem, 58, 1. tripliciter nobis contemplandæ sunt, 42, 2. quo sensu a Prophetis vocentur in testes, *407, 1 nullæ præter hominem habent in se imaginem Dei, sed reliquæ tantum ejus vestigium, 72, 1. sunt ex dono creatoris, et quomodo iis utatur Deus, 42, 2. omnes Sanctis serviunt, 560, 2. docetur hoc variis exemplis, *ibid.* et seqq. cur creatura sit possibilis, Deus est causa, 459, 2. et qua ratione id fiat, *ibid.*
Crœsus Lydorum rex neminem putabat beatum nisi divitem, *245, 2.
Crucis Christi ignominia significabatur per vitulum et ejus fimum, qui cremabatur extra castra, *108, 2. omnia amara reddit dulcia, 573, 2. ejus encomia, *ibid.*; *305, 2 et seq. ejus symbolum est arbor vitæ, 87, 2. item virga Moysis, 496, 1; 587, 2. designatur per ligneum altare holocausti, 665, 1. crucis supplicium non fuit apud Judæos ordinarium, sed enormium criminum, *132, 1. in ea pendentes, quare et quomodo dicantur maledicti, *475, 1. jam non sunt maledicti, *476, 2. fuit ipsa figurata in serpente æneo, *305, 2. ejus signum quam sit dæmoni terribile, *ibid.* ejus typus fuit in postibus Hebræorum sanguine agni tinctis, 534, 2. est scala per quam Christus et Christiani in cœlum ascendunt et ascenderunt, 286, 2.
Crux quotidiana ferenda patienter, *17, 1.
Crux templo et pectori Serapidis erat insculpta, 364, 2.
Crystallus mirabilis in oppido Santareno in Lusitania, 686, 2.
Cubitus qualis mensura sit, 137, 1; 639, 1.

Cuculus cur sit avium probrum, *215, 2.
Cumani quomodo in adulteros animadvertant, 348, 1.
S. Cunegundis probavit castitatem suam igne, 453, 1; *76, 1. quomodo usque ad finem vitæ cilicio usa, et in eo mori voluerit, 342, 1.
Cupiditas quævis, charitati contraria, significatur per ignem alienum, *55, 2.
Curam Deus suorum quantam gerat, 188, 1; 230, 2; 237, 2; 286, 1; 309, 1, 2.
Currus Pharaonis mystice sunt currus vitiorum, 556, 2.
S. Cuthbertus ab aquila est nutritus, ne fame periret, 598, 2.
Cutis vitia munditie sanantur vestium, *87, 1.
Cyathi tabernaculi cui usui servirent, 649, 2. eorum tropologica significatio, 650, 1.
Cynomyia quod sit insectum, 504, 1. quid mystice designet, *ibid.*
S. Cyprianus fuit in hoc mundo peregrinus, 184, 2. ejus ad tyrannum commiserantem intrepida vox, 411, 2. docuit suos ad mortem usque, 651, 2.

D.

Dan quid significet, 298, 1. symbolice est consideratio futurorum malorum, 299, 1. de ejus benedictione, 405, 1; *531, 2. ex hac tribu ortus fuit Samson, 405, 2. ex eadem orietur Antichristus, eritque coluber, 406, 1.
Dania ob decimas Ecclesiæ negatas penuriam passa est, *291, 1.
Danitæ quale habuerint insigne in deserto, *199, 1.
David quam immensam summam reliquerit filio Salomoni, ad constructionem templi, 757, 1. vindictam in Saulem poscens exauditus a Deo est, 155, 1.
Decimas omnium frugum Deus exegit, *188, 1. eas quo jure teneantur Christiani solvere, *188, 2. decimæ ovium quomodo apud Judæos solutæ, *ibid.* quorum animalium decimæ solutæ, *ibid.* duplices quotannis dabant Judæi, *449, 1. triplices dabant anno tertio, 2. decimas dare detrectantes et dantes impedientes quomodo puniti, docetur exemplis, *290, 2; *449, 2. tertio anno quædam dabantur pauperibus, *492, 2.
Democles puer maluit mori quam in stuprum regis consentire, 352, 2.
Deserti Sinai, per quod Hebræi profecti in terram promissam, octo qualitates et difficultates, *236, 2.
Detractio quam sit detestabilis, et quot secum adferat incommoda, *253, 2 et seqq.
Deucalionis diluvium quando contigerit, 157, 2.
Deus nomina decem habet, 477, 1. nomen Dei tetragrammaton *Jehova* cur vocetur ineffabile, 478, 1. id quam venerabile Hebræis fuerit, 2. quæ vocales ei subjiciendæ, 479. quid hoc nomen significet, 480, 1 et seqq. quomodo significet essentiam Dei, 2. quomodo hoc nomen primo Deus dicatur indicasse Moysi, *ibid.* et seqq. nomen hoc quid symbolice significet, 482, 2. nomen quadrilitterum pleræque Gentes Deo tribuerunt, 482, 1. Deus est auriga mundi, 6, 1. est ejus centrum, *ibid.* Dei requies a creatione tacite significat rerum creatarum conservationem, 77, 2. eodem modo operatur cum vacat, et cum operatur, *ibid.* quomodo olim apparuerit, 29, 2. ejus vox perambulantis in paradiso qualis fuerit, 103, 2. aliter dicitur pœnitere, aliter homo, 135, 1. ejus præsentiæ cogitatio est remedium omnium peccatorum, 136, 1. quantam curam suorum habeat, 313, 2; 230, 2; 237, 2; 286, 1; 309, 1, 2. solet interdum impios per impios punire, 195, 1. est clypeus justorum, 200, 1. est merces et beatitudo Sanctorum, 2. est nobis res sufficientissima, 212, 1, 2 et seqq. nihil præter eum potest nos satiare, eo quod in eo sint omnia bona, *ibid.* præsentia ejus nobis semper ob oculos ponenda, *ibid.* quis ejus fructus, 212, 2 et seqq. quam sit mirabilis in consiliis suis, 278, 2. vult coli certis locis, 289, 1. nulli dat omnia bona simul, 295, 1. reservat sibi quatuor claves, 297, 2. est fortuna fortunans, 301, 2. quomodo sit timor Sanctorum, 311, 1. est speculator omnium, 2. auctor malorum non est, sed ea permittit, 378, 1. vindictam differt, sed tandem eam infligit, 393, 1. ejus Trinitas insinuatur tribus nominibus Dei, 409, 2. ejus præsidio quomodo fidendum docetur exemplis, *ibid.* quomodo a nobis magnificetur, *264, 1. ejus dicere est curare, *264, 2. ejus zelus quid sit, *413, 1. quomodo dicatur punire peccata parentum in filios, *ibid.* tribus modis nos solet rogare, vel tentare, *446, 1. est misericors in miseros, *449, 2. olim apparebat terribilis, *421, 2. eum unum esse docetur sex rationibus, *422, 2 et seq. hanc unitatem etiam Gentiles cognoverunt, 460, 1. super omnia diligendus est, *423, 1 et seqq. ei quam debeamus attente servire, *432, 1. potest nos pascere omnibus rebus, 2 et seqq. quantopere sit laudandus, *439, 2 et seqq. ejus opera perfecta sunt tripliciter, *514, 2. est rupes, et quare, *ibid.* ejus attributa septem, *515. ejus providentiæ alæ, *517, 1. est aquila ob quinque analogias, *ibid.* quomodo peccata permittat, 415, 2 et seqq. est in eo duplex voluntas et providentia circa peccata, *ibid.* cur sæpius vocetur Deus Abraham, Isaac et Jacob, 455, 2. cur interdum ter hoc nomen, Deus repetatur, *ibid.* est ævum ævorum, 458, 1. esse est ei proprium novem de causis, 459, 1. spem dans, mox quædam permittit fieri, quæ possunt esse causa desperationis, 474, 2. est summe sufficiens, 477, 1. est in eo triplex celsitudo, 2. de eo varii Philosophorum errores, 478, 1. ejus bonitati, veritati et justitiæ repugnat captare materiam puniendi, 514, 1. semper est laudandus, 566, 1. et seqq. est altissimus quintupliciter, 567, 2. est contritor Pharaonis, *ibid.* ejus nomen est admirabilis, 569, 1. quomodo dicatur regnare ultra æternum, 570, 1 et seq. ejus providentia in alendis pauperibus, 581, 2. ejus providentia recte comparatur aquilæ, 597, 1. sibi est lux, nobis caligo, 604, 1. ejus providentia in homicidiis permittendis, 612, 1. qua forma senioribus Israel apparuerit, 628, 2. ei quomodo Scriptura tribuat membra, 629, 1. ejus præcipuum attributum est sanctitas, 693, 2. est immutabilis, licet interdum mutet sententiam contra peccatores latam, 724, 1 et seqq. ejus directioni quomodo in omnibus acquiescendum, 736, 2. hac de re exempla, *ibid.* et seqq. ejus epitheta XII quibus invocandus est, 743, 2. ejus misericordia multiplex, *ibid.* quam patiens et potens sit, 744, 1. est lux immensa et increata, 747, 1. est dominus rerum omnium, homo vero solum habet usum ad vitam, *172, 1, 2. Deus sabaoth unde dicatur, *209, 1. in Deo non est memoria, sed intuitus, *236, 1. ejus ope et auxilio quomodo nitendum, *533, 2. domus Dei est æternitas, *ibid.* ejus equitantis equus est mundus, *ibid.* veteres homines bene de republica meritos in Deos referebant, 604, 2.
Deuteronomium est repetitio legis: ubi et quando ea a Moyse facta sit, *391, 1. et cur ea facta, *ibid.* et seqq. ipsum est velut perpetua concio, 2. id Moyses primo dixit, postea scripsit, *ibid.* idque paulo ante mortem suam, *ibid.* id dixit Moyses per vices, *510, 1, 2.
Devotio animæ significatur per adipem, *24, 1.
Devoventium se pro patria Gentilium exempla varia, 731, 1.
Dextera in Scripturis variarum rerum est symbolum, 389, 1.
Diaboli nequitia, *118, 1. quibus maxime S. Scripturæ verbis effugetur, *239, 1. non potest prævalere humilibus, 486, 1. est serpens, cur, 495, 1. ejus imbecillitas, 503, 2. ejus in suos crudelitas, *118, 1. quomodo homines tentet, 98, 2. quomodo insidietur calcaneo, 107, 1 et seqq. quæ mira possit efficere, 492, 1. *Vide* Magi. Est similis passeri irretito, *93, 1. habet tres præcurso-

res, *112, 2. apte vocatur bestia, *ibid.* pugnat nobiscum per voluntates nostras, *ibid.*
Diaconi indigne assistentes sacrificio Missæ quomodo a Deo puniti, *138, 1; *140, 2. significantur per Levitas, *204, 2. eorum dignitas, *210, 2.
Diadema regum non erat corona, sed fascia, 695, 2.
Diana est luna, et hebraice dicitur Carnaim, 195, 1.
Didonis erga Sichæum conjugem amor, 94, 2.
Didrachmum Hebræum cujus erat valoris, cujus tetradrachmum Atticum, 713, 2.
Didymi in sua cæcitate patientia, 277, 2.
Dies Dominicus fuit primus dies mundi, 50, 2.
Diffidentia sui quam sit utilis, *434, 1.
Digitus significat Spiritum Sanctum, 482, 1. digitus Dei quis in miraculis Mosis, 503, 2.
Dilectionis Dei super omnia expositio præcepti, *423, 1. cur hoc præcepto Deus diligendus præcipiatur ex toto corde, *425, 2. dilectionis hujus insignia exempla, *425, 1. tropologice, quid hoc dilectionis præceptum significet, *426, dilectione hac superantur omnia dura, *ibid.* dilectionis hujus deliciæ, *ibid.* de modo dilectionis Dei, *423, 2 et seqq. an hæc lex impleri possit, *424, 2. diligendus Deus super omnia, *ibid.* et seqq.
Diluvio (in) an aliqui pœnituerint, 134, 2. id cœpit in maio, et quare, 141, 2. quæ cataractæ cœli in eo fuerint apertæ, 142, 1. diluvii aquæ unde ortum habuerint, et quanta earum vis ad id fuerit opus, 143, 1 et seq; 144, 1. duplex ejus fuit causa, 143, 1. an in eo omnes omnino montes fuerint obruti aquis, 145, 1. ejus quantus fuerit horror, 2. ventus ejus aquas siccavit, 147, 1. quamdiu duraverit, 150, 1. ejus et arcæ totius historiæ allegoria, 149, 2. diluvium Ogygis et Deucalionis in Græcia, 157, 1.
Dinæ raptus, 323, 2, quot annorum erat in raptu, *ibid.* tropologice est anima curiosa, *ibid.*
Diogenes Cynicus ridebat unguento delibutos, 718, 1. ejus captivi libera vox, 433, 1; 651, 9. ejus amor laboris, 671, 1.
Dionysii Martyris in morte confessio de amore Christi, 411, 2.
Dionysii tyranni junioris de doctrina judicium, 651, 2.
S. Dionysio Areopagitæ Christus in carcere sacram communionem dedit, *211, 1.
Dipsas quis sit serpens, *434, 1.
Directio Dei omnibus in rebus postulanda est, 736, 2.
Discipulorum Christi fuga significata in eo quod in festo expiationis solus Pontifex esset in tabernaculo, *107, 1.
Discretio est auriga virtutum, *19, 1.
Divinandi ritus apud Assyrios et Ægyptios, 375, 1.
Doctor populi debet esse expeditus ab omnibus terrenis affectibus, 455, 1. doctor impurus et verbosus significatur per seminifluum, *97, 1, 2. doctores tropologice sunt lucernæ, *161, 1. significantur per candelabrum Mosis, 650, 1, 2. sex doctori sunt necessaria, 651, 1, 2.
Doctrina est lux Ecclesiæ, *ibid.*
S. Dominici studium in S. Scripturam, 18, 1. ejus eximia sanctitas matri declarata prægnanti per visum catulum facem ore gestantem, *333, 1; 266, 2; 465, 2. ejus singularis in proximum charitas, *122, 1. quam insignis fuerit virginitatis custos, *343, 2. visio scalæ circa mortem S. Dominici, quæ indicabat successum et progressum ejus Ordinis, 288, 2.
Dominium in bestias quale habeat homo post peccatum, 153, 1.
Domitianus Imperator se appellari jussit Deum, 509, 1.
Domus spiritualis quomodo ædificanda, 653, 2. domus quomodo leprosæ aut pestilentes fiant, *87, 1. domus lepra in lege Moysis qualis olim fuerit, 2 et seq. domus significat sobolem, posteritatem et familiam, 427, 2. in domo justi ordinata sunt omnia et quieta, 220, 1. domus urbium apud Judæos divenditæ in anno jubilæi non redibant ad priorem dominum, sicut alia immobilia bona, *172, 2. quare Deus hanc legem sanciverit, *ibid.* excipiebantur ab hac lege domus Levitarum, quæ in jubileo redibant ad priorem dominum, *ibid.* tropologice quid hæc lex significet, *ibid.*
S. Dorothea quomodo Theophilum converterit, 85, 2; 671, 2.
Drachma cujus esset pretii et ponderis, 713, 1, 2.
Dura decent cœli aulicos, 285, 1.
Dux unus præstans quantum possit, 728, 2. duces Christiani imperatoribus suis impia mandantibus ad mortem usque generose restiterunt, 594, 2.

E.

Ebrietas quid sit, 234, 1. quam detestabilis, quot incommoda afferat, *ibid.* et 2; 373, 1. de ea apophthegmata, 373, 2. ebrietas Lot fuit peccatum veniale, 233, 2.
Ebriorum punitionis exempla, *250, 2. item eorum qui in ebrietate pœnitenda admiserunt, 234, 2.
Ecclesia significatur per dispositionem castrorum Hebræorum in deserto, *199, 2. eam persequentes a vermibus sunt consumpti, *322, 1.
Edgarus Angliæ rex quam esset pacificus, 274, 1.
S. Edmundus Episcopus Cantuariensis S. Scripturæ studio quantopere deditus, 18, 2. maluit mori quam Deum offendere, 352, 2.
Educatio bona quam sit præstans bonum, 440, 1.
Egressio triplex Abrahæ allegorice exponitur, 183, 1.
Eleemosyna etiam parva Deo placet si ex affectu detur, *79, 1 et seqq. ejus insignes fructus viginti et unus: liberat a peccato, *492, 2. est quasi secundus baptismus, *ibid.* adstat pro nobis tribunali Christi, *493, 1. est instar sacrificii, *ibid.* est instar columbæ redeuntis ad arcam Noe, *ibid.* collocat opes in tuto loco, *ibid.* facit hominem similem Deo, *ibid.* nihil magis proprium homini quam humanitas, *ibid.* est regia virtus, 2. auget merita, *ibid.* auget bona temporalia, *ibid.* dat magnum solatium morituris, *ibid.* ædificat æterna tabernacula, *ibid.* beatius est magis dare quam accipere, *494, 1. eleemosynam pauperi datam sibi datam reputat Christus, *ibid.* facit opes sanctas, *ibid.* affert opem orationi, *ibid.* quia omnes sumus mendici Dei, *ibid.* pugnat apud Deum pro eleemosynario, 2. est propria virtus Sanctorum, *ibid.* idem confirmatur exemplis, *ibid.* vix unquam male perit qui eleemosynis est deditus, *495, 1. est quasi torques aurea filiorum Dei, *ibid.* ejus laus, et exemplum, et fructus, 648, 2. est facienda ex optimis bonis, *162, 1. domus Christiani est eleemosynæ officina, *ibid.* quo plura damus, eo Deus erga nos erit liberalior, *ibid.*
Elephanti natura describitur, 68, 1.
Eliezer Abrahæ procurator, qualis fuerit, 201, 1. cur dictus Damascus, *ibid.*
S. Elizabeth quomodo fuerit cognata D. Virginis, cum fuerit e diversa tribu, *388, 1.
S. Elizabethæ clementia erga inimicos, 515, 2. fuit pauperum mater et ancilla, 755, 1.
Elohim quid sonet, 43.
S. Elzearius quam probe familiam instituerit, 471, 1.
Emim gigantes unde dicti, *398, 2.
Enacim gigantes unde dicti sint, *399, 1.
Enallage numeri et personarum in sacra Scriptura frequens est, 33, 1.
Enos quid significet, 123, 2. cœpit primo invocare Deum speciali et publico cultu, *ibid.*
Epaminondæ in regum muneribus repudiandis constantia, 385, 2. ipse fuit murus Thebanorum, quo sublato periit eorum gloria, 696, 1; 729, 2. in festo urbis cur squalidus incesserit, *147, 1. expertus est suos ingratos, *264, 2; *299, 2.

Ephod descriptio, 676, 1. erat instar thoracis, *ibid.* erat duplex, 2. ejus ora, *ibid.* ejus onychini, *ibid.* erant ei insculpta nomina duodecim Patriarcharum, et quare, 677, 1. significat obedientiam Christi, 2. item jugum Domini, *ibid.* item obedientiam hominum, 677, 2 et seq.
Ephraim quid significet, 363, 1. junior Manasse præfertur in benedictione Jacobi, et quare, 389, 1. est typus Gentium, 2. successit Josepho, Manasse Levi, *195, 1.
S. Ephrem pueri ex ore visa prodire vitis quid denotaret, 266, 2. conversus fuit quodam mirabili exemplo providentiæ, 368, 1 et seq.
S. Epiphanius mortem suam prædixit, *534, 1, 2.
Episcopo celebrante solemniter cur diaconi ex utroque latere flabella teneant ad muscas abigendas, 204, 1. Episcopi consecrandi respondent se scire utrumque testamentum, 17, 1. olim erant judices in causis etiam civilibus, *459, 2.
Epitaphia erigere quam sit vetustum, 343, 2.
Ἑπτὰς quasi septas, a σεβασμῶ, id est cultu, *416, 1.
Epulum victimæ pacificæ et sacrificii ejus erat complementum, *45, 2.
Equus significat homines carnales, cujus sessor est dæmon, 566, 2. equorum usus an fuerit Judæis inhibitus, *460, 2. Equus symbolum fastus est, *461, 1.
Errati excusatio prona, pœnitentia difficilis, *59, 1, 2.
Errici regis Westgothorum ad filium Alaricum ultima verba, *511, 2.
Esau quomodo a quercu dicatur a Philone δρύϊνος, 267, 1. fuit typus improborum duodecim de causis, 2. pulmento vendidit jus primogenituræ, 268, 1. an peccaverit vendendo hoc jus 269, 1. peccavit gula et simonia, *ibid.* item contemptu primogenitorum, 269, 2. duxit uxores contra parentum voluntatem, 275, 2. ideoque punitus, *ibid.* cur adeo expetiit benedictionem patris, 281, 2. impietas ejus et stultitia fuit septuplex, 282, 1, 2. fuit quasi a familia Abraham exclusus, 284, 1, 2. cessit Chananæam Jacobo, 333, 1. de ducibus et regibus ex prosapia Esau, 2.
Esdræ ipsius manu scriptus codex servatur Bononiæ apud Dominicanos, *523, 1.
Eucarpiæ uvæ miræ magnitudinis, *259, 2.
Eucharistia denotatur in arbore vitæ, 87, 2. in ea sensus nostri falluntur, 280, 1. quomodo sumenda docetur ex agno paschali, 543, 2 et seqq. ei adaptantur proprietates mannæ, 584, 2 et seq. in Eucharistia non esse panem colligitur ex manna, *ibid.* ei præmittenda confessio, et opera pœnitentiæ, 531, 1. significabatur per panes propositionis, *162, 2. eam interdum miraculose angeli, vel ipse Christus erogavit, vel miraculo alio Sancti eam acceperunt, *210, 2; *138, 1 et seq. eam Christus instituit in azymo, 535, 2. ejus figura erat mensa panum propositionis, 648, 1. et mincha, *15, 1. ad eam quanta cum puritate sit accedendum: eam indigne sumentes sacerdotes quantopere a Deo puniti multis exemplis docetur, *140, 1 et seq. de Eucharistia allegoria ex rore manna tegente, 579, 1.
S. Eucherius Episcopus quare a Carolo Martello in exilium relegatus, *290, 2 et seq.
S. Eulalia virgo sponte ad mortem properavit, 407, 1.
Eunuchi a populo Dei arcebantur, *482, 2. eunuchus in aulis regum quid sit, 343, 1. eunuchi duo in carcere cum Joseph, quorum unus suspensus et alter liberatus, sunt typi salvandorum et damnandorum, 357, 2.
S. Euphrasia quo stratagemate martyr effecta, et castitatem servarit, 353, 2.
S. Euphraxiæ vita, et lætus ad cœlum transitus, 663, 1.
Eusichius Eremita aurum oblatum recusavit, *330, 2.
S. Euthymius Abb. sacrificans sæpe vidit angelos, *53, 1.
Eutropius templorum immunitatem abrogari postulans, ad eadem tandem confugere compulsus, est capitis damnatus, *385, 1.
Eva etiam creata sexto die, 91, 1. quomodo ex costa Adæ, 92, 2. est condita in paradiso, 93, 2. ejus primum peccatum fuit superbia, et unde, 100, 2 et seq. quam omniscientiam appetierit, *ibid.* ejus quinque peccata, 101, 1. in quo fuerit typus B. Mariæ Virginis, 109, 2.
Evangelium quomodo latum, et quomodo simul angustum, 2, 2.
Exaggerent Hebræi res (quomodo), 31, 1.
Exempla varia Biblica cum Romanis et Græcis comparantur, 20, 1 et seq.
Exodus unde dicatur, 424, 1. de ejus auctore, *ibid.* quorum gesta, et quot annorum pertractet, *ibid.* quodnam sit ejus argumentum, 2. ejus finis quadruplex, *ibid.* ejus chronologia, 1.
Exorcizentur sal, aqua, etc. (quomodo), *407, 2.
Expiatio olim ubi fiebat, *106, 2. *Vide* Festum expiationis. Expiatio quæ fiebat in Sancto sanctorum, quid tropologice significet, *107, 1.
Exploratores quando missi in terram promissionis, *258, 2 et seq. de iisdem portantibus uvam in vecte, *259, 1. allegorice quid hoc significet, 2. qui bajuli hujus uvæ fuerint, *ibid.* exploratorum quinque peccata et mendacia, *260, 1. ideo subita morte fuerunt puniti, *268, 1.
Exta in victimis quænam dicerentur, *13, 2.
Ezechielis fluvius quid significet, 5, 1.

F.

Falco avis an eadem sit quæ herodion, *67, 1.
Familia quænam felicissima, *177, 2. insigne speculum familiæ est, in qua pater veluti sol, mater ut luna, filii quasi stellæ, 340, 1.
Fanum a fando dicitur, 636, 2.
Fatum Gentilium quid, *104, 1. rejicitur, *ibid.*
SS. Faustinus et Jovita Martyres in carcere clausi ab angelo panem acceperunt, ex quo Eucharistiam conficerent, quam Secundo militi baptizato darent, *211, 2.
Favilla in plagis Ægypti sparsa creavit ulcera, 508, 1. fuit symbolum ardentium pustularum, *ibid.*
S. Felicitas Martyr filios ad martyrium animavit, 407, 1; *134, 2.
Femineus fœtus in utero quo tempore formetur, *76, 2. est causa majoris languoris in matre, *77, 1.
Feminæ ut viris tribus suæ nubant, quomodo sit intelligendum, *387, 1.
Femoralia veteres sacerdotes gestabant, et cur, 697, 1. quid ea tropologice significent, 698, 1. unde habeant nomen, *ibid.*
Femur quid significet, 381, 1.
Feræ tropologice significant dæmones, et homines ferinis moribus, *112, 2. feræ quomodo venerint ad insulas et novum orbem, 150, 1. quædam etiam habent peritiam natandi, 2. quomodo omnes hominis rationem agnoscant, 153, 1.
Ferdinandus rex Castellæ quosdam inauditos necari jubens, ab iis ad Dei tribunal citatus mortem subiit, 155, 2.
Ferdinandus (alius) moriens ad templum se deferri curavit, ibique Deo regnum ab eo acceptum reddidit, *322, 2 et seq.
Ferias omnes dies quare vocet Ecclesia, *147, 1.
Ferinis carnibus an Judæi fuerint usi, *112, 1.
Fermentum in sacrificiis Deus vetuit, et quare, *18, 1. mystice significat vitium et astutiam, *ibid.*
Festa apud Judæos erant septem, instituta a Deo, 147, 2, sed erant tria principalia, 622, 2 et sep. allego ice quid significent, 2. festa duo si apud eos inciderent in unum diem, quid fiebat, *354, 1. instituerunt ipsi etiam quatuor festa, præter septem a Deo instituta, *147, 2. unumquodque festum habebat suas cæremonias, *147, 1. fiebant in eo tria, *ib.* primum festum erat sabbatum, *143, 1 secundum pascha, 2. tertium pentecostes, *150, 1. a quo die computarentur dies pentecostes, 2. quartum fes-

tum erat tubarum, *156, 1. erat id memoriale immolationis Isaac, *ibid.* mystice significabat tempus gratiæ, et Apostolorum prædicationem, 2. quintum festum erat expiationis, *157, 1. sextum tabernaculorum, 2. hujus festi origo, *ibid.* ejus festi descriptio et altera causa, *ibid.* in hoc festo portabant Judæi citrum, palmas, myrtum, et salices, *158, 2. septimum erat cœtus, *157, 2. ratio hujus festi, *158, 1. vocabatur exodium, et quid hoc sit, *ibid.* festa sua Judæi ordiebantur a vespera ad vesperam, *157, 1. horum festorum mystica, allegorica, et tropologica significatio, *158, 1.

Festa Christiana violantes quomodo puniti, docetur exemplis, *272, 1. ea quomodo debeant celebrare Christiani, *147, 1; *155, 2. ea colentium præmia et violantium punitio, *417, 2. festum Nativitatis Christi cum festis sequentibus significabatur allegorice per festum tabernaculorum, *159, 2.

Festum expiationis quando et cur fuerit institutum, *101, 1. quæ fuerit occasio et causa ejus, *ibid.* in eo summus sacerdos ibat in sanctuarium, et quid hoc significet, *101, 1, 2. pontifex utebatur tunc vestibus minorum sacerdotum eratque hoc festum figura nostræ parasceves, *103, 1. tunc super duos hircos mittebantur sortes, quorum unus immolabatur, alter in desertum ejiciebatur, *ibid.* quid allegorice et tropologice utrumque significet, 2. quid anagogice, *109, 2. quæ afflictio esset Judæis in hoc festo præscripta, *108, 2. significabat expiationem Christi in cruce, Christianorum in paschate, et electorum in die judicii, *109, 1. Judæorum fabula de sortibus unicuique in hoc festo a Deo attribui solitis, *103, 1, 2,

Fidere debemus Deo, nobis vero diffidere, et de hac re exempla, 434, 1, 2.

Fides significabatur par velum tabernaculi Mosis, 661, 2.

Fidii simulacrum, 690, 1.

Figuris rhetoricis variis interdum utitur Scriptura: ut prolepsi, 28, 1. enallage, 2. synecdoche, 29, 1. metonymia, *ibid.* catachresi, *ibid.* item hypallage, 31, 1. item liptote, 31, 2 item hendiadi, 33, 2.

Filii Dei, et filiæ hominum qui vocentur in Genesi, 132, 1. filii supplices parentum pedibus affundebantur, 470, 1.

Fimbriæ Judæorum quæ, et quales, quas et ipse Christus gestavit, *272, 1, 2. erant violaceæ, et quales, *ibid.* earum usus est adhuc hodie apud Judæos, *ibid.* addebant eis aliqui acutas spinas, *ibid.*

Firmamenti distantia a terra, 60, 2 et seq. *Vide* Creatio.

Fiscus regis velut lien est, *461, 2.

Flamen Dialis et flaminica Romæ nihil mortuum tangebant, *136, 1.

Flumina quatuor quæ ex paradiso fluxerunt, qualia fuerint, 82, 2 et seq.

Fodere interdum significat *emere*, 415, 1.

Fœdera sanxerunt veteres cæsione et divisione victimarum, 203, 2; 627, 2. et transibant per cæsas victimas, 206, 2. quomodo sanciri solita apud Romanos, quomodo apud Hebræos, 627, 2.

Fœnerari est quasi occidere, *482, 1. fœnerari tam pauperi quam diviti prohibetur in Scriptura, *483, 1, 2.

Fons qui irrigavit universam terram in principio mundi, quis fuerit, 78, 1.

Fornicatio simplex, id est soluti cum soluta, est jure naturæ et divino vetita, *419. 1. fornicationis spiritum et tentationes quomodo quidam monachi superarint, *246, 2.

Fortitudinis symbolum est armus, *46, 1.

Fortium ducum exempla, 394, 2,

S. Fortunatus per aquam benedictam patravit miracula, *294, 1.

S. Franciscus Theologus fuit a Deo illuminatus, 13, 2. permisit suis S. Scripturæ studium, 18, 2. jejunia varia per annum in Ordinem suum induxit, 631, 2. quam sacerdotes honoraret, *145, 1. vidit in pecunia dæmonem, *313, 1, 2. erat in pauperes effusus, *494, 2. hiemis asperitatem qua consideratione mitius ferret, 671, 2. ejus amor erga Christum crucifixum, 653, 2. ex hoc amore meritus fuit accipere stigmata crucifixi, *ibid.*, *306, 1. ejus vultus in oratione radios ejaculabatur, 747, 2.

Franciscus Armoricæ Dux a fratre Ægidio, quem necari jusserat, ad Dei tribunal citatus, intra quadragesimum diem defunctus est, 156, 1.

Franciscus Valesius aruspicinæ astipulatus censuram nidicis Rom. incurrit, 204, 1.

Francisci Vatabli versio rejicitur, 727, 1.

S. Francisci Xaverii zelus animarum, *122, 2. etiam dormiens orabat ex diurna orandi consuetudine, *427, 1.

Frater jubetur in lege Mosis fratri mortuo suscitare semen, *488, 2 et seq. obligabat hæc lex non cognatos, sed fratres, eosque singulos, *489, 1. an suscitandum ei qui reliquerat filiam, *ibid.* quænam fuerint causæ hujus legis, 2. quænam allegorica causa, *ibid.* nolens id facere, discalceatur et conspuitur, et quare, *ibid.* fratrum odia solent esse acerbissima, 338, 2.

Frederici II Imp. horrenda blasphemia, *165, 1.

Frigus quomodo dicatur urere, 310, 1.

Frontalia præcepta et liminaria Judæorum qualia essent, *428, 2. eorum frontalia superstitiosa, 549, 2.

S. Fructuosus Martyr mori maluit quam idola venerari, 458, 2.

Frumentum quomodo Hebræi vocent, 365, 1.

S. Fulgentii in dicendo et persuadendo gratia et efficacia, 693, 1. quid ægrotans a Domino peteret, *322, 2.

Fulgura quare trisulca vocentur et pingantur, 511, 1.

Fulica avis an eadem cum herodio, *67, 1.

Fures parvi suspenduntur, magni vero evadunt, *70. 2. fur bovis quinque restituat, ovis quatuor, cur, 615, 1. fur nocturnus poterat occidi, non diurnus, et quare, *ibid.* fures quam severe puniverit Alexander Severus Imp. 2.

G.

Gad quid significet, 298, 2. symbolice est vigor abstinentiæ, 300, 1. de benedictione Gad, 406, 2; *531, 1. quid allegorice significet, 406, 2.

Gadditæ jubentur præire ad prælium, et quare, *368, 1.

Gagates gemma an virginitatem prodat, *363, 2.

Galaad unde dicta, 311, 2.

Galbanum quid sit, 716, 2.

S. Galganus per equum loquentem convertitur, *315, 1.

Galienus Imp. pepercit mangoni mortem promerito, 739, 1.

S. Galla quam feliciter ex hac vita migrarit, *321, 2.

Gallicia ob regem hæresi Ariana infectum, passim a lepra correpta est, *85, 1.

Gallus cantu suo dormientes excitat, 65, 2.

Gallus Imp. Abeli Martyri comparatur, 115, 2.

Garizim mons ubi situs, *497, 1. erat in eo templum Samaritanorum, *ibid.*

Garrulitate (de) apophthegmata varia, *97, 2 et seqq.

Gaudium in Domino, et verum, quodnam sit, *175, 1. Christianorum gaudium quadruplex est, *ibid.* de gaudio spirituali insignia documenta, *444, 2. ejus fructus, *ibid.* ad illud media, *ibid.*

Gehenna unde dicta, *117, 1, 2.

Gehon fluvius ex paradiso oriens qualis sit, 82, 2 et seq.

Gemelli ejusdem sexus habent easdem secundinas, 348, 2.

Gemmæ 12 rationalis adaptantur 12 Apostolis, et 12 tribubus Israel, 680, 1 et seqq. in his gemmis insculpta fuerunt nomina 12 tribuum, non stemmata, 685, 1.

Generatio est proprie spatium centum annorum, 205, 1.

Genesis quid contineat, 37, 1. ejus chronologia, *ibid.* et 419. quinam in eam scripserint, 37, 1.

Gentes et variæ nationes ex quibus ortæ, 163, 2 et seqq.

Gentiles variis rebus varios deos præficiebant, *491, 1. ea-

rum aliquæ olim verum Deum agnovere et coluere, 237, 2. de Gentium vocatione prophetia, 162, 2. Gentium crudelitas in immolandis hominibus, ac potissimum filiis, *117, 2. Gentiles discrete et modice, et quando Christianis citandi, 648, 1.
Genua tangere fuit symbolum adorationis, 469, 2. quæ et quot hujus ritus sint causæ, 470, 1.
Germani unde orti, 165, 2.
Germinibus in efformandis Dei providentia elucet mire, 55, 1.
Giezi quantam summam a Naaman Syro acceperit, 757, 1.
Gigantes varii, *398, 2. quomodo, et unde nuncupati, 134, 2; *398, 2 et seqq. gigantum poeticorum fabula unde orta, 134, 1. peperit eos libido, *ibid.*
Gladius flammeus ante paradisum quis fuerit, 111, 2. allegorice est ignis Purgatorii, *ibid.* gladius fuit ordinarium Judæis supplicium, *132, 2.
Gnostici Deum instar asini esse finxerunt, 549, 1.
Gomer (ex) orti sunt Cimbri, 165, 2.
Gomor qualis sit mensura, 580, 1, 2.
S. Gordii Martyris in tormentis constantia, 250, 1, 2.
Goropii Becani acumen et labor male impensus, 173, 1.
Gradibus an ad altare ascenderetur, et qualibus, 608, 1.
Græci nomina suis imponebant ab eventu, 30, 2. unde orti sint, 165, 1.
Grandinis magnæ varia exempla, 510, 2 seq.
Gratia Dei quam sit efficax, *323, 1, 2.
Gratiarum actione (de) documenta insignia, *491, 2. ejus quatuor fructus, *ibid.* ad eamdem excitamentum, *492, 1 est remedium contra omnes tentationes, 557, 2. hac animi conciliantur, *ibid.* id probatur exemplo, *ibid.* gratias æquales Deo debent agere et pauperes et divites, 714, 1. victima oblata pro gratiarum actione eodem die debebat comedi, *44, 2. quare, et quid hoc significet, *ibid.*
Gregorius Agrigentinus falso accusatus pro falsis testibus intercessit, *467, 2, seq.
S. Gregorius Magnus a Spiritu Sancto in specie columbæ fuit edoctus, 14, 2.
S. Gregorius Nazianzenus secutus est consilium Rebeccæ, in se subducendo ob motus concitatos, 283, 2. ejus visio, 13, 1. diu in solitudine sacris Litteris incubuit, 10, 1. docuit suos injuriis beneficia rependere, 377, 1.
S. Gregorius Thaumaturgus Moysen imitatus fuit, crans aliis pugnantibus, 588, 2. ejus miraculum cæcitate persecutores suos percutientis, 228, 2. mirabiliter a Deo directus fuit, 737, 1. tota vita se credidit hic esse peregrinum, *322, 2.
Gruum excubiæ et industria in volando, 65, 2.
Gryphes an extent in rerum natura, et qualia sint animalia, *64, 2 et seqq. tropologice significant principes rapaces, *65, 2.
S. Gudwalus sacrificans plerumque vidit cœlos aperiri et angelos descendere, *53, 2.
Gula in exquisite præparandis cibis perstringitur, *65, 2 et seqq. ejus efficax remedium, *246, 2. de ejus fœditate, et ejus tentatione superata, exempla, *ibid.*; *250, 1. concupiscentiæ gulosorum sepulcra, *ibid.* quot secum gula adferat incommoda, 724, 1.
Gymnosophistarum continentia, *13, 1.

H.

Hadrianus Imp. cur porcum sculpserit Hierosolymæ, *63, 2. ejus lenitas et clementia, *44, 1.
Hadrianus II Papa quid de pontificatu sentiret, *244, 1.
Hadrianus VI quam in propinquos suos fuerit moderatus, *352, 1, 2.
Hædus in lacte matris non coquendus, 622, 2 et seqq. quid hoc tropologice et allegorice significet, 623, 1.
Hæmorrhoissæ expiatio in lege veteri, *8, 2.
Hæreditatis successores apud Hebræos erant mares, non feminæ, *349, 1.
Hæresis significatur per ignem alienum, *55, 2. et per lepram capitis, *85, 1.
Hæretici similes ranis, 501, 2. item cyniphibus, 503, 1. allegorice significantur per Cham, 161, 1. item per Ruben, 393, 1. eorum dogmata quam sint vana, *518, 2. quomodo obstruant puteos sacræ Scripturæ, 272, 2. eos execrantium exempla, 683, 2.
Halcedo docet homines in Deo sperare, 65, 1.
Heber unde sit vocatus, et quando natus, 170, 1.
Hebræi dicti ab avo suo Heber, 195, 2. quot primo in Ægyptum venerint, 428, 1 et seqq. eorum multiplicatio ibidem an fuerit naturalis, an vero supernaturalis, 2 seq. quando eorum afflictio in Ægypto cœperit, et quamdiu durarit, 430, 1. cur Deus permiserit eos ibi ita affligi, 431, 1. eorum in Ægypto sex afflictiones, 2. eorum opera et onera quatuor, *ibid.* eorum in afflictione ad Deum clamor, 446, 1. eorum quam fuerit gravis servitus in Ægypto, 475, 1. ipsi in terra Gessen erant immunes ab omnibus plagis Ægypti, 507, 2. de eorum egressu ex Ægypto, 523, 1. utebantur mensibus lunaribus, 524, 1. quomodo justo titulo potuerint auro et argento Ægyptios spoliare, 538, 2. non sunt mentiti dicendo se ea commodato accipere, *ibid.* prima eorum post egressum mansio, 2. quanta eorum in exitu exultatio, *ibid.* secunda mansio, 539, 2. quam ingenti numero egressi, *ibid.* et seq. quot annis in Ægypto habitaverint, 540, 2 et seqq. quo anno mundi hic exitus contigerit, 541, 2. quo die sint egressi, *ibid.* quomodo per mare Rubrum transiverint, 558, 2 et seqq. quam amœnus hic transitus fuerit, 560, 2. an ita transiverint mare, ut in partem adversam, sive littus oppositum penetrarint, 563, 2 et seqq. quam hic transitus fuerit miraculosus, 564, 1. quando in montem Sinai venerint, 597, 1. quamdiu ibi manserint, *ibid.* quomodo jubeantur ad legem accipiendam sanctificari, 600, 1. eorum idololatria, existente Moyse in monte, 722, 1 et seqq. eorum in hoc facto ingratitudo erga Deum, et Mosem ducem suum, *ibid.* quale idolum tum adorarint, 723, 1. an fuerit vitulus, an vitula, 2. qualis eorum in hac idololatria lusus fuerit, 724, 1 et seqq. quomodo et cur vitulum suum postea biberint, 726 2. quid hoc mystice significet, *ibid.* quomodo post idololatriam sint nudati, 727, 1. de eorum liberalitate pro tabernaculo, 749, 1, 2. hæserunt in Sina per annum, *236, 1. in deserto ter numerati sunt, *193, 1, 2. cur tertio in deserto numerati, *194, 1. cur inter eos pueri et feminæ non numerantur, *ibid.* cur etiam nulli proselyti, aut Ægyptii, *ibid.* fuerunt omnes vegeti et fortes, *ibid.* inter eos primogenitus erat princeps tribus, 2. ordo thori in eorum numero servatur, *195, 1. numeratorum in deserto tropologia, *196, 2. de dispositione castrorum eorum in deserto, *198, 1, 2. quæ insignia habuerint quatuor tribus primariæ, *198, 2 et seq. mystice quid significent hæc dispositio castrorum et insignia, *199, 2. quid allegorice, *200, 2. item eorum alia particularis allegoria, *ibid.* quid significent tropologice et anagogice, *ibid.* et seq. quare ex illorum castris ejiciebantur immundi, *212, 2. servabant in deserto judicialia, non cæremonialia paucis exceptis, *212, 1, 2. in deserto ex quo signo colligerent esse figenda castra, *233, 1. erga eos Dei mirabilis providentia in deserto, *236, 2. quare eos per 40 annos circumduxerit, *237, 1. quot numero fuerint in deserto, *239, 2. de eorum in deserto murmure, *240, 1, 2 et seqq. quando contigerit, *241, 1 fuerunt ob hoc murmur igne puniti, *ibid,* fuit exortum ob laborem viæ, et desiderium carnium, 2. eorum nausea super manna unde fuerit orta, *243, 1. mittit iis Deus coturnices, *246, 2 et seq. mittunt exploratores in terram Chanaan, *256, 2 et seqq. murmurant ad re-

lationem exploratorum terræ promissionis, *263, 1. omnes quomodo mortui, qui fuerant in Ægypto, *ibid.* decies Deum tentarunt in deserto, *265, 1. ob murmur exclusi sunt terra promissa, *266, 1. sabbatum in deserto servarunt, *272, 1. de eorum murmure ob aquas, *299, 1. de aqua eis ex petra educta, *300, 1. iidem ob aliud murmur serpentibus ignitis puniti, *304, 2. eorum tabernacula comparantur a Baalam valli nemorosæ, hortis juxta fluvios irriguis, tabernaculis quæ fixit Dominus, cedris juxta aquas, *328, 2. anagogice hæc cœlum significant, *329, 1. libidine peccant ex consilio Balaam, *337, 1, 2 et seq. eorum in hoc actu animi vilitas *338, 1. plerique tum peccarunt, *338, quomodo ob hanc fornicationem puniti, *340, 1. quomodo judicialiter convicti, *ibid.* eorum septem plagæ in libro Numerorum relatæ, *341, 2. numerati omnes a viginti annis et supra, antequam terram promissionis ingrederentur, *346, 1. eorum bellum cum Madianitis, *362, 1, 1. et seqq. occiderunt eorum parvulos, et quare, *363, 1. Item mulieres, virgines vero servarunt, *363, 1. de præda in hoc bello ejusque divisione, 2 et seqq. XLII eorum mansiones in deserto significant XL dies jejunii, *370, 1, 2, significant XLII vias in cœlum, *371, 2. comederunt in deserto alios cibos præter manna, *505, 1. eorum vestes quomodo cum ipsis in deserto creverint, *433, 1, parvuli eorum in deserto nati unde habuerint vestes, *505, 1.

Hebrææ linguæ cognitio ad Scripturæ scientiam est necessaria, 10, 2. fuit prima mundi, 172, 1. eam solus Heber retinuit, 176, 2. ex ea multæ voces aliis linguis immixtæ, 1. Hebræa nomina sæpe ab eventu imposita, 30, 1.

Hebraismi varii, 31, 1.

Heliopolis qualis sit urbs, 362, 2.

Hemor princeps Sichimorum qualis fuerit, 320 1.

Henoch (error Calvini de), 127, 1. videtur fuisse sacerdos, *ibid.* raptus est in paradisum terrestrem, 12, 1. qua de causa sit translatus, 128, 1 ipse et Elias sunt candidati æternitatis, *ibid.* habent mortalia corpora, *ibid.* ubi jam sint, et qualem vitam agant, *ibid.* vivunt sine cibo, 2. an videant Deum, *ibid.* an mereantur, 129, 1. redibunt in fine mundi ad vitam, ut se opponant Antichristo, 130, 1 occidentur, resurgent, et in cœlum ascendent, *ibid.* Henoch, rediens nullam uxorem ducere poterit, *ibid.* quo anno mundi raptus fuerit, et quot jam sit annorum, *ibid.*

Henricus VIII, Angliæ rex, an ex vi legis Mosis de non ducenda uxore fratris defuncti, potuerit repudiare Catharinam uxorem suam, *115, 2.

Heraclius Imp. ope B. Virginis Chosroem superavit, *362, 2.

Hermon mons dicitur et Sanir : dicitur Hermon quia semper nive riget, *401, 1.

Herodius avis est ciconia, *67, 1.

Heroum variorum Ethnicorum comparatio cum insignibus heroibus S. Scripturæ, 20, 1 et seqq.

S. Hieronymus in sacris Litteris ad extremam canitiem consenuit, 10, 2. quos ea de causa labores subierit, *ibid.* ejus versio Bibliorum ab Ecclesia approbata est, 17, 2. non est auctor libri *de Locis Hebraicis*, *442, 2.

S. Hilarionis miraculum in aqua, 559, 2. signo crucis dæmonum terricula a se repulit, 566, 2. serpentes ei parebant, *305, 2. odoratus est putorem philargyriæ, *66, 1.

Hilburgis pia matrona Mindensis omnes opes templorum et monasterii fabricæ impendit, 636, 2.

Hircus immolandus in neomeniis pro peccato et de ejus ritu, *355, 2. *Vide* Sacrificium. Hircus emissarius quare hebraice diceretur *azazel*, *104, 1 et seqq. erat anathema et piaculum populi, *105, 1. ibat in desertum, ut ibi devoraretur a feris, *107, 2. confitebatur super eo sacerdos populi peccata, et quid hoc significet, *ibid.* quid tota hirci cæremonia tropologice denotet, *108, 1.

Hirundinum industria, 65, 1.

Histriones S. Ambrosius repulit ab Ecclesia, *481, 1.

Hobab qualis fuerit, an Jethro, an ejus filius, *237, 1. ejus posteritas, 2. detinuit eum Moses ut eum converteret, *238, 1.

Hollandi cujusdam in D. Virginem Sichemensem blasphemi castigatio, *165, 2.

Holocausti victima debebat esse mascula, *142, 2. holocaustum juge erat agnus mane et vespere, et per totam diem alia, *38, 2 et seq. *Vide* Sacrificium.

Homer mensura continebat triginta modios, 580, 1; *185, 2.

Homicidas ultio semper sequitur, 156, 1. pro homicida occulto mactabatur vitula, *473, 1. homicida præsente quomodo cadaver emittat sanguinem, 2. homicidas quomodo Deus puniat, et detegat, mirabiliter multis exemplis docetur, *ibid.* et seqq. homicidæ involuntarii qualia olim habebant asyla, *382, 2. ritus judiciales circa hos homicidas, *384, 1. an eorum causa fuerit agitata in asylo an in loco criminis, *ibid.* manebant in asylo usque ad mortem pontificis, *ibid.* homicidæ ad asyla confugientes quid mystice significent, 2.

Homicidii nomine etiam a Deo vetantur verbera, rixæ, ira, *419, 1. ejus pœna etiam apud Judæos erat pœna mortis, 611, 2.

Homines alii fortunati, alii infortunati, 301, 2 et seq. horum exempla, *ibid.* unde talis disparitas contingat 301, 2. cur Deus in hac vita hominum fortunas dispares efficiat, *ibid.* hominum quam mira fuerit statim a diluvio propagatio, 163, 1. hominis vilitas et miseria, 224, 2. ejus vanitas, fugacitas, et fallacia, 109, 1 et seqq. ejus ornatus sunt boni mores, non pretiosæ vestes, *88, 1. licet habeat unum esse, habet tamen innumera non esse, 459, 2. ejus causæ quinque, 79, 1. hominis singulorumque membrorum ejus graphica descriptio, 2. cur de eo creato non dicitur : Vidit Deus quod esset bonum, 74, 2 et seqq. de ejus creatione, 68, 2 et seqq. ejus dignitas in duodecim prærogativis consistit, 69, 1. quomodo ad imaginem Dei creatus, 70, 1 et seqq. imago et similitudo Dei in eo quomodo distinguatur, 2. in quibus imago Dei in eo sit sita, *ibid.* imago Dei naturalis peccato perdi non potuit, 71, 2. est etiam in eo imago Dei supernaturalis, *ibid.* in ejus corpore non est proprie imago Dei, sed in eo relucet, *ibid.* moralis ratio cur gestet imaginem Dei, 72, 1. ejus dominium in bestias quid doceat, 72, 1, 2. id quale futurum fuisset in omnes creaturas in statu innocentiæ, *ibid.* id quomodo post peccatum imminutum fuerit, *ibid.* tropologice dominium hominis in bestias quid significet, 73. homo ratione creaturarum Deum diligere tenetur, 50, 2. est imago cœli, 53, 2. hominis forma viti adaptatur, *ibid.* cur ultimo loco sit creatus, 70, 1. est mundi antistes, 69, 2 hominis cosmopœia describitur, 79, 2 et seqq. hominis epitheta, 80, 2.

Honores non debent mutare mores, 372, 3. de hoc exempla, *ibid.* quam sint periculosi, *275, 1, 2.

Honorius Imperator victoriis multis cœlitus donatus fuit, 593, 2.

Horatii Coclitis claudicantis scitum responsum, 118, 1.

Horis canonicis cur præponatur, *Deus in adjutorium*, etc., *239, 1. earum antiquitas, *ibid.* eas bene psallere docuit angelus, 2 et seq.

Hormisda nobilis Persa quam constanter regi omnes auferenti facultates responderit, *331, 2.

Horrhæi qui sint, an Troglodítæ, *399, 1.

Cardin. Hosii vaticinium de Andrea Dudecio Episcopo superbo, 13, 2.

Hospitalitatis laudes et encomia, 219, 1, 2.

Hospites debent reverenter excipi, 220, 2. iis olim lavari soliti pedes, 372, 1.

Hostiæ pacificæ carnes ab offerentibus in loco sancto comedebantur, *453, 2.
S. Hubertus Leodensis Episcopus quid de aqua lustrali sentiret, *294, 2.
Hugolinus factionis Guelphorum princeps quas superbiens et insolescens dederit pœnas, 724, 1, 2.
Humana præsidia non negligenda speranti in Deo, 313, 2.
Humiles dæmon summopere odit, 295, 1, 2.
Humilitas quantopere Deo sit grata, 224, 2. est ludus Dei, 375, 1. præcedit gloriam, 361, significatur per passerem vivum et hyssopum in ritu mundationis lepræ, *92, 2. quæ ejus via, 683, 2. ipsa hominem exaltat et vincit diabolum, 486, 1.
Hunerici regis Wandalorum feralis mors, *322, 1.
Hur avus Beseleel aurifabri quis fuerit, 719, 1.
Hyacinthus tria significat, 633, 1. quid tropologice significet, *ibid.*
Hybrides quæ sint animalia, an ea a Deo creata, 67, 1.
Hymnos antelucanos canebant veteres Christiani, *428, 1, 2.
Hypallage figura in sacra Scriptura sæpe occurrit, 31, 1.
Hypocrisi (de) apophthegmata varia, *67, 2 et seq.
Hypsicratæa quantopere conjugem dilexerit, 94, 2.
Hyssopus est symbolum charitatis et humilitatis, 628, 2. ipsa adhibebatur in priscis lustrationibus, *ibid.*

I.

Iberi orti sunt a Thubal, 165, 1.
Ibici percussores gruum judicio deprehensi, *473, 2.
Ibis qualis sit avis, *66, 1. de hac ave Solini fabula, 2.
Ideas accepit Plato a Moyse, 653, 1.
Idololatria vocatur animæ fornicatio, et quare, 740, 2; *111, 1. in eam inciderunt Judæi etiam in Ægypto, *ibid.*
Idolum quid sit, *411, 1. cur Hebræis dicantur idola *Elilim*, quintuplici etymo, *120, 1. error Henrici Stephani circa idolum, *411, 1.
Idumæi circumcisi non ex lege, sed sponte, 284, 1, 2.
S. Ignatius de Loyola sæpe visus est flammam vultu evibrare, 747, 1. sua confessione sacerdotem impium ad confitendum induxit, *37, 2. ejus in proximum peccantem charitas, *122, 1.
Ignis est insigne majestatis Dei, 601, 1. cur olim regibus et Imperatoribus præferretur, *ibid.* quomodo Deus sit symbolice ignis consumens, *406, 2. quomodo in rubo fuerit, et eum non combusserit, 452, 1. *Vide* Moyses. Ignem Persæ coluerunt ut deum, cur : et quomodo ei sacrificarent, *406, 2. per ignem Deus ostendit sibi placere sacrificium Abelis, 115, 2. idem sæpe in aliorum sacrificiis ostendit, *ibid.* ignis erat duplex in atrio, sacer et profanus, *55, 1. igne alieno quare usi Nadab et Abiu, *ibid.* ignis alienus significat hæresim, 2. significat item cupiditatem charitati contrariam, *ibid.* ignem alienum offerentes quomodo a Deo puniti, *ibid.* ignis inferni quam sit horribilis, 232, 1. ignis missus a Deo devoravit hostias Aaron, et quare, *52, 1. debebat hic ignis semper ali a sacerdotibus, *52, 1. ita de festo dati ignis, *ibid.* de hoc igne Hebræorum fabulæ, *ibid.* ignis hic quam diu durarit, *52, 2. non defecit in deserto, *ibid.* significat mystice castitatem, *ibid.* significat Spiritum Sanctum et charitatem, ob septemdecim rationes, *53, 1 et seq.
Illuminatio Dei duplex, *221, 1.
Imaginatio in concipiendo quam sit fortis, docetur multis exemplis, 304, 2 et seq. viget in calore, 305, 1.
Imaginum in Ecclesia et in altaribus ponendarum usus quam antiquus, 605, 2. earum cultus non est contra primum præceptum, *411, 1 et seq. imago Dei non cedit in ejus injuriam, 2. imagines raræ erant apud Judæos, *412, 2.
Immunditia (de) legali regula, *97, 1. immunditia hæc apud Judæos erat duplex, *ibid.* qualem adhuc hodie Judæi servent, *ibid.*
Imperatori cum inauguraretur, frusta varia marmoris adferebantur, ut unum ex his deligeret ad sepulcrum sibi parandum, *322, 1.
Impios Deus interdum punit in media prosperitate, hac de re exempla, 724, 1. similes sunt feris, *112, 2. omnes impie volunt vivere, sed pie mori, *320, 2. iis Deus interdum utitur pro flagellis, 325, 1.
Inaures deorum imaginibus ornabantur, 328, 1,
Incarnatio Christi negotium fuit omnium sæculorum, 288, 1.
Incestus habet quadruplicem enormitatem, *115, 2. ex lege Moysis ei erat constituta pœna ignis, *130, 2. ejus vindicati per parricidium, et sui ipsius occisionem, exempla, *ibid.* punit eum Deus sæpe orbitate, *131, 2.
Incircumcisus in Scriptura idem est quod immundus, durus et ineptus, *180, 2.
Inconstantia et temeritas quantopere vitanda sint, *268, 1.
Infantes similes ranis sunt, in quo? 501, 1.
Infernus quando creatus fuerit, 49, 2. ejus ignis quantus sit, multis docetur, *519, 2. quantopere sit timendus, 512, 1.
Ingenia subtilia habent interdum etiam aliquid amentiæ, 12, 2.
Injurias ferre patienter debemus, 308, 1. eas remittentium insignia exempla, 274, 1. earum condonatio significatur per jubileum, *17, 2. earum tolerantia quam sit heroicum quid, docetur exemplis, 515, 1 et seq. ejusdem exempla etiam in hostes, 2. eas perferre quam sit res insignis, ac de ea sententiæ, et exempla insignia, *252, 2 et seq. aliorum injurias tolerare, pacem in congregationibus conciliat, *244, 1, 2.
Innocentiæ status dotes septem, 95, 2. innocentiæ encomium, 354, 2. innocentia significatur tropologice per onychem gemmam, 684, 1.
Innocentius I Pontifex ob Joannem Chrysostomum male habitum, Arcadium Imperatorem excommunicat, 119, 1. ante excidium Romæ per Gothos a Deo ex hac vita ereptus, 229, 2. ejus elogium, *ibid.*
Insecta unde dicantur, oleo fricta emoriuntur, 65, 2.
Instrumentorum musicorum in Ecclesia bonus et legitimus est usus, 572, 2 et seq.
Intentio in omni opere ad Deum dirigenda, *24, 1.
Interpretes S. Scripturæ quam varii exstiterint, 17, 2.
Invidi suos æmulos magis illustrant, 341, 2.
Invidia magnos invadit, *275, 2. ejus octo proprietates, 339, 1 et seq. est vipera, et serra animæ, *ibid.* ejus miseria et infelicitas, *ibid.* ejus remedia, 2. ei quinam non sint expositi, 339, 2.
Ira ferocium et magnatum, lenitate et submissione supplici frangenda, 319, 1. adferuntur de hac re exempla, *ibid.* in ira facile excusationem admittere est animi heroici, *58, 2. in ea nihil præcipitanter agendum, 725, 2.
Irene Imperatrix imperii jacturam æquo animo tulit, 577, 1.
Iris fuit etiam ante diluvium, 157, ejus operationes in hæc inferiora, *ibid.* ipsa quale signum a Deo sit post diluvium constitutum, 157, 2. symbolum est clementiæ Dei tribus de causis, 158, 1. allegorice significat legem evangelicam, baptismum Christi, Verbum incarnatum, octo de causis, *ibid.* anagogice significat diem judicii, in quo Christus sedebit in iride, 2. tropologice ejus colores significant fidem, spem et charitatem, *ibid.*
Isaac significat risum, 218, 2. cur fuerit risus patris et totius orbis, 239, 1. fuit Christi typus, *ibid.* fuit deditus meditationi, 259, 2. immolandus quot annorum fuerit, 246, 1. quare fuerit ligatus, 2. an ejus virtus in hoc facto major fuerit, an Abrahami, 247, 1 et seqq. fuit hic martyr, 2. ejus immolationis imago est antiquis-

sima, 248, 2. fuit Christi typus in accipiendo uxorem Rebeccam, 260, 2. oravit viginti annis pro prole, 266, 1. fuit speculum pacis et simplicitatis, 274, 1. cur Deus eum peregrinari voluerit, 272, 2. fuit per 44 annos cæcus, 277, 1, 2. cur petierit carnem ferinam sibi dari ab Esau ante benedictionem quam ei putabat dare, *278, 1. de exstasi quam in hac benedictione habuit, 281, 2. quænam in ea viderit, 281, 1. an errarit in persona Jacob, 2. quot annis vixerit, 332, 1.
Isaac Abbat. continentia mira, *22, 1.
Ismael an sit salvatus, 217, 2. quomodo luserit cum Isaac, 240, 1. fuit homo ferus, 209, 2.
Israel (nominis) etymon, 316, 2. *Vide* Jacob.
Issachar quid significet, 299, 1. symbolice est mentis gaudium, 300, 1. de benedictione ejus, 404, 1; *530, 2. significat Religiosum quinque de causis, 404, 2.
S. Ivo dissidentes invicem conciliandi gratia valebat, 274, 1.
Ixios avis, est species vulturum. *449, 1.

J.

Jacob an fuerit sanctificatus in utero, 266, 2. quid nomen id significet, 267, 1. quomodo fuerit vir simplex, 268. an peccaverit emendo jus primogenituræ, 269 quot fuerit annorum dum surripuit benedictionem Esau, 277, 1. indutus pellibus hædinis quid allegorice significet, 279, 1. quomodo se vocaverit et dixerit esse Esau, *ibid.* fuit hic mysterium, 2 et seq. ejus benedictio a patre accepta est quadruplex, 280, 2. fuit in exilio suo beatus, 284, 2. est exemplar laboris, 310, 2. item boni œconomi, *ibid.* ejus modestia et amor simplicitatis, 386, 2. mystica ejus scala ad litteram multa significat, 285, 2. et imprimis providentiam Dei, 286, 1. quare e cœlo in terram pertingat, *ibid.* scalæ latera quid significent, *ibid.* quid ejus gradus, 2. quid angeli in ea ascendentes et descendentes, *ibid.* accepit hic Jacob tres consolationes pro tribus gravaminibus, *ibid.* hæc scala allegorice significat Christi crucem, 2. item ejus incarnationem quinque de causis, *ibid.* symbolice quid significet, 287, 2. quid tropologice, *ibid.* angeli in ea denotant Apostolos et prædicatores, *ibid.* significat item scalam perfectionis, *ibid.* significat etiam duo testamenta, 288, 1. cur nemo in hac substiterit, *ibid.* significat disciplinam religiosam, *ibid.* anagogice significat varias sedes et choros Sanctorum, 2. Jacobo afflicto Deus sex bona promittit, 289, 1. erexit in hoc loco visionis titulum, quid hoc significet, 2. consecravit ibi oleo altare, 2. vovit ibi decimas, et sacellum, 290, 1. Jacobi duæ uxores quid tropologice significent, 294, 1, 2. duxit Rachelem post primos septem dies matrimonii Liæ, *ibid.* de pacto ejus cum Laban, 302, 2. quo stratagemate eluserit astum Laban, 304, 1. juste hoc stratagemate fuit usus, *ibid.* de mirabili ovium conceptu in hoc, 304, 2. hunc conceptum ipse a Deo sua sanctitate et precibus impetravit, 305, 1. de fuga ejus ex domo Laban, 308, 1. ejus oratio, in qua quas virtutes exerceat, 314, 1, 2. cum angelo luctatur, 314, 2 et seqq. lucta hæc quid significet, 317, 2. quænam fuerit benedictio quam in hac lucta ab angelo accepit, *ibid.* de claudicatione ejus, an manserit claudicans, 318, 2. placat Esau fratrem muneribus, 319, 1 et seq. cur septies in terram pronus eum adorarit, *ibid.* placat eum verbis blandis, 320, 1. altare erigit, 321, 2. purgat familiam suam ab idolis, 327, 2 et seq. altare inscripsit Deo forti Bethel, 328, 2. ei Deus tripliciter apparuit, 329, 1. cur secundo ei fuerit inditum nomen Israel, *ibid.* idque ex fortitudine et victoriis, 2. vitæ ejus chronologia, 295, 2; 332, 1; 385, 2; 413, 2. quot annis supervixerit Isaaco, 332, 2. ejus anni quinam climacterici, *ibid.* quo anno ætatis in Ægyptum descenderit, 37, 1. quantopere fuerit gavisus audito quod Joseph adhuc viveret, 2. de ejus itinere in Ægyptum, 380, 1. multis de causis illud iter timere poterat, *ibid.* de nepotibus qui cum eo in Ægyptum descenderunt, 2 et seq. novem ærumnæ ejus, 384, 1. quibus de causis in Chanaan sepeliri voluerit, 386, 1. quid hoc tropologice significet, *ibid.* quid anagogice, *ibid.* resurrexit cum Christo, *ibid.* adoptat Ephraim et Manassem, 388, 1. de manibus ejus transversim positis, 389, 1. quomodo dicatur gladio obtinuisse agrum Sichem, 390, 1. a Jacobo usque ad Christum quot sint anni, 398, 2. benedicit filiis suis, 391, 1 et seq. ejus mors, 413, 2.
Jacobare verbum Arabicum quid denotet, 282, 2.
Jacobus Eremita provocat ad certamen dæmones, 577, 1.
S. Jacobus Nisibita in Persas agmina ciniphum precibus immisit, 502, 2.
S. Jacobus Minor an Sanctum sanctorum sit ingressus, *102, 1.
B. Jacoponus quomodo orexin bubulæ carnis vicerit, *247, 2.
Jair Manassitæ prosapia qualis, *369, 1. qualis hic vir fuerit, *ibid.*
Janus a quibusdam putatur Noe, 159, 2. quare bifrons dicatur, *ibid.*
Japhet quid significet, 136, 1; 162, 2. ex eo orti Gentiles, *ibid.* quam terræ regionem occuparit, *ibid.*
Jaspis gemma in rationali pontificis significat Gad, et S. Petrum ob robur fidei, 682, 2.
Jejunii fructus et encomia, 746, 1. XL jejuniorum dies mystice significantur per mansiones Hebræorum in deserto, *370, 1, 2.
Jerusalem a Jebus condita, 169, 1.
Jescurun, id est rectus, cur vocetur Israel, *518, 2.
Jesus idem est quod Salvator, *257, 2. est nomen Hebræum, non Syrum, *ibid.* non est idem quod Jehova, *257, 2. id nomen prædixerunt Prophetæ, Rabbini, et Sibyllæ, *258, 1. continet hoc nomen DCCCVIII, 2. et quare, *ibid.* est venerabilius quam Jehovæ, *ibid.* quid et quantum significet, *ibid.* est venerabilius nomine Dei, *415, 1.
Jethro an sit idem qui Hobab, *237, 1. ejus posteritas, *ibid.* fuit sacerdos idolorum, 415, 2. habuit tria nomina, *ibid.* quando venerit ad Moysem in deserto, 593, 1. de colloquio ejus cum Moyse, *ibid.* de consilio quod dedit Moysi, 594, 1.
S. Joannes Evangelista quantopere suis charitatem commendaret, *122, 1. vere fuit mortuus, 129, 1.
Joannes Eremita decem annis nihil cibi terreni sumpsit, 585, 2. habuit donum prophetiæ, 177, 2. mulierem nullam per annos quadraginta vidit, *344, 2.
Joannes Castellæ rex die Dominica equitationi vacans ab equo cespitante dejectus et protritus est, *272, 1.
Joannes Wiclef docebat clericos non debere habere possessiones, *288, 1.
Joannes Zemisces Imperator ope B. Virginis Bulgaros et Russos superavit, *362, 2.
Joannes Austrius insignem de Turcis ope D. Virginis victoriam retulit, *363, 1.
Joannes Columna Card. quæ spolia de Ægyptiis retulerit sacro bello præfectus, *365, 1.
F. Joanni de Parma, Franciscanorum Generali, celebranti ministravit angelus, *210, 2.
S. Joanni Eleemosynario in somnis apparuit misericordia, *15, 1. ejus liberalitas in pauperes, *79, 1, 2. cur publice peccantes taxari nollet, *254, 1. mortem semper præ oculis habuit, *322, 2. pauperes vocabat dominos suos, *494, 2.
Joannis Fischeri Episcopi Roffensis in morte generositas, 406, 2.
S. Joannis Baptistæ concio quam efficax, *235, 1. ejus sanctitas, *187, 2.
Joannis Thebæi eremitæ rara patientia, 515, 2.

Joannis Zwickii iconomachi et blasphemi castigatio, *165, 1.
Joannis Ogilbei Societ. Jesu martyris constantia, 303, 1. ejus de fide ministrorum Scotiæ judicium, *518, 1.
Job est pronepos Esau, 334, 2. fuit secundus rex in Idumæa, 335, 1, 2, quot annis, et quando vixerit, *ibid.* precibus sustentabat Chananæos, *263, 2. domus ejus et sepulcrum in Trachonitide, *263, 2. quando mortuus fuerit, *236, 2.
Jobel hebraice tria significat, unde dicatur, *170, 1.
Jochabed mater Mosis an fuerit filia, an neptis Levi, 438, 1.
Jordanis origo, *532, 1; *377, 1. septem in eo mirabilia contigerunt, *377, 1, 2.
S. Jordanis facetum responsum de studio Scripturæ, 18, 1. quantus fuerit virginitatis cultor, *343, 2.
Josaphat Indiæ rex quam pius fuerit, *462, 2.
Joseph vox quid significet, 299, 2. symbolice significat discretionem, 300, 1. quo anno Jacobi natus, 300, 2 quomodo fuerit typus Christi patientis et resurgentis, 337, 1. de quo crimine fratres accusaverit, 2. cur a patre præ aliis fratribus dilectus, 338, 1. quatuor causæ invidiæ fratrum in eum, 2. de ejus somnio, 339, 2. missus in cisternam significat Christum descendentem ad inferos, 341, 2. quomodo venditus sit, 341, 2. an pluris quam Christus venditus, *ibid.* ejus spes et fiducia de suo somnio, 351, 1. renuit adulterium cum hera, 2. ejus invicta constantia, 353, 2 et seq. cur pallium in manu heræ reliquerit, *ibid.* in hoc actu relucent quinque virtutes ejus heroicæ, 353, 2. quam generose adulteram repulerit, fuit in hoc Christi typus, 354. significat in eodem symbolice principem, *ibid.* fuit in eo actu Martyr, ac typus Joseph sponsi B. Mariæ, *ibid.* et seqq. fuit tribus annis in carcere, et quid hoc significet, 355, 1. quomodo somnia aliorum incarceratorum explicuerit, 356, 1, 2, seq. cur triennio sit in carcere detentus, 359, 1. explicat somnium Pharaonis, 2. quomodo a Pharaone constitutus sit princeps totius Ægypti, 360. quomodo tunc honoratus fuerit, 360, 2 et seq. ejus honores conferuntur cum calamitatibus quas antea fuit passus, 361, 1 et seq. hic ita exaltatus est typus Christi Salvatoris, 362, 1 chronologia annorum Joseph huc usque, *ibid.* et seqq. ejus anni adaptantur annis Jacobi, *ibid.* quomodo uxorem acceperit, *ibid.* de filiis ei in Ægypto natis, 2. ei adaptantur derivationes nominis Serapidis, 363, 2. item Osiridis, 2. multa docuit Ægyptios, 364. cur in Ægypto viginti tres annos existens nihil patri significarit, 365, 2. qua ratione vocet fratres suos exploratores, 366, 1. quomodo et an juret per salutem Pharaonis, 367, 1 et seq. cur fratres tribus diebus tradat carceri, 2. quomodo et quam liberaliter fratres convivio excipiat, 372, 1, 2. quomodo scyphum in sacco Benjamin ponat, 374, 1 et seq. an et quomodo hoc scypho divinare et augurari solitus, 375, 1. ejus benignitas, dum se fratribus manifestat, 377, 1. est figura Christi se fratribus manifestantis, *ibid.* ejus modestia fratres suos pastores dicentis, 381, 2. quomodo patrem et fratres ante Pharaonem sistat, 383, 1. fratres evehere in Ægypto ad officia noluit, *ibid.* de ejus benedictione, 408, 2; *529, 1 quid allegorice significet ejus plenitudo, 408, 2; 410, 1. quam recte vocetur Nazaræus, 411, 2. luget patrem defunctum, 415, 1 et seq. quomodo fratres consoletur, ostendens se esse immemorem omnium præteritarum injuriarum, 416, 1. ejus mors, 417, 1. periodus ejus vitæ, *ibid.* mandat ante mortem ut ossa sua in Chanaan ferantur, 417, 1. quid hoc anagogice significet, *ibid.* quot annis ante Moysem fuerit mortuus, 424, 1. quomodo Moyses ejus ossa ex Ægypto detulerit, 551, 1. de miraculosa ejus ossium inventione, *ibid.* fuit Nazaræus septupliciter, *529, 2. quomodo juvencus, *ibid.*
Josephi historici fides non in omnibus recta, quia gentem suam extollere, eorum probra tacere satagit, * 250, 2.
Josue pugnans orante Moyse est typus vitæ activæ directæ a contemplativa, 589, 2. an sine cibo vixerit quadraginta diebus cum Mose in Sina, 631, 1. quot fuerit annorum dum Hebræi fuerunt numerati ante ingressum terræ promissæ, * 347, 2. unde dicatur Auses: quare Moyses vocarit eum Josue, * 256, 1, 2. fuit typus Christi, *ibid.* est idem quod Jesus, 2 et seqq. cur ipse et Caleb soli ad terram promissionis venerint ex iis qui exiverunt Ægypto, * 266, 1, 2. quid hoc tropologice significet, *ibid.*
Jovianus Imp. imperii robur in vera pietate situm censuit, *470, 1.
Jubileum computabatur ab annis sabbaticis, * 167, 2. unde numerari cœptum jubileum Mosis, *ibid.* unde dicatur, * 170, 1 et seqq. clangebatur in eo cornibus bubulis, 2. quid anagogice significet, *ibid.* quid tropologice et allegorice, *ibid.* jubileum apud Christianos quando celebrari cœptum, et quanta populi frequentia, *171, 1. in jubileo Judaico omnia bona vendita redibant ad priorem dominum, *ibid.* quare hoc ita constitutum a Deo, 2. Judæi hodie id non servant, *ibid.* in eo erat remissio servitutum, debitorum, bonorum alienatorum, *170, 1. ejus tria privilegia, *174, 2. id Deus in lege Moysis instituit in gratiam pauperum, deinde propter chronologiam, tertio ut esset typus libertatis et gratiæ nobis per Christum allatæ, *175, 1. jubileum Christianorum spirituale consistit in remissione peccatorum, et bona conscientia, in timore et cultu Dei, in firma spe felicitatis æternæ, in amicitia et in unione cum Deo, *175, 1 et seqq.
Jubilus et Jubilare a *Jobel* Hebræo derivatum videtur, *170, 2.
Judæ tribus septem benedictiones et dotes, 394, 2. elogia fortitudinis ejus, *ibid.* Judas allegorice cur sit Christus, *ibid.* Judas fuit leo triplici ætate, 395, 1, 2. tribus ejus nobilitas, *ibid.* sceptrum in ea mansit usque ad Christum, 396, 2 et seqq. ejus tribus fuere Machabæi, 397, 1. Judas nomen quid sonet, 295, 2. quid tropologice, 299, 2. ejus concubitus cum Thamar fuit fornicarius, 347, 1.
Judæa vocatur terra sancta quinque de causis, 569, 2. anagogice significat cœlum, 570, 1. ejus quanta sit latitudo, et longitudo, 456, 1. ubertas ejus unde proveniat, 456, 2; *441, 2. eam Judæi possedissent usque ad finem mundi nisi peccassent, *442, 1, 2.
Judæi qualia cæremonialia hodie adhuc servent, et quæ non, 527, 1. quas hodie decimas dent pauperibus, *450, 2. vix olim habuere imagines, *412, 2. eorum superstitio nolentium nomen Jesus nominare, 621, 2. de eis Gentilium fabulæ, 537, 2. eorum servi etiam debebant circumcidi, et comedere agnum, 543, 1. unde dicti sint, 603, 1, 2 seq. adhuc Messiam exspectantes refelluntur, *507, 2. *Vide* Hebræi.
Judices olim debebant sequi et exsequi sententiam summi pontificis, *459, 1. idque absolute, non conditionate, 2. judices injuste reos ad mortem damnantes ad judicium coram Deo citati, intra citationis tempus mortui; de quo varia referuntur exempla, 155, 1 et seqq. a muneribus abstineant, 620, 2. hac de re exempla, *ibid.* et seqq. judicis est crimina bene examinare, et non præcipitare sententiam, 224, 1. in eo requiritur prudentia, justitia, gravitas et fortitudo, *245, 2. non debet vereri potentes in veritate dicenda, quod etiam exemplis probatur, *ibid.* et seqq.
Judicia olim in portis exercebantur, *475, 1.
Judicium universale significatur per benedictionem et maledictionem a Mose factas in Garizim et Hebal, *498, 2. judicii extremi memoria quam sit utilis, 693, 2. quam sit futurum horribile, 146, 2.
Juge sacrificium in altari quomodo cremaretur, idque mane et vespere, et per totam diem et noctem, *38, 2.

Juliæ virginis et Martyris ex ore evolare visa columba in cœlum, *78, 2.
Juliani Cæsarini Cardinalis elogium, *283, 2.
Julianus Apostata de Christo prædicta Nabuchodonosori applicat, 399, 2. habebat sibi familiarem dæmonem, *104, 1. Caino assimilatur, 115, 2. ejus blasphemantis horrenda mors, *165, 1. similis fuit chamæleonti, *70, 1.
Julius Cæsar fuit felix, licet temerarius, 301, 2. ejus clementia, 738, 2; *252, 1. cur flevit legens gesta Alexandri Magni, 485 2.
Jupiter muscarius olim ab Ethnicis honoratus, 505, 1, Jupiter Hammon idem est qui sol, unde, *179, 1.
Juramentum an possit fidelis exigere ab infideli, 311, 2. juramentum execratorium quomodo licitum, 367, 1.
Jurando (in) Judæorum cæcitas et superstitio, *32, 1. jurandi formula apud modernos Judæos, 479, 1. jurandi cæremonia olim non erat ponere manum sub femore. 255, 2. quid hæc cæremonia significarit, *ibid.* sed jurabant veteres levando manus, 199, 1. et cur, 591, 2.
Justi, saltem supernaturaliter, nunquam sunt infortunati, 302, 1. a Deo quasi in clibano coquuntur, *17, 1. justus est tropologice arbor vitæ, cur, 87, 2. interdum per fugam invidiam potest declinare, 308, 1. eorum quantam curam gerat Deus, 230, 2; 237, 2.
Justini historici mendacium, 534, 1, 2; 537, 2. et error, 424, 2.
S. Justinus per sacras Litteras convertitur, 3, 1.
Justitia originalis Adami qualis fuerit, 71, 2.
Justitia in sontes morte plectendo, Deum placat, *341, 1. est Deo grata, quod exemplo docetur, *ibid.*
Justitia imputativa Novantium rejicitur, 202, 2.
S. Justus Lugdunensis Episcopus quare relicto episcopatu in eremum Ægypti concesserit, *386, 2.

L.

Laban fuit speculum patrumfamilias octuplex, 258, 1. persequitur Jacobum, 309, 1. quid dicat Jacobo invento, et de inito pacto, *ibid.* et seqq. an coluerit idola, 311, 2. putabat eludere Jacob, separando oves, 303, 1, 2. ejus injustitia, 304, 1.
Labrum æneum ad quid erat in atrio tabernaculi, 714, 1, 2. huic simile vas fuit in templo Salomonis, *ibid.* mystice significat pœnitentiam, *ibid.* fuit factum ex speculis mulierum, 754, 1, 2. quid hoc tropologice designet, 714, 2.
Lacænarum quarumdam constantia in morte filiorum, *200, 1.
Laconibus libertas cara fuit, qui mori maluere quam servire, 475, 1.
Lætitia mentis Christianorum quatuor in rebus est sita, *175, 2 et seqq. quis ejus fructus, et media ad eam, *444, 2.
Lagana sunt liba tenuia, *17, 2.
Lamech fuit homicida, et primus polygamus, 121, 2. an occiderit Cainum, *ibid.* occidit duos, 122, 1.
Lana coccinea in lustratione quid allegorice significet, 628, 1.
Lapidationis supplicium apud Judæos multis casibus fuit in usu, *132, 2.
Lapides altaris an potuerint esse politi, 605, 1.
Larus est avis immunda, et qualis, *65, 2.
S. Laurentii Martyris in tormentis constantia, 406, 2; *17, 2.
Lauriacenses decimas dare pauperibus detrectantes habuerunt segetem rubiginosam, *449, 2.
Laus summa Deo a nobis debetur, et quo nomine, *439, 2.
Leæna plures quam unum parit, 396, 2.
Lectus durus decet cœli aulicos, 285, 1.
Legislatores prisci e cœlo se leges accepisse finxerunt, 599, 1 et seqq. varii variorum legislatores qui fuerint, *154, 2.
Leo habet apud Hebræos pro ratione ætatis quatuor nomina, 395, 1. leonis catulus triduo dormit,
Leocritus victor clypeum suum Jovi liberatori dedicavit, *365, 2.
Leonidis insignis bellica vox, 196, 2; 395, 2; *188, 1.
Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus intrepide Eusebiæ Imperatrici Constantii uxori restitit, eique adulari noluit, *277, 2.
Lepra olim ordinarium flagellum erat rebellium, *486, 2; *81, 1. lepra Judæorum qualis fuerit, *81, 1. sæpe fuit morbus, sive vitium naturale, sæpe etiam ex speciali Dei providentia Judæis immissus, *ibid.* fuit dissimilis, et alia a nostra, 2. fuit similis lepræ Græcorum. *81, 2. non fuit unus morbus, sed varii, 82, 1. prima species lepræ est impetigo, unde oriatur, ejusque signa, 2. secunda est lepra recurrens, *83, 1. tertia lepra inolita, 2. lepram quomodo medici explorent, *ibid.* quarta lepra mundissima, et quænam hæc sit, 84, 1. lepra discurrens in cute quid tropologice significet, *ibid.* quinta lepra barbæ, et capitis, 2. significat hæc hæresim, *85, 1. sexta est in calvitio, *86, 1. septima est vestium vel domus, *87, 1. et qualis hæc lepra, *94, 2. lepra domus spiritualiter est malum regimen in domo, *88, 2; *94, 2.
Leprosis quinque præcepta data, *86, 1. quare eos Deus voluerit degere extra castra, 2. leprosi cur hodie mendicato pane vescantur, *ibid.* de hac re exemplum, *ibid.* de ritu sacrificii in emundatione leprosi solito offerri, *91, 1, 2 et seq. in eo passer significabat Christum, et justum quinque de causis, *92, 1. aspergillum leprosi quale erat, *ibid.* quid ad litteram, et symbolice significarit, 2. quid allegorice, *ibid.* quid tropologice, *ibid.* leprosus aspergebatur septies, et quare, *93, 1. lotio vestimentorum leprosi quid sit tropologice, *ibid.* olei inunctio in ritu mundationis lepræ quid significarit, *94, 1. aquæ vivæ quales in hoc ritu adhibitæ, *92, 1. sacrificium agni et ovis annicutæ pro leproso significat perfectionem sacrificii Christi, *94, 1.
Lepus est animal immundum lege Moysis, et quare, *62, 1, 2. an habeat sexum utrumque, *ibid.* significat acediam, *63, 1.
Levare animam idem est quod anhelando sperare, 568, 2.
Levi quot annis Josepho supervixerit, 484, 2. quot annis ante Moysem natum sit mortuus, *ibid.* Levi benedictio, 393, 1; *527, 1. Levi tribus an numerata in duodecim gemmis rationalis, 680, 2.
Levitæ in lege Moysis etiam poterant pugnare, *195, 2. cur non numerentur in principio Numerorum, *196, 1. an adoraverint vitulum, 727, 2. ob zelum meruerunt sacerdotium, 729, 1. eorum zelus, *527, 2. quomodo occiderint patres et matres, *ibid.* zeli hujus merces, *528, 1. ritus et ordo consecrationis eorum, *228, 1. quid tropologice significet quod eorum capilli radebantur, *228 1. consecrabat eos Aaron, non Moyses, *ibid.* iis addidit David onus psallendi, *210, 2. quomodo erant dispositi circa tabernaculum, *198, 1. eorum sors quomodo erat Deus, *188, 1. dabant decimas pontifici, *ibid.* incedebant in medio castrorum in deserto, *201, 2. significabant statum clericorum in novo Testamento, *200, 2. significabant etiam diaconos novi Testamenti, *204, 2. cur tribui eorum delatum sacerdotium, *ibid.* eorum ministeria quomodo dispertita in itinere deserti, *205, 1 et seq. eorum in deserto numerus, *206 quoto ætatis anno serviebant tabernaculo, *208, 1. quando ingredi poterant Sancta, *209, 1, 2. quomodo deponebant velum, *ibid.* et seq. erant milites Dei et templi, *ibid.* Levitæ qui dicerentur, *1, 1. iis quomodo attributa suburbana pro pecoribus suis, *378, 2 et seq.
Leviticus qualis sit liber, *1, 1. habet tres partes, *2, 1. a Deo est dictatus in monte Sina, *ibid.* quo anno mundi dictatus, *2, 1. quinam in eum scripserint, *ibid.* et seq.

Lex vetus vocatur æterna conditionaté, 191, 1. quibus cæremoniis in Sina data, 600, 2 et seqq. ejus promulgatio significat promulgationem legis novæ, 602, 2. septem in ejus datione terribilia, 601, 2. de fumo, igne, fulgure, terræmotu quando lex dabatur, *ibid.* quid hæc allegorice significent, *ibid.* diversimode in Scripturis nominatur, 29, 1. quam ingens sit Dei beneficium, *154, 1. de ea apoththegmata, *ibid.* lex quid sit, *ibid.* vocatur hæreditas tribus de causis, *526, 2. eam conservantibus Deus promisit viginti novem bona, *177, 2. eam violantibus minatur, 28 maledictiones, *178, 2. custodienda est nimis, sex de causis, *181, 2. omnis lex Judæorum lata est in monte Sina, *ibid.* ejus sensus secretior et mysticus an a Mose traditus LXX senioribus, *245, 1. ipsa exploranda et observanda, *428, 2.

Liæ lippitudo oculorum qualis fuerit, 293, 1. an peccaverit se substituendo pro Rachele, 2. quid hæc substitutio symbolice significet, *271, 1.

Libaminum mensura, *270, 2. quid anagogice libamina significent, et quid tropologice, *ibid.*

Libandi ritus, *270, 1.

Liber sumitur aliquando pro catalogo, 125, 1. liber bellorum Domini quis fuerit olim, quem citavit Moyses, *306, 2. libri de locis Hebraicis auctor est Eusebius, non S. Hieronymus, *442, 2. quis liber dictus Ascensio Moysis, 736 2. liber vitæ quid sit, 729, 1, 2.

Liberi sunt dona Dei, 113, 1.

Liberius Pontifex aurum ab Imp. oblatum in exilium abiturus recusavit, *331, 2.

Liberum arbitrium habet homo, 74, 1.

Libido cæca est, 229, 1. ei deditus recte comparatur cani, *482, 2. contra tentationes ejus optimum remedium est fuga et afflictiones, 353, 1, 2; 431, 2; *338, 2. tropologice denotatur per lepram carnis, *88, 2. ejus profusio quanta, 392, 2. eam gravissime vindicat Deus, 325, 1, 2. *Vide* Luxuria.

Lignum dulcorans aquas Mara quale fuerit, 573, 1, 2. unde hanc vim habuerit, *ibid.* significat crucem Christi, 573, 2.

Ligurius qualis gemma sit, 682, 2. significat Aser ac S. Simonem Chananæum, ob suavissimos mores, *ibid.*

Limen unde dicatur, 536, 2.

Linguarum confusio in Babel quando contigerit, 170, 1. quot linguæ ibi tunc sint confusæ, 171, 2. hæc confusio non fuit ante turrim Babel, 1. eas superbia confudit in Babel, humilitas univit in Sion, 175, 2. earum confusio proprium est opus Dei, 174, 2. quomodo eas Deus confuderit, 175, 1. solæ matrices linguæ in Babel conditæ, *ibid.* an lingua Belgica sit eadem cum Hebræa quoad radices, 176, 1. linguarum Hebrææ et Græcæ cognitio necessaria ad S. Scripturæ intelligentiam, 10, 2.

Linum est symbolum sanctitatis et patientiæ, 697, 1 et seqq.

Lippus tropologice quis, 293, 1.

Litare in sacris est rite sacrificare, *13, 2.

Livia Germanici soror, Sejano copulata quas dederit pœnas, *341, 1.

Locustæ mystice significant adulatores et mendaces, 514, 1. eas comederunt Judæi et aliæ gentes, *69, 1. qualis sit hic cibus, *ibid.* eas immittit Deus, et devorat avis seleucis, 65, 2.

Longævitas filiis morigeris quænam promissa, *418, 2. ipsis ea quasi quadam talione naturæ competit, *ibid.*

Lot charitas erga hospites, 228, 1. deditus fuit hospitalitati, 227, 1, 2. an peccaverit offerendo filias stupro, 227, 2 et seqq. cur, dum educitur e Sodoma, vetetur respicere, 229, 2. uxor ejus quomodo peccaverit respiciendo, 232, 1. quomodo in statuam salis versa, *ibid.* qua de causa, 2. an etiam ejus anima conversa in salis statuam, *ibid.* ebrietas Lot post incendium Sodomæ quale fuerit peccatum, 233, 2. an ejus filiæ excusentur a peccato, 233, 1, 2

Lucernæ de nocte tantum ardebant in tabernaculo, 673, 1. quid hoc mystice significarit, 2.

S. Lucianus Martyr vertit sacra Biblia in Græcum ex Hebræo, 17, 2.

S. Lucii Martyris in morte placida vox, 413, 2.

Lucta Jacob cum angelo qualis fuerit, 314, 2 et seq. quid hæc lucta allegorice significet, 315, 1; 316, 1.

Lucullus Rom. dux nonas octobris ex nefastis fastas fecit feliciter pugnando, *103, 2.

S. Ludgardis mundum muliebrem Ecclesiæ obtulit, 755, 1.

Ludovici XII Galliæ regis lenitas, 417, 1. ejus fortis animus et intrepidus, 395, 1.

Ludovici Bavari capti generosum responsum, *ibid.*

Ludovici Pii Imp. ægrotantis non erat cibus alius quam SS. Eucharistia, *57, 2.

S. Ludovicus rex maluit mortem oppetere et lepra infici quam Deum offendere, 352, 2; *83, 2. fuit insignis justitiæ cultor, *341, 1. semper pauperes mensæ suæ adhibebat, *494, 1. ejus ad filium in regno successorem ultima verba, *511, 2.

S. Ludovicus Episcopus Tolosanus matrem suam reginam osculari noluit, *344, 1.

Lugentes solebant vestimenta scindere, et capita nudata pulvere aspergere, *56, 2. inhibetur hoc fieri a sacerdotibus, *ibid.* quid hoc mystice significet, *ibid.* Ethnici lugentes incidebant carnes suas, *127, 1. item comas laniabant, *ibid.*

Lumen gloriæ est stella, *332, 2. lumen indicavit illustrem sanctitatem quorumdam Sanctorum, *333, 2.

Luna est in signum, 59, 1. ejus elogia, 60, 1. est symbolum inconstantiæ, 2.

S. Lupus Trecensis Episcopus quomodo Attilæ Hunnorum regis rabiem mitigarit, 412, 2.

Lustrandi ritus apud Hebræos, 628, 1. cur lana coccinea, et hyssopo fieret, 2.

Lustrationes quænam adhibitæ ad tollendas legales immunditias, *294, 2. easdem imitati sunt Gentiles, *295.

Lux, *Vide* Creatio. Luci Deus assimilatur, lux est viva Dei imago, 48, 1. cur primo et ante omnia creata, *ibid.* lux tropologice est scientia, prudentia, doctrina, 48, 2. lucis creatio symbolice angelis et Filio Dei adaptatur, 49, 1 et seqq. lux est Christus et Apostoli, 49, 2. anagogice est gloriæ lumen, 48, 1.

Luxuriæ gradus novem, *402, 1. quantopere eam Deus et homines soleant vindicare, *340, 2. ejus optimum remedium est fuga, *338, 2; *112, 2. eam dum comprimimus, vaccam rufam immolamus tropologice, *293, 1, 2. ejus tentationes significantur per Amalec, 588, 1. contra ejus tentationem eremitæ cujusdam remedium, *246, 2. *Vide* libido.

Luxuriosi sunt similes ranis, 502, 2.

Luza urbs unde dicatur, 290, 1.

Lycurgus triplicem saltationem instituit, 572, 1. quare tenuia et parca sacrificia instituit, *14, 1. nummos aureos sustulit, et æreos substituit, *532, 2. unguenta e republ. sua ejecit, 718, 2. leges Delphis acceptas vocavit, ῥητά, 600, 1.

M.

Macarius Ægyptius oratione dæmones ejecit, 711, 1. sua confessione Theopomptum verecundantem ad confitendum induxit, *37, 2. alium falso cædis accusatum quo pacto a morte liberarit, *468, 1.

Macedonii Martyris assati ad tyrannum vox intrepida, 407, 2 et seq.

Machabæi unde dicti, 569, 1. eorum constantia mori malentium quam vesci carne suilla, *64, 1. cur censeantur esse de tribu Juda, 396, 2.

Mactare unde dicatur, *15, 1.

Maculæ quænam lege Moysis irregularem faciebant ad

sacerdotium, *137, 1. tropologice quid hæ maculæ significent, 2.
Madian regio unde dicta, 444, 2.
Magi multis modis mira possunt efficere, 492, 2. perstringendo oculos vel phantasiam, 493, 1. per motum localem, *ibid.* applicando activa passivis, 2. omnia sua faciunt numero impari, *318, 1.
Magi qui venerunt ad præsepium Christi fuerunt ex stirpe Balaam, *332, 2.
Magiæ inventor fuit Zoroastres, 492, 2.
Magistratus debet esse fortis, 594, 2. sapiens ac veri amans, *ibid.*
Magorum Ægypti concertatio cum Moyse quid significet, 496, 2. quinam fuerint, 492, 2. an dracones, in quos verterunt virgas suas, fuerint vere dracones, 493, 2 et seqq. cur eos Deus hæc mira permisit efficere, 494, 2. unde aquas habuerint ut eas in sanguinem verterent, cum omnis Ægypti aqua in sanguinem versa esset, 497, 1.
S. Malachias Archiepiscopus Hiberniæ quæ miracula fecerit per aquam benedictam, *294, 2. quantam curam exempli bonæ vitæ habuerit, 698, 2.
Malaleel unde hoc nomen acceperit, 126, 2.
S. Malchi servi libera et sancta vita, 433, 1.
Maledictio parentum in filios lata sæpe a Deo exauditur, 282, 1.
Maleficas occidendas etiam lege Moysis statutum, 617, 1.
Mamzer quis vocetur, *480, 1, 2.
Manasses quid significet, 362, 2.
Mandragoræ quinque virtutes naturales, 298, 2. quid mystice significet, 299, 1.
Manna primum pluit die Dominica, 577, 2. sex diebus debebat colligi, non septimo: quid hoc significet, *ibid.* generabatur ex rore, 578, 2. quomodo, *ibid.* cubabat in pruina quasi in linteamine, 579, 2. in eo erant sex præcepta; singuli colligebant ex eo mensuram gomor, 580, 2. non servabatur in crastinum, 582, 1. colligebatur mane, *ibid.* feria sexta duplum colligebatur, 2, servatum est in monumentum, 584, 1. quotidie per 40 annos collectum est, *ibid.* in eo item erant sex miracula, 580, 2. omnes colligebant eamdem ex eo mensuram, et quomodo hoc, 581, 1. servatum scatebat vermibus, 582, 1. sole calente liquescebat, *ibid.* feria sexta duplum pluebat, 2. Deus id servavit tot sæculis, 584, 1. quotidie pluit per 40 annos, *ibid.* qualis fuerit cibus, et quomodo fieret, 583, 2. quare Deus eamdem ejus mensuram omnibus præscripserit, 581, 2. quid eadem hæc mensura significet allegoriee et anagogice 582 manna Polonicum hodie quam prodigiosum, 582, 2. de figura et sapore manna, 583, 1. an solis justis sapiebat ut volebant, *ibid.* murmur ob id unde, 2. an id mutaverit substantiam ad appetitum comedentium, *ibid.* quomodo vocetur panis angelorum, 584, 1. erat cibus fortium, *ibid.* significat Christum in Eucharistia, 2 et seqq. quid tropologice et anagogice significet, 585, 2 et seq.
Mansuetudine (de) documenta moralia, *252, 2. ejus exempla, *ibid.* et seqq. 725, 1. *Vide* Injuria.
Manum replere in Scripturis quid sit, *203, 1.
Maria syriace est domina, 571, 2.
S. Marcellus e cœlo monasterii sui jura violantes fulmine ultus est, *385, 1, 2.
Marcellus II Pontifex quam fuerit in suo pontificatu moderatus, *352, 1.
S. Marcellus Apamææ Episcopus dæmonem aqua lustrali fugavit, *294, 2.
Marci Monachi insignis obedientia, 678, 2.
Marcus anachoreta sibi pollicem abscidit, ne fieret sacerdos, *145, 2.
Marcus Bibulus quam generose condonarit injurias, *522, 2.
Mare ubi profundissimum, quam sit profundum, 144, 1. est terra minus, *ibid.* mare Mortuum quale sit, 231, 2.
Mare Rubrum, an altius Ægypto, 54, 2 et seqq. unde dicatur rubrum, 516, 2. an vere sit rubrum, *ibid.* a quo, et quomodo fuerit divisum, 559, 1. quanta hæc fuerit divisio, 2. ordo historiæ divisionis maris Rubri, *ibid.* an fuerit divisum in 12 sectiones, 560, 1. hujus sectionis vestigia adhuc reperiuntur in mari Rubro, 561, 1. ejus divisio fuit ingens miraculum, *ibid.* ea in quatuor rebus discrepavit a divisione Jordanis, *ibid.* et seqq. ejus transitus allegorice significat baptismum, 2. tropologice vitia esse mergenda, *ibid.* mare salsissimum apud Judæos quod, *375, 1. mare apud Judæos triplex, *ibid.*
Maria qualis vox, unde dicatur, ac de nominis ejus etymologia, 571, 1 et seqq. idem est quod domina maris, 2.
B. Maria per arborem vitæ denotatur, 87, 2. ipsa in templo habitavit, non in Sancto sanctorum, *101, 2 allegorice dici posset mons Maria, et cur, 245, 1. est prima creaturarum, 571, 2. ejus facies augusta majestate venerabilis erat, 747, 2. habitabat in templo triennis, 755, 1. contrivit caput serpentis, 106, 1. est colenda præ aliis Sanctis hyperdulia, 286, 2. nata ex parentibus est senibus et sanctis, 338, 1. ardebat quasi divino accensa murice, 453, 1. vocatur scala cœli, 287, 1; 288, 2. ejus ope multos duces in bello fuisse victores docetur multis exemplis, *362 . et seqq. existens ex tribu Juda quomodo habuerit cognatam Elisabeth quæ erat de tribu Levi, *388, 1, eam omnis lingua vocat dominam, 571, 2.
Maria Ægyptia quamdiu in eremo manserit, duobus panibus et oleribus victitans, et quamdiu sine vestibus, *433, 1, 2.
Maria soror Mosis percussa est lepra, et quare ipsa, non Aaron, *251, 2. murmuravit contra Moysen, et quare, *251. 1. quando mortua, *298 , 2, quot annis vixeri *299, 1. fuit tripliciter prophetissa, 572, 1. fuit virgo, *ibid.* de ejusdem cantu ac gratiarum actione. 573, 1.
Maria Magdalena fuit pœnitentiæ exemplar, 666, 1, 2. qua ratione dæmonem a spelunca sua fugarit, *305, 2.
Maria d'Oignies accepit revelationem suæ salutis, 669, 2.
Marius Curius Dentatus Rom. munera Samnitium admittere noluit, 620, 2.
C. Marius commoda rapta occasione hostes debellavit, *268, 2. insignis fuit pudicitia vindex, *340, 2.
Martini Martyris in morte generositas, *142, 1.
S. Martinus in cinere et cilicio mori voluit, 342, 1. super ejus sacrificantis caput globus igneus apparuit, *53, 2. ejus dicendo et persuadendo gratia et efficacia, 693, 1. quem fuerit in Brixionem suum calumniatorem benefícus, 377, 2. ictu a latrone in caput intentato per ensem non timuit, 2. insignis fuit pudicitiæ vindex, *340, 2.
Martyres quomodo Christus invitet, 659, 2. eorum tanta constantia ex memoria æternitatis, 248, 2. et ex vulneribus Christi, 587, 2. eorum qui se Deo in holocausta obtulerunt exempla, *10, 1 et seqq. eorum constantiæ varia exempla, 406, 2 et seqq. fuere Dei victimæ, id probatur exemplis, *17, 1, 2.
Martyrium pro sancta doctrina significatur per sardium lapidem, 681, 1.
Mascula debebat esse victima holocausti Deo ex voto immolanda, *142, 2.
Masculi soli erant hæredes parentum lege Mosis, non feminæ, *349, 1. cur mares jussit mergi Pharao, et feminas reservari, quid hoc significet tropologice, 434, 1 et seqq.
Masculus animus Deo offerendus, *8, 1. mentis proles masculæ quæ, quæ feminæ, 548, 1, 2.
Masculus fœtus in homine quo tempore formetur, *75, 2 et seqq. quid tropologice significet, *75, 1.
Mathusalem quo anno sit mortuus, 130, 2.
Matrimonium inibant Persæ cum matribus et filiabus,

Ægyptii cum sororibus, sicut et Romani, *114, 2. degradibus consanguinitatis et affinitatis olim lege Moysis prohibitis ad matrimonium ineundum, *115, 1 et seqq. an isti gradus, qui ibi referuntur, jure naturæ ita absolute sint prohibiti, ut in eis dispensare non possit Pontifex, *116, 1. ejus institutio, 94, 1, 2. exempla amoris conjugum, *ibid.* quomodo conjuges sint duo in carne una, 95, 1, 2. de eo Deus nullum dedit præceptum, 73, 1. ejus actus reddebat Judæos immundos, unde postea lavabantur, *96, 2 et seqq.

Matrimonialis fidei symbolum est turtur et columba, *78, 1. ejus apud Gentiles exempla, *ibid.*

Matrum exempla proprias proles ad martyrium offerentium, 244, 1. et aliarum offerentium proles recens natas Deo, 295, 2. ex eo illæ sanctæ evaserunt, *ibid.* eas debere suos filios alere et lactare, multis docetur rationibus, 239, 2.

S. Matthæus Apostolus usum aquæ benedictæ instituit, *294, 1.

S. Mauritii (in festo) operans aurifaber Gentilis verberatus ab eo conversus est, *272, 1, 2.

Maximilianus I Imp. quam mortis suæ assidue memor fuerit, *323, 1, 2. fuit insignis justitiæ cultor, *341, 1.

S. Medardum puerum aquila ab imbre et cœli injuria tutata est, 598, 1.

Meditatio quam sit utilis, 259, 2; 340, 2.

Mel quare Deus vetuerit in sacrificiis, *18, 1. est insalubre stomacho, *ibid.* olim offerebatur Baccho, *ibid.* abfuit allegorice a Christi sacrificio, *ibid.* est symbolum voluptatis et adulationis, *ibid.* melli aereo sive mannæ conducit iris, 157, 2.

Melaniæ junioris in filiorum morte constantia, *134, 2.

Melchisedec quis, et qualis fuerit, 197, 1. fuit regulus Chananæus, *ibid.* fuit rex Jerusalem, *ibid.* fuit typus Christi sex de causis, 2. fuit verus sacerdos, obtulitque sacrificium panis et vini, 2 seq. quomodo obtulerit sacrificium, *ibid.* habuit tres actiones sacerdotales, 198, 2. accipiendo decimas præfiguravit sacerdotes novæ legis, 199, 1.

Melis qui et taxus, quale sit animal, 635, 1.

Memnonis statua loquens, 429, 2.

S. Menæ Martyris in tormentis generositas, 61, 2 et seq.

Mendicantes Ordines divino instituti consilio, et quare, *494, 2.

Mendici omnes sumus, 290, 1.

Menocratis medici arrrogantia, 508, 1.

Mensæ an olim veteres accubuerint, 532, 1; 372, 2.

Mensæ panum propositionis descriptio, 648, 1 et seq.

Mensis Nisan sive paschalis elogia, et mira quæ in eo contigerunt, 524, 2. unde mensis Nisan primus dignoscatur esse sive paschalis, 525, 1. duodecim mensium Hebræorum nomina, *ibid.* mensibus lunaribus utebantur Hebræi, 524, 1. mensibus singulis singulos deos Romanos præficiebant, *355, 1.

Menstrua quam sint perniciosa, *98, 2. eorum fluxus quid tropologice significet, *99, 2.

Menstruata quomodo expiabatur, *98, 2. menstruatæ congredi Judæis erat inhibitum sub pœna mortis, eratque apud eos peccatum mortale, non tamen modo est mortale, sed veniale, *131, 1. erat hæc lex cæremonialis, *ibid.*

Mensura justa habenda, *128, 1. injustam qui habet quinque scelerum est causa, *ibid.*

Mentiri nullo casu licet, 435, 1, 2.

Meretrix in Scripturis vocatur prostibulum, *135, 2.

Meropes quinam dicantur, 176, 2.

Mexicanorum crudelis idololatria in immolandis hominibus, *117, 2. cur eorumdem ad fidem Christi conversio sit facilis, *ibid.*

Michael Servetus Calvini discipulus fuit in SS. Trinitatem blasphemus, *231, 1.

Militia (in) Christiana quam fortes et intrepidi debeamus esse, 550, 2.

Militia (in) qualis disciplina sit servanda multis docetur exemplis, *481, 1,

Militum Christianorum zelus contra Julianum Imp. ad idololatriam pellicientem, 728, 2. de militum in bellis impietate, *362, 1, 2. militum generosorum apophthegmata, *200, 1.

Millenarius numerus symbolum Dei est, ejusque infinitatis. *414, 2.

Mina quantum continuerit, 757, 1.

Miracula vera a falsis octo modis discernuntur, 495, 2.

Misericordia Dei multiplex est, 743, 1. est septuplex, *ibid.* in quibus septem consistat, 2.

Misericordia interdum in Scripturis vocatur *justitia*, *486, 1. est propria virtus sanctorum, *ibid.* misericordia et veritas in Scripturis quid sit, 259, 2. misericordiæ encomia, *49, 1. ejus exempla, *ibid.* ea imitanda et sequenda nobis est, *15, 2. misericordia quomodo noctu S. Joanni Eleemosynario apparuerit, et cuidam monacho, *ibid.* misericordiæ opera significantur per panes propositionis, *161, 2. accommodantur eis omnes cæremoniæ panum propositionis, *ibid.* et seq.

Miseriis premimur, ut aliorum misereamur, 439, 2.

Misphat fons quis locus sit, 195, 1.

Missæ ministrasse angelos probatur multis exemplis, *210, 2. est proprii nominis sacrificium, 198, 1. eam offerre quantæ sit dignitatis, *53, 1. in eadem sæpe visos esse angelos docetur multis exemplis, *ibid.* et seq. aliæ visiones ante eam, vel in ea visæ, 2 et seqq. eam audire quotidie, quam sit utile, quot et quales fructus habeat, *ibid.* hac de re exempla, *ibid.* et seq.

Moabitas cur non invaserint Judæi, cum ad hoc jus haberent, *343, 1.

Modestia veterum in cibo, 222, 1.

Mœchiæ nomine in decalogo vetatur quævis libido, *419, 1, 7.

Mœchos non esse ad pœnitentiam recipiendos unde probet Tertullianus, rejicitur hic error, *89, 1.

Mola salsa quid, *14, 2.

Mollities quam sit enorme peccatum, 346, 1. quam graviter a Deo puniatur, *ibid.* idem docet S. Christinæ visio, *ibid.* mollities diutina est pene incurabilis, *ibid.*

Moloch quis et quale idolum fuerit, *117, 1. ritus immolandi Molocho infantes, 2. qualis statua ejus fuerit, *ibid.* ei quinam tropologice dent semen suum, *118, 1.

Momentum nullum vacuum esse debet a laude et cultu Dei, *39, 1.

Monachi in Quadragesima magis tentantur, quam alio tempore, 474, 2.

Monarchia optimum regimen, id probatur exemplis, *422, 2.

Monasteria olim dicebantur sanctuaria, 662, 2.

Monitiones spernere est impiorum, *315, 2. hac de re exempla, *ibid.*

Monoceros quale sit animal, *325, 2. dicitur capi solo sinu virginis, 2. in hoc significat Christum, *ibid.*

Montes vicini mari Rubro in egressu Hebræorum ex Ægypto lætati, 564, 2.

Monulphus quidam molitor die Dominica molam reficiens a Deo punitus est, *272, 1.

More convallis qualis sit, 186, 2.

Mori quidam maluerunt quam peccare, 352, 2. quod multis exemplis et Sanctorum et Gentilium docetur, *ibid.*

Moria qualis mons, de ejus situ, fertilitate, etc. 244, 2. an sit mons Calvariæ, *ibid.* et seqq. significat eum allegorice ob quinque analogias, 245. etiam Ecclesiam, 245, 1. etiam B. Virginem, *ibid.* etiam animam fidelem, *ibid.* cur vocatus, Dominus videt. 249, 2. ad montem Moria quomodo eundum tribulatis, 250, 1.

Morientibus oculi claudi soliti a charissimis, 380, 1. morientium variorum pia et sancta verba, 417, 2.

Mortificatio plus docet in sacris Litteris quam lectio, 14, 2.
Mortis memoria est via ad cœlum, 252, 1; 703, 1. mors justorum tropologice est mortificatio passionum, *323, 2. mors Christianis optanda, 264, 1. mortis incertitudo, et quomodo ea diabolus utatur ad homines decipiendos, 99, 2. ejus hora incerta, *ibid.* mors justorum qualis sit, docetur multis exemplis, 413, 2; *448, 2 et seq. mors bona sequitur post bonam vitam, *447, 2. mors tyrannorum plerumque violenta est, 562, 2. impiorum mors qualis sit, itidem multis exemplis docetur, *322, 1 seq. mortis memoria quam utilis sit: docet ea bene mori, *ibid.* et seq.; 100, 1. mors corporis et animæ est pœna peccati Adæ, 90, 2. Xerxis de morte sententia, et Saladini, 91, 1. recte comparatur unicorni, *ibid.* mortis supplicia apud Judæos quot et qualia, *132, 2. mortis memoriam quomodo quidam habuerint, 123, 1.
Mortuorum luctus temperandus quomodo sit, docetur multis exemplis, *134, 2. idem docetur exemplis Gentilium, *135, 1 mortuos non esse lugendos, *127, 1. mortuorum luctum Gentiles solebant testari sui vulneratione ac mutilatione, *ibid.*
Mortuus est, est omnium epitaphium, 126, 2.
Mosera et Moseroth an eadem sit mansio Hebræorum in deserto, *438, 1.
Moysis scripta profanare conantes puniuntur, 17, 1. Moyses quis et qualis fuerit, 22, 1. fuit psalmographus, *ibid.* de ejus miraculis, *ibid.* et seq. ejus prudentia, 2. ejus zelus, *ibid.* ejus humilitas et mansuetudo, *ibid.* ab angelis est sepultus, 23, 1. non tam mortuus quam raptus, 2. eum quomodo laudet Ecclesiasticus, 23, 1. quomodo S. Paulus, *ibid.* quomodo S. Stephanus, et Ambrosius, *ibid.* quomodo Constantinus Magnus, *ibid.* quomodo SS. Patres, *ibid.* et seq. ejus et Christi antithesis in novemdecim rebus, 25, 1 et seq. quomodo eum etiam laudent Gentiles, 2. quo tempore vixerit, 27, 2. est auctor Pentateuchi, *ibid.* 1 scripsit eum in deserto, 2. ejus historia de creatione mundi debet intelligi ut sonat, 28, 1. fuit ab Ægyptiis vocatus Deus et Mercurius, 487, 1. fuit pontifex et princeps populi, 701, 1, 2. non successerunt ejus posteri in sacerdotio, et quare, *203, 1. Moyses et Aaron degebant in castris simul, et quare, *205, 1. ejus charitas et prudentia in persuadendo Hobab, *238, 1. ejus mater fuit Jochabed, 438, 1. de eo nascituro vaticinium, 2. quo anno mundi natus sit, *ibid.* quot annis ante Christum, *ibid.* fuit ante tempora Homeri, 439, 1 ejus elegantia fuit plus quam naturalis, 439, 1. an in utero matris sanctificatus, *ibid.* an arriserit parentibus ipsum exponere volentibus, 2. fuit imago Christi pueri, *ibid.* aquis expositus quid allegorice significet, 440, 1. quomodo in aula regis Ægypti regaliter fuit educatus, 441, 1. quare Deus eum voluerit in aula regis educari, 2. quid ejus nomen significet, *ibid.* ejus nominis aliæ deductiones, 442, 1 mater eum aquis exponens quid allegorice significet, 442, 1. quid tropologice, 2. de ejus bellis in aula Pharaonis, *ibid.* fabula de ejus annulis memoriæ et oblivionis, *ibid.* dictus est miraculum naturæ, 443, 1. de ejus statura et forma, 445, 1. quomodo occiderit Ægyptium opprimentem Hebræum, 443, 1. an juste eum occiderit, *ibid.* et seq. quid hæc occisio allegorice significet, 2. ejus fuga in Madian, 444, 1, eum volentem Deum sequi tentationes invadunt, 444, 2. in Madian defendit filias Jethro, 2. cohabitat Jethro, 445, 2. accipit ejus filiam uxorem, *ibid.* et seq. de filiis ejus ibi natis, *ibid.* cur unum vocaverit Eliezer, *ibid.* quid in Madian 40 annis egerit, 449, 1. rubum videt, qui non comburebatur, 452, 1. cur in hac visione fuerit jussus se discalceare, 454, 1. quid hoc symbolice et tropologice significet, 455, 1. an postea calceos non induerit, 455, 1. quomodo detrectet principatum, 457, 1. virga ejus patrat miracula, 463, 1. quid hæc virga in colubrum conversa significarit ad litteram, *ibid.* quid symbolice, *ibid.* quid allegorice, *ibid.* quid anagogice, 2. quid tropologice, *ibid.* tria ejus signa significant trinam virtutem Dei, 464, 2. de impedimento linguæ Moysis, *ibid.* fuit quintuplex, 465, 1. an fuerit vitium a natura, *ibid.* et seqq. de varia Moysis excusatione, 466, 1. an peccaverit se excusando, *ibid.* et seqq. de Moyse circumcidente filium, 468, 1, 2 et seq. cur filium suum non circumciderit in Madian, 469, 1. quis ex filiis ejus circumcisus, 2. quomodo fuerit Sephoræ sponsus sanguinum, 471, 2. accipiens uxorem alienigenam quid significet symbolice, 471, 1. liberaturus populum Israel, eam remittit in Madian, 2. de primo accessu ejus ad Pharaonem, 472, 2. excusat se iterum ob linguæ impedimentum, 483, 1, Moysis invictum animi robur, 475, 2. quomodo eum Deus constituerit Deum Pharaonis, 486, 1. fecit hoc ejus humilitas, *ibid.* de Moyse immittente plagam ranarum, 501, 1. quomodo fecerit cessare hanc plagam, 502, 1. de immittente plagam ciniphum, 2. de immittente plagam vesicarum, et ulcerum, 508, 1. de triplici ejus victoria contra magos, 509, 1. de immittente plagam grandinis, 510, 2. de immittente plagam locustarum, 514, 1. ejus mira tolerantia in ferendis injuriis, 515, 1 et seq. de immittente plagas tenebrarum, 517, 1. oratio Moysis ad populum, 557, 1. ejusdem oratio ad Deum, ante divisionem maris Rubri, 558, 2. Moyses primus, Aminadab secundus mare Rubrum est ingressus, 560, 2. de Moysis cantico post transitum maris Rubri, 565, 2 et seq. ejus in Hebræorum murmure patientia, 577, 1. ei solebat Deus loqui tribus locis, 578, 1. pugnante populo oravit extensis manibus, 588, 1. levans manus et remittens quid significet, 2. gessit typum Christi crucifixi, *ibid.* fuit in hoc symbolum vitæ contemplativæ, 589. quomodo ejus manus erant graves, *ibid.* quid hæ significent, 589, 1. cur manibus ejus nunc immissa gravitas, nunc levitas, *ibid.* quomodo Moyses tunc altare Domino ad laudem Dei ædificarit, 590, 1. quam impudenter hoc neget Calvinus, *ibid.* de Moyse ascendente montem Sina, 597, 1. fuit angelus qui cum eo loquebatur in monte, 601, 2. descendit iterum de monte quatuor de causis, 602, 1. ferit fœdus cum populo nomine Dei, 627, 2 et seqq. quo ritu populum lustraverit, 628, 1. fuit quadraginta diebus cum Domino in monte, 631, 1. quid hoc symbolice significet, 632, 1, 2. bis tantum, non ter, quadraginta diebus jejunavit, *436, 2. vidit cœleste tabernaculum, 653, 1. quomodo consecrarit Aaron et filios ejus in sacerdotes, 700, 1 et seq. orat magno cum zelo pro populo suo post idololatriam, 725, 1, 2. ejus oratio est a Deo exaudita, *ibid.* quo sensu hic optarit deleri de libro vitæ, 729, 2 et seqq. ejus recessus a tabernaculo ad castra quid tropologice denotet, 735, 1, 2. quomodo sibi petierit ostendi Dei faciem, *ibid.* quam gloriam Dei videre petierit, 737, 2. quomodo hæc ejus petitio sit a Deo exaudita, 738, 1. quomodo posteriora sua eum visurum Deus promiserit, 740, 1. quomodo allegorice Dei posteriora visa sint, quomodo tropologice ea videamus, *ibid.* an hic viderit Christi humanitatem, *ibid.* an gloriam ejus passionis, et eum flagellis cæsum et spinis coronatum, 741, 1, 2. ex hac visione non colligitur eum vidisse divinam essentiam, 741, 2 quomodo hæc posteriora videns nomen Domini invocaverit, 742, 1. quadraginta etiam diebus secunda ejus in monte Sina mansio duravit, 745, 2. chronologia horum quadraginta dierum conficitur, *ibid.* ex colloquio assiduo cum Deo accepit cornua, id est radios lucis, 746, 2. ei cur Deus hæc cornua affixerit, 747, 1. an hæc cornua ei fuerint perpetua, *ibid.* hinc postea loquens ad Israelem velabat faciem suam, 748, 1. quid ea velatio allegorice et tropologice significet, *ibid.* et seqq. ei senes LXX dantur a Deo adjutores, *245, 1. quomodo Deus abstulerit aliquid

de ejus spiritu et dederit septuaginta senioribus, *246 1. ob uxorem ejus Æthiopissam Maria soror murmuravit, *251, 1. ejus mira in injuriis mansuetudo, *251, 1. quare hanc ipse de se testatus sit, 252, 1 in quo omnibus præcelluerit Prophetis, *253, 1; *538, 2. virga sua aquam e petra populo educit, *300, 1. ejus in hoc actu quæ fuerit incredulitas, et qualis, 2. cur Deus hunc ejus lapsum permiserit, *301, 1. propterea exclusus est terra promissionis, 2. surrogat Josuam in locum suum, *350, 1. ejus vox miraculose ab omnibus exaudita in iterata promulgatione legis, *394, 1. quinque ejus privilegia præ Aarone, *400, 1, 2. populo Israel benedictiones et maledictiones imprecatur, *497, 1. cur canticum suum vocet canticum, cum sit potius acris populi objurgatio, *523, 1, 2. moriturus ei etiam benedicit, *525, 1 et seq. ejus mors ex Josepho narratur, *534, 1, 2. mortuus est in februario, *535, 1. quidam eum censent non esse mortuum, *ibid.* sed est de fide eum esse mortuum, 2. an statim a morte resurrexerit, *ibid.* non in Christi transfiguratione resurrexit, sed cum eo resurgente, *536, 1 dictus est servus Dei, *ibid.* ei Deus animam exemit, *ibid.* quomodo dicatur mortuus *ad os Domini, ibid.* est a Deo sepultus, 2. cur ejus corpus diabolus sepeliri noluerit juxta Phogor, 2 seq. ejus reliquias angeli venerati sunt, *537, 1. eas angeli transtulere per aera in vallem Moab, *ibid.* quo anno mundi et ante Christum sit mortuus, *ibid.* mortuus est vegetus et validus, 2. unde natus hic vigor, *ibid.* vox ejus stentorea sub mortem, 538, 1. ejus modestia in suo ducatu, 630, 1.

Abb. Moyses qua visione sit ad generose contra tentationes certandum animatus, 313, 1.

Pseudo Moses quidam quomodo Judæos deceperit volendo eos in terram promissionis ducere, 560, 1.

Mulieres excubantes in ostio tabernaculi quales erant, 755, 1. cur excubent tropologica causa datur, 755, 2.

Mulieres Gentiles in luctu capillos solvebant et laniabant item genas, *127, 2.

Mulierum etiam quarumvis cum viris cohabitatio est periculosa, 233, 2. earum vitandum consortium 324, 1; *343, 2. mulier dona recipiens suspecta, quomodo hoc intelligendum, 258, 1. mulieres olim in domibus solebant habitare separatim, *ibid.* debent manere domi, 323, 2. mulieres quædam sanctæ cur steriles fuerint, 266, 1. mulierum parturientium quam sit gravis dolor, 107, 2. mulier quatuor in rebus viro est in adjutorium, 91, 2. quare ex viro formata, 93, 2. ejus contactus quam periculosus, 353, 1. mulier pulchra etiam est res turpis, *98, 2. mulieris castæ exemplum, *ibid.* mulierum Ægyptiarum fecunditas, 429, 1.

Muli qui Judæis vetiti, et quare, *122, 2. mulum quare Plato vocarit Aristotelem, *299, 1, 2.

Munditiam etiam externam amat Deus, *481, 2.

Mundi gloria quam sit brevis et fallax, 309, 1; 562, 2 et seqq. quam instabilis ejus felicitas, 444, 1.

Mundo (de) Philosophorum errores et hæreticorum, 42, 2 et seqq. quo anni tempore fuerit productus, 57, 1, 2. quo die, *ibid.* est musica suavissima modulatoris Dei, 75, 1. mundus totus significabatur per dispositionem castrorum Hebræorum in deserto, *199, 2. ejus pulchritudo consistit in rerum varietate, ordine, universitate; in rerum connexione; in rerum antipathia et sympathia; in rerum proportione; in optima ejus administratione, 74, 1. tum quia omnia homini serviunt, 75 quia Deus mala omnia ordinat in bonum, *ibid.* in mundo cogitandum quid sit, quomodo sit, cur sit, *ibid.* est liber divinitatis, 1, 1. ostendit numen aliquod esse suo ordine et rerum varietate, *ibid.* est quasi templum Dei, 692, 1.

Muneribus quidam quomodo corrumpi non potuerint, 385, 1 et seqq.

Murmurantes apte puniuntur serpentibus, *305, 1.

Murmuris peccatum quam sit grave, 578, 1, ejus pœna, *266, 1. congrua ejus pœna est lepra, *253, 2.

Musca hieroglyphicum impudentiæ, 504, 1.

Mustela, et mus quare animalia immunda, *69, 2. significant tropologice pauperum fraudes, *ibid.*

Mutius quidam Abbas exemplo Abraham paratus filium, ex præcepto Superioris, occidere, an peccaverit, 246, 2.

Mygale quale animal sit, *69, 2.

N.

Nantinus Comes Engolismensis misere mortuus est, *322, 1.

Narcissi Episc. Hierosolymitani falsi accusatores quas pœnas dederint, *468, 1.

Narses dux Justiniani Imp. ope Deiparæ Virg. crebro de Gothis victoriam retulit, *363, 1. ejus pietas, *470, 1.

Natatiles aves pedes habent continuos, cur, 65, 2.

Naturæ divinæ obscuritatem immensam Ægyptii significabant per tenebras, 604, 2.

Navium usus quam sit antiquus, *503, 1, 2.

Nazaræus separatum, consecratum, coronatum significat, 411, 2; *217, 2. Nazaræi quales essent, *217, 1. alii erant contemplantes, alii pœnitentes, *ibid.* alii erant perpetui, alii ad tempus, *ibid.* non poterant comedere uvas passas, *217, 1. alebant comas, et quare, *ibid.* non poterant interesse funeri patris, 2. tropologice significant continentes, et potissimum Religiosos, *217, 1. polluebantur si quis coram iis moreretur, *219, 1, 2 in fine voti offerebant omnis generis victimas, *220, 1. capilli eorum Deo cremabantur, et quare, *ibid.* Joseph sextupliciter fuit Nazaræus, et cur, *529, 2.

Necessaria, Jacobi exemplo, petenda, non superflua, 290, 2.

Nectenabus rex Ægypti corona redimitus in medio procerum, ab Æsopo comparatus est soli verno, 340, 1.

Nemrod quid significet, fuitque primus rex et tyrannus, 167, 1. fuit Belus pater Nini; 2. fuit auctor turris Babel, *ibid.*

Neomenia apud Hebræos erat prima dies mensis, non erat festum, * 354, 1, 2. in ea tubis clangebant, *ibid.* non semper incipiebat eadem hora qua novilunium, *ibid.* eam Deus in lege Moysis instituit primo ad recolendum beneficium gubernationis divinæ, * 355, 1. secundo, ut Hebræi dependerent primitias tam temporis quam frugum, *ibid.* tertio, ut initio mensis deprecarentur fausta, *ibid.* quarto, ad legem Dei pro mense sequenti audiendam, *ibid.*

Nephthali quid significet, 298, 1. symbolice est speculatio futurorum bonorum, 300, 1. de benedictione ejus, 407, 2; *532, 1. cur vocetur cervus, 407, 2. quid allegorice hæc benedictio significet, 408, 1.

Nero Imperator initio imperii mitis fuit, 739, 1.

Nervus et caro Jacob in lucta læsi quid allegorice significent, 318, 2.

Nestorii hæretici vana et arrogans jactantia, 000, 0. ejus dira mors, * 165, 1.

S. Nicolaus Myrensis Episcopus quam sancte in episcopatu vixerit, * 283, 1.

S. Nicolaus Tolentinas sex ante obitum mensibus cantum audivit angelorum, * 321, 1.

Nicomediensium Christianorum constantia in festo Natalis Domini generose mori malentium, quam thus Jovi adolere, * 10, 1.

Nili inundatio fœcundat Ægyptum, 359, 1. quando hæc fiat, 512, 1. quænam ejus causa, *ibid.* et seqq. cur fiat in æstate, *ibid.*

Ninive quam vasta fuerit civitas, 168, 2.

Nisan mensis elogia, 524, 2.

Nisibi institutæ scholæ S. Scripturæ, 10, 1.

Nobe urbs a quo nomen sortita sit, * 369, 1, 2.

Nobilitas omnis habuit ignobile principium, 349, 2. vera in virtute et justitia consistit, 135, 1; 360, 2.

Noctua est figura hæreticorum et Gentilium tenebras diligentium. * 68, 1.
Nod terra quæ fuerit, 121, 1.
Noe idem est quod quies et consolatio, 130, 2. quinque modis fuit consolator, *ibid.* per eum sublati quadruplices labores, 131, 1. fuit præco pœnitentiæ, 133, 2. an fuerit perfectior Henocho, 135, 2. an exiverit ex arca in januario, 142, 1. ejus constantia in octo tentationibus, 145, 1. quid egerit in arca, 2. post diluvium fuit continens, 159, 1. non invenit vitem, sed vinum, 2. ejus ebrietas venialis tantum fuit, 160, 1. cur solum maledicit Chanaan, non aliis filiis Cham, 161, 2. vidit Abraham, 163, 1. ejus vita et mors ex Beroso, 163, 2. interfuit fabricæ turris Babel, 173, 1.
Nomen Dei *ego sum*, multis exponitur, 457, 2 et seqq. novi nominis impositio in Scriptura quomodo fieri intelligatur, 30, 1. nomen novum solebant Hebræi imponere ab eventu : item Romani et Græci, *ibid.* et Germani, et Belgæ, 2. nomina multa habebant tam viri quam fœminæ olim, *ibid.* nomina a Deo fuere sex præclaris viris ante nativitatem imposita, 209, 1.
Novilunium apud Hebræos erat prima dies mensis, 524, 1.
Novitii Religionum sunt primitiæ Deo oblatæ, * 20, 1. de novitiis insignia documenta, 2 et seqq. eos a Religione avertere quam sit grave, 590, 1.
Nudipedes sacrificabant Judæi, 454, 2.
Numerorum liber unde dicatur, *191, 1. quænam ejus libri materia, *ibid.* quot annorum gesta contineat, 2.
Nuptiæ dicuntur a nubendo, quocirca pudicæ et verecundæ sint, 260, 1.

O.

Obdurare Deum homines impie docet Calvinus, 488, 1. hæc blasphemia rejicitur, *ibid.* et seqq. neminem Deus obdurat, *ibid.* et seqq. variis modis Deus dicitur obdurare hominem, 489, 2 et seqq. obduratos quomodo Deus tractet, 491, 2 et seqq.
Obediens verus non potest mori, 248, 2.
Obedientia perfecta debet esse indiscreta, 99, 2. sæpe est in causa, ut tentationes carnales sint in obedientibus imminutæ, 185, 2. quam debeat esse prompta, 218, 1, 2. ejus commendatio, 677, 2 et seqq. ejus exempla, 678, 1, 2. etiam apud Gentiles, 678, 2. veræ septem proprietates, obedire prompte, simpliciter, hilariter, humiliter, utiliter, indifferenter, perseveranter, 183, 2 et seqq.
Obolus veterum erat stuferus, 713, 2.
Obstetrices Hebræorum in Ægypto erant Ægyptiæ, 433, 2. an fuerint mentitæ, 435, 1. quas domos eis Deus dedit, 436, 1 et seqq.
Occidentis pars in castris Hebræorum quid significet, *200, 2.
Oculi sunt duces in amore, 351, 2. de eorum custodia documentum morale, 102, 1.
S. Odilo benedicta aqua lunaticum sanavit, *294, 2.
Odorem etiam habent mores, 475, 1.
OEconomi boni descriptio, 310, 2.
OEviandus Episcopus quam intrepide Imperatori Anastasio restiterit, *277, 2.
Officio est privandus, qui ob hoc ipsum extollitur, * 89, 1.
Olea amat solum saxosum, *517, 1.
Oleum est symbolum gratiarum et virtutum octo de causis, 290, 1. oleum quo sacerdotes Mosaici inungebantur, tria significat, 700, 2. olei lucernarum in tabernaculo descriptio, 672, 2. est symbolum misericordiæ, * 15, 2. olei inunctio quid significet in mundatione leprosi, *94, 1. olei Tiburtini præstantia, 517, 2.
Oliva quidnam significet symbolice, 149, 2.
Olympius Episcopus Arianus SS. Trinitatem blasphemans tribus ictus jaculis, tandem fulmine in balneo consumptus est *165, 1.
Omen interdum licet accipere, 257, 1. patet hoc exemplo servi Abrahæ, Gedeonis et Clodovei, *ibid.* interdum etiam est superstitiosum, uti fuit Nabuchodonosoris et Philistinorum, *ibid.* 2.
Omnipotentiæ Dei vis per contraria operatur contraria, 453, 2.
Onocrotalus qualis sit avis, et quam gulosa, * 66, 2. unde dicta, an eadem quæ pelicanus, *ibid.* cur vocetur *vomens*, *ibid.* significat pœnitentes, *ibid.*
S. Onuphrius eremita ex angelorum manibus sacram Eucharistiam percipiebat, *138, 1.
Onycha quid sit, 716, 2.
Onyx gemma in rationali significat Manassem, et S. Philippum ob morum candorem, 684, 1. ejus natura et color describitur, *ibid.* onyches in superhumerali pontificis an refulgerent dum sacrificabat, *7, 2.
Opera satisfactoria adstruuntur, *36, 2. opera omnia justorum non sunt peccata, ut impie vult Calvinus, 134, 2. opera bona post peractionem excutienda, 717, 1. quomodo tegenda sint, *453, 1. tam sunt messis quam semen, *178, 1. omnia opera nostra Deo offerenda sunt, *24, 1. operibus Dei nihil deest nisi justus eorum laudator, 75, 2.
Opes pariunt rixas et lites, etiam inter fratres et cognatos, 189, 1. 2.
Opher cum suis nomen dedit Africæ. 263, 1.
Ophitæ hæretici colebant serpentem, et cur, 106, 2.
Opiomachus est locustæ species, quid tropologice significet, *68, 1.
Opus phrygium et plumarium quod, 657, 2. opus Cherubim quod, *ibid.* opus interrasile, quod, 649, 1.
Orant Christiani capite nudo, Judæi orabant tecto : quæ sit diversitatis ratio, *86, 1.
Orationis fructus, miracula, et exempla, 710, 1 et seqq. ei insistant Religiosi potius quam actioni, *173, 1. oratione prævia semper eundum cubitum, *426, 2. quam pia hæc praxis sit, docetur exemplis, *ibid.* oratio matutina est utilissima, *427, 2. oratio ut exaudiatur, Dei voluntatem debemus facere, *508, 1, 2. orationes Sanctorum quare comparentur odoramentis, 717, 1. per eam sancti fiunt fortes et robusti, 747, 2. per eam quomodo dæmon impediatur, docetur insigni exemplo, *104, 2. quantopere valeat ad studium Scripturarum, 13, 2 et seqq. docetur idem variis exemplis, 14, 1. facit Sanctos lucidos, 747, 2. docetur hoc exemplo Sanctorum, *ibid.* ab ea non desistendum, licet in ea gratiam non sentiamus, 749, 2. ejus vis et efficacia, 317, 1.
Orbitas sequitur incestas nuptias, *131, 2.
Ordinum majorum et minorum ortus, ex ministris veteris legis, *210, 2.
Oriens in dispositione castrorum Hebræorum quid significet, *200, 2.
Orientem (ad) cur oremus, et quare eo versus altaria erigantur, 386, 2. ab Oriente quomodo dicatur recessisse Lot tendens ad Pentapolim, quæ erat in Oriente, 190, 2.
Origenis delirium circa expositionem scalæ Jacob, 285, 2. ejus error de animabus quas putabat fuisse angelos, *ibid.* a puero studuit S. Scripturæ, 10, 1.
Ortygometra quare vocentur coturnices, *248, 2.
Oryx quale sit animal, *448, 2.
Os Domini, idem in Scriptura est, quod jussum et verbum Domini, *536, 2.
Osculari quid in Scripturis significet, 360, 2.
Osiris idem est quod multioculus, 363, 2. is est Josephus, et cur, 364, 1.
S. Oswaldo Episcopo Vigorniensi celebranti officiose ministravit angelus, *210, 2.
Otho IV Imperator seipsum sua sententia damnavit, 395, 1.
Otium quantopere sit vitandum exemplis et insignibus documentis docetur, 474, 1.

Ovis fur debebat quadruplum restituere, 615, 1. ovis quatuor commoda, *ibid.* mystice significat bonum auditorem, *ibid.* ovium variegatum conceptum qua arte procurarit Jacob, 304, 1. 2. quem conceptum ipse precibus et sanctitate a Deo impetravit, 305, 1.
Oziæ de lepra, ei a Deo inflicta, et an habitaverit separatim, *86, 2.

P.

S. Pachomius e teterrimo fœtore agnovit Origenistas, 683, 1.
Pactum salis æternum, et quare, *288, 1.
Palma quid symbolice significet, 574, 2. palmarum aliæ mares, aliæ sunt feminæ : hoc tropologice moribus applicatur, 56, 1.
Pamba Abbas aurum oblatum respuit, *313, 1, 2.
Panes primitiarum in Pentecoste Deo debebant offerri, *153, 2. idque a singulis familiis, *ibid.* quanti ponderis debebant esse in panes, *154, 2. de victimis cum iis offerendis, *271, 1. panum primitiæ Deo debitæ, *ibid.* hanc consuetudinem adhuc hodie Judæi, et quædam matronæ piæ sequuntur, *ibid.*
Panes propositionis quales fuerint, 650, 1; *161, 1. conficiebant eos Levitæ, *161, 1. cur essent numero duodecim, *ibid.* imponebatur eis thus et sal, *ibid.* singulis sabbatis renovabantur, erant azymi, et quisque ponderabat duas decimas, bini et bini sibi invicem imponebantur, 2. offerebantur ex publico, et cum iis offerebatur vinum, *ibid.* tropologice significant opera misericordiæ, *162, 1. allegorice designant Eucharistiam, 2. oblati etiam fuere in schismate Jeroboam, *163, 2. comedebantur a solis masculis, iisque filiis sacerdotum, *ibid.* an fuerint sacrificia, *ibid.*
Panis vocatur in Scripturis baculus, et quare, *179, 1. panem frangere quid sit, 365, 1.
Pantheon templum Romæ erat rotundum, *125, 2.
Papinianus Jurisconsultus celebris maluit mori, quam parricidium Caracallæ Imperatoris approbare, 352, 2.
Pappolus Episcopus Lingonensis indigne vivens, quas pœnas dederit, *140, 1.
Papyrus est arbor ex qua charta fieri solet, 440, 2.
Paradisus unde dicatur, 82, 1. in qua terræ regione fuerit *ibid.* et seqq. an in eo fuerint soli homines, an etiam animalia, 84, 2, an adhuc supersit, *ibid.* et seqq. quid tropologice significet, 85, 1. quid allegorice, 2. ibi nihil hominem lædere, aut corrumpere potuisset, 86, 1. *Vide* Arbor. in paradiso generatio quomodo fuisset, 95, 1.
Paranymphus regis quis sit, 273, 2.
Parasceve unde dicta, 577, 1.
Parentes quomodo honorandi docetur exemplis, 388, 1. *481, 1. eos honorantibus novem bona promissa, 162, 1. parentes male instituentes liberos suos offerunt eos Moloch idolo, id est, dæmoni, *118, 1. non debent nimis spem suam in filiis collocare, 371, 1. cur filios in senectute genitos soleant impensius diligere, 338, 1. debent omnes æqualiter alere et diligere, 2. eorum in filios maledictio et benedictio quam sit efficax, 281, 2 et seq. iis illicita petentibus non est parendum, *61, 2. potius laborent ut filios pios quam ut opulentos relinquant, 328, 1; 389, 2. quadruplex iis honor debitus, *418, 1. pietatis in eos exhibitæ insigne exemplum, *ibid.*
Partus B. Virginis fuit purissimus sine sorde et fluxu sanguinis, *74, 1.
Pascere debemus spiritualiter tres greges, 450, 1.
Pascha quare Christiani celebrent die Dominica, 527, 2. pascha singulis annis a Judæis celebratum quid significet, 533, 2. in nocte paschatis idola Ægypti contrita fuerunt, 534, 1. pascha quid sit, unde dicatur, et qualis sit vox, 533, 1 seqq. triplex paschatis transitus, *ibid.* quid pascha vox ad litteram significet, 533, 1, 2. quam sit celebre festum apud Christianos, *148, 2. quo tempore sit celebrandum Deus multis miraculis confirmavit, *ibid.* et seqq. magnis id privilegiis ab Imp. dotatum, *149, 1. ejus celebratio translata in Dominicam per Apostolos, *153, 1.
Paschalis Vivas Missam audiens visus est in prælio fortiter pugnare, 706, 2.
Pastores animarum quales debeant esse, docetur ex virga Aaron florente, *282, 2 seq. sint valde addicti mortificationi corporis, et insignia hac de re adferuntur exempla, *283, 1 et seqq. quam debeant esse misericordes, *49, 1.
Pastoribus in quo loco angeli apparuerint in nocte nativitatis, 331, 2. pastores ovium quare Ægyptii detestentur, 382, 2.
Pastoritia ars est præludium regni, 449, 1.
Pater familias quomodo familiæ curam in rebus spiritualibus debeat gerere, 471, 1. officium ejus est docere domesticos, *205, 1. quam debeat vigilare pro suis, 310, 1, 2.
Patiens (qui), potens est, 744, 1.
Patientia in adversis est mater castitatis, 343, 2. ea in morbis habenda, 277, 1, 2. ejus symbolum est pellis, *44, 1. ea propria sacerdotum virtus est, *ibid.* de patientia Sanctorum in adversis exempla varia, 577, 1 et seqq. de patientia in adversis varia documenta, 446, 2 et seqq. patientiæ primus fructus est pax et reconciliatio cum proximis, 447, 2. secundus dilectio, sive charitas, 448, 1 tertius, quod suggerat pietatis exercitia, 448, 1. hac de re exempla, *ibid.* quartus, quod reliquas virtutes pariat, 2. patientiæ imago ad vivum depicta, *ibid.*
Patria (pro) se devoventium Gentilium exempla, 731, 2.
Patriarchæ 12 filii Jacob significant 12 Apostolos, 295, 1, 2.
S. Paulæ devotio erga Bethlehem, 331, 1. ornamenta sua mundana obtulit templis, 755, 1. ejus elogium et mors, 663, 1.
S. Paulinus filii viduæ redimendi ergo se in servum vendi passus est, 432, 2. ejus paupertas, *289, 1.
S. Paulus Simplex eremita merito obedientiæ multa edidit miracula, 678, 2. impune tractabat serpentes, *305, 1.
S. Paulus comparatur Benjamino, 373, 1. ejus charitas erga proximum quam esset vehemens, *122, 1. fuit oriundus ex tribu Benjamin, 412, 2. pluribus ostenditur ejus et Benjamini analogia, *ibid.*
Paupertas uberrima terra est, 272, 2.
Pauperum oppressio est peccatum in clamans in calum, 456, 2. iis ex lege Moysis debebat relinqui spicilegium, et racematio, *120, 2. earum quantam curam Deus gerat, docetur exemplo Comitissæ Hollandiæ, *487, 2. pauperes quomodo essent apud Judæos, *451, 1. eorum quanta sit cura gerenda docetur exemplis Sanctorum, *452, 1 et seqq. pauperes etiam dare eleemosynam possunt et quomodo, *79, 1.
Peccatum est toxicum, et quare, *505, 1. est mel mox in fel convertendum, *18, 2. est cadaver, pestis et vomitus *133, 2; *296, 1. ejus quinque effectus, 104, 1. peccata materialia etiam Deus punit, 236, 1, 2. peccata populi quomodo dicantur sacerdotes comedere, *41, 1. peccatum et delictum quomodo differant, *43, 2. peccatum quomodo in Scriptura accipiatur, 28, 2. a peccatis per tria vincula debemus retrahi : per reverentiam Dei ubique præsentis, memoriam beneficiorum Dei, et timorem judicii divini, 352, 2. peccatum originale non est tetra substantia, 134, 2. peccatum dissolvit harmoniam totius universi, 135, 1. est lepra, *83, 2. id quantopere Sancti quidam detestati sint, *ibid.* est ulcus, *85, 1. ejus confessio quam sit utilis, 375, 2. ejus fores pœna obsidet quasi cerberus, 116, 1. est tyrannus, *ibid.* ejus quam brevis sit voluptas, et

quam cito interdum punitio sequatur, 510, 2. ipsum per quatuor aggravatur, 120, 1. sunt peccata quatuor in cælum clamantia, 119, 1. peccata venialia Deus subinde punit morte, *56, 1. peccata reddunt hominem similem bestiis, *71, 1. polluunt terram, *118, 2. iis immorantium quanta cæcitas, 724, 1. peccata quæ Deus maxime in hac vita puniat, 205, 1, 2. peccata sequentia pœnæ sunt interdum peccatorum præcedentium, *ibid.* peccatorum mensura, *ibid.* peccata patrum Deus punit in filios innocentes et nocentes, *413, 2. peccatorum mensuram plenam exspectat, *414, 1.

Peccatores quam sint miseri servi, 625, 2. eorum lectus quis, et qualis, *402, 1. duplicem personam sustinent, 34, 1. eos devorat terra. 569, 1. in quo sint similes Esau, 269, 2.

Pecuniam omnem detestati semper sunt viri sancti, *313, 1, 2.

Pedum lotio quid mystice significet, 455, 2; 715, 2.

Pelagius Asturum princeps crebras de Gothis ope B. Virginis victorias retulit, *362, 1.

Pele mirabile Hebræis est, 504, 2.

Pella urbs Christianis fuit locus refugii a clade Hierosolymitana, 504, 1.

Pelopidas quam esset ad calumnias fortis, *121, 1.

Pentateuchi nomen, argumentum, auctor quis, 27, 1, ubi scriptus, 2.

Pentecoste apud Judæos quando celebraretur, 600, 1, 2. est festum datæ legis, *ibid.* fuit celebre apud Judæos, *150, 2. ejus dies 50 unde numerarentur, *ibid.* alio tempore id celebrant Judæi, alio Christiani, *ibid.* et seqq. prima Christianorum pentecoste incidit in Dominicam, *151. 1. ejus mentionem facit Lucas in Actis, 2. in ea descendit Spiritus Sanctus, non in Judæorum, *151, 1. coli cœpta est mox post Christum, *152, 1, 2. hoc festum duplici de causa apud Judæos institutum, *153, 1. offerebantur in eo panes primitiarum, *153, 2. allegorice pentecoste Hebræorum significabat pentecosten Christianorum, *155, 1, 2. tropologice perfectam pœnitentiam et remissionem peccatorum, *ibid.* anagogice requiem Sanctorum, *ibid.*

Peregrini hic sunt omnes justi, 184, 1, 2.

Peregrinus quis Judæis diceretur, *382, 1.

Perfectionem (ad) Christianam media novem, 213, 1. ejus compendium, *466, 1.

Perfectis accommodantur omnes proprietates altaris thymiamatis, 709, 2 et seq.

Perfidia a Deo vindicatur, id probatur exemplis, 326, 1.

Pericles amico falsum testimonium exigenti parere noluit, 619, 1, 2.

Periculum præsens magis percellit quam futurum, 466, 2.

Perjurii et perfidiæ detestatio, 326, 1. quomodo semper punitum fuerit, multis exèmplis docetur, *ibid.*; *415, 2.

S. Perpetuæ visio de scala gladiata in cœlum usque ducente, 286, 2.

Persarum veterum in victu sobrietas, 160, 2 et seq. matribus et filiabus commiscebantur, *114, 2.

Perseverantia significatur per caudam ovis quæ Deo adolebatur, *23, 1.

Personarum in divinis est distinctio, 231, 1.

Personarum acceptio in judicibus et superioribus quam sit detestabilis, *396, 1. exempla non accipientium personas, *ibid.* et seq.

Pes aliquando capitur pro calceo, *433, 2.

Pestis unde habeat ortum, et quid sit, 507, 1. quosnam potissimum invadat, *ibid.* ejus remedia, *ibid.*

S. Petri Abbatis Claravallensis in oculi amissione patientia, 278, 1.

S. Petrus gestavit triplicem coronam, 696, 1.

Phaetontis incendium quando contigerit, 444, 2.

Pharao rex Ægypti tempore Abraham quibus plagis affectus fuerit ob raptam Saram, 186, 1.

Pharao vox unde dicatur, 432, 1. Pharao prohibens Israelitis dari paleas, quid symbolice significet, 473, 2. quomodo se indurarit, 488, 1. ejus currus mystici qui, 556, 2 et seqq. ejus impietas jubentis masculos Hebræorum submergi, 434, 1. cur hoc jusserit, *ibid.* significat in eo diabolum, *ibid.* eum cur Deus regem constituerit, 510, 1. cur eum tam diu sustinuerit, *ibid.* Pharao ignorans Joseph tropologice quid significet, 436, 2. quid allegorice, 437, 2. quis et qualis fuerit Pharao qui Hebræos afflixit in Ægypto, 429, 1 et seq. allegorice significat diabolum, 2. Pharaonis epitaphium, 563, 1.

Phares quid significet, 349, 1. habitus fuit primogenitus Judæ, habuitque jura primogenitorum præ Sela, *ibid.*

Phase non fuit celebratum in deserto post egressum ex Sina, *230, 1. debebat illud manducare etiam is, qui voverat abstinentiam a carnibus, 2. non poterant id immundi comedere, *ibid.* sed debebant differre in secundum mensem, *ibid.* quid faciendum, si adhuc secundo mense erant immundi, *231, 1 *Vide* Pascha.

Phialæ tabernaculi describuntur, 649, 1. mystice sunt concionatores, 2 et seq.

Philippi II Hispaniarum regis morientis monita ad filium, *511, 2.

Philosophi Christiani effigies, 695, 1.

Philosophia et Physica quomodo Scripturæ sint adaptandæ, 28, 1.

Philosophorum quorumdam crassi errores, 5, 1 et seq. eorum errores circa mundi creationem, 42, 2. eorum de Deo sententiæ, 478, 1. loquaces philosophi similes sunt ranis, 501, 2.

Phinees zelus, *340, 2. ipse est zeli et rectitudinis exemplar, *341, 1. meruit ob eum perpetuum pontificatum, 2. paradoxum est hunc Phinees fuisse Eliam, *342, 1 et seq. de ejus successione, 2.

Phison quis fluvius, 83, 2.

Phocas Imperator quæ anathemata Deo velut primitias victoriæ obtulerit, *365, 1. asyli jure gaudere volentes pacifice educi templo passus est, *385, 1.

Phocion quam generose munera respuerit, 381, 2; *313, 1. displicuerunt ei mores Atheniensium, *242, 1.

Phœnicia ad sortem Judæorum pertinuit, sed Salomon ei Hiram regem Tyri dominari permisit, *377, 1; 407, 2.

Phœnix an unica tantum avis existat, 64, 2. non est vera avis, sed fabulosa, non est nisi sol, 140, 2.

Phylacteria Pharisæorum qualia erant, 547, 2.

Pigmenii cæci Romani presbyteri generosum ad Julianum Imperatorem responsum, 278, 1.

Pignore (de) quid lex Mosis statuat, 617, 2. quid hæc lex tropologice significet, *ibid.* pro pignore superiorem et inferiorem molam accipere, quomodo Deus vetuerit, *486, 2. quid hoc tropologice significet, *ibid.*

Pii II Pontificis modestia, studia, continentia, *283, 2.

Pisces cur non sacrificati fuerint, *4, 2. sunt animalia innocentia, *ibid.* sunt animalia valde imperfecta, *ibid.* sunt fecundi et quare, 428, 2. quinam mundi, et liciti ad comedendum lege Moysis, *63, 2 et seq. quid tropologice significent squamæ piscium, et pinnulæ, *64, 1 piscium diversa natura describitur, 63, 2. eorum mores moribus hominum accommodantur, *ibid.*

Pius V quid de Pontificatu censeret, *244, 1.

Placilla Imperatrix in pauperes fuit munifica, *452, 2.

Plagiarii quales sint, *486, 2.

Plagii pœna erat mors, 612, 1, 2.

Plantarum miracula, 55, 2 et seq.

Platonis errores octo, 5, 1. a Mose ideas suas est mutuatus, 653, 1. dictus Moses Atticus, 648, 1. ejus epitaphium, 598, 2.

Platonis Abbatis vis et efficacia in dicendo et persuadendo, 693, 1.

S. Plegilus sacrificans vidit Christum instar pueri in hostia, *53, 2.

Plutarchi commentum, Levitas dici a Lysio, id est Baccho, *203, 2.
Pœnarum genera quæ essent Romanis, *132, 2.
Pœnitentes Deo interdum sunt gratiores post culpam, quam ante, et hac de re exemplum, 683, 2 et seq. pœnitentium variorum exempla, *30, 1, 2.
Pœnitentia congrua et singularis perfectorum quænam sit, *75, 1. significatur tropologice per chrysolithum, 683, 2. pœnitentia et compunctio significatur per hostiam pro peccato, *30, 1. insignes sententiæ de ejus efficacia, *ibid.* item ejus exempla, 2. qualem pœnitentiam agnoscant moderni hæretici, *22, 2. Sacramenti pœnitentiæ typus in veteri Testamento, *18, 2. pœnitentiæ varii modi significantur per sacrificium ovis, turturis et columbæ, *33, 1. pœnitentiæ mortificatio significatur per altare holocaustorum, 665, 2. ad eam adhortatio, 666, 1. ejus fructus, 2. significatur per labrum Moysis, 714, 2. in hac lavare debent pedes suos sacerdotes nostri sacrificaturi, 715, 1.
Poetæ impuri sunt velut ranæ, 502, 2.
Polemonis Eremitæ in doloribus splenis patientia, 277, 2.
Polionymi olim erant viri et feminæ, 30, 2.
Pollutionis nocturnæ causæ, *96, 1.
Poloni ob negatas decimas penuria affliguntur, *291, 1.
S. Polycarpi in martyrio constantia, *10, 1.
Polycratis Samiorum tyranni continua felicitas, 300, 1.
Polygamia quomodo olim a Deo permissa, 208, 1.
Pontifex veterum Romanorum orationem funebrem habens vultum avertebat a funere, *136, 1.
Pontificatum Romanum multi fugerunt Pontifices, *244, 1.
Pontifici Romano debitæ sunt decimæ, *289, 2. earum loco accipit annatas, *ibid.* recte se vocat servum servorum Dei, 162, 2. in pectore gestat adamantem, 680, 2. ejus auctoritas infallibilis ad universalis Ecclesiæ administrationem, 690, 1.
Pontificis Judaici erant octo vestes, *48, 1. quid eæ significarint, *ibid.* differebat pontifex ab aliis sacerdotibus quinque prærogativis, 2. an gestarit adamantem qui subinde fulgebat, subinde obscurus evadebat et sanguineus, 680, 2. de ejus unctione, *48, 2. hæc unctio significat, in Ecclesiastica hierarchia esse ordinem, *ibid.* monebat pontificem quam aliis charitate et virtutibus debebat antecellere, *49, 1. mystice quid hæc significarit, *48, 2. durabat hæc per septem dies, et quare, *49, 2. erant in ejus veste talari malogranata et tintinnabula, 691, 2. erat ipse judex legalium controversiarum, *458, 2. item in dubiis juris, non autem in dubiis facti, aut mere civilibus, *459, 1. ex scientia legis judicabat, *ibid.* ejus judicium erat idem, quod judicis, *460, 1. non poterat lugere parentes defunctos, *136, 1. idipsum Gentiles imitati sunt, quod docetur exemplis, *ibid.* quid hoc allegorice significet, *ibid.* debebat ducere uxorem virginem, 2. quibus de causis, *ibid.* quid hoc tropologice significet, *ibid.* quid allegorice, *ibid.* non autem ex tribu sacerdotali, sed nobilem, *137, 1. ex sententia Augustini nunquam bibebat vinum, *58, 2. ejus opes, honor, potentia, *342, 2. ejus peccatum æquatur peccato totius populi, *27, 1.
Popielus Poloniæ rex a muribus comestus est, *474, 1.
Porcum Hierosolymæ insculpsit Imperator Hadrianus, *63, 2. Romani eum in vexillis præferebant, *ibid.* Judæis is erat exosus, *ibid.* porcus est symbolum hominum profanorum et veritatem spernentium, *ibid.*
Porphyrio qualis sit avis, *66, 1. quare sit immunda, *67, 1 prodit adulterium, *ibid.*
Possessio non alienanda quid mystice significet, *388, 2.
Possibilitas omnis creaturæ et hominis provenit immediate a Deo, 459, 2.
Posteriora Dei quid sint allegorice, quid tropologice, quid symbolice, 740, 2 et seq.
Præcepta judicialia quæ sint, 609, 1. quædam etiam inter ea erant moralia, *ibid.* præcepta cæremonialia quæ sint, *ibid.*
Præcepta decalogi exponuntur, *410, 1. quomodo primo ejus præcepto vetetur sculptile, et an sculptilium vetatio ad primum, an ad secundum pertineat, 2. sculptile in hoc præcepto continet etiam fusile, ductile, conflatile, tornatile, *2. sculptile est idolum, *ibid.* eo non vetatur imaginum usus contra Calvinum et Abulensem, *411, 1. sine Dei injuria fiunt imagines, *ibid.* hoc præceptum est tantum naturale, *412, 1. substantia et finis præcepti primi, *413, 1. quare se in eo Deus vocet zelotem, 2. secundum præceptum exponitur, *414, 2. et seq. moralis hujus præcepti exaggeratio, *415, 1. explicatio tertii præcepti, 2. lex sabbati an sit partim naturalis, partim cæremonialis, *ibid.* contra hoc præceptum quinam fideles peccent, *417, 2. quomodo festa violantes a Deo puniantur, *ibid.* quænam opera sabbato prohibita, *ibid.* quartum præceptum exponitur, 418. de promissione huic præcepto addita, *418, 2. quintum et sextum explicantur, *419, 1. septimo vetatur usurpatio rei alienæ, *ibid.* octavo prohibetur omnis linguæ abusus, 2. nono concupiscentia uxoris alienæ, *ibid.* decimo rei alienæ cujuscumque, *420, 1. tropologice decem præceptis decem vitia superantur, 2.
Præda hosti excussa cui cedat, 199, 2.
Prædestinatio et reprobatio significatur per sacrificium duorum hircorum, *103, 2 et seq.
Prædicatores sunt angeli, 287, 2. *Vide* Concionator, Doctor, Sacerdos, Prælatus.
Prælatorum est alios portare, et ferre, *244, 1. intrepide etiam coram magnis debent dicere veritatem, *277, 1. hac de re insignia exempla, *ibid.* et seq. quam vigilantes debeant esse, 310, 2. suos amicos et nepotes de bonis Ecclesiæ non ditent, 385, 1. *Vide* Pastor, Princeps.
Præputia arborum quæ vetita Judæis, *124, 1.
Primitiæ a decimis distinguuntur dupliciter, *287, 1. eas quadruplices solvebant Judæi, *ibid.* Deo dandæ et quare, 617, quarum frugum sibi Deus primitias voluerit offerri, *19, 2. significant hæ Christum resurgentem, *20, 1. primitiæ sacrificii Nadab et Abiu, *55, 1.
Primogenita animalium Deo offerenda debebant esse septem dierum ad minus, 618, 1. quid hoc anagogice significet, *ibid.* cur ea sibi Deus jusserit offerri, 546, 1. tropologice quando Deo primogenita offeramus, 2. ea sunt Dei triplici titulo, 547. quæ primogenita ei essent offerenda, 548, 1.
Primogeniti Ægyptiorum cæsi significant diabolum, et angelos ejus, etiam hostes fidelium, 521, 2.
Primogenitus habebat olim octo prærogativas, 392, 2. ejus olim jus erat quadruplex, 268, 2. erat princeps fratrum, *ibid.* in hæreditate habebat duplum, *ibid.* erat sacerdos familiæ, *ibid.* pater moriens ei peculiariter benedicebat, *ibid.*
Principum morti vicinorum insignia monita, *511, 2. princeps sit lapis et fundamentum populi, 410, 2. debet esse sol, 340, 1. quam vigilans debeat esse, 310, 2. pro delictis principum quare Deus speciale sacrificium instituerit, *28, 2. eorum quinque dotes et virtutes, 593, 1. partiantur cum aliis onus, 2. cum Moyse sæpe Deum debent consulere, *226, 1. principum avarorum symbolum sunt gryphes, eorum exempla, *65, 1. eorum impiorum consilia quomodo Deus soleat dissipare, *324, 2. eorum favor quam sit fragilis, et quam ei parum fidendum, 430, 1. eis non detrahendum, 617, 2. olim solebant vocari patres, 320, 1. quam parva tributa suis debeant imponere, 713, 1. eos maxime decet clementia, 738, 2. ejus rei exempla, 416, 2 et seq. princeps unus insignis quam multa interdum possit, 484, 2; 593, 2. princeps qualis debeat esse docetur ex rubo, 454, 1; 594, 2.
Prior Abbas quam esset oculorum continens, *22, 1.
S. Probus Episcopus Reatinus quam sancte sit mortuus, *321, 2.

S. Proculi Episcopi sanctitas : recreatur visione angelorum, *210, 2.
Promissa Dei sæpe implentur in posteris, 29, 2; *332, 1. promissum solet homo negare quatuor de causis, *324, 1. quæ in Deo non habent locum, *ibid.*
Propheta quis specialiter per Moysem promittatur, *465, 1 et seq. Prophetis Deus tripliciter est locutus, 182, 2. Prophetæ vocantur cantores, *247, 1.
Prophetiæ species quintuplex, *253, 1. interdum complectitur typum et antitypum, 32, 1, 2.
Propitiatorio (ex) an Deus fuerit locutus per se in assumpto corpore, an vero per angelum, *102, 1, 2. erat id quasi arcæ operculum, 639, 2. erat ex auro, *ibid.* erat placatorium, et oraculum, et quasi sedes Dei, 640, 1. an fuerit alte elevatum supra arcam, *ibid.* tropologice significat Christum, et quomodo, 2.
Proselyti anno septimo non liberabantur suis debitis, sed Judæi soli, *451, 1.
Providentia Dei erga suos, et obedientes, 281, 1. quam mirabilis ea sit, 368, 1.
Prudentia viget in frigore, 305, 2.
Pruina dicta a perurendo, 310, 1, 2.
Ptolemæus Soter fuit ab aquila enutritus, 597, 2.
Ptolemæus Evergetes Ægypti rex unde sic dictus, *225, 2.
Publius monachus oratione diabolum stitit a Juliano Apostata emissum, 711, 1; *104, 2.
Puer in Scriptura passim pro discipulo et famulo capitur, 735, 1.
Puerpera quo ritu purificabatur in lege Mosis, *79, 2. *Vide* Purificatio.
Pulcheriæ Augustæ pietas et donaria, 755, 1.
Pulchritudo flos bonitatis est, 439, 1, 2.
Pulmentum et pultes quid sint, unde fiant, erant priscorum cibus, etiam Latinorum, 268, 2.
Puniat quam severe Deus peccata, *413, 2.
Purgatorii ignis significabatur per flammeum gladium ante paradisum, 112, 1.
Purificationis lex quibus feminis lata in lege Moysis, *73, 1. ab hac fuit immunis B. Virgo, 2 et seqq. non obligat jam Christianos, *74, 1. purificatio significat pœnitentiam, 2. purificationis dies cur in partu masculi erant 40, in partu feminæ duplicabantur, *76, 2. quid hoc tropologice significet, *77, 1. de sacrificio in purificatione oblato, 2.
Purpura quid sit, est color regius, 633, 2.
Pusillanimitas describitur, *243, 2.
Putei ab Isaac tres effossi, 273, 1. de eorum nomine, *ibid.* quid hi tres putei mystice significent, 274, 2.
Putiphar duplex in Genesi describitur : sacerdos unus, alter princeps militiæ Pharaonicæ, 362, 1, 2.
Pygargus quale sit animal, *448, 2.
Pythagoræ symbola quæ sint, 31, 1. quoties transanimatus, 5, 1.

Q.

Quadragesimæ jejunium vocatur statio, unde, 631, 1. ipsa est anniversaria decima, *ibid.* exempla antiquorum Patrum pristini rigoris jejunandi in Quadragesima, 2 et seqq. quadragesimas duas tantum Moses in monte jejunavit, *436, 2. quadragesimus numerus est mysticus, 632, 1.
Quadragesimalis jejunii præcepti antiquitas, 746, 2; 631, 1. in ultima septimana Quadragesimæ quam pii et devoti olim erant Christiani, 531, 1.
Quadrupedum variorum natura prodigiosa, 67, 1, 2.
S. Quintinianus Episcopus per aquam benedictam febrim dispulit, *294, 1.

R.

Rachel fugiens, quare patris sui idola furata fuerit, 308, 2. cur sepulta in Bethlehem, non in Hebron, 388, 2. quomodo mortua dicatur Josephum adorasse, 382, 2.
Ramesses qualis urbs fuerit Ægypti, 432, 1, 2. quid moraliter significet ex etymo, *ibid.*
Raphaim qui, et unde dicti, 194, 2; *399, 1.
Rationale unde dicatur, 679, 1. unde vocetur judicii, 2. quid tropologice significet, *ibid.* XII gemmæ rationalis quid significent, 2 et seqq. in rationali fulgebant gemmæ dum sacrificabatur, *7, 2.
Rebecca fuit speculum virginum octo de causis, 257, 2. ejus verecundia, 260, 1. repræsentat Ecclesiam a gentilismo a Christo ad connubium vocatam, 259, 1. mittens Jacob in Mesopotamiam fuit figura Dei Patris mittentis Filium in terram, 283, 2. decem de causis fuit typus animæ et Ecclesiæ, 261, 2. passa est in utero collisionem et luctam Jacob et Esau, 266, 1. qualis hæc lucta fuerit, *ibid.* de hac lucta quo iverit Rebecca ad consulendum Dominum, 2. ejus constantia in fide, 278, 2. ejus prudens consilium in ablegando Jacob, 283, 1.
Rector populi, exemplo Mosis, debet miscere severitatem cum misericordia, 728, 1, 2. debet esse angelus inter homines, 22, 2.
Redemptio humani generis, quomodo a Prophetis significetur, 33, 2.
Reges quinam studio Scripturæ dediti fuerint, 21, 2. eorum olim quatuor erant insignia, 361, 1. eorum est potissimam habere curam veræ religionis, *461, 1. docetur id exemplis, 2. non debent insolescere, nec superbire, id docetur exemplis Gentilium, *462, 2. regum piorum exempla et virtutes, 1. *Vide* Princeps, Rector.
Reginæ variæ cilicia gestarunt, 342, 1.
Regnum quam sit res plena periculis, docetur exemplis, *243, 2 et seqq. regni et regalis potentiæ quanta vanitas, 563, 1. regnorum sollicitas in quo sita sit, *461, 1, 2.
Religio vera est basis regnorum, *ibid.* et seq.
Religio est secundus baptismus, ac martyrium, *219, 2. est paradisus, 85, 1, 2. est significata per scalam Jacob, 288, 1, 2.
Religiosorum in novitiatu tentatio unde oriatur, 550, 1. nunquam debent ire soli, 467, 1. propter sua vota sunt tropologice significati in lege Mosis, *184, 1. significantur per Nazaræos legis Mosis, *218, 1 et seq. quia sunt separati, debent abstinere ab ebrietate, *ibid.* debent fugere omnes occasiones gulæ, et etiam defectus minimos, 2. debent deponere omnes carnales affectus erga parentes, *ibid.* debent esse remotissimi ab omni peccato, *ibid.* debent habere sanctas cogitationes, *ibid.* si turpes occurrant, eas statim amputent, *ibid.* si in aliquod peccatum inciderint, resurgant novo conatu, *ibid.* debent esse valde perfecti, *219, 1. sunt holocausta, *ibid.* verorum Religiosorum munia, *219, 2. quietem et secessum captent, et magis orationi quam actioni insistant, *174, 2.
Repudiata alteri nubens, nunquam ad primo repudiantem poterat redire, *486, 1.
Repudii causæ libelli in veteri lege, *484, 1, 2. an is solverit vinculum matrimonii, *485, 1. qualis fuerit forma ejus, 2. qualis ejus forma apud Romanos, *ibid.* quænam causæ ejus conscribendi, *486, 1. jus repudii in novo Testamento rejecit Christus, *ibid.*
Resina quid sit, 341, 1; 371, 2.
Respublicas conservant tam præmia quam pœnæ, *178, 2. idem docetur apophthegmatibus, *ibid.* et seq. quænam respublica sit optima, *405, 2.
Restitutionem in veteri lege quomodo Deus fieri præceperit, *34, 2.
Resurrectio ad vitam æternam significatur per jubileum et sabbatum, et annum sabbaticum, *170, 2.
Rhinoceros quale sit animal, *325, 1. unde dicatur, *ibid.* quænam symbolice significet, *ibid.* primus eum Romæ in arenam produxit Domitianus, et cur nummum

cudi **jusserit cum effigie rhinocerotis**, *ibid.* duo habet **cornua**, *529, 2 et seq.
Rhodii a quo orti ferantur, 166, 1.
Rhombo conferuntur Hebræorum gyri in deserto, *367, 2.
S. Richardus Cicestrensis Episc. consanguineos suos ad beneficia Ecclesiastica admittere noluit, *352, 2.
Roberti regis Siciliæ amor erga litteras, 21, 2.
Roma quando condita, *337, 2. ejus magnificentia et potestas, *ibid*, 2.
Romani quinam Judæos subegerint, et a quibus ipsi subacti, *337, 1, 2. eorum infamia connubia, *114, 2. in adulteros graviter animadverterunt, 348, 1. nomina dabant ab eventu, 30, 1, fuere prisci Romani dediti agriculturæ, 159, 1.
S. Romanus Martyr parci sibi in tormentis noluit ob nobilitatem generis, 133, 1.
S. Romualdi conversionis quæ fuerit occasio, *382, 2. ejus visio de scala in cœlum extensa, 288, 2.
S. Romulæ felix exitus e vita, *321, 1.
Romulus Romanorum rex discerptus a senatoribus creditus est raptus in cœlum, *537, 1.
Rosa spinis conjuncta quid tropologice significet, 108, 2.
Rotunda coma Gentiles usi, *125, 2. rotunda figura ostenditur delectatos Gentium deos, *ibid.* rotundi sunt cœli, *ibid.*
Ruben quid significet, 295, 1. symbolice significat timorem Dei, 299, 2. de ejus benedictione, 391, 1. ab eo fuit ablata primogenitura, et quare, 2 et seqq. quid allegorice significet et tropologice, 393, 1.
Rubenitæ jubentur præire ad prælium, et quare, *368, 1.
Rubus ardens et non combustus quid ad litteram significet, 452, 2 et seqq. quid allegorice et tropologice, *ibid.* et seqq. quid anagogice, 454, 1. quid simbolice, *ibid.* quomodo dictus ardere cum esset integer, et non combureretur, 452, 1. Verbum Dei in rubo est Christus in cruce, 453, 1.
Ruc avis magnitudinis immensæ in India, *65, 1.
Rudolphi I Imperatoris lenitas post duriores mores, 416, 1; 739, 1.
Rudolphus Austrius ad Dei tribunal citatus intra annum mortuus est eodem die, 156, 1.
Ruminare est symbolum erudentiæ, *61, 2.

S.

Saba vir fuit duplex, 166, 2.
Sabbatum servantibus Deus adauget lucra et fruges, *172, 1. ejus religiose servandi restitutio et innovatio est in manna collectione facta, 582, 2. ejus violati pœna, erat mors, 720, 1. erat primum festum Judæorum, *148, 1. non licebat in eo coquere, nec accendere ignem, *ibid.*; *417, 1; 749, 1. apud Judæos quanto rigore servandum, 749, 1. ejus sanctificatio, 78, 2. fuit Adæ indictum in lege naturæ, *ibid.* ejus Sacramenta et significata allegorica, tropologica, anagogica, *415, 2. origo sabbati juxta Gentiles, *416, ejus quatuor causæ et origines, *416, 1. ejus causa symbolica, *ibid.* de causa arithmetica et physica, *ibid.* quam rationabiliter apud Christianos in diem Dominicam mutatum sit, *417, 1. capitur pro quolibet festo, imo pro hebdomada tota, *ibid.* id colentium fructus et præmia, 2. quænam opera in eo vetita, *ibid.* id Judæi superstitiose colebant, *418, 1.
Sacerdotale regnum quid sit, 599, 1. cur Moyses illud promittat Judæis, et Apostolus Petrus Christianis, *ibid.*
Sacerdotes veteres sacrificaturi quomodo se præparabant, et quid ex eo discant sacerdotes novæ legis, 12, 1 et seqq. eorum donum, sive quasi stipendium a Deo datum, erant victimæ legales, *286, 2. item victimæ spontaneæ, *ibid.* et primitiæ frugum, *287, 1. item oblata ex voto, et primogenita animalium, 2. eorum officia erant quatuor, *160, 1; *204, 1. iis inhibitus fuit luctus mortuorum, *133, 2. tropologice id significat sacerdotem debere fugere peccata, *134, 1. eisdem inhibita rasio capitis, *ibid.* quid hoc tropologice significet, 2. ministrabant nudis pedibus in tabernaculo, 715, 1; 454, 2. qua de causa, 715, 1. Gentilium sacerdotes idem fecerunt, *ibid.*; 454, 2. sacerdotes novæ legis quare non celebrent nudis pedibus, 715, 2. eorum quatuor vestes, 697, 1. eorumdem tria munia communia cum summo sacerdote, *ibid.* eorum femoralia quid significaverint, *ibid.* eorum unctio, 701, 1. quo ritu consecrati fuerint, 702, 1, 2. eorum manus inungebantur, summo vero sacerdoti erat peculiare inungere pedem, et quid hæc significent, 701. in prima eorum consecratione oblatum fuit omne genus sacrificiorum, 702, 2 et seq. unctio eorum quid significet, 700. sacerdos minor consecrabat pontificem, 704, 2. in consecratione eorum cæremoniæ quatuor servabantur, 705, 2. quibus de causis Deus eos noluerit habere agros, *288, 1, 2. erant judices in causis etiam criminalibus, *458, 1.
Sacerdotis summi vestiendi ritus, 675, 1. ejus vestium causa, *ibid.* prima ejus vestis ephod. 676 secunda erat rationale, 679, 1. describitur hoc, *ibid.* et seq. tertia vestis erat tunica hyacinthina, et ejus descriptio, 675, 2; 691, 1. quarta ejus vestis erat tunica linea, 694, 1. ejus descriptio, 2. quinta vestis erat zona, quæ erat duplex, ejusque descriptio, 1. sexta ejus vestis erat tiara, 695, 2. ejus descriptio, *ibid.* ei erat affixa lamina aurea, 693, 2. brevis vestium harum tropologia, 692, 1. quomodo in ejus veste erat totus mundus, *ibid.*
Sacerdotium viri sancti multi refugerunt, ut S. Franciscus, S. Marcus, S. Antonius, *145, 2.
Sacerdotum peccata non propalanda, *28, 1; 161, 1. eorum hæreditas est Deus, *288, 1. debent habere rectam intentionem, 696, 1. debent esse casti, 698, 1; 701, 1, 2. quomodo præ populo vitæ exemplo prælucere debeant, 698, 1. quomodo esse debeant uncti misericordia et aliis virtutibus, 701, 1, 2. quomodo tropologice Deo debeant offerre pectus et brachium, 704, 1. pro honore Dei nulli parcant labori, et hac de re exempla, *ibid.* 2. eorum et clericorum status est militia, *208, 2. in officio negligentes acriter perstringuntur, *286, 1. indigne communicantes a Deo quantopere puniti, *140, 1. eorum immunitas a vectigalibus quam sit rationi consona, 384, 2. debent esse juge holocaustum, *38, 2. cæteris dormientibus debent vigilare, *ibid.* sacerdotum libidinosorum oratio quantopere Deo displiceat, *12, 2 et seq. multis de causis debent esse sancti, quia in terris repræsentant personam Christi, *144, 2. quia comparantur angelis, *ibid.* quia alios debent sanctificare, 2. quia sunt mediatores inter Deum et homines, *ibid.* quia eorum munia sunt sanctissima, *145, 1. quia propria sacerdotis dos est sanctitas, *145, 2. eorum vestis debet esse patientia, *44, 1. eorum status quam magnæ sit dignitatis, egregie docuit Thomas Morus, *275, 2. sunt custodes populi, *204, 1. debent esse quasi pons inter Deum et homines, 686, 1. debent habere doctrinam et veritatem, 690, 2. debent esse interpretes publicæ veritatis, *ibid.* debent esse sanctissimi, et quasi ipsa sanctitas, *135, 1.
Sacramenta vetera et sacrificia non justificabant ex opere operato, sed operantis, secus legis novæ, *1, 2; *7, 2.
Sacrificari olim in conviviis solitum, 371, 1. sacrificari sibi jussit Deus uno tantum in loco apud Judæos, idque sub pœna capitis, et quare, *110, 1, 2.
Sacrificii pro peccato pontificis quis ritus, *26, 2. victima pro pontificis peccato tota extra castra cremabatur, *ibid.* quænam ejus rei litteralis causa, *ibid.* quænam allegorica, *27, 1. quænam tropologica, 2. quænam anagogica, *ibid.* secunda hostia pro peccato populi, erat vitulus, *28, 1. tertia hostia pro peccato principis erat hircus, 2. quarta hostia pro peccato plebeii erat capra, *29, 1. hostiis pro peccat[illegible] imponebatur sal, non vero

thus, neque libamina, 2. sacrificium pro peccato mystice significat pœnitentiam et compunctionem, *30, 1. quid significet quod in hoc sacrificio offeratur pro peccato principis hircus, *29, 1. quare pro peccato plebeii capra, *ibid.* sacrificium ovis, turturis, columbæ pro peccato quid tropologice significet, *33, 1. carebat hoc sacrificium oleo, et quid hoc significet, 2. carebat etiam thure, et quid hoc significet, *3?, 1.

Sacrificii victima pacifici quænam sit, *21, 1. dividebatur in tres partes; adeps ejus et sanguis adolebatur Deo, pectus et armus dexter cedebat sacrificanti, reliqua caro laico offerenti, *ibid.* quid hoc mystice significet, *46, 1. debebat hæc victima esse bos, ovis, aut capra, non avis, *21, 2. quid tropologice hæc victima significet, *ibid.* quid allegorice et tropologice adeps in hac victima significet, *22, 2. quid renes tropologice, *23, 1. quid cauda ovis, 2. adhibebatur etiam in hoc sacrificio thus, *24, 2. victima pacifica debebat eodem die comedi, et quare, quidque hoc significet, *44, 2. ritus immolationis hujus sacrificii, *45, 2.

Sacrificio (de) offerri solito in festo expiationis, *103, 1 et seqq. in eo hircus pro peccato immolatus significat Christum patientem, et morientem in cruce, item immolatum, *ibid.* item Barabbæ postpositum, 2. tropologice quid tunc duo hirci significent, *ibid.* in sacrificiis cur Deus exigat renes et hepar, 701, 1, 2. sacrificiorum carneorum ritus, *19, 2. sacrificium erat quasi convivium Dei cum hominibus, *14, 2. ejus in genere divisio, *15, 2. sacrificiorum apud Romanos ritus, *13, 1. sacrificia quibus de causis Deus instituit, *14, 1. quomodo Deo placuerint, 2. sacrificii definitio, *15, 2 in eo victima cur debeat immolari, *ibid.* quomodo sacrificabantur liquida, quomodo solida, *ibid.* octo animalia sacrificabantur, *ibid.* sacrificii tres species *ibid.*, offertur soli Dei jure gentium, *4, 1. de sacrificio zelotypiæ, *214, 2. de sacrificiis suis Judæi decem miracula referunt, fabulosa tamen, *29, 2. eorum et aliarum functionum sacerdotalium sumptus solvebat populus apud Judæos, *160, 1. in sacrificiis cauda jussa Deo adoleri quid tropologice significet, 703, 1. quid adeps, *ibid.* in iis victimam elevare quam sit antiquus ritus, 2 et seq.

Sacrificium juge cur et quale fuerit, 705, 2. ejus ritus describitur, 706, 1. significat sacrificium Christi in Eucharistia, *ibid.* item Christum oblatum infantem in præsentatione, et eumdem oblatum in cruce, *ibid.* in eo agnus unus mane, et unus vesperi quotidie immolabatur, *353, 2. quare et quo ritu immolabatur, *ibid.* is agnus debebat esse anniculus, et immaculatus, et offerri cum libaminibus, *ibid.* et seq.

Sacrificium holocaustum quid sit, et unde dicatur, *5, 2. in eo cremabatur tota victima excepta pelle, *6, 1 reliqui ritus oblationis ejus recensentur, *6, 1. holocaustum bovis, et avium quid tropologice significet, *ibid.* quid holocaustum vituli et agni: quid turturis et columbæ, *ibid.*; *11, 2. tropologia rituum holocausti exponitur, *6, 1; *9, 2. holocausta ovium tropologice sunt Martyres, *10, 1. in eo avium cur vesica et plumæ abjiciantur, *11, 2. quid hoc mystice significet, *ibid.* in eo cur Deus juberet ascellas confringi, *12, 1. quid hoc mystice significet, *ibid.*

Sacrificium mincha erat ex simila aut pane, *14, 1. quibus de causis Deus hoc instituerit, *ibid.* et seq. fuit typus Eucharistiæ, *15, 1. fuit verum sacrificium, *ibid.* cur minchæ additum oleum, 2. imponebatur ei etiam thus, et quare, *16, 1 erat triplex: clibani, sartaginis et craticulæ, *17, 1. significat carnem Christi frixam in cruce, *ibid.* item Ecclesiam, 2. quid tropologice in ea significet clibanus, sartago et craticula, *ibid.* tertia species minchæ erat oblatio spicarum, *19, 2.

Sagittarius est nomen numismatis Persici, 391, 2.

Sal erat in omni sacrificio, et quare, *18, 2. est symbolum discretionis, *ibid.* item doctrinæ Apostolicæ, *19, 1. item incorruptionis et æternitatis, *ibid.* conservat corpora, *ibid.* adhiberi solebat in sanciendis fœderibus, 2. quid hoc significabat, *ibid.* hospitibus primo solitum apponi, et quare, *ibid.*

Salahadini præclara in morte vox de rerum vanitate terrenarum, 538, 2.

Salamandram in igne vivere est fabula, 66, 1; *70, 2.

Saltationes lascivæ damnabiles, 572, 1.

Salvandorum paucitas terribilibus exemplis docetur, *266, 2.

Sanchius major Navarræ rex templi immunitatem violans stringendo venabulum in aprum qui eo confugerat, pœnas dedit, *385, 2.

Sancti in cœlis similes aquilis, 598, 1. quibusdam hic in terris suus locus in cœlis fuit ostensus, 288, 2. qualia soleant habere colloquia, 593, 1. referunt omnia ad honorem Dei, 594, 1. hic tribulationibus tentantur, 366, 1. se in omnibus quomodo Dei voluntati resignent, 446, 1, 2. assimilantur stellis sex de causis, 202, 1. et ob decem analogias, 62, 1 et seq. quanto in pretio habendi etiam in terra viventes, 225, 1. iis serviunt omnes creaturæ, 560, 2. sunt columnæ lucis, *232, 1. iis nullibi est exilium, quia Deum ubique præsentem habent, 444, 1. eos habere amicos quam bonum sit, 185, 1. accepto beneficio in Dei laudes prorumpunt, 566, 1. Sancti fiunt quasi deiformes, et dii ex unione cum eo, *187, 2.

Sanctificare passim in Scriptura accipitur pro offerre, 703, 2.

Sancto sanctorum (in) nulla erat fenestra, et quare, *102, 1. *Vide* Tabernaculum ipsum erat symbolum cœli empyrei et vitæ æternæ, 662, 1. nullus id ingrediebatur nisi summus pontifex, et quando, ac Moses, *101, 1. an B. Virgo et S. Jacobus Minor id ingressi, *ibid.* 2.

Sanctuarium Dei mysticum ut quis adeat, debet removere tres obices, *226, 2. *Vide* Tabernaculum.

Sanctus qualis sit vox, significat purum, religiosum, et venerabile, et firmum, *132, 1; *187, 2. sancti quomodo debeant esse omnes Christiani, *132, 1. sanctorum exempla, *ibid.*

Sanguis quomodo vocetur homicidium, 369, 1; *458, 1. sanguis septies aspersus contra propitiatorium quid significet, *106, 2. ejus esus inhibitus in lege naturæ, 154, 2. et Judæis, sub pœna mortis, idque tribus de causis, *23, 2; *111, 2. sanguis quid tropologice significet, *111, 2. quo sensu sit anima, *112 in corpore humano est principalis humor, *112, 1. sanguinem humanum quomodo Deus dicatur requirere a bestiis, 155, 1.

Sapientia est filia memoriæ, 12, 1. de ea ejusque studio varia encomia et laudes, 646, 2 et seqq. ejus studio deditorum exempla, 647, 1; 651, 2. sapientiæ documenta, et indicia varia, 647, 2. ejus symbolum est pectus, *46, 1. a Deo per orationem petenda est, *173, 1.

Saporis regis Persarum superbia, 508, 1.

Sapphirus gemma in rationali pontificis significat Nephtalim, et S. Andream ob cœlestem fortitudinem, 682, 1. qualis lapis sit, 629, 2. quid symbolice significet, 629, 2. quid anagogice, quid allegorice, *ibid.*

Saraceni et Agareni unde dicti, 209, 1. quo ætatis anno se circumcidant, 218, 2. nudipedes hodie templa sua ingrediuntur, 454, 1; 715, 2.

Saræ raptus a rege Abimelech, ejusque pulchritudo et bona dispositio, 235, 1, 2. Sara pariens Isaac est typus B. Mariæ, 239, 1, 2. quo sensu vocetur soror Abrahæ, 236, 2. ejus fides et pietas, 207, 1. aliæ ejusdem virtutes, *ibid.* cur ante dicta Sarai, vocata fuerit Sara, 216, 2. quoto anno ætatis mortua, et ejus sepultura, 251, 1, 2.

Sardius lapis in rationali pontificis significat Ruben, et S. Bartholomæum, ob martyrium, 681, 1.

Sarepta urbs conflatoria unde sic dicta, *532, 2.

Sarug inventor artis pictoriæ et statuariæ. 379, 2.

Satum mensuræ quale genus, 222, 1.
Saturus uxoris amorem postposuit divino ad arianismum sollicitatus, 102, 2.
Saul de prophetat Balaam, *329, 2.
Saxones olim quas pœnas in adulteros statuerint, 348, 1.
Scalæ Jacob an Deus superne incubuerit, an inferne ad eam steterit, 285, 2. quid ea allegorice, tropologice et symbolice denotet, *ibid.* et seq. et 286, 2. *Vide* Jacob.
Scholæ etiam priscis fuerunt, 268, 1.
Scientia nos Deo facit simillimos, 101, 2. scientiæ variæ propter Theologiam variis in Scripturæ libris tractantur, 5, 2.
Scipio Minor quomodo castrensem disciplinam repararit in exercitu Romano, *481, 1.
P. Scipionis Africani post maxima spolia relata summa paupertas, 385, 1. quantum ipse solus reipublicæ Romanæ contulerit, 484, 2. a patria ingrata in exilium actus quid dixerit, *264, 2.
Scribæ Judæorum in officio explicandi legem videntur successisse senioribus a Mose electis, *245, 1. exorti sunt e Simeone, 393, 2. fuere sparsi per omnes tribus, 394, 1.
Scriptura una potest habere diversos sensus litterales, 33, 2. ejus verba non semper ad proxima sunt referenda, 29, 2. unde originem habeat, 1, 2. est epistola Dei ad nos missa, *ibid.* solebat in templis juxta Eucharistiam poni, 2, 1. de ejus dignitate, necessitate et fructu, *ibid.* dat principia Theologiæ Scholasticæ, *ibid.* non aliis tantum, sed eam nobis præcipue legere debemus, 3, 1. per eam multi Sancti conversi, 2 et seqq. Scripturas nos quotidie legendo quomodo non ita mutemur, ut olim Sancti, 4, 1. de Scripturæ objecto, et amplitudine, 2. est universitas scientiarum, et mundus intelligibilis, *ibid.* illuminat tenebras intellectus nostri, 5, 1. ancillantur ei omnes scientiæ, 2. est sol sapientiæ, 6, est pharmacopolium, 6, 2. est necessaria concionatori, 7, non debet legi ab omnibus, 7, 1. de ejus difficultate, 2. de variis Scripturæ sensibus, *ibid.* quis magis prævaleat, *ibid.* quam fertilis sit, 8, 2; 11, 1. docetur multis exemplis studium Scripturæ semper in usu fuisse omnibus ætatibus, 8, 1. primus huic studio deditus Moyses, David, Jeremias et reliqui Prophetæ, 9, 1 et seqq. in novo Testamento plurimi etiam Scripturæ studio dediti, 2 et seq. ad idem studium hortatur Christus, *ibid.* et SS. Patres, 10, 1. fuit hoc studium antiquitus in monasteriis, 11, 1. vacavit ei egregie Theodorus Studita, *ibid.* et Venerabilis Beda, *ibid.* Alcuinus et S. Bonifacius Episcopus, 2. item Carolus Magnus, *ibid.* quantopere huic studio sit vacandum, 12, 1. prima ad eam dispositio est ejus crebra lectio, *ibid.* secunda humilis animi modestia, 2. tertia puritas mentis, 13, 1. quarta oratio, 2. quinta est sanctitas, 14, 2. circa Scripturam veterem variæ fuere hæreses, 16, 2. docetur ejus auctoritas ex Mose, ex Prophetis, ex Apostolis, ex Evangelio et ex sensu Ecclesiæ, *ibid.* ex decreto Dei, 17, 1. de variis ejus versionibus, ac primo de 70 Interpretibus, *ibid.* item de aliis, *ibid.* et seqq. rursus veteris Testamenti auctoritas docetur ex ratione, 18, 2. item ex variis veteris Testamenti utilitatibus, 19, 1. ex ea cognoscimus mundi exordium, et Dei providentiam, *ibid.* uberior est nova, 2. sine veteri Testamento novum nequit intelligi, 21, 2. est figura novi, 21, 1. ejus summa fertilitas materiarum, *ibid.* et seq.
Sculptile continet ductile et fusile in ratione vetationis idoli sculptilis, *410, 2.
Sedere ad mensam antiquius est quam accumbere, 372, 2. quomodo Deus sedeat super Cherubim, 645, 1.
Segor qualis urbs, 230, 2. fuit salvata a communi incendio Sodomitarum, precibus Lot, *ibid.*
Sela cur a Judæ primogenitura exclusus, 349, 1.
Sem quid significet, 136, 1. ejus benedictio, 162, 1. quam terræ regionem adierit, 162, 2.
Seminiflui immunditia et purificatio, *96, 1. tropologice significant doctores et concionatores impuros, verbosos et importunos, *97, 1, 2.
Seminis fluxus quid denotet tropologice, *99, 1, 2.
Senarius numerus significat mortalia, *416, 2.
Senes honorandi septem de causis, *128, 1, 2.
Sennaar qualis locus sit, et quid tropologice significet, 173, 1.
Sensus quinque regibus assimilantur, 194, 1.
Sepeliendi mortuos ritus in locis consecratis quam antiquus, 386, 1.
Sephora uxor Mosis circumcidit filium, 469, 1, 2 quomodo pedes angeli tetigerit deprecabunda, 2.
Septenarius numerus significat plenitudinem, *416, 1. est virgo sine patre et matre, *ibid.* est nodus rerum omnium, *ibid.* significat immortalia, *416, 2.
Septimus annus libertatis servorum erat status et communis, 609, 1.
Sepulcra Gentiles et Judæi habuerunt extra urbes, *295, 2 et seqq. in ea incidere erat mali ominis apud Gentiles, *ibid.* quare ea habeant Christiani apud Ecclesias, *ibid.*
Sepulturæ jus an liceat emere, 252, 2. ejus quanta cura habenda, 253, 1. exempla Sanctorum qui de ea fuerunt solliciti, 2. sepulturæ locus apud Christianos consecratur, 252, 2.
Serapion Sindonita Eremita pauperi vestes donavit, *494, 2. se in servum vendi passus est, ut dominum converteret, 433, 1; 725, 2.
Serapion alius per confessionem ab omni tentatione gulæ est liberatus, *37, 2.
Serapis quid, et unde originem habeat, 363, 1.
Sergius Galba Imperator militaris disciplinæ tenax fuit, *481, 1.
Serpens quis Evam tentaverit, 97, 1. ejus species apte convenit diabolo, *ibid.* 2 quomodo eum loquentem Eva non exhorruerit, 98 quale fuerit serpentis genus, 2. non fuit draco, 98, 1. ejus artificium in tentanda Eva, *ibid.* præmisit alios sermones tentationi, 98, 2. loquebatur ambigue, 99, 1. ejus quinque mendacia, *ibid.* serpens quomodo sit maledictus, 104. 1. quomodo inter ipsum et mulierem sit inimicitia, 105, 1 an etiam ante maledictionem super pectus gradiebatur, 104, 2 ejus maledictio et pœna quam fuerit congrua, 105, 1 serpentis caput quid moraliter significet, 107, 1. inimicitiæ inter mulierem et serpentem quid allegorice significent, 2.
Serpentes igniti in populum immissi, *304, 2. serpens æneus erectus, ad sanandos vulneratos a serpentibus ignitis, *305, 1. quare æneus, 2 et seq. significat Christum crucifixum, *ibid.* hunc confregit Ezechias rex, *306, 2.
Serpentes pios viros reveriti sunt, *305, 1. visi aliquando ignivomi in Scotia, *305, 1.
Servitus virtuti non obest, 433, 1. docetur idem variis exemplis, *ibid.*
S. Servuli pauperis felix ex hac vita migratio, *321, 2.
Servus Dei, titulus nobilissimus est Mosis, *536, 1.
Servus apud Judæos anno septimo solus fiebat liber, anno vero 50 educebat secum uxorem et liberos, *173, 1. de servis benigne tractandis apophthegmata, 174, 1 *452 2. servi Gentilium non fiebant liberi in anno jubilei, sed oriundi ex Judæis, *174, 1, 2. de servo lex judicialis, 609, 2. dimittendus cum veste cum qua intravit, 610, 1. servi matrimonium quando apud Hebræos solvebatur, *ibid.* servus anno septimo debebat exire liber ab hero et uxore, *ibid.* si vero libertate nolebat uti, applicabatur ad heri ostium, et ejus aures subula perfodiebantur, et quid hoc significabat, 610, 2 servarum Hebræarum et Gentilium dispar erat ratio in liberatione a servitute, 611, 1.
Seth quid significet hebraice, 123, 1.

Sex dies creationis mundi significant sex millia annorum quibus durabit hæc fabrica mundi, 77, 1.
Sextarius Judaicus an fuerit æqualis Attico, *93, 1.
Sexus in utero quibus signis discerni potest, 434, 1.
Sfortia Cottignola quid responderit generis obscuritatem exprobranti, 89, 2.
Sibylla an fuerit in arca, 141, 1. Sibyllam esse Kabulam aliqui censent, *ibid.*
Sichimitas occidendo ob stuprum Dinæ varie peccaverunt filii Jacob, 324, 1.
Siclus an alius fuerit ponderis, alius monetæ, 716, 1. sicli pretium et figura, 713, 1. an siclus sacer fuerit idem cum communi, 713, 1. siclus sanctuarii quis sit, 2.
Sileni imagines quæ dicantur, 755, 1.
Silentium quam sit præstans res, 558, 1.
S. Silverius quæ et quanta pro Deo fuerit passus, 704, 1.
Simeon quid significet, 295, 1. symbolice est dolor peccati, 299, 2. cur postea in Ægypto præ fratribus cæteris a Josepho ligetur, 369, 1. de benedictione Simeon, 393, 1. ex eo orti sunt Scribæ et Pharisæi, 2. ejus tribus valde decrevit, et unde, *347, 1.
Simeon Stylites quomodo per Scripturam conversus, 4, 1. ejus mira jejunia, 631, 2. per orationem varia patravit miracula, 711, 1. ejus continentia oculorum, *22, 1. fuit columna lucis, 552, 2; *232, 1.
Simplicitas et unitas perfecta in Deo est, *422, 1.
Simplicitatem ridens fratris sui Stylita Edessenus quomodo a Deo punitus fuerit, *255, 1, 2. simplicitas, quantum duplicati cordis opponitur, commendatur, *123, 1.
Sinai qualis mons, unde dictus, in eo contigerunt octo mirabilia, 451, 1.
Sisoë in capillitio quid sit, *126, 1.
Smaragdus gemma in rationali pontificis significat Judam Patriarcham, et Joannem Evangelistam ob virginitatem virentem, 682, 1.
Socialis vitæ varia commoda et laudes, 467, 1.
Societatis Jesu charitas in exteris gentibus convertendis, *194, 2. ad eam apostrophe et adhortatio, ut in cœpto simili opere pergat, *ibid.*
Socratis invicta patientia, 671, 1.
Sodomam fugere quid sit tropologice, 230, 1.
Sodomiæ pœna etiam veteribus fuit ignis, 231, 1.
Sodomitarum fuit quintuplex peccatum, 191, 1. quomodo percussi cæcitate, 228, 2. quid hæc cæcitas tropologice significet, 229, 1. omnes fuerunt mortui impœnitentes, 231, 2.
Sodomorum clamor quid sit, 223, 2.
Solis quanta sit magnitudo, et distantia a terra, 60, 2. solem novum quomodo Deus faciet in resurrectione, 59, 1. in qua parte cœli sol productus, *ibid.* quomodo sit in signum, 2.
Solitudinis amator cum Deo colloquitur, 630, 2 et seq. quam ea apta sit acquirendæ sapientiæ, 259, 2. ejus encomia et insignia bona, 450, 1. eamdem multi viri principes adamarunt, secedentes a curis regni, 2.
Solliciti ita debemus esse de temporalibus, ut Deo toti confidamus, et humana præsidia etiam non negligamus, 311, 1, 2.
Somni justorum quales, 285, 2. somnus non totus corpori indulgendus, 315, 1.
Somnia duorum eunuchorum in carcere Ægyptio, 356, 1, somnia Pharaonis, 360, 1. ex somniis an liceat divinare, 356, 1. ea sunt triplicia, *ibid.* ex somniis naturalibus, et ex iis quæ a Deo immittuntur, licet divinare, *ibid.* ea quomodo Deus revelet, 2. non sunt vane more Ethnicorum observanda, *125, 1. sunt visa nocturna et quasi nubes, *ibid.* eorumdem vanitas, *ibid.* iis multum tribuebant Ethnici, *ibid.*
Somniator quomodo dicatur Joseph, 340, 2.
Spartani solis meretricibus floridas vestes concedebant, 84, 2. comam alebant, *126, 2. non erant adulteri, *215, 1, 2.
Specula olim ex ære fieri solita, 754, 2. ex speculis mulierum factum labrum æneum tabernaculi, *ibid.* et an hæc ei inserta, *ibid.*
Spes Abbas moriens emisit ex ore columbam, *78, 2; *321, 2.
Spes hominum sunt somnia vigilantium, 356, 2.
Sphinx triformis fuit simia Cherubim, 642, 1
Spicarum primitias Judæi offerre debebant, *149, 2. tropologice hic manipulus spicarum significabat Christum, *ibid.*
Spiridion Cypri Episcopus e filia mortua didicit ubinam esset depositum repositum, *468, 2.
Spiritus Sanctus significatur per ignem multis de causis, *53, 1 et seq. quam facile hominem mutare possit, *449, 2. tribus de causis significatur per digitum Dei, 503, 2. et per columnam nubis, *232, 1. ducit nos in cœlum sicut columna nubis Hebræos duxit ad terram promissionis, *ibid.* 552, 1. non est in tristibus, sed in lætis, 379, 2. per ventum significatur, 568, 1. qualia in hominibus operetur, 552, 1.
Spiritus propheticus quintuplex est, *246, 1
Spiritus quis fuerit, qui in principio mundi ferebatur super aquas, 47, 1. quid allegorice significet, 2.
Spiritus bonus et malus quibus signis dignoscatur, 318, 1.
Sponsa noviter nupta, olim duci solita in cubiculum socrus suæ, 260, 1. quid hoc significarit, *ibid.*
Sponsi olim sponsas emebant, 470, 2. sponsus sanguinum nobis est Christus, cur, 471, 2.
Stacte quid sit, 341, 1; 371, 2; 716, 2.
S. Stanislai Martyris corpus aquila a canibus et avibus defendit, 598, 1. vivens mortuum Petrum ad vitam resuscitavit, ut pro se testimonium diceret, *468, 1.
S. Stanislaus Kostka ex angelorum manibus sacram Eucharistiam percepit, *138, 2.
Stellas adorabant Gentes quatuor de causis, *456, 1. quomodo sint innumerabiles, 202, 1. non sunt animatæ, 58. 1, distinguuntur a suis orbibus et planetis, 2. ex qua materia creatæ, 59, 1. quarum rerum signa sint stellæ, 2. de earum motibus ac magnitudine, 60, 2 et seq. stellæ Sanctos repræsentant ob decem analogias, 62, 1.
Stellio quale sit animal, *71, 1. significat fraudem, *ibid.*
S. Stephanus Hungariæ rex decimas templo S. Martini dedit, *291, 2 et seq. iturus ad prælium B. Virginem invocare solebat, *363, 1.
Sternutatio unde procedat, 875, 1.
Storax quid sit, 371, 2.
Studii monasterium Constantinopoli unde dictum, 11, 1.
Stuprum graviter semper fuit vindicatum, 325, 2.
Stylita Edessenus quam longa pœnitentia temerarium de fratre judicium expiarit, *255, 1, 2.
Suatocopius Bohemiæ rex victus ab Arnulfo Imperatore factus est Eremita, 450, 2.
Substructiones altaris non erant eædem cum gradibus, 608, 1.
Superbiam solet Deus punire per lapsum carnis, 608, 2. significatur per lepram capitis, *85, 2. et per camelum, *63, 2.
Superborum quanta sit stultitia docetur exemplis, 508, 2.
Supplicium ordinarium Judæis erat gladius, non crux, *132, 2. quæ et quot haberent supplicia, *ibid.*
Sur fuit unus e quinque principibus Madian, qui filiam suam Cozbi prostituit Hebræis, *343, 1.
Surdo maledicere, quid sit tropologice, *121, 1.
Susanna maluit mori quam Deum offendere, 352, 2.
Suspensorum corpora etiam olim in cruce solita relinqui, 357, 1,
S. Swiberti sanctitas declarata per fulgorem, *333, 2.
S. Symphorianus adolescens Martyr a matre jussus cœlum considerare, 61, 2.
Synodus magna quando a Judæis celebrata, cui præfuit Daniel, *245, 2.

Syria unde Aram hebraice, id est Armenia, vocata, 265, 2. est multiplex, et longe lateque patebat, *ibid.*

T.

Tabernaculi nomina quæ sint hebraice, et eorum ratio, 707, 2. ejus introitus describitur, 672, 1. eo perfecto, quæ et quam ingentia dona oblata a principibus populi, et per Mosen immolata, *225, 1. partium ejus longitudo, latitudo et altitudo 655, 1. ejus divisio, *ibid.* factum erat utrinque ex viginti tabulis setim inauratis, *ibid.* quid hoc allegorice significet, 635, 2. tegebatur undique quatuor velis, et erat obscurum, 655, 1. ante se habebat atrium, 2. erat atrium hoc duplex, primum laicorum, alterum sacerdotum, *ibid.* *7, 1; 668, 2. quænam in priori parte tabernaculi fuerint, 655, 2; 668, 2. quænam fuerit potissima et sanctissima pars tabernaculi, 655, 1. in priorem ejus partem intrabant quotidie sacerdotes, in interiorem solus pontifex semel in anno, *ibid.* ipsum cum suo atrio significat Ecclesiam, et fideles Christi, 656, 635, 1. atrium ejus significat incipientes, 655, 2; 669, 1. Sanctum significat perfectiores, 656, 2. alii per hoc intelligunt statum Religionis, 2. Sanctum sanctorum significat cœlum, *ibid.* quæ de tabernaculo dicuntur, accommodantur proportionaliter animæ sanctæ, 656, de sagis cilicinis, et quatuor operimentis tabernaculi, 659, 2 et seq. hæc operimenta quomodo operuerint tabernaculum, *ibid.* quid hæc mystice significent, *ibid.* tabernaculum erat templum mobile, 657, 1. cortinis ejus erant Cherubini intexti, 2. de veli quod erat in tabernaculo, conditione, latitudine, expansione, etc., 658, 1 et seq. de dispositione sagorum cilicinorum in eo, *ibid.* quid tropologice cortinæ et velum significent, 65. tabulæ ejus quales et quantæ fuerint, 660, 1. quid allegorice significent, *ibid.* quot fuerint numero, 661, 1. et quid anagogice significent, *ibid.* vestes tabernaculi, 661 quid hæ mystice significent, *ibid.* de velo dividente Sanctum a Sancto sanctorum, *ibid.* mystice significabat fidem, *ibid.* et Christi humanitatem, *ibid.* secundi veli sancti oppansi descriptio, 663, 2 et seq. ad constructionem tabernaculi quam ingens summa fuerit contributa, 758, 1. quanto tempore in ejus constructione laboratum, 761, 1. de ejus architectis, 719, 1 et seq. quid significent, *ibid.* quomodo id Deus fieri sibi per Moysem jusserit, 760, 1, 2. quatuor ejus colores et materiæ quid symbolice significarent, 634, 2. atrii tabernaculi descriptio, 668, 1. ambiebat tabernaculum, *ibid.* erat sub dio, 2. atrium unde dicatur, *ibid.* habebat etiam sua vela, *ibid.* atrii longitudo, latitudo, et altitudo, *ibid.* erat quasi templum populi, *ibid.* immundi non poterant illud ingredi, *ibid.* ejus columnæ erant sexaginta, 670, 1. quid hæ columnæ tropologice significent, 2.

Tabernaculorum (festum) quomodo Judæi celebrarent, *158, 2. gestabant in eo citrum, palmas, myrtum et salices, *ibid.* quid hoc festum mystice et allegorice significet, *ibid.* et seq. ejus festi descriptio, origo, causa, *157, 2.

Tabernaculum quadrupliciter in Scripturis accipitur, *107, 1. item alias tripliciter, 672, 2; *7, 1.

Tabulæ legis erant scriptæ ab utraque parte, 726, 1. ob eas fractas fuit indictum jejunium, *ibid.* duæ tabulæ legis continebant duo præcepta charitatis, prima Dei, secunda proximi, 720, 2,

Taciti historici mendacium de Judæorum nomine, et abstinentia a suilla, 537, 2.

Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum, 756, 2. talentum duplex an habuerint Hebræi, *ibid.* talentum auri valebat duodecim millibus coronatorum Francicorum, 757, 1. talentum argenti tribus millibus florenorum, *ibid.* talentum auri quot libras auri continebat, *ibid.* talentis duobus emit Giezi agros et vineas, *ibid.*

Talionis lex est justa, 613, 1.

Tanis Ægypti urbs, et unde dicta, *259, 1.

Tarsenses et Cilices a quo originem traxerint, 166, 1.

S. Tarsillæ felix ex hac vita decessus, *321, 2.

Tarsus Ciliciæ urbs unde dicta, 148, 1.

Taxiles qua arte Alexandrum sibi conciliarit, 320, 1.

Tecta domorum cur apud Judæos erant plana, *478, 1.

Τελεσφόρος dicitur meretrix quæ se dicavit sacris impuris, *482, 1.

Τελεταὶ erant sacra impudica, 2.

Templa rotunda veteres diis suis erigebant, *125, 2. templi vasa in pauperes erogare interdum licet exemplo Sanctorum, 656, 2. templa Christianorum olim erant similia tabernaculo Moysis, 657, 1. eorum immunitas quantopere, et quam religiose sit servanda, docetur multis exemplis *385, 1. eam violantes quantopere puniti, *ibid.* et seq. ea ingressuri Christiani olim lavabant manus, 715, 1. templum unde dicatur, 636, 2. in templis quanta cum reverentia, silentio, religione versandum, multis docetur, ex eo quod Deus jusserit sibi fieri templum et tabernaculum in lege veteri, 636, 1; *12, 1, 2. est domus Dei habitantis inter homines, 636, 1. est domus orationis, *ibid.* templa sunt reorum asyla, *ibid.* templum vocatur sanctuarium, *ibid.* Deus punit violatores templi, *ibid.* in templo olim erant oraculum, 2. etiam Gentiles templa reveriti sunt, *ibid.* Sancti tam veteris quam novi Testamenti templa venerati sunt, 2 et seq.

Templarii cæsi ad Dei tribunal citarunt Clementem V Pontificem, et Philippum Pulchrum regem Francorum, 155, 2.

Templi Salomonis tres partes, 655, 2. ad templum omnes ter in anno ascendere tenebantur, et qui ab eo excipe-rentur, 621, 2.

Temporalia qui quærunt, muscas captant, *70, 2. temporalia Judæis tantum in lege veteri promissa, *114, 1. eorum concupiscentia et sollicitudo signum est incultæ mentis, *24 2, 2

Temporis quanta sit fugacitas et exilitas, 484, 1. est vestigium æternitatis, 60, 1. ejus mira velocitas, 61, 1. tempus quale fuerit ante motum primi mobilis, 40, 2. tempus est mensura operationis, non otii, *418, 2.

Tenebræ super faciem abyssi an fuerint umbra cœlorum, 47, 1. Tenebræ Ægyptiæ quam spissæ, *Vide* Ægyptus. tenebræ inferni quantopere sint metuendæ, 518, 2.

Tentat aliter nos Deus, aliter homo, 577, 2. tentare etiam aliter dicitur Deus, aliter diabolus, 243, 1.

Tentatio occulta est tropologice nocturnum somnium, *481, 2. tentationum species, et modi, 98, 2. tentationes carnis qua arte superandæ, 323, 1.

Ternarius numerus denotat Hebræis magnam copiam, *414, 2.

Terra et aqua unum globum efficiunt, 53, 1, 2. concavitates sub terra ad quid serviant, 54, 1. *Vide* Creatio. cur locata in medio universi, 45, 1. terræ epitheta, 2. quam benigna sit mater, 55, 2. terræ motus quo miraculo Constantinopoli cessaverit, 694, 1. quomodo dicatur gemere, irasci, pollui, *118, 2.

Terra promissionis munitissimas habuit urbes, *260, 1. quomodo dicatur suos incolas devorare, *261, 1. ejus fertilitas unde, *172, 1.

Terrena despicienda, 61, 1, 2. ea qui contemnunt significantur per ligurium lapidem, 682, 2. *Vide* Temporalia.

Terribilis olim apparebat Deus ita ut eum videntes putarent se morituros, *421, 2.

Testamentum novum, et lex gratiæ significabatur mystice per festum tubarum, *159, 1. cur veteres hæretici nonnulli vetus repudiarint, 16, 2. Testamenti veteris variæ utilitates, 19, 1, 2; 20, 2 et seq.

Testes falsi quomodo a Deo puniti, exemplis multis docetur, *467, 2 et seq.

Testimonium falsum quam sit res fœda et abominabilis, 619, 1, 2.

Tetricos gratiis sacra facere jubebat Plato, 538, 1.

S. Thaidis pœnitentis gloria in cœlis, *30, 1, 2.
Thamar quare tam studiose prolem e Juda habere voluerit, 349, 1, 2. quomodo peccaverit astu inducendo Judam ad coitum, 347, 1. quomodo eam Judas punire voluerit, 2. cur fuerit justior Juda, 348, 1.
Thare in Haran lapsus est in idololatriam, 311, 2; 180, 1. an mortuus antequam Abraham exiret de Haran, 186, 2.
Themistocles in injuriis suorum fuit constans, *242, 2. iniqua petenti amico morem non gessit, *245, 2. in malefactores suos fuit gratus, *264, 1.
Theodatus Gothorum rex fœdus violans quas pœnas dederit, 326, 2.
Theodectes poeta tragicus S. Scripturam profanans cæcitate percussus est, 17, 1.
S. Theodori Studitæ lucubrationes in sacram Scripturam, 11, 1.
Theodoricus rex Gothorum clericum apostatantem, morte cur affecerit, *324, 2.
Theodosii Imperatoris ad filios suos ultima verba, *511, 2. ejus cura pro bona filiorum educatione, 382, 1. recepto nuntio de victoria quamprimum templum adiit Deo gratias acturus, 590, 2. in lædentes se injuriam nullam irrogavit, *264, 2. jussit filios suos stare coram Arsenio præceptore suo, *128, 1.
Theodosius Junior aulam habuit velut scholam pietatis, 593, 2.
Theodotionis versio in Daniele ab Ecclesia recipitur et admittitur, 17, 2.
Theologia mystica et symbolica quæ, 2, 2. utriusque utilitas, *ibid.* Theologia Scholastica primæ partis D. Thomæ, ubi in Scriptura contineatur, 6, 1. tertiæ partis ubi contineatur, *ibid.*
Theonas Abbas oratione latrones reddidit immobiles, 711, 1.
Theopompus vir illustris sacras historias oratione Græca ornare volens, mentis turbatione punitus est, 17, 1.
Theristrum quid sit, 346, 2.
Thesauri Dei sunt aer et aqua, *501, 1.
Theseus quare nunquam barbam tondere voluerit, *126, 2.
Thespesii scelerati viri mira visio, 537, 1.
S. Thomæ Apostoli in India templum e decimis mercium invectarum extructum est, *290, 2.
Thomæ Capivacii punitio ob occisum S. Bellinum Episcopum Paduanum, *291, 1.
S. Thomæ Aquinatis tria vota, 13, 2. fuit studio Scripturæ summopere deditus, 18, 2. prece et jejunio ejusdem intelligentiam est adeptus, 14, 2. ejus an sit commentarius in Genesin, 37, 2. puer chartam comedens ostendit quam futurus esset studiosus, 266, 2. in summis etiam occupationibus quotidie Missam celebrabat, 706, 2. mulierem lasciviam titione a se effugavit, *343, 2.
Thomas Morus præposuit amorem Dei amori uxoris, 248, 2. quam alienus fuerit a muneribus accipiendis, 620, 2. ejus familia quam morata et docta fuerit, 471, 2, quotidie multum temporis orationi et meditationi impendebat, *226, 1, 2. quam esset divini cultus studiosus, in templo sacerdotibus ministrabat indutus superpelliceo, *275, 2 et seq.
Thuribula mystice significant corda Christi et Sanctorum charitate, et desiderio cœlestium fumigantia, *106, 1. cui usui servirent in tabernaculo Moysis, 649, 2.
Thurificatio ubi, et quando cœpta, *16, 1. eam ignorarunt veteres Romani, *ibid.* ejus auctor est Moses, *ibid.*
Thus unde generetur, *16, 1. est symbolum charitatis, orationis et bonæ famæ, *ibid.* ipsum sacrificio minchæ imponebatur, *ibid.* communi jure gentium Deo dicatum est *ibid.* non adhibebatur victimæ pro peccato oblatæ, *34, 2 et seq.
Thymiama, *Vide* Altare thymiamatis. thymiamatis compositio qualis erat, 716, 1, 2. quid tropologice et symbolice significet, 2.
Tiara pontificis veteris Testamenti describitur, 695, 2. habebat coronulas, *ibid.* differebat a tiaris aliorum sacerdotum, 2. tropologice quid significarit, 696, 1.
Tiberius II Imperator pietate sua ad imperium evehi meruit, 593, 2.
Tiburtinum oleum est tota Italia celeberrimum, *517, 2.
S. Tiburtius Torquatum, qui cincinnatus, negavit esse Christianum, *126, 1.
Timor malorum impendentium adducit ad Deum, 328, 1.
Timor Dei quam insignes habeat fructus, *438, 2.
Tintinnabula erant in veste pontificis veteris, 691, 2. significabant prædicationem Evangelii, 692, 1. quod ex auro fuerint quid mystice denotet, 2. talia mystica tintinnabula plura recensentur, *ibid.*
Tissaphernes Persarum dux fœdus cum Græcis metu initum temere violavit, 326, 1.
Titulus res quatuor significat, 289, 2. hodie etiam Ecclesiæ vocantur tituli, *ibid.*
Titus imperator ob suavitatem morum dictus est *deliciæ orbis*, 683, 2. fratrem Domitianum insidias sibi molientem non est ultus, sed tantum amice admonuit, 739, 1. quid de Jerusalem expugnatione censeret, *365, 1.
Tityus Latonam de stupro interpellans ab Apolline sagittis est confixus, *340, 2.
Tonitru unde oriatur, 511, 1.
Tonsuræ clericorum figura, et antiquitas, *220, 1. quid doceat Ecclesiasticos, *ibid.* in monachis quam sit antiqua, 2.
Topazius gemma in rationali pontificis significat Simeonem, et S. Jacobum Apostolum ob cœlestem charitatem, 681, 1.
Torpor animi unde oriatur, 365, 1.
Tragelaphus ex hirco et cerva nascitur, *448, 2.
Trajanus dux post cladem quam generose Valenti Imperatori eam exprobranti responderit, 590, 2.
Tribulationes quomodo hominem justum tentent, 243, 1. earum utilitas, 367, 2. cur eas Deus immittat sanctis in hoc mundo, 321, 2. sunt signa amoris Dei, 322, 1. non lædunt, sed purgant et perficiunt tribulatos, 2. perdunt eos qui in iis non sunt patientes, patienter vero eas ferentes tuentur, *ibid.*
Tribuni qui proprie dicantur, 595, 2.
Tribuum duodecim principes significant duodecim Apostolos, *194, 2. ipsæ significant omnes fideles Ecclesiæ, *196, 1. de duodecim tribuum dispositione circa tabernaculum, *198, 1. tribus quatuor primariæ qualia vexilla vel insignia habuerint in deserto, 2. tribus tres manentes trans Jordanem quid in rigida tropologia significent, *367, 1, 2. tribuum duodecim ordo cum proficiscebantur, *201, 1.
SS. Trinitatis mysterium an adumbratum in lapidibus super quos Jacob Patriarcha dormivit, 285, 1. significabatur in constructione tabernaculi, 719, 2. etiam in lege veteri innuebatur, *422, 1. ex ipsa hominis creatione etiam intelligitur, 68, 2.
Tristatæ quales sint, 557, 1. tropologice sunt dæmones, *ibid.*
Troja quando condita sit, 541, 1.
Tubarum festum unde ortum, quæ ejus causa, et tropologia, *156, 1.
Tubas duas argenteas Deus præcepit fieri, *234, 1. qualis earum forma, *ibid.* significant allegorice duos Christi adventus, 2. item concionatores, *235, 1. tropologice duplex genus prædicationis usitatum in Ecclesia, *235, 1. juxta earum ululatum diversum Hebræi castra vel movebant, vel convocabantur, 2.
Tuisco non fuit filius Noe, 158, 2.
Tuiscones, id est Germani, ortum habent ab Askenez, 165, 2.
Turcæ unde orti sint, 166, 1. iis licet fœnerari Christiano, *483, 2.
Turris Eder, id est gregis, est juxta Bethlehem : est locus pascuis uberrimus, 331, 2.

Turtur docet viduas continentiam post mortem maritorum, 65, 1.
Tyrannorum mors sæpe violenta est, 562, 2.
Tyrus ad Judææ regnum pertinuit, licet Salomon eam Hiram regi concesserit, *377, 1.

U.

Udo Marpurgensis Episc. impure vivens quas Deo pœnas dederit, *141, 1.
Ugolini factionis Guelphorum principis insolescentis secunda fortuna interitus, 724, 1.
Ultio qua restrictione permissa fuerit Judæis, *121, 2. quantopere nobis sit fugienda, *ibid.*
Unctio pontificis, sacerdotum, et regis erat diversa, *135, 2. unctionis mollities perstringitur, 747, 2. hac de re varia exempla proferuntur, *ibid.*
Unguenti compositio, quo sacerdotes consecrabantur, describitur, 715, 2.
Ur fuit urbs Chaldææ, dicta sic a cultu ignis, 180, 2.
Urbes muris olim apud Judæos fuere cinctæ, *173, 1.
Urim et Tummim in rationali quid fuerint, unde dicta, 688, 2. et seq. erant ei inscripta, *ibid.* quæ ejus rei literalis causa, 689, 2. item allegorica, 690, 1. et symbolica causa, *ibid.* item moralis causa, *ibid.*
Ursini presbyteri sancta mors, *321, 2.
Usuram etiam damnarunt Gentiles, *483, 1. fuit vetita lege Moysis, *ibid.* poterant eam Judæi erga Chananæos exercere, et quare, 2. hodie idem possunt Christiani erga Turcas, *ibid.* vocatur morsus, 617, 2; *356, 2.
Usurarius significatur per leporem, *71, 1.
Uvarum quarumdam enormis magnitudo in Asia nascentium, et maxime Eucarpiæ, *259, 1, 2.
Uxoris et concubinæ quæ olim fuerit differentia, 263, 2. in uxore licet etiam spectare pulchritudinem, 293, 1. veteres solebant uxores emere, *ibid.* uxor malum est necessarium, quantorum sit viro dolorum causa, *213, 2. uxorum maritos amantium exempla, 94, 2. uxor bona est insigne Dei donum, 256, 2. exempla talium, *ibid.* uxoris alienæ concupiscentia vetatur nono decalogi præcepto, *419, 2.

V.

Vaccæ rufæ mactatio ad lustrationem peragendam, *292, symbolice significabat peccatorem. *ibid.* 1, fuit combusta etiam in deserto extra castra, *419, 1. et quare extra castra, *293, 1 ea erat immolanda Hierosolymis, *293, 1. ea allegorice et tropologice quid significet, *ibid.* erat hæc munda, sed cineres immundi, et mundantes immundos, 2. mittebantur ejus cineres ad omnes urbes, *ibid.* ritus expiandi hoc cinere, *294, 1. allegorice hæc aqua cineralis significat sanguinem Christi et aquam lustralem, *ibid.* cur die tertio et septimo immundus hac lustrabatur, *ibid.* non utuntur Judæi hodie hoc cinere, *296, 2. expiabat hæc aqua immunditias legales, *294, 1; *296, 1, 2. quoties hæc cæremonia facta sit, an quotannis una tantum vacca fuerit immolata, *296, 2 et seq.
Valens Imp. Arianus in causa fuit, ut sui in bello succumberent, Deum hæresi sua ad iracundiam provocans, 590, 2. quam acriter ab Isaacio Eremita correptus sit, ejusque mors, *462, 1.
Valentinianus III Imp. attentans uxorem Maximi patricii ab eo vita et regno privatus, *341, 1.
Velum nuptarum flammeum dicebatur, 237, 1.
Venator olim significavit prædonem, 167, 1.
Verba realia sæpe accipiunt Hebræi pro mentalibus, vel verbalibus, 29, 2.
Verbo Dei quo sensu præcipiatur nihil addendum, *404, 1, 2 et seqq. an hoc præcepto vetentur traditiones, ut volunt hæretici, *ibid.* hæc lex cæremonialis est, unde Judæos spectat, non Christianos, *485, 1. is verbo Dei addit aliquid, qui ei contrarium quid inducit, *ibid.* item qui sua dicta venditat pro Dei verbo, *405, 1, 2. Judæi multa Dei verbo addiderunt, *ibid.*
Veremundus XI Legionis rex qualem pœnitentiam egerit ob male habitum Episcopum Ovetensem Gudesteum, *385, 2.
Veritatis notitia magis per auditum, quam per visum acquiritur, 280, 1. ejus descriptio, 595, 1. est temporis filia, cur in putei fundo latere, fingatur, 595, 2, ipsa quam præstans et pulchra sit, 690, 1.
Vespasianus Imp. unguenta redolentem officio privavit, 718, 2. calumniatores quomodo represserit, *121, 1. suos officiales habuit ut spongias, quare, *65, 2.
Vespere cur agnus paschalis ederetur, 578, 2.
Vestales fornicantes vivæ terræ infodiebantur, *135, 2.
Vestes nostræ spirituales quænam sint, *88, 1, 2. vestium luxus reprehenditur, *ibid.* vestis ex lana et lino fuit Judæis vetita, et quare, *123, 2. ejus rei tropologica causa, *ibid.* eas odoribus bonis imbuere valde antiquum, 280, 2. veste virili uti feminam, et feminea virum, olim Judæis inhibitum, *477, 1. tropologica hujus rei causa, 2. cur id etiam Christianos dedeceat, *ibid.* vestium mutatio est signum renovationis animi, 328, 1. eas scindere olim solebant lugentes, *56, 2. vestis polymita Josephi quid symbolice significet, 338, 1, 2. vestes undique consutas an habuerint Judæi, *86, 1. vestes mutatoriæ sunt festivæ, 378, 2. earum lotio in ritu mundationis lepræ quid significet, *93, 1.
Viatoris, id est hominis mortalis, perfectio in quo consistat, 135, 2.
Victimis cæsis (in) miraculo exhalabat omnis sanguis, et nidor victimarum, *8, 2. debebant esse sine macula, *6, 2. eas occidentes imponebant eis manus, et quibus de causis, *7, 1. ipsæ jugulabantur expansæ per modum crucis, et quare, *8, 1. victima mascula debebat esse holocaustum, non vero sacrificium pacificum, *ibid.*
Viduus deus quis esset Romanis, *295, 2.
Vigilius Pontifex Imperatori iniqua petenti quam intrepide restiterit, *277, 1, 2.
Villegisus Archiepisc. Moguntinus quam in sua dignitate modestus fuerit, 372, 1.
S. Vincentius Ferrerius sola Biblia ad conciones suas efformandas legebat, 18, 1.
S. Vincentius Martyr omnia Daciani tormenta generose despexit, 61, 1.
Vineam non ferendam diverso semine quomodo Deus præcipiat, *478, 1.
Vinum prohibitum erat sacerdotibus sacrificaturis, et quare, *57, 1. de abstinentia a vino morale, 2. eidem deditum esse clericum quam sit absurdum, *ibid.* de vini abstinentia documenta ex Gentilibus, *ibid.* vino abstinebant homines ante diluvium, 73, 2.
Virga Moysis in colubrum conversa quid significarit ad litteram, 463, 1. quid symbolice, *ibid.* quid allegorice, *ibid.* quid anogogice, 2. quid tropologice, *ibid.* quæ hæc virga mirabilia sit operata, 468, 1.
Virgæ variegatæ ad quarum aspectum oves Jacob conceperunt, quid tropologice significent, 305, 1.
Virgines ut angeli in publicum prodeant, 572, 2. debent pro speculo habere B. Virginem, 755, 1. debent ornamenta sua ponere in mente, non in veste, *ibid.* earum chori sunt exercitus, et milites Dei, *ibid.* sacerdotum veterum filiæ virgines fornicantes puniebantur exustione ob simplicem fornicationem, *135, 2. aliæ tamen virgines morte non puniebantur, *ibid.* apud Romanos etiam Vestales virgines fornicantes vivæ defodiebantur, *ibid.* virgo est holocaustum, et sacerdos Christi, *11, 1.
Virginitatis commendatio, 659, 2. ejus naturalia indicia quæ, *479, 1. recte comparatur rubo, et quare, 453, 1.

significatur per smaragdum, 681, 2.
Viri non debent sequi concupiscentias mulierum, *102, 2. virorum illustrium facta præsagiis ostensa, 266, 2.
Virtute (in) omnes semper tenentur progredi, *373, 1; *508, 2. vera virtus nescit finem, *373, 2. in ea qui non proficit, deficit, 374, 1. praxis in virtute proficiendi est, per gratiam Dei, et nostram strenuam cooperationem, *374, 1, 2. et nobis proponendo exempla Christi et Sanctorum, *ibid.* per examen conscientiæ serium et crebrum, *ibid.* virtutes etiam odorem suum habent, 280, 2. ad eam via, ad eam exhortatio, ejusque encomia, 434, 2; 694, 2 et seq. in virtute proficiendi praxis, 117, 2. ejus habitus acquiri debet exercitio, 145, 1. unde dicta, 434, 1. in adversis crescit, 2. ordo virtutis ad perfectionem, *465, 1. virtutis robur et potentia, 343, 2.
Vita hominis est militia, *237, 1. vita nostra debet esse continua mortis meditatio, 278, 1. et assidua profectio in via virtutum, 574, 2. vita brevis nos monet ut illam bene impendamus, 332, 2; 384, 1.
Vita activa et contemplativa significatur per duas sorores Jacob, 294, 1. contemplativa in quo præstet activæ, 2.
Vitæ æternæ pulchra descriptio, 662, 1. vili pretio hæc comparatur, 2.
S. Vitalis Martyr propter tormenta Christum noluit negare,
Vitulæ mactatione (de) pro homicidio occulto, *474, 1 et seq. quid allegorice hæc vitula significarit, 2. vitula, capra, aries ab Abrahamo in fœdere immolata quid litteraliter, mystice et moraliter significent, 203, 1, 2.
Vivificare sæpe in Scripturis significat *in vita conservare*, *316, 2.
Vocalia debent omnia esse quæ sunt Pontificis, 692, 2.
Vocari in Scripturis sæpe significat *esse*, *258, 1.
Vocationum Dei typus, et ordo, 474, 1. vocatione sua quisque debet esse contentus, *276, 2.
Vocibus abstractis et concretis quomodo Hebræi interdum utantur, 31, 1.
Voluntatis quam magnum sit dominium, 117, 1. voluntatibus nostris malis quomodo utatur diabolus, *112, 2. Deus sæpe est voluntate contentus loco operis, 248, 1.
Votum filiæ, vel uxoris quomodo poterat pater vel maritus confirmare, aut irritare, *359, 1. leges de votis, non tam erant juris naturæ, quam positivi veteris, *369, 2. votum est spontanea obligatio, respectu actus voventis, sed non respectu rei votæ, *187, 1. res vota voto *cherem* debebat mori aut naturaliter aut civiliter, *ibid.* de votis apud Judæos leges sancivit Deus duodecim, quæ ex ordine referuntur, *182. prima lex erat in qua homo se vovebat servitio Dei, et tabernaculo: quomodo hic erat redimendus, *183, 1. quid hoc votum allegorice significat, *184, 1. vir et mulier se voventes quo pretio poterant redimi, 2. servus quomodo poterat redimi, *ibid.* secunda de animali Deo voto, si animal immolabile erat, redimi non poterat, *ibid.* tertia de animali immundo, id redimendum erat pretio, *185, 1, quarta de vovente domum suam, *ibid.* quinta de vovente agrum, et quomodo is redimi poterat, *ibid.* 2, sexta rursus de vovente agrum, *186, 1. emptor hujus agri, non hæres, eum redimebat pretio solvendo pro rata annorum usque ad jubileum, *ibid.* octava de primogenitis Deo votis, 2. nona de primogenito immundo voto, *ibid.* et seq. decima de eo quod vovetur, ita ut redimi non possit, sive de anathemate voto, *187, 1. undecima de frugibus votis, *188, 1. duodecima de votis decimarum animalium, 2. an res præcepta possit esse materia voti, *186, 2.
Vovere Deo licet aliquod bonum opus, 291, 1.
Vulgi quam sit mirabile ingenium et mores, insignibus sententiis docetur, *241, 1 et seq. vulgi ingratitudo, *299, 1 et seq.
Vulnerum dolor cur tertio die gravissimus, 324, 2.
Vultures omnes an feminæ, 65, 1. præsagiunt clades et cædes, 2.

W.

S. Wenceslaus Abeli assimilatur, ejus necis auctores quas pœnas dederint, 118, 1, 2.
S. Willebrordus aqua benedicta dæmones a domo quadam fugavit, *294, 2. ejus mater gravida vidit in somnis novam lunam nascentem in signum futuræ sanctitatis filii, *458, 2.
S. Wolfredi Martyris zelus, 715, 2.

X.

Xenophon unde dictus Musa Attica, 465, 2; 538, 1.

Z.

Zabulon quid significet, 299, 2. significat symbolice odium peccatorum, 300, 1. de benedictione Zabulon, 403, 1, 2. in terra Zabulon prædicavit Christus, *ibid.* ex ea orti plerique Apostoli, *ibid.* habitabant Zabulonitæ juxta mare Mediterraneum, *530, 2.
Zachæus Eremita pestem a Cæsarea precibus avertit, 711, 1.
Zacharias pontifex cæsus a Joas rege, vindictam poscens auditus est a Deo, 155, 2.
Zaleucus justus fuit legislator, *396, 2.
Zambri princeps tribus Simeon ad Madianitidem intrans occisus est a Phinees, *340, 2.
Zara quid significet, 349, 2.
Zelo (de) insignia documenta moralia, *528, 1. zelus purgat facinus, *ibid.* zelum habentium varia exempla, *ibid.* zeli Levitarum merces, *ibid.* requiritur in Prælato et in principe, 2. zelo est opus ad ardua peragenda, *340, 2.
Zelotypia est unum e malis conjugii, *213, 2. ea laborans olim maritus uxorem deferebat ad sacerdotem, sacerdos dabat mulieri aquas bibere, *214, 2.
Zelpha ancilla Liæ data ab ipsa Jacobo marito in conjugem secundariam, peperitque ei duas proles, 297, 1.
Zeugmatius monachus, esto cæcus, omnes docere satagebat, 652, 1.
Zomzommim qui dicantur triplici significatione, *399, 2.
Zona pontificis veteris Testamenti significat Christi in nos amorem, 696, 2. quid eadem zona tropologice significet, *ibid.*
Zona torrida est habitabilis, 171, 2.
Zoroastres fuit magiæ inventor, 492, 2.
Zozimas Eremita corpus S. Mariæ Ægyptiæ terræ mandavit, 109, 2.

INDEX MATERIARUM

PRO CONCIONIBUS

EVANGELIORUM DOMINICARUM

TOTIUS ANNI,

ET FESTIVITATUM ALIQUOT, QUÆ IN HOC COMMENTARIO IN PENTATEUCHUM PROPONUNTUR.

DOMINICA I. ADVENTUS.

SURGENT PSEUDOCHRISTI, *Luc.* XXI. Antichristus ex qua tribu nascetur.—*Vide in Indice Rerum voc.* Antichristus.

TUNC VIDEBUNT FILIUM HOMINIS. Tintinnabula pontificis veteris Testamenti significant novissima, 693, 2. Horror judicii extremi considerari potest ex horrore diluvii, 146, 2. et seqq. Iris significat diem judicii, 158, 1. Judicii dies extremus significatur per maledictiones, et benedictiones prolatas per Moysem in Garizim et Hebal, *498, 2. Christus veniet ad judicium media nocte, 520, 1. Judicii memoria quam sit utilis. — *Vide in Indice Rerum voc.* Judicium.

DOMINICA II ADVENTUS.

CUM AUDISSET JOANNES IN VINCULIS OPERA CHRISTI, *Matth.* XI. Joannes humilis licet, veritatem dixit, et libere Herodem de incontinentia arguit. Docentur hoc loco Prælati licet humiles debeant esse, debere tamen dignitatem suam tueri, ac veritatem intrepide etiam viris principibus dicere : de qua re insignia adferuntur exempla, *277, 1.

ARUNDINEM VENTO AGITATAM. De constantia et perseverantia *vide multa in Indice Rerum voc.* Constantia *et* Perseverantia. De constantia insignia documenta, et dicta moralia sapientum, 670, 2.

CÆCI VIDENT. Quot modis vera miracula a falsis discerni possint. — *Vide in Indice Rerum voc.* Miracula.

DOMINICA III ADVENTUS.

QUIS ES TU? *Joan.* I. Cognitio sui quam sit res utilis et necessaria, *451, 2. Hominis miseria et vilitas, 109, 1.

PROPHETA ES TU? De singulari propheta promisso per Mosem, *465, 1.

DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ, *Luc.* III. De compunctione insignia documenta moralia, *30, 1 ; *109, 1.

Pœnitentia tropologice est sagum cilicinum quo operiebatur tabernaculum, 659, 1. Significatur eadem mystice per labrum quod erat in tabernaculo, 714, 2. Cilicii usus quam sit antiquus docetur exemplis, 342, 1.

Mortificationi corporis quantopere debeat Christianus vacare, 666, 1, 2.

Adam vestitus foliis ficuum in signum pœnitentiæ, 110, 2. Pœnitentiæ præco fuit Noë, 133, 2. Pœnitentia non est procrastinanda, 148, 2.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

VERBUM CARO FACTUM EST, *Joan.* I. *Iris* significat Verbum incarnatum septem de causis, 158, 1. Incarnatio Verbi allegorice significatur per scalam Jacob, 286, 2. Christum verum Messiam venisse probatur ex prophetia Jacob, *Gen.* XLIX : *Non auferetur sceptrum*, etc., 396, 2 et seqq. quomodo Christus sit desiderium collium æternorum, 411, 1.

Christus quintupliciter vocatur Deus, 486, 2.

Christus instar monocerotis captus est solo sinu Virginis, *325, 2.

Bethlehem locus nativitatis Christi unde nomen acceperit, 331, 1, 2.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

SIC EUM VOLO MANERE DONEC VENIAM, *Joan.* XXI. Joannem vere esse mortuum.—*Vide in Indice Rerum voc.* Joannes. Quia vero Joannes præ cæteris discipulis dilectus fuit ob insignem castitatem, de ea hic agi poterit : de qua *vide insignia documenta, et exempla in Indice Rerum v.* Castitas *et* Virginitas. Item insignia continentiæ exempla tam Gentilium, quam Christianorum, *21, 2 et seq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM.

HÆC VIDUA, etc., QUÆ NON DISCEDEBAT DE TEMPLO, etc. *Luc.* II. Erant similes multæ mulieres huic Annæ excubantes circa tabernaculum, idque a tempore Moysis, 755, 1.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

UT CIRCUMCIDERETUR PUER, *Luc.* II. De institutione, causis et significatione circumcisionis, 214, 2.

VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS. De nomine Dei, *vide in Indice Rerum voc.* Deus; *de nomine Jesu, ibid. voc.* Jesus, et *257, 1, 2. Item de Dei nominibus, ejusque nomine tetragrammato, 477, 1, 2.

QUOD VOCATUM EST AB ANGELO PRIUSQUAM IN UTERO CONCIPERETUR. Sex insignibus viris Deus ante ortum nomina indidit, 209, 1.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT, *Matth.* II. — *Vide de prophetia Balaam*, ex cujus prosapia hi Magi fuerunt, ubi multa et insignia de stella, Christo ac Magis referuntur, *332, 1

VIDIMUS STELLAM EJUS IN ORIENTE. De creatione stellarum, earumque natura, magnitudine, etc.—*Vide multa in Indice Rerum voc.* Stella. Item quomodo multorum sanctitas fuerit præsagita lumine cœlesti, et quomodo Sancti similes sint stellis. — *Vide* 202, 1.

AUDIENS AUTEM HERODES REX TURBATUS EST. Regum status quam multis sit obnoxius periculis, *243, 2. Regnorum quanta sit vanitas, 562, 2.

OBTULERUNT EI MUNERA, AURUM, THUS ET MYRRHAM. Quia aurum mystice significat charitatem, *vide in Indice Rerum voc.* Charitas. In oblatione thuris devotio mystice potest intelligi, item et oratio. Quomodo devotio et recta in-

tentio est dirigenda ad Deum in omni tempore, *24, 1. De oratione, *vide in Indice Rerum voc.* Oratio. Occasione thuris, *vide* de virtutum odore, 280, 2. De thure Deo offerri solito, *16, 1. Est symbolum charitatis, orationis et bonæ famæ, *16, 1, 2. Cur absit a sacrificio pro peccato, *29, 2. Per myrrham recte potest intelligi mortificatio et compunctio. De compunctione insignia documenta moralia, *30, 1; 109, 1. Mortificationi corporis Christianus quantopere debeat vacare, *109, 1. Altare holocausti significat cor per pœnitentiam mortificatum, 665, 2 et seq.

Responso accepto in somnis. An liceat divinare ex somnis, 356, 1 et sequent. Somniorum quanta sit vanitas, *125, 1.

Quia hi Magi fuerunt primitiæ Gentium poterit agi de Gentium vocatione ad fidem, de qua est prophetia, 162, 2.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

Secundum consuetudinem diei festi, *Luc.* II. De festis diversis Judæorum, *vide Indice Rerum voc.* Festum. *Item ibid.* quomodo Christiani debeant festa celebrare. Quia Maria juvenem filiolum etiam ad festum duxit, poterunt hic adferri exempla matrum filios ad martyrium offerentium, 244, 1.

Erat subditus illis. De obedientia insignia et egregia documenta, 678, 2. De eadem exempla tam Christianorum quam Gentilium, 679, 1. Obedientiæ veræ septem proprietates, 183, 2. Novem bona promissa honorantibus parentes, 162, 1. De honore et observantia parentibus debita, *418, 1.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, *Joan.* II. De institutione matrimonii, 91, 2. Uxor in quatuor rebus est viro in adjutorium, *ibid.* de Eva formata ex costa Adami, 92, 2. Amoris conjugum exempla, 94, 2. Quomodo in matrimonio sint duo in carne una, 95, 1. Moralis doctrina, ne viri sequantur concupiscentiam mulierum, 102, 2. Mulierum triplex pœna, 107, 2. Polygamia olim quomodo licita, 208, 1. Quomodo matres per se debeant lactare proprios filios, 239, 2. In deligenda uxore respiciendum est ad mores, et ad pietatem, non ad divitias. Item bona uxor quam insigne sit donum Dei, 256, 2. Multæ sanctæ mulieres, cur steriles, 266, 1. Licet etiam in uxore deligenda spectare pulchritudinem, 293, 1. Veteres solebant uxores emere, *ibid.* Uxorum est domi manere, 323, 1. Quomodo parentes debeant æqualiter diligere filios, 338, 2. Quinam gradus jure naturæ dirimant matrimonium, *116, 2.

Adulterium quomodo per miraculum in veteri lege probabatur, *214, 2. De adulterii enormitate, *215, 1. Quomodo apud varias Gentes puniri solitum, 347, 2.

Libellum repudii Christus in novo Testamento sustulit, *486, 1.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

Leprosus veniens, etc. *Matth.* VIII. De lepra, ejusque speciebus, et quid significet, etc. — *Vide multa*, *81, 1.

Ostende te sacerdoti. De sacrificio a leprosis in mundatione lege Moysis offerri præcepto ejusque significatione, *92, 1. Sacerdotum peccata quantopere tegenda, 161, 1. Benedictio sacerdotalis quam sit efficax, *221, 1, 2.

Domine, adjuva me. Deus quomodo adest in arctis sperantibus in eum, 557, 2.

Puer meus jacet in domo paralyticus. Insignem curam hic centurio de servis suis gerit, uti bonum patrem familias decet. Laban quomodo sit speculum patrum familias octo de causis, 258, 1. Qualem curam familiæ debeat habere bonus paterfamilias docetur exemplo Comitis Elzearii, 310, 2; 340, 1; 471, 1.

Et quia hic servus erat, agi poterit de servis benigne tractandis, *174, 1. Servus bonus est liber, quod multis exemplis docetur, 433, 1. De cæremoniis legis veteris circa servorum et servarum libertatem, 610, 1, 2 et seqq.

Habeo sub me milites, etc. In bellis qualis disciplina militaris sit servanda, docetur exemplis, *470, 1 et seqq.; *481, 1. — *Vide etiam* de justis belli causis *in Indice Rerum voc.* Bellum. Victoriam in bellis esse donum Dei, docetur multis exemplis, 590, 2.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

Ascendente Jesu in naviculam, *Matth.* VIII. Navicula hæc significat Ecclesiam, de qua hic agi poterit. In Ecclesia sunt tres status, 274, 2. Significatur eadem per Bersabee275Significatur eadem allegorice per Sanctum, 648, 2. Item per arcam Noë, 138, 2.

Venti et mare obediunt ei. Mundi pulchritudo in multis consistit, 74, 1.—*Vide in Indice Rerum voc.* Mundus, Creatio.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

Alligate ea in fasciculos ad comburendum, *Matth.* XIII. Infernus quando sit creatus, 49, 2. Infernum designat incendium Sodomæ, 232, 1. Inferni ignis quantus sit, multis docetur, *519, 1.

Sinite ea crescere. Scelera Deus tandem vindicat, licet videatur dissimulare, 393, 1.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Simile est regnum coelorum patrifamilias, *Matth.* XX. Quænam familia sit felicissima, *177, 2.

Conducere operarios. Rejicitur Calvini error asserentis omnia opera justorum esse peccata, 134, 2. Quomodo semper in virtute proficiendum, *373, 1. et seqq. Ad hoc faciendum pia praxis, *374, 1, 2.

Quid hic statis tota die otiosi? De otio detestando et vitando, 474, 1. De stadio et studio virtutis, 669, 1. De via ad virtutem, 2. Virtutum habitus exercitio parandus, *144, 1.

Redde illis mercedem. Quomodo Deus sit operum nostrorum merces, 201, 1.

An oculus tuus nequam quia ego bonus? De invidiæ proprietatibus et remediis, 339, 1 et seqq. — *Vide plura in Indice Rerum voc.* Invidia.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Prædestinatio et reprobatio significatur per hircum oblatum pro peccato, et per emissarium, *103, 2. Salvandorum paucitas multis terribilibus exemplis docetur, *266, 2 et seq.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit qui seminat seminare semen suum, *Luc.* VIII. De concionatoribus egregia documenta et exempla, *156, 2. Concionatores debent esse satores æternitatis, *235, 1. Talium concionatorum exempla, *ibid.*

Ut videntes non videant, etc. Quomodo Deus dicatur indurare, excæcare, etc., 488, 1, 2.—*Vide in Indice Rerum voc.* Obdurare.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Cæcus sedebat secus viam, *Luc.* XVIII. Ratione hujus cæci mendicantis agi poterit quantam curam Deus interdum gerat mendicantium, exemplo Comitissæ Hollandiæ, *487, 1, 2.—*Vide etiam in Indice Rerum voc.* Pauper. Cæcitatem corporalem quam parvi quidam æstimarint, 277, 1, 2. De impiorum cæcitate, 229, 1.

Domine, ut videam. Illuminatio Dei est duplex, *221, 1.

Quia hodie multi, proh dolor, Bacchum et Bacchanalia colunt, se Christianos esse obliti, agi poterit de ebrietate et de gula. Ebrietatis incommoda et detestatio, 234, 1; 373, 2. Quid sit, et de ea exempla, 234, 1, 2. De vini abstinentia, *57, 1. Gulosi perstringuntur, *65, 1. Gulæ efficax remedium docetur exemplis, *246, 2. De sepulcris concupiscentiæ gulonum, *250, 1.

DOMINICA I QUADRAGESIMÆ.

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM, *Matth.* IV. Solitudinis bona et encomia, 451, 1.

CUM JEJUNASSET QUADRAGINTA DIEBUS. Veterum in victu parcitas et frugalitas, 70, 1. Abstinentiæ fructus et exempla ex sacris et ex profanis auctoribus, 160, 1, 2. Jejunium quam sit res præstans, et quot secum adferat commoda, 745, 2 et seq. Quadragesima fuit præfigurata per mansiones Israelitarum in deserto, *370, 1, 2. De Quadragesima, 631, 1, 2.

ET ACCEDENS TENTATOR. De serpentis tentatione, 97, 1. Quare diabolus in specie serpentis primos nostros parentes tentarit, *ibid.* Recensentur species et modi tentationum ex S. Bernardo, 2. Diabolus nos magis tentat in fine vitæ, 107, 1. Aliter Deus dicitur tentare, aliter diabolus, 243, 1. Diabolus est serpens et quomodo, 495, 1. Ejus imbecillitas si ei resistamus, 503, 2.

NON IN SOLO PANE, etc. Explicatio hujus Scripturæ, *183, 1.

DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

ET APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS, *Matth.* XVII. De Moyse, quis qualisve fuerit. — *Vide multa in Indice Rerum voc.* Moyses. De Elia, ubi sit jam, ac de ejus raptu, et vita qua nunc vivit, 128, 1.

DOMINE, BONUM EST NOS HIC ESSE. Quia transfiguratio erat præambulum gloriæ cœlestis, de ea hic agi poterit. — *Vide multa verbo* Cœlum *et* Beatitudo. De consolationibus spiritualibus et gaudio, significatis per manna, 585, 2. Pro vita æterna quælibet dura esse ferenda, 671, 2. Vitæ æternæ insignis descriptio, 662, 1. Quare vili pretio comparetur, 2.

RESPLENDUIT FACIES EJUS SICUT SOL. In oratione Christus transfiguratus fuit. Quomodo oratio faciat homines lucidos, 747, 1, 2.

DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

ERAT EJICIENS DÆMONIUM, *Luc.* XI. Satanæ tres præcursores sunt oblivio, negligentia et concupiscentia, *112, 2. Quam apte diabolus vocetur bestia, *ibid.*

ET ILLUD ERAT MUTUM. Dæmonis in suos crudelitas docetur exemplis, *118, 1. Quia etiam diabolus multos nimis facit garrire, agi poterit de garrulitate, de qua insignia sunt documenta moralia, *97, 2.

OMNE REGNUM IN SE DIVISUM DESOLABITUR. Rempublicam conservant præmia et pœnæ, *178, 2,

DOMINICA IV QUADRAGESIMÆ.

Occasione multiplicationis panum agi hic poterit de eleemosyna, cujus encomia et fructus. — *Vide in Indice Rerum voc.* Eleemosyna. Pauperum quanta sit gerenda cura docetur exemplo Dei et Sanctorum, *452, 1. Eleemosyna quanto sit cum affectu danda, *79, 1, 2.

DOMINICA PASSIONIS.

QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? Christus tam confidenter loquitur sibi infensissimis, quia de nullo sibi erat peccato conscius. — *Vide in Indice Rerum voc.* Conscientia.

DÆMONIUM HABES. Blasphemi morte puniti quod multis exemplis probatur, *164, 2 et seq.

EGO DÆMONIUM NON HABEO. Mira populi ingratitudo, et tamen non regerendo injuriam Christus respondet; hinc doceri poterit Prælatorum et Sanctorum esse alios interdum portare, *244, 1 et seq. Item quomodo Prælati suorum ingratitudinem ferent, et ea de re exempla, *265, 2 et seq.

ABRAHAM PATER VESTER, etc. — *Vide multa in Indice Rerum voc.* Abraham.

DOMINICA PALMARUM.

BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI. Idem hic populus, qui Christum suscipit cum tantis acclamationibus, postea eum ad crucem petit dicendo: Crucifigatur; unde videre licet quam vulgi sensus et mores sint instabiles, de quo; *242, 1 et seq.

Quia hodie Ecclesia fidelibus Christi passionem proponit, de ea multa poterunt agi.

De serpente æneo qui fuit figura crucis, *305, 2. et seq. Crux Christi significata fuit per virgam Moysis, 463, 1. Christus se patientem comparat messori, 710, 1. Christi caro crucifixa significatur per vitulam, quæ immolabatur extra castra, *474, 2. Caro Christi in cruce dilacerata, est symbolice lepra octo de causis, *89, 2. Christi crucifixi exemplar est assidue aspiciendum, 653, 2 et seqq. Crux omnia amara reddit dulcia, 574, 1. Christus quomodo in cruce amore et dolore fuerit tostus, 665, 2 et seq. Christum extra portam passum esse quid allegorice significet, *27, 1. — *Vide multa* de monte Moria, id est calvariæ, ubi etiam Isaac immolatus, 244, 2 et seq. Christus in cruce pendens significatur per arietem surrogatum in locum Isaac, 249, 1.

IN FESTO PASCHÆ.

SURREXIT NON EST HIC, *Marc.* XVI. Joseph ex carcere veniens est figura Christi resurgentis, 378, 1. In resurrectione quomodo Deus dicatur creaturus novum solem, 59, 1.

De agno paschali *vide multa Exod.* XII toto cap. Idem de phase, sive paschate, *ibid.* 533, 1 et seq. Viginti analogiæ agni paschalis, et Christi, 543, 2 et seq.

De festo hoc apud Judæos, *148, 1. De ejus celebritate etiam apud Christianos per miraculum ostensa, 2.

Occasione piarum mulierum Christi sepulcrum adeuntium agi poterit de mulieribus. Saræ laus et virtutes, 207, 1, 2. — *Item vide indice Rerum voc.* Mulier.

FERIA II PASCHÆ.

IBANT DUO, *Luc.* XXIV. Societatis duo commoda, 467, 1.

DE JESU NAZARENO. Quam recte Jesus vocetur Nazarenus, *217, 2.

INTERPRETABATUR ILLIS IN OMNIBUS SCRIPTURIS. — *Vide in Indice Rerum voc.* Scriptura.

MANE NOBISCUM, DOMINE. Hospitalitatis encomia et proprietates, 217, 2. Hospites quomodo recipiendi, 218, 2.

DOMINICA IN ALBIS.

PAX VOBIS, *Joan.* XXI. Pacificorum exempla, 218, 1, 2.

QUORUM REMISERITIS, etc. Typus et figura confessionis et absolutionis fuit in veteri Testamento, *37, 1. Confessionis sacramentalis fructus et necessitas docetur documentis et exemplis, *ibid.* et seq.

DOMINICA II POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS, *Joan.* X. De Pastoribus, et Ecclesiæ rectoribus multa passim, quæ ipsi superiores vel sibi meditando poterunt applicare, vel suis, ubi auditorium exigit, proponere: pastores quales debeant esse, docetur ex virga Aaron florente, *283, 1. debent esse valde addicti mortificationi corporis, qua de re insignia adferuntur exempla, *ibid.* et seq. Pastores non debent esse delicati, *286, 1. quam debeant esse humiles docetur exemplo Moysis incidentis in peccatum incredulitatis, *300, 1, 2. Debent esse instar ignis, 478, 1 et seq. Debent sæpe cum Moyse Deum consulere, *226, 1, 2. Instar Moysis debent severitatem miscere cum misericordia, 728, 1. Quales debeant esse, 692, 2. Nullis debent parcere laboribus, quod exemplis docetur, 704, 1. Exempla proborum pastorum, *283, 1 et seq.

Quia apud sacros et profanos auctores, principes et magistratus sæculares vocantur etiam Pastores, etiam de iis hic agi poterit. Ars pastoralis est præludium ad regnum, 449, 1. Tres greges cuique sunt pascendi, 2. Princeps debet esse pastor et lapis, 409, 2. Principes avari quantopere detestandi, et eorum exempla, *65, 1 et seq. Magis-

tratus quales debeant esse, 594, 2 et seq. Principum est in ira facile excusationes admittere. — *Vide verbo* Princeps.

Quoniam subditi tenentur Pastores suos sustentare, agi poterit de decimis, de præmiis eas bene dantium, et punitione detrectantium dare.— *Vide in Indice Rerum voc.* Decima. — *Vide etiam multa servientia huic Evangelio voc.* Sacerdos *et* Princeps.

DOMINICA III POST PASCHA.

TRISTITIA VESTRA CONVERTETUR IN GAUDIUM, *Joan.* XVI. Apposite suos hic Christus solatur. De modo consolandi afflictos, 475, 2. Lætitia vera Christianorum est sita in spe felicitatis æternæ, *175, 1 et seq.

GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS. De vero et solido gaudio justorum, *175, 1. De gaudio spirituali, et ejus fructu, et de mediis ad illud perveniendi, *444, 2 et seq.

DOMINICA IV POST PASCHA.

VERITATEM VOBIS DICO, *Joan.* XVI. Veritas est sol pulcherrimus, 690, 1.

MULTA HABEO VOBIS DICERE. Verbo Dei quomodo in Deuteronomio præcipiatur nihil addendum, quodque hoc non excludat traditiones Ecclesiasticas, *404, 1, 2.

DOMINICA V POST PASCHA.

SI QUID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, etc. *Joan.* XVI. Lucta Jacob cum angelo significat orationis vim et efficaciam, 317, 1. — *Vide plura* de oratione ejusque fructibus *in Indice Rerum voc.* Oratio. De orationis fructu, miraculis et exemplis, 710, 1, 2.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

EXPROBRAVIT INCREDULITATEM, *Marc.* XVI. Modus corripiendi quis a Prælatis sit servandus, 366, 2.

ASSUMPTUS EST IN COELUM. — *Vide notata Dominicâ secunda in Quadragesima.* Quomodo terrena contemnenda, et non debeamus elevari ad cœlestia, 61, 2. Scala Jacob tropologice significat virtutes, quibus ad cœlum scandimus, 287, 2. significat anagogice varios Sanctorum choros, 288, 2. Quadraginta duæ viæ ad cœlum significatæ per quadraginta duas mansiones in deserto ad terram promissam, *371, 2. Quia Christus in Ascensione sua comparatur aquilæ, dici quædam mira de aquilis poterunt, et quomodo Sancti similes sint aquilis, 597, 1, 2. Quomodo debeamus suspirare ad cœlum. 638, 2.

IN FESTO PENTECOSTES.

SEDITQUE SUPRA SINGULOS EORUM. Quia Spiritus Sanctus hodie descendit sub specie ignis, tractari poterit quomodo Deus olim per ignem solebat ostendere sibi placere sacrificia, 115, 2. Spiritus Sanctus significatur per columnam ignis, et per columnam nubis, 552, 1; *232, 1. Aptissime ignis significat Deum, charitatem, et Sanctum Spiritum, idque ob tres rationes, *53, 1. De igne in rubo, *vide multa documenta*, 452, 1, 2.

Spiritus Sanctus quam facile hominem mutet, *323, 2. —*Vide plura in Indice Rerum voc.* Spiritus Sanctus.

De festo Pentecostes Judæorum, et nostro, *vide multa* *150, 2 et seq. Festum Pentecostes quid allegorice, tropologice et anagogice significet, *155, 1, 2.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

BAPTIZANTES EOS, etc. *Matth.* XXVIII. Transitus maris Rubri figura fuit baptismi, 561, 2.

DOCETE OMNES GENTES. Apostolorum officium in servo Abraham præfiguratur, 261, 1. Evangelii dilatatio facta per Apostolos allegorice significatur per tabulas tabernaculi, 660, 1.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Mysterium SS. Trinitatis innuitur, 456, 1. — *Vide in Indice Rerum voc.* Trinitas. *Item* de formatione signi crucis *verbo* Crux. Trinitatis symbolum in tribus angelis fuit quos Abraham hospitio recepit, 221, 1.

Agi hic etiam poterit de Deo, de quo *vide in Indice Rerum voc.* Deus. Cogitare Deum ubique præsentem quam sit res utilis et salutaris, 212, 2. Formationis crucis signi encomia, *305, 2.

IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI.

PANIS QUEM EGO DABO, CARO MEA EST. De Eucharistia in quantum est Sacramentum; ac de variis ejus figuris, *vide in indice Rerum voc.* Eucharistia. Omnes proprietate mannæ accommodantur Eucharistiæ, 584, 2 et seq. Eucharistiam etiam angeli distribuerunt, *138, 1. Mincha fuit typus Eucharistiæ, *15, 1. Item mensa panum propositionis, 649, 1.

De Eucharistia in quantum est sacrificium, multa dici possent. De Melchisedech, ejusque sacrificio, 197, 1, 2. Sacerdotes novæ legis sacrificaturi quam sancti debeant esse, *137, 2 et seq. Docetur idem exemplis, *138, 2. Sacerdotes impuros quomodo soleat Deus punire, *138, 1. Juge sacrificium significabat sacrificium Missæ, 706, 1. Missam quotidie audire quam sit utile, docetur, exemplis, 2 et seq. Quomodo in sacrificio Missæ visæ sint visiones angelorum, docetur exemplis, *53, 1, 2.

DOMINICA II POST PENTECOST.

HOMO QUIDAM FECIT COENAM MAGNAM, *Luc.* XIV. Quia quidam per cœnam hanc intelligunt gloriam cœlestem. *Vide de ea notata Dominica II Quadrag. et in festo Ascensionis Domini.* Secundo, per illum qui villam emit, quidam intelligunt superbos et ambitiosos; per ementes boves, deditos colligendis opibus; per eum qui uxorem duxit, deditos libidini, aut qui nimio affectu ducuntur erga rem uxoriam. Quibus præmonitis ad verba poterit agi.

VILLAM EMI. Honores non debent mutare mores, et ea de re exempla, 372, 1. Ambitio quam sit res detestabilis et periculosa, *275, 1, 2.

JUGA BOUM EMI. De cupiditate auri, quam sit nociva, *313, 1 et seq.

UXOREM DUXI. De malo zelotypiæ, et incommodis conjugii, *213, 2. — *Vide notata de* matrimonio, *Dominica II post Epiphan.* — *Vide item in Indicem Rerum voc.* Libido *et* Luxuria. De oculorum custodia habenda, et curiositate vitanda, 323, 2.

DOMINICA III POST PENTECOST.

MURMURABANT PHARISÆI, *Luc.* XV. Murmurantes quam graviter olim a Deo puniti fuerint — *Vide in Indice Rerum voc.* Murmurare. Quia detrahebant Pharisæi Christo, doceri poterit detractio quantum sit malum, *253, 2 et seq.

DOMINICA IV POST PENTECOST.

IN VERBO TUO LAXABO RETE. Quomodo Deo fidendum, et nobis diffidendum, *434, 1. Dei directioni debemus in omnibus acquiescere, 736, 2. quod exemplis probatur, *ibid.* Quænam hujus rei ratio, *ibid.*

RELICTIS OMNIBUS SECUTI SUNT EUM. Typus et ordo vocationum Dei; 474, 2.

DOMINICA V POST PENTECOST.

AUDISTIS QUIA DICTUM EST ANTIQUIS, *Matth.* V. Corrigi Christus Judæorum malum intellectum circa legem, putantium solum opus externum esse prohibitum, non actum concupiscentiæ interioris; docet vero Christus utrumque prohiberi. De concupiscentia vetita sex de causis, et de ea vincenda quatuor modis, *420, 1, 2.

QUI OCCIDERIT. Homicidium quam severe Deus punire soleat, 155, 1. Exempla judicum, quos rei injuste damnati ad judicium citarunt, *ibid.* et seq. Homicidas Dei ultio ad necem persequitur, 156, 1.

Qui irascitur. Ferocium iræ comitate franguntur, et hac de re exempla, 319, 1, 2. Impatientia quam sit impotens, 743, 2 et seq.

DOMINICA VI POST PENTECOST.

Misereor super turbam. Misericordia Dei est varia, 742, 2. — *Vide nota* de eleemosyna *Dom. IV Quadragesimæ.*

DOMINICA VII POST PENTECOST.

Attendite a falsis prophetis, *Matth.* vii. — *Vide* de hæreticis et hæresi *multa in Indice Rerum voc.* Hæresis, Hæretici. Hæretici similes sunt ranis, 249, 2. Item sunt ciniphes, 503, 1. Apostasiam a fide quantopere soleat Deus punire docetur multis exemplis, *457, 1.

A fructibus.—*Vide in Indice Rerum v.* Opera *et* Virtus.

Sunt lupi. Peccata homines in bestias transformant, *71, 1. Impii similes sunt feris, *112, 2.

DOMINICA VIII POST PENTECOST.

Fodere non valeo, *Luc.* xvi. De strenue colendo agro, insignia moralia documenta, 272, 2. De agriculturæ laudibus ac præclaris viris qui ei dediti fuerunt, 89, 2; 159, 1.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. De vera sapientia insignia documenta moralia, 647, 1. Sapientiæ documenta et indicia, 2. Simplicitatis insignia elogia, *123, 1.

De mammona iniquitatis. Avarorum idolum est aurum, 120, 1, 2.

Recipiant vos in æterna tabernacula. De eleemosynæ multis et insignibus fructibus.— *Vide verbo* Eleemosyna. Quomodo domus Christianorum debeant esse officinæ eleemosynæ, 162, 1.

DOMINICA X POST PENTECOST.

Non sum sicut cæteri hominum, *Luc.* xviii. Bona opera nostra esse occultanda. * 453, 1.

Descendit hic justificatus in domum suam. Opus creationis sex dierum significat tropologice opus justificationis, 68, 2.

DOMINICA XI POST PENTECOST.

Tanto magis plus prædicabant. Sancti accepto beneficio prorumpunt in hymnos, et gratiarum actiones, 566, 1. Deum semper esse laudandum, et quare, 567, 1. Quomodo a nobis magnificetur Deus, *265, 1. Deus quantopere, et quot titulis a nobis est laudandus, *439, 2 et seq.

DOMINICA XII POST PENTECOST.

In lege quid scriptum est? *Luc.* x. Quantum sit beneficium lex Dei, *154, 1. Viginti novem bona promittit Deus servantibus legem suam, *178, 1. Item eam violantibus intentat viginti octo maledictiones, 2. Lex Dei custodienda est nimis sex de causis, *181, 2.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. De præcepto dilectionis, et de Deo super omnia diligendo, — *Vide multa in Indice Rerum voc.* Dilectio.— *Vide etiam* *423, 2 et seq. ibique multa de charitate. Dilectionis Dei et proximi præcepta erant contenta duabus tabulis, *329. 1. De dilectione proximi insignia exempla, *122, 1 et seqq.

Amoris philtrum est charitas, quod exemplo Nazianzeni docetur, 377, 1.

Infundens oleum. Oleum tria mysteria significat, 701, 1. Oleum est typus misericordiæ Christi, *15, 2. Cur absit a sacrificio pro peccato, *33, 2. Oleum quid allegorice significet, 290, 1. Tropologice significat gratiam et virtutes, idque octo de causis, *ibid.*

Qui fecit misericordiam. Opera misericordiæ significabantur per panes propositionis, *38, 2.

DOMINICA XIII POST PENTECOS

Occurrerunt ei decem viri leprosi. — *Vide* quæ de lepra et leprosis sunt notata *Dom. IV post Epiphaniam.* Quia vero lepra significat peccatum, *vide in Indice Rerum voc.* Peccatum. Peccatum sunt quatuor quæ aggravant, 119, 2 et seq. Quot secum adferat incommoda, 135, 1. A peccatis probi viri tribus vinculis retrahuntur, 352, 1. Exhortatio ad fugam peccati, 2. Exempla malentium mori quam peccare, *ibid.*

Gratias agens. Gratiarum actio elidit omnes tentationes, 557, 2. De gratiarum actione, ejus fructibus, et ad eam incitamenta, *492, 1 et seq. — *Vide multa in Indice Rerum voc.* Gratias.

DOMINICA XIV POST PENTECOST.

Ne solliciti sitis, *Matth.* vi. Deo ita est fidendum, ut humana præsidia non negligamus, 313, 2. In Deo quomodo fidendum, *434, 1, 2.

Pater coelestis pascit illa. Mirum providentiæ Dei exemplum, 368, 1 et seq. Scala Jacob est symbolum divinæ gubernationis, 286, 1.

Quærite primum regnum Dei. Qui ita temporalibus incumbunt, ut negligant æterna, similes sunt chamæleonti, *70, 2 et seq.

DOMINICA XV POST PENTECOST.

Efferebatur defunctus, *Luc.* vii. Quomodo Deus mortem primis parentibus minatus fuerit, 90, 2 et seq. De morte insignes sententiæ, *ibid.* et seq. Locum sepulturæ deputari solitum consecratione quam sit antiquum, 252, 2. Sepultura inter fideles quanti fiat, 253, 1. Moralis doctrina, et exempla de libenter moriendo, 264, 1. Vita nostra debet esse jugis mortis meditatio, 278, 1. Crebra mortis meditatio quam sit Deo grata, 703, 1. Mortis memoriæ exempla, 126, 2.

Accepit omnes timor. Timor Dei quot secum fructus adferat, *438, 2 et seq.

Magnificabant Deum. De Deo magnificando et laudando. — *Vide notata Dominica XI post Pentecost.*

DOMINICA XVI POST PENTECOST.

Si licet sabbato curare, *Luc.* xiv. Dies Dominica fuit prima dies mundi, 50, 2. Sabbatum violans in lege Moysis morte punitur, 719, 2. Exempla punitionis eorum qui festa violant, *272, 1. Sabbati antiquitas, etiam ante legem Moysis, 77, 2. Exponitur multis tertium præceptum de sabbato sanctificando, *415, 2 et seq.

DOMINICA XVII POST PENTECOST.

Vide quæ de dilectione *notata sunt Dominica* XII *post Pentecost.*

DOMINICA XVIII POST PENTECOST.

Offerebant ei paralyticum, *Matth.* ix. De patientia in morbis habenda, 277, 1, 2. Tribulationes quare hic soleat Deus suis immittere, 321, 2. Sunt signa amoris, *ibid.* Non lædunt, sed perficiunt, 322, 1, 2. Sunt portæ cœli, *ibid.* — *Vide plura in Indice Rerum voc.* Tribulatio.

DOMINICA XIX POST PENTECOST.

Fecit nuptias filio suo, *Matth.* xxii. Christus similis est Isaaco in ejus desponsatione, idque octo de causis, 260, 2.

In tenebras exteriores. Mysticæ tenebræ quæ sint, 518, 1. Æternæ tenebræ sunt metuendæ, 2. Æternitatis quanta sit longitudo, 570, 2. Quid sit æternitas, *189, 1.

DOMINICA XX POST PENTECOST.

Erat quidam regulus, *Joan.* iv. Ex hac reguli cura pro salute corporali filii, admoneri poterunt parentes qualem curam pro salute æterna liberorum debeant gerere. — *Vide in Indice Rerum voc.* Parentes. Parentum maledictio et benedictio in liberos sæpe est valde efficax, quod mul-

tis probatur exemplis, 283, 1, 2. Qui proles suas male instruunt, eas dæmoni offerunt, *118, 1.

NISI SIGNA ET PRODIGIA VIDERITIS. Octo modis vera miracula secernuntur a falsis, 495, 1, 2.

VADE, FILIUS TUUS VIVIT. Ad Centurionis servum Christus sponte voluit ire, ad filium Reguli vocatus renuit ire, ut ostendat pomparum sæculi vanitatem. Omnis nobilitas habuit fere ignobile principium, quod exemplis probatur, 349, 2.

DOMINICA XXI POST PENTECOST.

DEBEBAT DECEM MILLIA TALENTORUM, *Matth.* XVIII. Talentum quanti fuerit valoris, 756, 2 et seq.

PATIENTIAM HABE IN ME. Patientia in adversis quam sit res præstans. — *Vide in Indice Rerum v.* Patientia. De patientia varia et insignia documenta, 446, 2 et seq.

NISI REMISERITIS, etc. De injuriarum remissione. — *Vide multa in Indice Rerum v.* Injuria, Mansuetudo. De mansuetudine insignia dicta, et exempla, *252, 1. Injurias perferre insignis est sanctitatis indicium, quod multis exemplis probatur, *252, 2 et seqq.

DOMINICA XXII POST PENTECOST.

MAGISTER, SCIMUS QUIA VERAX ES, etc. *Matth.* XXII. Adulatio quam sit res perniciosa, *316, 1. De hypocrisi insignia apophthegmata, *67, 2 et seq.

CUJUS EST IMAGO HÆC ET SUPERSCRIPTIO ? Quomodo homo ad imaginem Dei sit creatus, et in quo hæc imago consistat, 70, 1. Hominis excellentiæ et dotes insignes, 69, 1. Quare homo gestet imaginem Dei, 72, 1. Homo quale habuisset dominium in reliquas creaturas in statu innocentiæ, 2. Hominis insignis descriptio, 79, 2.—*Vide plura in Indice Rerum v.* Anima, Homo.

DATE CÆSARI, etc. — *Vide multa* de regibus et principibus *in Indice Rerum v.* Princeps *et* Rex.

Clementia quantopere reges deceat, docetur exemplis, 738, 2.

Principes qualem de veteri et recta religione curam debeant habere, *86, 1, 2.

DOMINICA XXIII POST PENTECOST.

MULIER QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR ANNIS DUODECIM, *Matth.* IX. In omnibus rebus etiam desperatissimis ad Deum debemus confugere, 250, 1. Inter homines quidam fortunati, quidam infortunati, 300, 2 et seqq. Unde hoc proveniat, 301, 2.

SI TETIGERO FIMBRIAM. De Judæorum fimbriis, *272, 1, 2.

NOLI FLERE. Morale de moderando luctu in morte amicorum, *134, 2. Hac de re exempla, *ibid.*

NON EST MORTUA. Mors justorum quam placida sit, multis docetur exemplis, *321, 1; 413, 2 et seqq. Qualis et quam sit terribilis mors impiorum, itidem docetur exemplis, *321, 2 et seqq. e contra insignia Sanctorum pie morientum exempla, 417, 2.

DOMINICA ULTIM. POST PENTECOST.

Vide notata de judicio *Dom.* I *Adventus.*

QUI PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, SALVUS ERIT. Nihil est quod non vincat perseverantia, *143, 1, 2.

INFESTO DEDICATIONIS ECCLES.

Quam antiquum sit Deum invocare in publico conventu, et quando hoc fieri cœptum, 123, 2. De silentio, et reverentia habenda in sacrificiis, *12, 1. — *Vide item* de scala Jacob ad illa verba, *terribilis est locus iste,* 285, 2; 289, 1. Item de unctione et consecratione altarium, 289, 2. Anima Christiana spiritualiter est templum, 678, 2. De immunitate Ecclesiarum, et eam violantes quantopere puniti fuerint, docetur exemplis, *385, 1 et seqq. Quomodo piæ matronæ suas facultates et mundum soleant dare in usum cultus divini, 755, 1. David qualem summam pro fabrica templi reliquerit, 757, 1.

IN QUOLIBET FESTO B. VIRGINIS.

Quomodo B. Virgo contriverit caput serpentis, 106, 1. Mariæ typus quomodo fuerit Eva, *ibid.* Quomodo multi duces fuerint victores in bellis ope B. Virginis, docetur multis exemplis, *362, 2 et seqq. Omni lingua vocatur B. Virgo Domina, 571, 2. Arca fœderis significat B. Virginem, 637, 2.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

SEDEBITIS SUPER SEDES DUODECIM JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL, *Matth.* XIX. Allegorice 12 tribus significant omnes fideles, *196, 1, 2. Quomodo Paulus fuerit ex tribu Benjamin lupus rapax, 428, 2.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

De lege purificationis, *73, 1, 2. An B. Virgo obligabatur lege purificationis, *ibid.* Purificatio moraliter significat pœnitentiam, *74, 2.

Turtur et columba sunt symbolum fidei conjugalis, *78, 1.

Per agnum matutinum significatur Christus in templo præsentatus, 706, 1, 2. De primogenitis *vide multa,* 546, 1.

Occasione Simeonis, agi poterit de honorandis senibus sex de causis, *128, 2.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS.

Quia Maria sola invenitur ab angelo, doceri poterit quomodo virgines oculos virorum debeant formidare, 323, 2 et seqq.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

QUODCUMQUE LIGAVERITIS, etc. *Matth.* XXVI. De jubileo Judæorum, *170, 1, 2. De jubileo Christianorum, *171, 1.

IN FESTO S. JACOBI.

DIC UT SEDEANT HI DUO, etc. *Matth.* XX. Officia, et beneficia non esse danda consanguineis et amicis, sed dignis, docetur multis exemplis, *351, 1.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRG.

MARTHA, MARTHA, TURBARIS ERGA PLURIMA. Quia hæ duæ sorores significant vitam activam et contemplativam, de eisdem poterit agi. Vitæ activæ et contemplativæ figura in tabernaculo Mosis, *107, 1, 2. Vita activa et contemplativa designata per Liam et Rachelem sorores, 294, 1.

IN FESTO S. MATTHÆI.

MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM. Sacrificia vetera cur Deus instituerit, ac de eorum valore, *1, 1.

IN FESTO S. MICHAELIS.

De angelis *vide multa in Indice Rerum v.* Angelus. Angelorum circa homines præsidium, 313, 1. Angeli quando creati, 46, 1. S. Michael apparuit Moysi in rubo, et quomodo, 323, 1. Angeli custodis officia quinque, 623, 2. Exempla custodiæ angelorum, *ibid.*

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

BEATI PAUPERES, *Matth.* V. Paupertas pro Christo quam sit res insignis, 271, 2.

BEATI MITES. De mansuetudine insignia dicta, et exempla, *252, 1 et seq. Injurias perferre insigne est sanctitatis exemplum, quod multis docetur exemplis, 2 et seqq.

BEATI QUI LUGENT.—*Vide notata Dom.* III *post Pascha.*

BEATI MISERICORDES. — *Vide notata de* Eleemosyna *Dominica* IV *Quadrag.*

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. — *Vide in Indice Rerum v.* Tribulatio.

Sancti quidam quomodo ad cœlum pervenerint, 672, 2. Sancti quomodo sint columnæ, *232, 1, 2. Imagines in templis et altaribus olim fuisse positas, 605, 1. Non vetari primo præcepto usum imaginum, *411, 1 et seq.

IN FESTO ANIMARUM.

Ignis ante paradisum allegorice significat Purgatorium, 112, 1.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

De duodecim Apostolis significatis per 12 gemmas Rationalis. — *Vide in Indice Rerum v.* Apostoli.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres sunt holocausta, et exempla eorum qui toto se Deo dedicarunt, *10, 1.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Quia Confessores, tam Pontifices, quam non Pontifices, ordinarie studuerunt esse perfecti, de perfectione poteri agi. Ad perfectionem novem media, 213, 1. Sancti quomodo in virtute debeant proficere, docetur exemplo S. Borromæi, 574, 2. — *Vide plura in Indice Rerum v.* Perfectio. Perfecti significantur per altare thymiamatis, 709 2. Eis applicantur omnes qualitates hujus altaris, *ibid.* e seqq.

IN COMMUNI DOCTORUM.

Vos estis sal terræ. De sale in sacrificiis adhiberi solito, et quid significet, *18, 2 et seqq. Doctores doctrina sua, sunt lux et candelabra ecclesiæ, 651, 1. De doctrina insignia documenta, et dicta sapientium, *ibid.* Scientia omnibus rebus præstat, 101, 2 et seqq.

IN COMMUNI VIRGINUM.

De virginibus *vid. multa insignia in Ind. Rerum v.* Castitas, Virgines, Virginitas. De puritate et castitate insignia documenta moralia, *75, 2; *78, 1. Exempla insignia continentiæ, tam Gentilium quam Christianorum, *28, 1 et seq.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org